P.Q. 1.

8.° Z. 298. Bs.

Digitized by Google

Digitized by Google

MISCELLANEA

MAXIMAM PARTEM

CRITICA.

CURAVERUNT

FRID. TRAUG. FRIEDEMANN

ET

J. D. GODOFR. SEEBODE.



VOL. II. PARTIC. I.

MDCCCXXIII.

PROSTANT

WITTENBERGAE APUD ZIMMERMANN,

LONDINI, PARISIIS ET ARGENTORATI

APUD TREUTTEL ET WUERTZ.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRIS

PRAESTANTISSIMIS

A. H. L. HEEREN

ET

I. D. REUSS

GEORGIAE AUGUSTAE ORNAMENTIS SPLENDIDISSIMIS

hoc

VOLUMEN

VENERABUNDI

D. D. D.

EDITORES.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Aug. Boeckhii Oratio de antiquarum litterarum disciplina.

Natalic*iis* quinquagesimis tertiis FRIDERICI GUILELMI III. Regis *Borussorum* celebrandis auctoritate universitatis litterariae Bero*linensis* d. III. m. Aug. a. 1822. habita. (pp. 14. 4to.)

Quotquot in aedibus nostris et in hac potissimum curia per annum conventus habentur, eorum nullus nec frequentior, nec praesentium nobilitate et dignitate illustrior, nec rerum, quae aguntur, gravitate sanctior est, auditores, quam haec sollemnia Friderici Guilelmi, Regis carissimi, nomini pie colendo quotannis instituta et posthac instituenda. Quod quo magis intelligo, eo minus mihi non modo in dicendo, sed in ipso argumento deligendo unquam satisfacio; et quum omnium fere rerum tractatio usu et exercitatione facilior reddatur, hoc unum munus, quo id saepius sustineo, eo clarius perspicio ita esse *arduum*, ut meas vires longe longeque superet. Accedit ceteris difficultatibus non minima haec, quod quum ea, quae in rege maxime insignia sunt, ad rempublicam pertineant, et materia illinc petita videatur dignissima, quam pro tali ac tanta concione explicemus, ego illam rem uberrimam vix attingere audeo; propterea quod animus a publicis negotiis alienus nonnisi in litteris occupatus est: id quod Regis nostri sapientissimi voluntati unice consentaneum esse novimus. Igitur ereptis maximis quid superest, auditores, quam ut paulo longius a Regis, laudes nec desiderantis nec postulantis, praeconio recedens in argumento ex schola petito delitescam, ne in iis verser, quibus minus idoneus videar? Quod ubi mihi largiti fueritis, quoniam unumquemque de iis, in quibus habitat, si non optime, certe mediocriter dicturum probabile est, simul hoc dederitis, ut de antiquarum litterarum disciplina disseram. Sed nolite metuere, ne iis proponendis, quae mihi magis quam vobis, alii diei qualicunque magis quam Regis meritissimi natalic*iis* convenire videantur, hodie vobis sim molestus futurus: non ita ineptus sum, ut aut illis litteris, quod nonnulli faciunt, immodice iactandis detrahere ceteris coner, illiberali et arroganti disputatione nihil aliud nisi nauseam audientibus facturus; neque eo

Digitized by Google

usque exspatiabor, ut oratio mea reditum non inveniat: continebo me in iis, quae a nemine vestrum plane aliena esse putem, qui omnes hac publicae institutionis parte potissima instructi estis; et quoniam nulla res a civitatis ratione prorsus seiungi potest, commode perveniam etiam eo, quo me fortasse prius accessurum sperabatis, ut ex iis, quae in hoc imperio bene instituta sunt, domui regnatrici et Principi benignissimo laudem quaeram. Denique, ut vos mihi aequi iudices adsitis, non expeto, nisi me oratorem haud iniquum esse cognoscetis.

Nam, ut ab hoc exordiar, qui in aliquo genere diutius elaborarunt atque in id animum penitus abdiderunt, non ego indignum iudico, si eidem plurimum tribuunt: quod nisi maximi aestimarent, mirum foret, si non totum relinquerent atque ad alia omnia studium et industriam transferrent: attamen si quis nondum intellexerit, prout quisque ingenio fertur, aliis rebus alios excellere, et in universo eruditionis orbe nullam provinciam esse imperantem, nullam paulo ampliorem servientem, nullam unice praestare, ut reliquarum coloni quasi capite censeantur; is sciat se parum profecisse, nec litteras iusta mensura, sed pusillae suae mentis angusto admodum modulo metiri. Scio fuisse et esse theologos, iurisperitos, medicos, philosophos, philologos, physicos, poetas, qui sese solos, quod operae pretium sit, scire, ceteros aut nihil aut nugacia scire, et reliquas artes omnes flocci pendendas esse existiment: qui mihi hac ipsa iudicii superbia confiteri videntur, se plurima nescire: nam nisi quidquid ultra eius, quam amplexi sunt, disciplinae fines situm est, plane ignorarent, vel externa illa tantum perfunctorie attigissent et primoribus labris gustassent, singulis artibus cognovissent recte tractatis scientiam inesse profundissimam. Sed ut in iis scholis, in quibus una vel altera doctrina separatim traditur, hanc suo seorsim loco superbire patiamur; certe in universitate litteraria, ubi unicuique arti doctores eximii dati sunt, si quis forte docentium ceteras disciplinas contemnat, eo est minus ferendus, quo facilius ex collegarum consortione errorem corrigere, et quo damnosior discipulis fieri potest. Etenim qui solitarius vivit, quod aliena cum suis raro componit, frequentius eo adducetur, ut sua maioris, quam par est, habeat; contra nihil eruditum potest magis ad modestiam compellere, quam variarum artium quotidianus quasi adspectus: et qui discentes aliena obtrectando ab iis' cognoscendis retrahit, earum rerum, quibus animum alant, magnam iis partem eripit. Quapropter de antiquitatis studio verba

Digitized by Google

facturus id potissimum operam dabo, ut, quod de illo in aliarum doctrinarum detrimentum praedicari falso solet, removeam diligenter, quum praesertim aliquid illi vulgo tribui intelligam, quod omnibus potius bonis artibus videatur commune esse. Etenim invaluit, ut, quae hac disciplina comprehenduntur, studia humanitatis vocarentur: unde quidam profecti huic litterarum generi humanitatem putarunt propriam et peculiarem esse. Quod tantum abest, ut verum censeam, ut a nulla scientia, quae hoc nomine digna sit, humanitatem arbitrer abesse posse. Nam primum ubi humanitatem credas in elegantia morum, in comitate, lenitate, lepore positam esse; nemo non intelligit aliquid, sed aliquid tantum, ad haec litteras quascunque conferre, quod omnibus mores emolliuntur et cupiditates temperantur: immo qui in antiquitatis cognitione occupati sunt, ad istam vocis potestatem comparatos haud reperiri semper humanissimos, multi conquesti sunt. Quamquam equidem severitatem ac suo loco ipsam acerbitatem cum genuina humanitate pugnare aegre concesserim; quis enim in omnibus rebus et erga omnes obsequium probet? quis non potius vitia, malitiam, corruptionem summa vi persequenda et perstringenda iudicet? Nam profecto qui se omnibus obsequiosum praestet, eum non *tam* humanum quam ignavum aut vulpeculae instar versutum fictumque dixerim; et Ciceronem Demosthenemque, licet in adversarios magno impetu irruentes, nemo tamen negaverit homines fuisse cultissimos. At maius quiddam et gravius humanitate comprehendi iudico, facultatem dico recte et ex praeceptis virtutis agendi, notiones rerum universas, quas ideas appellant, mente concipiendi, postremo ea, quae sentias, apte explicandi: quae quum homini sint propria, unice videntur humanitatis vim continere. Iam vero quis tam stolidus est, ut in eo praesertim, qui nunc obtinet, eruditionis statu illa putet in solis antiquis litteris vel in his praecipue fundata esse? Ne enim de vita ad virtutem conformanda dicam, unicuique disciplinae insitas esse notiones purissimas, philosophiam autem his ipsis eminere, nisi vanis commentis pessumdetur, non est quod demonstremus. Et quis theologiam secludere ab humanitate ausit, nisi qui deum ex homine exulare iusserit? Iuris vero doctrina et medica ars, ut usui et experientiae, ita notionibus altissimis innixae sunt. Atque ut concedamus, perfectam philologiam potuisse nonnullis imprimis humanam videri, quae in ingenii operibus absolutissimis humani animi immensam profunditatem experiatur, et

quidquid magnificum, generosum, dulce, amoenum est, quidquid hominum mentes commovet, percellit, componit, erigit, interiore cognitione comprehendat: tamen scriptae illae Musae non solae iucunditatem spirant; etiam florum calices corollasque inhabitat Venus et Gratia: Empedoclea illa principia, amor et odium, quibus homines ducuntur, etiam rerum naturam regunt, materias inanimas congregant et segregant, consociant, dissociant; et ratio per mundum universum diffusa in maximis minimisque divini fabricatoris operibus notionum formas et imagines menti ad illa intentae offundit. Nec si cuperem, dicere possem, quo iure quaestiones grammaticae subtilissimae possent magis humanae haberi quam physicorum observationes microscopicae. Quid quod universa antiquitatis studiorum materia, si linguas veteres exceperis, ipsis ceteris disciplinis continetur? quae nisi ad humanitatem pertinerent, non posset illud, quod inde compositum est, studium humanum vocari. Nisi forte humanitatem in eo quaesiveris, ut in philologorum litteris sola singularum rerum initia tenuia tradantur, abstrusiora negligantur: quemadmodum Aristoteles liberaliter educandos artibus non ita institui voluit, ut in iis perfecti, sed ut rudimentis imbuti essent: quod ut de educatione liberali non male dictum est, ita non debet ad doctrinarum rationem iudicandam transferri. Mihi quidem, ut satis significavi, humanitas imprimis in notionum videtur intelligentia cerni: quae ubi deficiunt, ibi incipere sellularium opificium arbitror; quo eorum ipsorum, qui antiquis litteris operam dant, teneri video haud paucos; omnes dico, qui maioribus impares, molem rerum et verborum rudem, inconditam, tenebricosam corradunt. Sed consideremus etiam illam humanitatis partem, quam in eo positam dixi, ut fari, quae sentias, possis. Ad quam non nego antiquarum litterarum studium prodesse eximie posse, quippe quod in scriptorum praestantissimorum exemplis perfectissimis verba, sententias, stilum, orationem spectet et examinet; attamen non tanta, quanta vulgo putatur, haec est utilitas. Primum enim naturae maxime beneficio disertos fieri constat; sed accedere debet exercitatio, quae in antiquitatis studiosis solet perexigua esse. Dein critica et grammatica disciplina iudicium quidem format et fingit, sed a prompte disserendo magis revocat quam eam facultatem affert. Enimvero plurimos, qui in illo genere diligentius versantur (nec me excipio), non magnopere in dicendo exercitatos esse, sed accurata et subtili sermonis disquisitione eo redigi videmus, ut et copia sententia-

rum eos deficiat, et ipsa oratio, quod vitia acrius perspiciunt et formidolosius cavent, sibi quasi diffidens minus fluat: fere ut Aristarchus, grammaticorum parens, interrogatus ut videtur, cur non ipse carmen componeret, quum carminum vitia et virtutes optime cognitas haberet, fertur respondisse, neque se posse scribere, quemadmodum vellet, neque velle, quemadmodum posset. Alii optimis exemplaribus versandis hoc unum assecuti sunt, ut, quod Latinis maxime oratoribus exprobratur, multis verbis nihil dicant, vel, ut Claudius Imperator, eleganter sed inepte scribant. Postremo si aequabilem virium animi culturam, quam antiquarum litterarum studia praestare dicuntur, nec tamen in multis praestiterunt, humanitatis nomine vocare velis, illa ipsa aequabilis eruditio magis ex ingenii bonitate suspensa est, eoque erit perfectior, quo plura probe subacta et digesta mens cogitatione complecti potuerit; in quo summi erunt philosophi, si qui, quam indolis magnitudinem in Aristotele et Leibnitio fuisse scimus, universum doctrinarum orbem permeaverint.

Quae quum ita sint, mitto eximium illum titulum litteris nostris impositum, et in eam, unde propagatus est, aetatem relego, qua Europae nationes ex barbariae inveteratae sordibus emergentes et in veterum auctorum contemplatione incalescentes hinc omnis melioris cultus semina petebant, qua summus poeta Dantes Alighierius Virgilium ut omnibus numeris absolutum artis suae specimen suspiciebat, Franciscus Petrarca de restituenda in communem usum Latina lingua cogitabat, qua in Platonis et Aristotelis libris unici sanioris philosophiae fontes scaturiebant; denique qua ad antiquorum scriptorum elegantiam Latino sermone aemulandam merito optima ingenia convertebantur: nunc adultis litteris aliter statuendum videtur. Itaque ubi, quae et qualis philologia meo iudicio sit, quaeritis, simplicissima ratione respondeo, si non latiore, quae in ipso vocabulo inest, potestate accipitur, sed ut solet ad antiquas litteras refertur, esse eam universae antiquitatis cognitionem historicam et philosophicam. Universae inquam antiquitatis: quo distat quodammodo ab historia res ex ordine temporum gestas potissimum docente, quum philologia omnem antiquorum populorum vitam comprehendat eamque per partes quasque cognoscere conetur: quamquam qui rem acrius spectaverit, nullam inveniet philologiae partem, quin historiae possit argumentum fieri. Magnopere igitur errare mihi videntur, qui huius disciplinae ambitum ad inter-

pretis et critici artes restringunt, quibus manifestum est non summos doctrinae fines, sed veri inveniendi instrumenta contineri: quod non in illarum artium contemptum, sed quod res ipsa postulat, dico, qui potius in illis aliquid reconditius, quam plurimi vident, inesse intelligam, modo ne criticam in solis corrigendis librariorum mendis positam arbitrentur, dum divam vocant, illius scilicet divinitatem exili isto usu suo ultro irridentes et prostituentes. Nec minus turpe iudico, si quis rudem variarum rerum congeriem pro philologia venditet: cui ubi philosopham cognitionem tribuo, hoc significo, summas esse notiones indagandas veteribus nationibus natura insitas et in singulis antiqui cultus partibus velut in adspectabilibus imaginibus expressas: quae notiones non ex arbitrio constituendae, quomodo recta via inveniri queant, nunc non exponam. Iam ne in hac re sane magna, quod universae doctrinae caput dixerim, diutius consistam, ubi ad singulas partes perveneris, uniuscuiusque non modo bene digesta et idoneis testibus comprobata, sed summis illis notionibus congrua expositio reddenda est, ut, dum quaeque ante oculos panditur, non fortuito, sed interiore necessitate, quantum haec in rebus humanis esse potest, ita conformatam et has decursu temporum vicissitudines expertam esse intelligamus. Ipsas autem partes, suis rursum articulis dividendas, tribus verbis indico: primam rerum publice gestarum, cum temporum et locorum notitia, et institutorum civilium, etiam iuris cognitionem; alteram privatarum rerum, tertiam religionum artiumque demonstrationem; quartam doctrinarum omnium, philosophiae, moralium et naturalium disciplinarum, stilorum ac litterariorum generum historiam, postremo linguae, cui primitiva gentis scientia innata est, perfectam explicationem: quas partes cunctam philologicae eruditionis materiam complectentes cur ita composuerim et disiunxerim, ampliorem poscit indaginem. Quodsi antiquitatis studia in hunc modum delineaveris, non modo altissimam latissimamque illis eruditionem exerceri, sed ut plurimis artibus, ita etiam huic neminem unum sufficere concedes: immo qui in omnibus partibus perfectus fieri contenderit, eum in nulla summum assequi posse constat, quemadmodum, qui primus philologi nomine usus est, Eratosthenes in nulla re princeps, in omnibus secundus habitus est. Dividendis operis hic quoque plurimum proficietur, quoniam, ut Hesiodus ait, dimidium plus toto; sed in quaqua singuli particula insigniorem collocant industriam, potissimis universae disciplinae notionibus debent instru-

cti esse, ne opificum occupent locum. Postremo quum certum esse videatur, ut Graeci cunctarum artium initia ad Homerum auctorem retulerunt, ita omnes, quae nostris temporibus excultae sunt, artes in antiquitate radices habere; patet omnibus doctis communem esse philologiam, non iis, qui philologi appellantur, propriam, nec posse absque ceterarum disciplinarum adminiculo absolvi.

Perfecisse mihi videor, quod volebam, auditores, ut ostenderem, nolle me studia mea, praeter quod decet, verbis exornare, sed communem me omnium eruditorum rem agere, ut par est in tanta apud nos variarum disciplinarum concordia, quarum nullam ceteris aut potiorem aut utiliorem esse etiam viri illi amplissimi iudicant, quos Pater Patriae summo nostro commodo nobis praepositos esse voluit; simul id ex mea disputatione opinor colligi posse, non indignam esse antiquitatis doctrinam, quae multorum doctorum studiis colatur; etsi ne haec quidem perfecta est, si quis nostrae aetatis artibus contemptis nihil nisi antiqua cognoverit. Sed quum de ipsa antiquitatis scientia hucusque dixerim, transeo nunc ad id, quod ad publicam potissimum utilitatem referatur. Nam quum antiquis litteris, propagata ex priore aetate consuetudine, praecipuus in scholarum disciplina locus datus reperiatur; quaesitum est, rectene hoc institutum adhuc retineretur necne: quippe intellectum erat, quod supra exposui, etiam ceteras disciplinas humanitatis spargere semina. Sed ne ad argumenta, quibus utrinque certatum est, descendam, neve exponam, quomodo, qui aliquam linguam in pueritia recte addiscit, non solum animi vires acerrime exercet, sed etiam immensam notionum copiam quasi insciens imbibit: quae antiquis litteris in educanda iuventute praerogativa tribuitur, hoc imprimis fundamento niti videtur, quod, quidquid recens aetas protulit eximii, non desierunt veteres potissimum scriptores classici esse, tenerique animi iis, quae optima sunt, debent imbui, ut pulcherrimis formis repleantur. Video quidem, qui classici sint, dubitari posse; sed ut longam disquisitionem brevi praecidam, id dico classicum, quod quo magis consideres, eo magis placet, non classicum, quod etiamsi initio placuerit, assidua contemplatione evilescit. Nec de unius tantum hominis vel paucorum iudicio loquor: quod classicum est, succedentium aetatum consensu crescit senescens, si tamen quod semper viget senescit; ceterarum rerum gratiam ex novitate metimur. Tempus probat omnia; tempore veteres illi scriptores probati sunt; et saeculorum iudicium in iis praesertim, quae publice instituuntur, haud

minimi faciendum est, nec quidquam temere novandum. At maiores nostros prudentissimos in antiquis auctoribus iuventuti tradendis etiam aliud spectasse, ex indiciis quibusdam coniicio. Nam licet rerum naturam scrutari merito eximium habeatur, humanae tamen res homini proximae sunt; inter humana autem nihil hominibus communius est, nihil debet carius esse, quam illa societas a natura ipsa constituta, quae omnia hominis bona continet, civitas uniuscuiusque patria. Atqui patriae caritas per universos prope veteres scriptores ita est diffusa, ut hunc antiquitatis quasi spiritum vitalem dixerim: evolve poetas, philosophos, oratores, rerum auctores; patriae, et sine qua patria esse nulla potest, libertatis amorem intimis omnium visceribus infixum esse reperies. Quod quum considero, nulla patriae historiae explicatione, in qua omnino claudicamus, quod praeclari ex hoc genere scriptores apud nostrates certas ob causas raro exsistunt, nulla legum et institutorum patriorum notitia, nullis publicis sollemnibus caritatem patriae et iustae libertatis sensus ita foveri, ut veterum scriptorum lectione, puerosque illa disciplina recte instructos cum primis rudimentis, ipso Nepote legendo, praeclaris ali exemplis, haud cunctanter affirmo: quin etiam, quum praestantiores veteribus civilis prudentiae magistri inveniri nulli possint, non tantum pueri ex illis ad caritatem patriae, sed etiam viri ad res gerendas instituentur. Sed de hoc, quamquam summorum id hominum auctoritate et re ipsa comprobari potest, satius duco tacere, ne, quod meae personae convenit, excedam: quod priore loco posui, conspicuis exemplis illustrare iuvat. Fridericus Magnus et Napoleon Imperator documento sunto. Quorum iste alter quum iniquae tyrannidi infestam veterum scriptorum tractationem esse pro sua perspicacitate intelligeret, illa ipsi magnopere displicuit; Friderico Magno, huius imperii statori praecipuo, ut omnia quae animum alere et servitio liberare possent, sic Graecos Latinosque auctores imprimis placuisse et institutioni scholasticae esse aptissimos visos, res est notissima. Qui in limine senectae, attritis corporis viribus, sed mente integra, quum sibi optimos quosque scriptores Graecos assidue recitari iussisset, licet Gallicis potissimum litteris a Graecorum indole alienissimis esset excultus, ipsosque illos Graecos auctores vi sua fraudatos ex solis Gallicis interpretationibus nosceret; tamen illis egregie delectatus, et, ut in hoc uno consistam, in Demosthenis oratione de corona magnis sententiis et carissimo erga patriam affectu referta ingenii praestantiam admiratus est.

Eundem scimus suis, non amicorum consiliis ductum iussisse, ut Graeci Latinique scriptores praecipui in scholis diligentissime legerentur, nec tantum verba adolescentulorum mandarentur memoriae, sed etiam rerum tractandarum ratio et res ipsae ac sententiae explicarentur. Ita Friderico Magno regnante in hoc imperio et in hac maxime urbe melioris disciplinae fundamenta tutiora iacta sunt; quae instituta Fridericus Guilelmus, rex noster sapientissimus, non modo retinuit sed firmavit; idem victo Europae communi hoste eam, quae ab isto imminebat, avertit barbariem. Quocirca non possum quin illud, de quo dixi, institutum praedicem: hoc enim pignus libertatis est. Quam qui ulla ex causa reformidarunt, ne scriptores illi iuventuti integri traderentur, caverunt; ut mutilarentur etiam animi, ne artus moveri possent: quamquam raro isti, quod cupiebant, assecuti sunt, quod, ut clarissimi scriptoris verba huic rei accommodem, praesenti potentia exstingui non potest sequentis aevi memoria. Neque vero quum adolescens progenies illis alimentis nutritur, rebus gerendis immiscetur, quibus veteres ipsi, suis huic rei annis constitutis, imparem habuerunt; sed a rerum praesentium contagione procul remota in aura pura versatur, quam spiritu ducere iuvenilis mens debet. Quare errasse mihi magnopere videntur, qui, quum genuinos Germanos fingere vellent, antiquarum litterarum studiis magna ex parte tantum non infensi, illa aut expellenda aut finibus angustissimis circumscribenda existimarunt.

Conservemus igitur hoc generis humani bonum commune, quo omnes aetates altae sunt: sed agamus etiam gratias Principi clementissimo, quem tacite quidem semper, sed hodie palam veneramur, cuius auspiciis scholarum disciplina a viris illis praestantissimis, qui nobis quoque praefecti sunt, successu faustissimo adiuvatur. Ex quo intelligitur illos perspectum habere, quibus rebus vera populi salus suffulta sit: nam ut ridiculum dicere videar, tamen dicam, non exercitus, non opes, non illustrissimos viros tanto esse civitati munimento, quanto bonos iuventutis magistros; inter quos nos quidem primi sumus, sed scholastici praeceptores, in quibus haud pauci ea doctrinae copia instructi sunt, ut etiam maioribus muneribus sufficiant, eo magis mihi remuneratione digni videntur, quo maior eorum molestia est et locus minus splendidus. In universitatibus litterariis copiosius instruendis civitatum rectores non semper ab ostentatione videntur alieni fuisse, quod tanta illarum auctoritas olim habita est ac

partim etiammunc habetur, ut una universitate gloriari universum regnum possit: scholarum instituta minus conspicua ubi eadem cura digna putantur, non vanam speciem, sed rerum veritatem a regentibus spectari constat. Sed Fridericus Guilelmus utraque gloria ornatus est, et universitatum summa cum munificentia eaque omnis iactationis experte institutarum atque amplissima supellectile ornatarum, quam nos potissimum illi debemus, et vero etiam scholarum magis magisque auctarum. Nobis autem quum ceteri civitatis ministri tum scholastici et ecclesiastici doctores formandi sunt, qui satisfacere reipublicae necessitatibus, satisfacere Regis benignissimi desideriis possint: quod officium quantum sit, nemo vestrum non intelligit. Commovetur animus, auditores, ubi cogito, quantopere his praesertim temporibus, quibus omnium in nos oculi coniiciuntur, nobis allaborandum sit, ut conditoris nostri optimum quidque cupientis respondeamus votis: sed voluntatem nostram ubi viderit, quoniam nihil perfecti humanis viribus effici potest, iis quae infecta relinquuntur, veniam dabit placide. Commovetur animus, ubi quanta illi debeamus, uno in conspectu video; occluditur os, dum quid primum, quid secundum, quid tertium dicam, haesito. Quapropter ut paucis haud pauca complectar, quidquid per tot annos de Rege carissimo hoc die et ex hoc ipso suggestu dixi: multa enim dixi, vobis testibus, quae non opinor a quoquam vestrum esse oblivioni tradita, quos scio mihi attentos semper auditores affuisse: quidquid igitur superioribus annis toties dixi, id scitote omne in hoc temporis articulo mentem meam implere; id animo repetite, atque inde coniecturam facite, quantum sit quod sentio. His sensibus vos quoque repleti mecum precamini Deum bonorum omnium auctorem et conservatorem, ut caput illud sanctissimum nobis et reipublicae servet in extremam senectutem, et regiam domum universam integram, salvam, incolumem praestet perpetuo.

II.

Dav. Ruhnkenii epistolae ad *C. G. Heynium, I. H. Vossium* et *F. A. Wolfium* datae.

Precibus meis facillime permotus misit *Heerenius* V. Cl., quotquot in soceri supellectile asservantur, Ruhnkenii epistolas. Quae quamquam omnes, sunt autem viginti, in quibus multae longiores, evulgabuntur a me in nova, quam paro, collectione opusculorum Ruhnkenianorum (cf. Miscell. Crit. V. I. P. 2. p. 338 sq.);

non ingratum tamen fore putavi lectoribus, si aliquot saltem hic praemitterem. Iisdem precibus meis quum benevole satisfecissent *I. H. Vossius* et *F. A. Wolfius*, nihil habui antiquius, quam ut chartas a viris summis ad me missas prelo statim subjicerem.

Wittenbergae, d. 26. Apr. 1823. *Fr. Tr. Friedemann.*

I.

Heynio suo Dav. Ruhnkenius S. P. D.

Accepi literas Tuas suavitatis, humanitatis, atque amoris erga me Tui plenissimas, quibus Te scribis, ab Apollonio ad Virgilium edendum revocatum esse. Equidem saepenumero librariis germanis male precatus sum, qui, si quem gentis suae virum excellere vident, eum non suo arbitrio agere sinunt, sed precibus aut pretio sibi obnoxium reddunt. Ex quo fieri necesse est, ut aliquando libri prodantur, parum digni auctoribus suis. Gesnerus, ut hoc utar, si Horatium suo potius arbitratu, quam Fritschii, edidisset, quam pulchram eius et omnibus numeris absolutam editionem haberemus. Nunc tenuis est opera, nec tanti viri famae respondet. Quid dicam de excudendi libri festinatione? quae tanta fuit, ut integri poëtae versus hic illic elapsi sint. Equidem sic existimo, capitale ingenium Tuum par esse Virgilio emaculando, nec operam Tuam melius collocari posse. Sed idem satis scio, iustum Tibi ad tantam rem perficiendam tempus minime concedi. Quodsi paulo longius spatium impetrare possis, auctor Tibi sim, ut ex variis Virgilii emendandi viis maxime persequaris eam, quae poëtae medetur ex Lucani, Statii, Valerii Flacci, Silii aliorumque imitatione. Nuper Schraderus in observationum libro salutarem his poëtis medicinam a Virgilio fecit. Tu contra, quae tua est sagacitas, Virgilio facies ex illis. In Gesneriana bibliotheca affertur Anthologia Burmanni cum notis MSS. Gesneri, qui liber sine dubio propter animosos licitatores, Saxium et Burmannum, insano pretio vendetur. Quodsi Tibi, mi Heyni, aditus patet ad hanc bibliothecam, quaeso Te, notulas illas mihi describas. Dicere non possum, quam gratum mihi feceris.

Evolvi his diebus Harlesii vitas Philologorum, lectisque vitis triumvirorum, Burmanni, Klotzii et Saxii, magnopere laetatus sum, me literis, quibus Harlesius meae etiam vitae historiam petebat, nihil respondisse. Klotzium, video, antiquum, obtinere, et tres quatuorve futiles libellos uno partu effundere. Plura alias ad te scribam. Nunc tempore excludor. Vale, mi optime Heyni, Tibique certo persuade, Te a me merito Tuo mirabiliter amari. Dab. Leidae d. 18. Iul. 1764.

In auctione Gesneriana, nisi grave est, libros in schedula notatos mihi et collegae meo, Schultensio emes. Pretium illis a Te statuetur. At quibus NB. adscripsi, quovis pretio emi volo.

II.

Praestantissimo amicissimoque Viro C. G. Heynio Dav. Ruhnkenius S. P. D.

Nescio, quid causae sit, cur, qui crebras literas mittere solebas, repente, tanquam nostri oblitus, conticueris. Quidvis potius velim, quam adversa valetudo, tam diuturni silentii caussa sit. Miseram ad Te catalogum Bibl. Wesselingianae, sperans, futurum, ut hoc modo literae Tuae elicerentur. Sed nullos mihi libros emendos mandasti, quamvis ante inter nos de hac debiti mei expungendi ratione convenisset. Quodsi recte, ut spero, vales, quam primum me literarum Tuarum suavitate bees, scribasque accurate, quid vel publicae vel privatae rei agas. Ego tandem Hesychium, qui me satis diu exercitum habuit, emisi, et Tuum de praefatione nostra iudicium exspecto. Si quid unquam in scribendo fuimus, hic fuimus. Nunc otium consumo in Longino ornando. Levior est opera, nec mentione digna, quam Mallio Theodoro impendi: cuius de Metris libellus cum Notis meis et Heusingeri curis secundis cum maxime exscribitur Leidensibus typis. Vellejum Paterculum per vacationes aestivas tot locis emendavi, ut meliorem superioribus omnibus editionem dare possem. Sed ante excutiendae Bibliothecae, si forte scriptus Codex inveniatur. A Graecis scriptoribus ad Latinos emendandos me revocant obtrectatores quidam, imprimis Burmannus Secundus, Graecarum literarum scientiam mihi libenter concedentes, sed negantes, me similia in Latinis praestare posse. Qui quidem suo malo sentient, me cum Graecis semper coniunxisse Latina. Vale, mi optime Heyni, et sic habeas, nihil Te mihi nec carius esse nec suavius. Dab. Leidae a. d. 13. Oct. 1765.

III.

Praestantissimo amicissimoque Viro C. G. Heynio Dav. Ruhnkenius S. P. D.

Etsi propter occupationes meas rarius, quam vellem, ad Te scribo, nullus tamen dies praeterit, quin de Te cogitem, aut cum amicis eruditis loquar. Quibus omnibus nihil longius videtur, quam dum molestiis, quibus Te premi scribis, liberatus, totus verseris in Graeciae Latiique monimentis illustrandis: ad quam rem bene et feliciter geren-

dam Te et natura finxit, et excellens disciplina formavit. Sed vide, mi suavissime Heyni, an Tibimet ipse interdum plus, quam necesse sit, laboris imponas. Pulcherrima sunt et Tuorum omnium similia programmata, quibus me donasti: sed, ni fallor, paucioribus poteras defungi, praesertim in enarranda Heumanni et Heilmanni historia, quam accuratius cognosse nec hominum, qui nunc sunt, multum interest, nec posterorum. Nollem etiam, quo loco Heumanni audaciam, cum pari imperitia coniunctam, commemoras, Bentleji mentionem fecisses. Aliter sues olent, aliter catuli. Nam ut Heumannus omnium ineptissimus Criticus est, sic Bentlejus felicissimus et elegantissimus omnium, quos unquam cognovi. Aliquando verum esse reperies, quod Hemsterhusius noster, Bentlejo ingenio et doctrina simillimus, dicere solebat: Bentlejum multa movere non movenda: sed plerisque locis veteres scriptores, si ita scripsissent, ut Bentlejus legendum decernit, melius fuisse facturos.

Iungium, utrique nostrum subiratum, cum literis, humanissime scriptis, tum munusculis literariis leniendum putavi. Frustra. Ne dignum quidem me existimavit, cui verbum rescriberet. In posterum igitur, si quid chartarum mittere constitueris, velim illud coniicias in fasciculos librorum, qui a bibliopolis vestris quotannis mittuntur ad Luchtmannos. Kulenkampo, a quo literis expugnatus eram, tandem, quid de eius consilio edendi Etymologi sentirem, libere, ut mea fert consuetudo, scripsi. Mirum, ni post illas literas lectas totum consilium abiiciat. Felicioribus auspiciis apud nos Graecae literae coluntur. Valckenarius cum maxime typis describendum dedit Euripidis Hippolytum cum uberrimo Commentario, cui accedunt Diatribae in Euripidis fragmenta. Koenius, post dialectos admirabili sollertia illustratas, omne tempus suum collocat in Stobaeo expoliendo. Heringa emendationes parat in Orphica post Gesnerum.

Vale, mi optime et iucundissime Heyni, amoremque Tuum mihi conserva. Dab. Leidae a. d. 25. Dec. 1766.

IV.

Heynio suo Dav. Ruhnkenius S.

Nihil neque Te amabilius, neque literis Tuis dulcius. Vel ultimae illae quantum amoris, humanitatis, suavitatisque spirabant. Quibus ita delectatus sum, ut iam diu nulla in re libentius acquieverim. Nec minorem mihi voluptatem opuscula, quae adieceras, attulerunt: quamquam, si, quod sentio, dicere liceat, in talibus scribendis minorem

in dies operam a Te póni volo. Sunt illa *ἀγωνίσματα εἰς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν.* Nunc cúm summam Tibi auctoritatem iam constitueris, sitque mirus omnium in Te laudando consensus, maior posteritatis, quam civium Tuorum, qui nunc sunt, ratio habenda est, *κτήματα ἐς ἀεί* paranda. Unus Tu hodie regnas in Latinis poëtis vel interpretandis, vel emendandis. Quin Tu tractas difficiliora poëtarum loca, Tuo potius, quam aliorum ingenio, obsecutus? Ac poteris per prolusionum occasionem eruditorum de coniecturis Tuis iudicia explorare, iisque exploratis, pulcherrimum e sparsim editis volumen conficere. Nec, si Munchusius Tuus recte intelligit literas, utilius existimare debet, de Zaleuci legibus disserere, quam obscuros Horatii sensus aperire. Sunt hic etiam quidam eodem sensu proceres, qui copiosas *de rebus,* ut vocant, disputationes a me scribi vellent. *Αὐτὰρ ἐγὼν βασεῦμαι ἐμὰν ὁδόν.*

Quod Tuas in Virgilium notas ad examinis subtilitatem a me vis revocari, ego vero ingenue fateor, me nihil, quod reprehenderem, reperire potuisse. Ac forte ipsa voluptas, quam iis legendis cepi, impedimento fuit, quo minus acute cernerem in peccatis, si qua sunt, Tuis.

Eclog. II. 29. in *cervis* explicandis rectius secutus esses Dukerum in notis ad Servium, quam Burmannum.

Eclog. IV. 24. *veneni* non iungendum cum *fallax,* sed cum *herba*; ut Ecl. V. 26. *graminis herba,* Georg. I. 134. *frumenti herba.* Hunc genitivum pro adiectivo positum omnium optime explicuit Oudendorp. ad Sueton. August. 94. Eiusd. Oudend. eruditae in Virg. observationes sunt ad Sueton. Aug. 91. et in add. p. 1023. quas vide.

Eclog. IV. 60. *risu cognoscere matrem.* Verum sensum dudum viderat Pomponius Sabinus, quem a Te nusquam adhibitum miror. Nam multa egregie tradit ex deperditis Virgilii interpretibus, imprimis ex Aproniano, quem frequenter laudat. Solus ille, ni fallor, observavit, versum 12. Aen. III. apud Ennium a Pyrrho dictum esse. Eiusdem praeclara Scholia sunt in Aen. IV. 436. VI. 1. XI. 700. Burmannus Secundus praef. in Virgil. Pomponium in fraudis suspicionem vocat, eodem scilicet iudicio, quo ibidem scribit Nigidium Figulum, Romanorum cum Varrone doctissimum, qui per aetatem vix videre potuit Virgilium, Commentarios in hunc poëtam scripsisse. Habeo fere paratam dissertationem *de antiquis Virgilii Commentatoribus.*

Georg. I. 59. *Eliadum palmas* etc. Nihil duri in hoc loco. Ego sic explico: Epirus mittit equas, victrices equarum in Elide currentium. *Palma* pro victore

est apud ipsum Virgil. Aen. V. 339. quem alii non dubitarunt imitari. Vid. Drakenb. ad Sil. XVI. 504.

Ib. 361. Arnaldus Lect. Graec. p. 171. in Arato legit: *ἢ αἱ ἁλίδιναι* etc. Sed verum vidit doctissimus Heringa Observat. cap. 24. p. 202. *ἦ εἰν ἁλὶ δίᾳ.*

Ib. 382. ego quoque *densis* capiam pro dense, crebro, ut apud Aratum *πυκνὰ* pro *πυκνῶς*. Ovid. Trist. III. 4, 21. *ut tutas agitarit Daedalus alas,* i. e. tuto. Valer. Flacc. VI. 229. *densâ spargens hastilia dextrâ,* i. e. dense.

Georg. II. 215. Nollem in hoc loco fluctuasses. Posterior Tua ratio verissima, cui interpunctio accommodanda. Centies Graeci *φημὶ οὐ*, Latini *nego* tribuunt rebus vita carentibus.

Ib. II. 343. *prosaico verbo.* Immo *poëtico.*

Ib. 437. Hic oblitus es tirones monere, *undantem buxo Cytorum* poëtica ratione exquisite dici pro *undantem buxum in Cytoro.* Imitatus est Pacatus Paneg. 37. *aulaeis undantes plateas.*

III. 194. Noli dubitare, quin *vocare* h. l. sit provocare. Vide Callimach. H. in Del. 112. Exempla, quibus explicationem Tuam firmas, aliena videntur. Vento opus est ad navigandum et volandum, non item ad currendum.

Ib. 403. Nullum discrimen est inter *tingo* et *tinguo,* tantum orthographia variat. Formatum ex *tango,* quod et ipsum exquisite dicitur pro lino.

Ultra nondum mihi licuit progredi in annotationibus Tuis legendis. In quibus, vides, quam pauca, quamque levia castiganda putem. Ego librum Tuum discipulis meis ita commendare pergo, ut hac editione mox direpta, altera opus sit futurum; cui, auctor sim, subiicias Probi Scholia in Eclogas et Georgica, multo doctiora Servianis, et vetustiora, quae Burmannus editione sua turpiter exclusit. Ego plerisque eorum corruptelis medicinam feci, non mediocriter adiutus commentariis Pomponii, qui Probum saepe ad verbum descripsit. Ad Aquilam Rom., pag. 147. defendi vulgatam lectionem Aen. I. 135. *Quos ego.* Sed Schraderus pertinax est in tuendo invento suo, *vos ego.* Mihi quidem locus Macrobii VI. 6. p. 559. quo ille maxime nititur, nihil ad rem pertinere videtur. Sed huius caussae te arbitrum statuo.

Rutilii exemplar, Tibi inscriptum, ad Fritschium misi: unde petere possunt librarii vestrates, ad mercatum euntes.

Germanus aliquis mihi narravit, Te de Hesychianis nostris honorificam sententiam dixisse. Eam novellarum plagulam alio tempore a Te petii. Quod Tibi excidisse videtur.

Sed satis diu Te tenui. Vale igitur, Vir praestantissime, animoque meo carissime, et nos quam primum altera Virgilii parte bea, quo munere nullum mihi gratius magisque exspectatum contingere potest. Dab. Leidae a. d. 26. Aug. 1768.

Divinitus a Te scriptum puto p. 115. *ex academica nostra institutione nunquam Homericum ingenium proditurum.* Dignum argumentum, quod aliquando uberius a Te explicetur.

V.

Praestantissimo amicissimoque Viro C. G. Heynio Dav. Ruhnkenius S. P. D.

Quasi omnem nostri memoriam abiecisses, ita a longo tempore nihil ad nos literarum dedisti. Ne monitores quidem illi, quos superiore anno ad Te miseram, Rutilius et Elogium Hemsterhusii, Te ad pristinam scribendi consuetudinem revocare potuerunt. Sed Tu, qui nihil scribis, plus sapis, quam ego, qui literas a Te postulo. Rectius enim tempus collocatur in Virgilio ornando, quam in literis, quae nil nisi amoris et benevolentiae significationem habent, scribendis.

Prioris voluminis lectionem nuper absolvi, meque fateor, supra quam dici potest, ingenii et doctrinae Tuae elegantia delectatum esse. Scripsi Tibi alias, notam Tuam p. 6. a ICto quodam reprehensam esse. Sed ipse reprehensor erravit. Virgilium eodem modo explicat Lipsius ad Taciti Ann. XIV. 42. praeclare docens, servos aliquando suis se numis e servitute redemisse. Adde Burmann. ad Petron. 75. et ad Ovid. Amor. I. 8. 63.

Georg. II. 500. *volentia rura* e Graecismo eleganter exponit Toupius Emendat. in Suid. T. II. p. 49.

IV. 15. Marclandi venustam coniecturam confirmat ille ipse Ovidii locus, quo Burmannus eam oppugnare conatur. Tu non debebas hic audire Burmannum, qui, ubi adversus Marclandum et Bentlejum disputat, semper invidia coecus ruit.

IV. 209. Non videris omnem vim et elegantiam, quae est in *Fortuna domus* sensisse. Vide, quos laudat Oudendorp. in add. ad Sueton. p. 1022.

IV. 235. Delendum nomen *Balduini.* Nam Balduini libri tantum pars sunt Iurispr. Ro. et Att. Kaestneriana vellem Latine vertisses.

IV. 425. Appositum exemplum est Apuleji XI. p. 258. *Augusti portum celerrime hausimus.* ubi vide Pricaeum.

Ad Aen. VII. 109. Quaeso, examines τραπέζας σελη-ναίας, in quibus valde sibi placet Cl. Toupius Em. in Suid. T. I. p. 39. Mihi videtur, ut Simonidis dicto utar, τῷ πολλῷ χρόνῳ πολεμεῖν.

Ad Ecl. III. 66. nullam mentionem fecisti coniecturae meae Epist. Crit. I. p. 35. Eam valde laudat Koehlerus in ieiunis Notis ad Theocrit. p. 22. Sed talium iudicum sententia in neutram partem apud me valet. Tu, quid sentias, *in* addendis dices.

Vale, vir eximie, et, si quid temporis Virgilius sibi *eripi* patiatur, illud mihi potissimum imperti. Salutat Te Valckenarius noster. Dab. Leidae a. d. 22. Martii 1769.

Ultimo fasciculo, quem ad Te misi, addidi alium ad Cl. Heusingerum, quod non alia dabatur facultas aliquid Guelpherbytum mittendi. Spero, eum recte a Te esse curatum.

VI.

Eruditissimo Viro Io. Henr. Vossio S. P. D. Dav. Ruhnkenius.

Obstupui, literis Tuis lectis, et statim Matthaei apographum, quod forte conservaram, evolvi, ut, eiusne an mea negligentia tot versus essent omissi, viderem. Inspecto apographo, patuit virum doctissimum, dum ut mihi gratificaretur, nimis festinabat, in tam grave ἀβλέπτημα incidisse. Iam meae me editionis ita poenitet pudetque, ut illa statim alia locupletiore paranda ex hominum memoria delere constituerim. Quo consilio, hoc ipso die clarissimum Matthaei per literas rogavi, ut editionem meam cum veteri codice anxia diligentia comparet, varietates notet, et versus temere elapsos restituat. Atque ut nova editio, praeter illos versus, aliam quoque commendationem habeat, faciam, quod multorum convicia me facere cogunt, id est, versionem Latinam textui graeco adiungam. Cuius conficiendae molestiam utinam Tu, qui tanta cum laude in Homero vertendo versaris, suscipere velles. Ego certe tot aliis occupationibus distineor, ut huic rei vacare non possim. Quid sis facturus, velim mihi quam primum rescribas. De Emendationibus Tuis, in quibus maxime mihi placet ὁσίης ἐπέβη, alias agemus. Quod reliquum est, vehementer gaudeo, mihi per hanc occasionem notitiam Tecum esse contractam, et abs Te etiam atque etiam peto, ut me de omnibus rebus Tuis erudias, ubi natus sis, quibus magistris usus, quid edere pares. Ego, si quis alius hac aetate, omni genere instrumentorum, quae ad Graecos Latinosque scriptores expoliendos pertineant, abundo, et libenter talibus viris, qualem Te cognovi, co-

pias meas impertior. Sed Tu me certiorem facies, qua genere maxime delecteris. Vale. Dab. Lugd. Batavor. d. 28. Aug. 1780.

VII.

Dav. Ruhnkenio Io. Henr. Vossius.

Incredibilem cepi, Vir gravissime, ex literis Tuis laetitiam, quod ardorem meum, in obtrudendo Tibi, quem sero resciturus ex clarissimo Matthaei videbaris, nuncio de omissis in Homerico Hymno versibus, adeo non displicuisse Tibi cognovi, ut singulari eum comitate et benignitate exceperis. Quasi enim Tua notitia digni hominis, de rebus meis doceri cupis; et quo minus blandiri tam amica curiositate videaris, thesauros mihi eruditionis Tuae ac scientiae recludis, et defers munus conficiendae versionis latinae, quam graeco carmini novis curis a Te expolito subiungas. Tali Tuo erga me studio non possum non morem gerere, quamvis levia sane relaturus.

Patria mihi est Penzlinum, oppidulum Megalopolitanum, in vicinia Strelitii, sed Suerinensi imperio subiectum. Bello afflicti parentes officinae me destinaverant. Precibus tamen efflagitavi, ut annos quindecim natus, A. C. 1766, in scholam latinam, quae Neobrandenburgi floret, missus humaniorum artium iacerem fundamenta. Nactus hic magistrum, qui, inculcatis N. T. pericopis, Graeco sermoni abunde se satisfecisse arbitrabatur, proprio Marte scriptores profanorum sub nomine reiectos (tanto eorum desiderio exarseram!) conatus sum; et, quem primum fortuna obtulerat, libellum de puerorum educatione, mox etiam Hesiodi ἔργα καὶ ἡμέρας, ingenti labore superavi. Post triennium exactum, progressuro in studiis cum nummi deessent, equitis cuiusdam rustici liberis erudiendis alterum fere triennium locavi. Iam vero carminibus, quibus morae taedium lenire solebam, viro humanissimo Bojio, Gottingae tum degenti, innotui, cuius demum opera strenuam effugere contigit inertiam. Severiorum Pieridum sedes me ineunte vere A. 1772 excepit: ubi mox et Heynii me magisterio, et instructissimae bibliothecae opibus, utcunque potuerim, usum esse, dictu non opus est. Ex primis quidem scholis, per tirocinii infirmitatem, minime parem profusae et Grammaticam dedignanti doctrinae, haud magnum percipere fructum licuit. Audacior paulatim virum clarissimum, oblata carminum aliquot Pindaricorum versione teutonica, ad edendum Pindarum nobisque enarrandum instigavi. Quam sane copiosiorem mihi messem laeto animo recordor. Seminarii philologici sodalibus ad-

scripto disputationes, quibus veterum Pindari enarratorum vel recte vel subtiliter saltem dicta contra Heynii tentationes modeste defendenda susceperam, velut spicilegium fuerunt Pindarici proventus. Inter talia biennium elapsum erat, cum gravis me morbus corriperet, ut per integrum annum domesticis solum studiis et medici praeceptis vacarem. Quo iubente, caeli mutandi causa, Vandesbekam me contuli, qui vicus est ad Hamburgum. Victum praebebat Anthologiâ poëtica, Musarum calendarium appellata. Quid rides? Astronomorum tabellis genealogias principum, nundinarum indices, praecepta de re rustica, de curando corpore, de cimicibus fugandis, liceat subiungere, versiculos ad hilaritatem honestam compositos non liceat? Anno 1777 in matrimonium duxi sororem amici, qui Gottingam me vocaverat; et sequenti anno scholae Otterndorpiensis regendae munus delatum, meliora sperans, suscepi. En satis Tibi historiarum: quas tamen, qualescunque sint, Tibi soli narrasse velim.

Rogas, vir optime, quid edere parem. Elaborata, aut inchoata potius, mihi est Odysseae versio teutonica, cum commentariis, quibus, quae ad veteris Graeciae mores et artes et religiones et somnia de terrae caelique ambitu spectant, illustrare studio omni enixus sum. Grammaticas subtilitates, quas ab aliis vel neglectas vel male tractatas observavi, latino sermone separatim exponere satius duxi. Consilium de nova editione Odysseae, et subsidiorum penuria, et conscientia infirmitatis meae, et magna eius, quam Villoisonius melioribus auspiciis parat, exspectatio, animo excusserunt.

Nisi tanto a me intervallo disiunctus sis, haud impune feras imprudentiam aperiendi mihi thesauros Tuos doctrinae tam copiosos atque exquisitos. Iam contentus ero, si Te salutandi non nunquam per literas, et de rebus meis consulendi, potestas dabitur.

Versionis, quam desideras, conficiendae non molestiam, sed honorem, libenter arripio. Quam ut et Te editore, et me quoque, si tamen ingenii fruges aliquas in posterum promittere videor, haud plane indignam efficiam, omni, quam rei scholasticae obeundae intentio reliquerit, animi alacritate et diligentia curabo. Vale, vir optime, et mihi fave. Otterndorpii, d. 23. Sept. 1780.

VIII.

Viro praestantissimo Fr. A. Wolfio D. Ruhnkenius S. D.

Quanti summum ingenium Tuum et parem ingenio doctrinam faciam, testem habes Spaldingium nostrum, qui-

*

cum, dum Leidae versabatur, tam frequens mihi de Te sermo erat, ut facile intelligeret, me nullo in nomine libentius acquiescere. Postea quoque, non ignorans quam parce et tenuiter Professores Halenses habeantur, de Te in Bataviam traducendo cogitavi: quod consilium ne nunc quidem rebus turbatis muto, si id Tibi non displicuisse intellexero. Quae cum ita sint, quaeres, cur tribus, ut scribis, epistolis Tuis et donis adeo provocatus, ne semel quidem responderim. Ad haec accipe. Epistolae istae una cum libris interciderunt; unus antehac ad me pervenit Demosthenes Tuus cum litteris humanissimis. Sed is eo mihi tempore reddebatur, quo articulari morbo sive chiragra laborabam: quod morbi genus mihi, quamvis animo et corpore vigenti, saepe molestum est, et studia mea, praesertim in quibus dextrae celeritate opus est, vehementer retardat. Cum igitur ipse litteras pingere non possem, mandavi discipulorum meorum optimo, Wyttenbachio, ut Tibi gratias meis verbis ageret, et, quantopere mihi Demosthenes Tuus placuisset, significaret. Qui si id facere neglexit, defuit officio. Iam quid animi mihi fuisse censes ad conspectum Homeri tui cum tam honorifica nominis mei inscriptione? Profecto miratus sum indulgentiam et humanitatem Tuam, qui ne sic quidem, quod iure facere potuerasi, mei amorem abiecisses, cuius constantiae ne Te poeniteat, omni studiorum et officiorum genere, quantum in me erit, curabo. Prolegomena Tua semel iterumque perlegi, captus tum exquisitae doctrinae copia, tum criseos historicae subtilitate. De disputatione autem adversus antiquitatem artis scriptoriae, accidit mihi fere, quod illi Platonis Phaedonem legenti: dum lego librum, assentior; cum posui librum, prope omnis assensio illa elabitur. Sed hac de quaestione alias.

Academicam dissertationem, cuius mentionem facis, Tuam *) de Antimacho nondum vidi. Quam si quando

---

*) *Commentationem* dicit illam *de Antimachi Colophonii vita et reliquiis*, quam, praeside me, anno 1786 exercitandi ingenii causa Halensi cathedrae moxque tabernae Hemmerdeanae commisit auctor *C. A. G. Schellenbergius* Nassoicus, unus ex primis discipulis meis, qui, posthac ad diversa studia traductus, nunc ecclesiastico munere fungitur in aquis Mattiacis; ubi nuper cum lavarer, multa pristini in me amoris eius documenta expertus sum. Quod R. *meam* dixit dissertationem, nondum cognitam, fecit de more universitatum Batavarum, in quibus tum fere praesides talium scriptionum iidem et auctores erant. Ceterum primam hanc abs R. accepi epistolam; alia prior, in qua mihi de iuvenili quadam censura mea (Jen. Allgem. Litt. Zeit. 1786-89.) gratias ultro egerat, ut ipse deinde coram narrabat, numquam mihi reddita est.

W.

retractatam libelli forma proferre velis, relegam Tua gratia grammaticos meos ineditos, ut inde Tibi fragmenta quaedam excerpam.

Platonis Scholiastes vereor ne exspectationem Tuam fallat. Non affert ille eruditionem eam, quam Aristophanis aut Apollonii Rhodii, sed quam Pindari aut Nicandri.

In posterum si quid librorum ad me mittere voles, nemini rectius eos commiseris quam Weidmanno, librario Lipsiensi: alia via missi pereunt, ut nuper Demosthenes *Spaldingii*; id quod ei quaeso significes.

Vale, Vir eximie, et mihi amorem Tuum conserva. *Leidae* d. 3. Aug. 1795.

III.

Specimen *Glossarii antiqui* cum notis editoris anonymi.

P r a e f a t i o.

Quamquam *hac ex re*, quod homines pusilli in rem criticam involare se posse nuper *confiderunt*, paene te, criticam artem profiteri, pudeat; tamen mihi, cum multas animadversiones hactenus ignoratas in *regulam coire haud admodum coacte posse* non desperarem, hanc provinciam ad manus sumere, quam semper in re grammatica desudare, *praeplacuit*. Ut enim in omnibus rebus, divinis pariter *ac* humanis, *praesertim* vero in studio litterarum, variatio delectat; sic quoque *in illo* antiquitatis *aliud aliquando* tractare, *forte* commodissimum est. Studium nempe antiquitatis cum tantum habeat ambitum, ut, quid potius agendum sumas, *vaga semper tua haereat sententia*; oritur quaestio, utrum unum modo, idque semper, tractare, vel saltem *lentius in eo versari*, instituas, *an in alia omnia diffluas*, *varimode* te occupatum teneas, et *levi pede* plura *transeas*. Nam tametsi ita fieri soleat, ut multa *perverse capiantur*, multa *coactius interpretentur*, multa secus corrigantur, quam *prout* auctor *expresse* voluerat, multa etiam ex re grammatica petenda *vagius explicentur*, veluti difficilis ille usus *optativi et aoristi* apud Latinos; tamen *aliam quam viam*, *licet lubricam*, ingredi, qua eodem, quo tendunt omnes antiquitatis studiosi, sed citius, quam ceteri, pervenire liceat, *nonne* hoc et *quoad* operam facilius, et *quoad* gloriam splendidius videatur?

Sed iam consilium nostrum *in aprico* ponendum est. Invenimus enim nuper in bibliotheca aliqua publica (nomen nihil ad rem) inter libros *vetus scriptos* Codicem palimpsestum, in quo, cum prior scriptura non valde evanuisset, *ecrarescente* nova, facile animadvertimus, haberi Glossarium Latinae linguae antiquum. Quod mox Glossariis *vetus iam editis* comparare instituimus, unde nondum tale quid editum esse, intelleximus. Igitur excerpsimus quaedam, praecipue talia, ad quae *animadversiones in mentem venierunt*, quas adscriberemus.

Erunt *forte*, qui dicant, hanc rem non admodum abludere a munere grammatici, adeoque *nos nobis non valde abituros esse dissimiles*.

Sed quantumvis etiam haec res grammatice tractanda sit; tamen, cum in eruenda vetere scriptura et *taxanda* verborum probitate et puritate haec nostra opera potissimum spectetur, eam ad rem criticam pertinere, dubitari nequit, cum res ipsa loquatur.

Potest autem fieri, ut, quae obelis notavimus, ea non satis circumspecte vituperata, et quae diximus, non semper et ubique vera sint. Nolumus *praefando iterare*, quae in ipso *tractatu* scripsimus. Sed sane *lubricam viam ingressi sumus et in lapsum praecipienti pronam.* Ergo si in pluribus *forte* erraverimus, eorum, quae humana incuria fudit, veniam nobis expetimus; quae maximam *forte partem vitassemus, si regia tritaque via incedere* voluissemus. Verum, ne hoc etiam praetermittamus, cum semper aliquid novi dicere et homines ingeniosi videri vellemus, incidimus subinde *in κακλωσμοῦ vitium*; licebitque adeo de nobis adhibere illud Plautinum: *malleus sapientior manubrio.*

Excursus addere nõluimus, quamquam eius rei potestatem nobis concesserant viri doctissimi, horum miscellaneorum editores. *Occurrunt* quidem haud ita raro, *quae ne tangere quidem liceat, nisi extentius proponantur.* Sed quoniam ea sors esse solet excursuum, ut saepe nescio quibus casibus retardentur, imo persaepe promissi nunquam in vulgus edantur; *praevidere nobis visi sumus*, fore, ut nos quoque, *leviter de iis cogitantes*, promissis non staremus; igiturque excursum addere *nulli pollicemur*, ne spem lectoribus excitatam frustremur.

Denique hoc quoque lectores praemonitos volumus, ut, si in positu alicuius vocis offendant, non statim vitium esse clament. *Non enim potest non, quin saepe nostra sponte et selectius positum sit*, quod illis improbandum esse videatur. In omnibus autem provocamus ad *illum virorum doctorum multo praeferendum*, Goerenziuin, qui haud dubie auribus adhibitis, *prouti* ipse fecit in scriptis suis *ac* commentariis, quae *vel vagius vel coactius a nobis proposita sunt*, aut optime confirmabit, aut utrum vera sint nec ne, diiudicabit. Namque ille, qui tanto successu Ciceroni emendando manus admovit, nonne ad discernendum et existimandum *bonae Latinitatis stilum* aptissimus videatur, praesertim cum ipse optime et castissime *Latine scribere calleat?*

Nos autem bene sentimus et *expresse monemus* (ne putent lectores nos ignorare) multa nos *taediose superflua* monuisse, ut adeo saepe *nodum in scirpo nobis nexuisse* videamur; et *vice versa* multa *ab aurium iudicio pendentia* iusto brevius, atque adeo *coactius* a nobis esse disputata. Verum quicquid sit, ne *stomachetur nobiscum* vir doctissimus, quod eum in auxilium evocare ausi sumus, *etiam atque etiam enixe* rogamus, libenter professi, nos eum nulla iniuria afficere voluisse, sed lectione scriptorum eius *varimode affectos*, ad hanc demum provinciam suscipiendam commotos esse.

Glossarium incipit foeliciter.

AD TAEDIUM USQUE, MOLESTE.] taediose.

Si recte intelligimus hanc glossam, hoc sibi vult, fuisse quosdam inter antiquos, qui pro eo, quod usitatius nunc dicitur *taediose*, veluti: *adde quod taediose superfluum foret, auctoris mentem pluribus declarare*, sic loqui so-

lerent: *ad taedium usque superfluum, molesta abundantia.* Sed quis, quaeso, elegantium hominum ita dicet? Profecto in reprehensionem affectati sermonis incurreret, qui nunc tam casce loqui vellet. Tametsi enim vix quisquam alius, quam Apuleius et Firmicus, adverbio *taediose* usus esse invenitur, tamen quis mallet hoc conciso orationis genere carere et illa circumscriptione vetusta uti? Et quidni *taediose* dicamus, quum *fastidiose*, quamvis alio sensu, nemo dicere dubitet? Quid si *fastidiliter* cum Varrone?

ACCOMMODATUM EST AD.] Apte cadit ad.

O vetustatem elegantem! Quis unquam fando audivit, sic dici posse: *Nihil est accommodatius ad historiam tradendam, quam homo ab omni partium studio liber?* Quanto nos melius cum nostro glossatore: *Aptius nihil cadere potest, quam Varronis persona, ad philosophiam Antiochi.*

ALIOQUI.] Alias.

Perperam nuper docuerunt viri docti, qui omnia soli se scire putant, *alias* esse *alio tempore*, interdum etiam *alio loco*, nec dici posse *alias* pro *alio modo, alia conditione.* Nam apud *Macrobium* aliosque *interioris notae* Latinos scriptores saepenumero invenitur *alias* pro *alio modo, alia conditione* positum. Veluti nuper quod legimus: *Sic, non vero nisi scribendum est; alias enim ipse adderetur.* Ubi qui reponunt *alioqui*, nae isti multum intelligendo faciunt, ut nihil intelligant.

DISIUNCTIO.] Dissectio.

Illud horridum vocabulum. Nos dicimus, ut recte monuit glossator, *dissectio*, molliore et leniore sono. Quando discent nostrates, Latinitatem a *soni pravitate* discernere. Saepenumero enim nos, quo quid sonat magis peregrinum et iniucundum, eo magis putamus Latinum esse.

DUO, AE, O.] Bini, ae, a.

Davus sum, non Oedipus. Sic iure dicere hoc loco possem, nisi nuper admodum legissem, hominem doctissimum et Latinae scientissimum de duobus Academicorum apud Ciceronem libris sic pronunciantem: *Habilior certe sic rerum expositarum ordo et series, earumque naturae convenientior, auctorem invitaverit necesse est, ut binos illos libros in quatuor divisos vellet.* Hoc igitur docet glossator, illud quod nos vulgo *bina* dicimus, *duo* dixisse veteres, cum *duo singula*, ut ita dicam, intelligerent. Sed usum hunc veterem veteribus relinqua-

mus. Recte igitur et praeclare dicitur: *Si Ciceronis priora Academica binis libris comprehendebantur.*

EXPRIMI EX RE.] Imitari a re.

Mira haec, et quae vix assequi possum. Quis enim unquam ita locutus est: *Haec expressa sunt ex loco Xenophontis?* Vel adeo: *Haec adumbrata sunt ad locum Homeri?* Quanto nos Latinius: *Ceterum videtur ille gladius, quem Dionysius Tyrannus Damocli in seta suspendit, ab hoc Tantali saxo quasi imitatus esse.* Et attende, benevole lector, attende animum tuum, quam apte hoc loco *quasi*, quam accommodate ad verbi metaphoram! Laudent alii claram Romam aut Tusculum, ego Suerinum.

FLUCTUARE ANIMO.] Vagum haerere.

Viden', audin' elegantissimum hominem, glossatorem nostrum? *Fluctuare animo*, quis praeter veteres illos, Ciceronem et Livium, et qui sunt aetate pares, unquam dicere est ausus? Nos quidem evitantes casca et obsoleta illa, *vagum haerere* dicimus. Quanquam erunt, qui dicant, haec verba secum pugnare; quod enim sit *vagum*, id non posse *idem* uno loco defixum *haerere:* tamen usum Latinitatis habemus nostrae rationi adstipulantem, qui, ut est tyrannus, dicere iubet ad hunc modum: *Quibus aut ignoratis aut levius excussis vaga saepius interpretis sententia haerebit.*

FORTASSE.] Forte.

Priorem harum vocularum veteri illi Latinitati non invidemus. Nos dicimus *forte.* Nam quum optimi quique scriptores *si forte, nisi forte, ne forte* frequentent, quid obstat, quin dicamus: *Forte hoc sibi voluit auctor?*

INTELLIGENDUS, A, UM;] Tantum necessitatem notat.

His, si recte assequor mentem glossatoris, grammaticum praaceptum inest, satis illud obsoletum, et cui nunc quidem nemo obtemperat. Quis est enim, qui dicere dubitet: *Vix haec intelligenda sunt?* pro eo, quod casci illi homines, Catones et Cicerones, dicere solebant: vix haec intelligi possunt.

INTERIECTO TEMPORE.] Interlapso tempore.

Recte, mi interpres. Memineras enim haud dubie illius Virgiliani: *Inter enim labentur aquae.* Nonne tempus labitur, ut aqua? Et si quis dicat, esse illud poeticum, quod ipsum etiam ostendat Horatii illud: *Eheu fugaces, Postume, Postume, labuntur anni;* paratam ha-

bemus responsionem non minus poeticam: *Dulce est desipere in loco.* Ha, ha, he!

NEGLIGENTER.] *Sine pretio.*

Sed quid tandem haec? Non ego mentem glossatoris me assecutum esse gloriarer, nisi recens essem a lectione praeclari alicuius libri, in quo laudabantur *Codices sine pretio scripti.* Hoc igitur voluisse videtur noster glossator, *codices viles et negligenter scriptos* antiquos dixisse. Sed nemo sanus hodie sic loquitur.

NODUM IN SCIRPO SIBI NECTERE.] Euge, Lysiteles, *πάλιν!* Nam nunc quidem mones, quod omnium assensum meretur. Proverbium nobis tradidisti, et quidem emendatissime scriptum, quod sine te pessime proferremus. Quod enim vulgo dicunt: *nodum in scirpo quaerere,* quis meliorum scriptorum unquam dixit? Neque habet rationem. Nam in scirpo nodus quo tandem pacto quaeratur, ubi nullus est? Necti autem posse nodum in scirpo, quis dubitabit?

NON POTEST NON FIERI.] *Non potest non, quin fiat.*

O rem ridiculam et iocosam! Risum teneatis amici! Vetusti illi scriptores quae, qualia in elegantiis posuere! Quid enim interest, *bis* an *ter* negationem ponas? Nos sic loqui consuevimus et Di nobis male faciant, si unquam ab hac consuetudine deflectamus: *Vagum etiam quiddam tota rerum tractatio non poterat non, quin haberet.* Vel sic: *Cumque animal non possit non, quin agat, id est sentiat.* Vel denique sic: *Stoici non possunt etiam non, quin sic dicant.*

NON SATIS DILIGENTER.] *Vagius.*

Recte, glossator scitissime! Una voce expressisti, quod veteres illi magistelli circumloquendo tantum et multis verborum ambagibus designare poterant. Nihil potest intelligi concinnius. Sic enim dicere solent, qui caste et non affectate scribunt: *Hoc vagius explicatum est; hoc vagius traditur;* pro eo, quod olim longe deterius dicere solebant: *hoc non satis diligenter explicatum est.*

OBNOXIUM ESSE.] *Prostare.*

Hanc glossam profecto nemo intelligat, nisi ego mentem eius aperiam. Sic enim antiqui taediosissime dicebant: *reprehensioni obnoxium esse.* Aliter vero, et, si quid video, longe elegantius moderni auctores: *iustae reprehensioni prostare.*

OBSCURE.] *Infinite.*

Fuerunt nuper magistelli quidam, qui dicerent, *infinite* esse *sine fine.* En testimonium clarissimum, adverbium *infinite* etiam significare id, quod alibi dicitur *non satis diserte, obscure.* Atque ita quidem etiam legitur in libro manu scripto vetustissimae membranae et scriptura gothica, qui apud me servatur: *saepius sic infinite loquitur Cicero.* Cuius dictionis elegantiam qui non sentit, nae ille surdus iudicandus est.

PAULLO POST.] *De loco.*

Ita scriptura vetus habet, si recte coniecimus; nam omnia *legenda non erant.* Localem huius formulae notionem nunc non agnoscimus. Usus eius non ultra Ciceronem descendere videtur, qui de Nat. Deor. I, 30. sic scriptum reliquit: *De quo dicam equidem paullo post.* Rectius nunc dicimus, meliorem auctoritatem secuti: *paucis deinde.* Quid est, cur locos afferamus scriptorum, quum satis protrita sit haec locutio?

PROUT.] ΚΑΕΛΠΕΡ (*καθάπερ*).

Sic codex noster rescriptus, in quo Graeca aliquoties, sed ab imperito librario scripta inveniuntur. Voluit haud dubie Glossarii auctor, *prout* esse *pro eo modo, ut; pro eo gradu, quo;* id quod nos dicimus: *in dem Verhältnisse, wie; ie nachdem.* Sed melius *prout* pro simplici *ut,* vel pro *sicut* usurpamus, verbi caussa in hac formula: *prout Manutius coniecerat.*

QUOAD.] *Nunquam praepositio cum casu.*

Quis talia fando temperet a lacrimis? Tam bellam, tam frequentatam constructionem ut nobis eripi patiamur? Non committamus. Nos ut soliti sumus, etiam in posterum dicamus: *Quoad numerum librorum, quoad ingenium, quoad usum Ciceronis* et eiusmodi alia.

STOMACHARI HOMINI, IN HOMINEM.]

En hominis pravam sedulitatem. Apage te cum ista tua Latini sermonis antiquitate. Nos magis ex nativa vocabuli significatione *stomachari cum aliquo.* Namque eodem iure, quo dicimus: *expostulare cum aliquo,* etiam *stomachari cum aliquo* proferre solemus.

ULTRO.] *Sponte.*

Non recte intelligimus, quid haec annotatio sibi velit. Fortasse hoc voluit auctor Glossarii, *ultro* et *sponte* unius eiusdemque esse significationis. Et recte quidem. Nam quamvis nostrae quidem aetatis curiosi nimis Gram-

matici dicant, discrimen esse inter has duas voces, monentes, *ultro* esse *nemine impellente, nemine praeeunte, sponte* autem significare *nulla de caussa, sine necessitate;* facile intelligitur, haec subtiliora quam veriora esse. Quapropter optimi quique scriptores dixisse inveniuntur *nostra sponte* pro *ultro.* Veluti: *Nostra sponte hoc addidimus, nullo id codice monente.* Vel hoc modo: *Ad illa nostra sponte in animadversionibus ad hoc caput respeximus, quum nemo dum de iis monuerat.*

UTI VERBIS.] Se exprimere.

Forte hoc sibi voluit auctor Glossarii, antiquos dixisse, veluti: *Cicero his verbis usus est,* rectius vero a modernis auctoribus dici: *Cicero ita se expressit.* Sic nuper legimus: *Vir doctus hoc loco paullo obscurius se expressit.* Recte quidem. Nimirum se ipsum expressit, tanquam fungum, ex quo, ubi premitur manibus, praeter exspectationem, quod absorpsit, profluit. Hoc si non eleganter dicitur, nihil unquam leporis exstat.

VARIO MODO.] Varimode.

Illud est adverbium priscum, haud dubie ipso Ennio antiquius. Nos dicimus *varimode,* uti voluit ipse Glossator, homo qui nostram laudem superat. Quamvis enim voc. *varimode* in hodiernis lexicis non legitur, tamen *occurrit,* et nobis auctoribus in posterum lexicis adiicietur.

VIOLENTIUS.] Coactius.

Prius illud monstrum est vocabuli, quod cascis illis Ciceronibus, Liviis, relinquendum. Nos cum glossatore dicimus *coactius,* auctore etiam Gellio, quamquam hic libro I, 5. et lib. XVI, 14 paulo aliter: *Nimis coactum atque absurdum.* Quod recte nuper amplius produxit vir doctus quidam dicens: *Hoc foret coactius,* et: *vulgatus ordo coactior est,* et similia.

Explicit foeliciter. Deo gratias. Amen.

Haec speciminis loco excerpsimus et notis nostris utcunque illustravimus. Quae si placuerint viris harum litterarum studiosis, totum opus ad similem modum exornatum aliquando edere non detrectabimus.

IV.

Oratio *de Seculi Nostri Misologia* in Lustratione Gymn. Lubec. habita a M. *Christ. Iul. Guil. Mo-*

sche, Gymn. Dir.[1]) (Lubecae, 1815. pp. 27. 8.) Accedit nunc annotatio *I. A. L. Wegscheideri.*

Frid. Hermanno, Gymn. Lubec. Prof. s. d. *C. I. G. Mosche.*

Quod vix unquam futurum putasti, orationem, quam in superiore scholae nostrae lustratione habui, typis exaratam vides. Cuius rei rationem paucis Tibi reddere mihi liceat. Quibus enim rationibus usus me adhuc excusaverim, quoties de oratione illa edenda mecum agebas, probe, puto, memineris. Vehementer autem verendum mihi videbatur, ne forent alii, qui rem, de qua ibi disseritur, per se quidem gravissimam, non satis copiose expositam reprehenderent; alii porro, qui genus dicendi ornatius desiderarent. Quos utrosque nimiae in iudicio ferendo severitatis nomine accusare, quantopere a me alienum sit, neminem melius scire puto Te, Hermanne carissime, qui eadem fere non semel ex me ipso audisse recordaberis.

Neque me fugiebat, fore nonnullos, qui me acta agere incusent, qui iam malum oppugnem, quod nuperrime alii locum concesserit, multum diverso, neque minus gravi ac pernicioso. Quemadmodum enim pars rationibus nos uti easque sequi vetat, ita sunt, qui rationibus abutentes nihil non disputando tueantur ac defendant: ut nil fere sit tam obsoletum atque explosum, nihil tam insolens ac mirum, quod non subtiliter disserendo atque acute argumentando probare conentur.

Quae cum ita sint, me neque illam sententiam de libello meo iam mutasse, neque recentissimam hanc calamitatem me oblitum esse, quaeso, suspiceris, quoniam, quae diu Te invito domi continebam, ea nunc sponte mea foras protrudere non dubitaverim. Alia sunt, quibus me iam cessisse omnes, nisi probabunt, facile tamen ignoscent.

Ex quo enim nuper, cum feriarum initia quasi auspicantes loco, quo scis, amoenissimo otiosi consedissemus, multaque alia colloquio suavissimo familiariter persequeremur, denuo me hortatus es, ne, quae Tibi repetita lectione non displicuisset oratio, nemini alii probari posse arbitrarer, ex illo autem tempore cum Tuo iudicio excitatus, tum ne nimia in negando pertinacia ineptus ac fere putidus viderer, veritus, de vulgando hoc libello cogitare coepi. Mox deinde in locum otii dulcissimi plenissimum profectus sum. Ibi a negotiis vacuus, cum eorum, quorum consueveram, nihil agere non possem, otio me adduci

---

1) Vitam viri et suis et scholae et litteris praematura morte erepti descripserunt:

D. *Henr. Kunhardt*, Gymnas. Lubec. Prof. in: Darstellung des Lebens u. Wirkens des M. *Ch. I. W. Mosche* —. Lübeck 1817. et

D. *F. Ch. Matthiae*, Gymn. Francofurtani ad Moenum nuper Director, qui cum D. *Nic. God. Eichhoff*, Gymn. Weilburg. Prof., *Moschii* dissertationes orationesque vernacule scriptas in unum corpus collectas edidit, Francof. 1821. (pp. XVI et 447. 8. mai.)

Natus autem erat d. 5. Nov. a. 1768; mortem obiit d. 19 Dec. 1815. Cf. *Beck* Allgem. Repertorium der neuesten in- u. ausländ. Literatur f. 1822. Vol. I. P. 4. p. 257.

Orationem, quam h[illegible] repetitam vides, germ. vertit *L. H. Reinhold*, I. U. D. et Ac. Nilon. Synd., a. 1816. mortuus, non sine magno patris, clarissimi illius philosophi, et amicorum desiderio. V. Neue Schleswig-Holstein. Provincialber. H. 5. 1815.

passus sum, ut, quod iam non omnino displicere coepisset, orationis publicandae consilium, statim exsequi pararem: ita tamen ut libellum ad Te mitterem, hisque literis meum in Te animum aperte profiterer. Hac enim ratione quod auctoris doctrinam atque eloquentiam non summam testaretur opusculum, hunc mihi usum praestare posse videbatur, ut, non tam Tibi, cui haud unquam, puto, dubium fuit, quanti Te faciam, quam aliis, quamquam neque nostrorum cuiquam obscurum est, quali in Te animo sim, sed aliis iudicii studii atque amoris in Te mei testis extaret certissimus.

Quae enim muneris mei collegis, Viris doctissimis atque optimis, omnibus a me debetur gratia atque habetur, hanc Tibi, cuius mentionem me in hoc libello edendo inprimis facere oportebat, dicendi quoque opportunitatem e manibus emittere nolui. Te autem si ingenii felicitate, animi candore, morum humanitate, doctrinae varietate, in discipulis docendis industria, in regendis prudentia insignem, hisque virtutibus cum de schola nostra, quam Tua quoque opera auctam videmus atque florentem, tum de me, cuius consilia semper constanter ac fortiter adiuvisti, optime meritum dicerem, quamvis vera commemorarem, omnibus tamen nota proferrem atque haud necessaria. Quod vero haud raro exemplo Tuo me laboribus fessum excitasti, sermonibus Tuis moerore et curis abiectum erexisti, consuetudine Tua tristem exhilarasti, nimis fortasse acrem consiliis mitioribus temperasti, quod denique ubique in schola non minus atque in vita amorem mei magnum atque sincerum prae Te tulisti, quae quidem omnia eiusmodi sunt, ut ab aliis minus animadverti queant, haec me Tibi, quantacunque sunt, sunt autem permagna, debere, quin palam profiterer, retinere me diutius non potui; quin adeo, ut dicam, quod res est, ita demum consilii mei temeritatem apud me quodam modo excuso, eandemque alios excusatam habituros spero, quod nulla re magis me ad libellum evulgandum adductum liquido affirmare possum, quam ut simul amorem in Te meum expromam atque ostendam. Itaque quod hanc orationem iam publicavi, factum est non solum ut auctoritatem tuam sequerer, sed multo magis, ut necessitudinem nostram intimam mihique saltem suavissimam, haud quidem Tua, sed mea causa, publice testarer. Quamquam velim quoque, ut non omnino neque Te consilii Tui, neque me obsequii poeniteat mei.

Scrib. Rastorffii in Holsatis, d. 4. Cal. Sextiles 1815.

Inveniuntur quidem, ut Vos non fugit, Viri doctissimi, non raro homines, quibus nihil minus probetur, quam quae ab hominibus suae aetatis geruntur, quibus seculi sui mores, omnium, qui unquam antea viguere, videantur pessimi, qui denique de erroribus ac de inscientia aequalium ita querantur, ut si nunc demum homines labi, errare, nescire inceperint.

In qua ratione etsi illi mirum quantum sibi placeant, sibique eo sapientiores et probiores videri soleant, quo acriores se seculi sui praebeant vituperatores, tamen non solum de me ipso mihi aperte fateri liceat, me ab illa sapientia multum abesse, sed Vos quoque non dubito, quin aequiores aetatis vestrae sitis iudices.

Attamen tales cum sitis, nihilominus Vos non pauca in hominibus nostris desiderare scio, quae inesse iis debebant; neque minus multa in iis deprehendere, quibus melius carerent; praesertim cum plures Vestrum eo loco collocati sint, ut quotidie fere cum levitate ac vitiositate aliorum iis sit depugnandum. Itaque facile me iam feretis de eo nonnulla disserentem, quod in variis aevi nostri vitiis inprimis male me habet; neque tamen verendum erit mihi, ne ipse nimia illa atque inepta sapientia Vobis laborare videar.

Mira enim aliquot abhinc annis *misologia* homines cepisse mihi videtur; quam ut antehac quoque subinde se exseruisse novimus, ita nunc illam tam late patere ac tot homines alias ingenio praestantes, meritis insignes, auctoritate graves, gratia florentes, occupasse apparet, ut non mirum sit, malum illud in dies latius serpere ac plurimos eorum, qui nunc vivunt, in periculum atque adeo perniciem vocare.

Quod antequam pluribus oratione mea persequar, dicendum mihi puto, quaenam illa *misologia* esse videatur.

In quo, quem habemus verbi auctorem, eundem sequamur in vi ac potestate verbi explicanda ducem.

Namque in dialogo illo Platonis praestantissimo ac fere divino, qui inscribitur *Phaedo*, Socrates de immortalitate animi plura iam docuerat, in quibus ceteri, qui aderant, acquiescere non dubitabant. En autem repente existunt Cebes ac Simmias, atque ea contra proferunt, quae nequaquam negligenda videntur, atque eiusmodi, ut, quomodo refutari possint, nemo ceterorum intelligat. Hinc fit, ut tristitia et moeror, praeter Socratem, occupet omnes. Rem enim firmissimis modo, ut putabant, rationibus a Socrate munitam ac firmatam iam aliis rationibus iisque gravissimis convelli spemque dulcissimam sibi eripi aegerrime ferunt.

Socrates autem, quid sit, quod suos tam vehementer affligat, probe sentiens, prius quam ad ea accedat, quibus Simmiae et Cebetis rationes mox debilitat suaque confirmat, primum auditores suos monet, ne forte, quoniam rationes, quae aliquamdiu certissimae ipsis visae essent, aliis non levibus oppugnari audissent, eo adduci se sinant, ut omnes omnino rationes contemnant atque adeo oderint. Nihil enim, ait, hominibus gravius accidere posse malum, quam *misologiam*, sive *rationum odium* [2]), quo

---

2) Quantumvis omnia fere, quae ab oratore dicuntur et magnam habent praestantiae laudem et largam pulcherrimamque praebent lectoribus diligentius secum reputandi et assentiendi materiam, ut

fiat, ut de veritate rationibus investiganda atque inveniendа omnino desperent, ac porro illas vero indagando neque adhibere velint, neque omnino adhibendas censeant. — Quis autem nostrum est, qui seculi nostri ingenium tam parum noverit, ut, quantopere in rebus gravissimis homines malo isto nunc laborent, nesciat! —

Nonne plurimi vehementer sibi placent in narrationibus aut conficiendis aut legendis, quae nihil magis spectant, quam ut omnia, quae narrentur, quam maxime fieri possit, mira sint, inaudita atque incredibilia, multoque magis delirantium somnia referant, quam arte quadam et

---

pote profecta ex accurata graecae romanaeque antiquitatis cognitione et iusta aestimatione studii a nostrae aetatis hominibus in rebus divinis et humanis tractandis consumti; sunt tamen, quae iure quodam nostro velimus subtilius disputata et tradita distinctius, praecipue in *rationis* et *rationum odio* describendo. *Odium rationum* sive *misologia*, Platone auctore, in eo esse videtur, qui in comprehendendis quibuscunque rebus, sive ad literarum studia sive ad officia vitae pertinentibus, omne argumentandi negotium ita detrectat, ut de veritate hoc modo indaganda prorsus desperet, aliorumque auctoritati totum sese emancipet, deposito prorsus suo iudicio. *Odium rationis*, quale hoc nostro potissimum tempore hic illic concitatum est, cernitur apud eos, qui negant, animi humani intelligentiam, quamvis excultam ac perfectam accurata scientia artium literarumque omnium hucusque mirifice perpolitarum, inprimis antiquitatis studiorum, philologiae, historiae et philosophiae, adhiberi debere diiudicandis praeceptis et historiis cuiusvis religionis, quae modo *supernaturali* et *immediato* divinitus patefacta dicitur, qua in re praecipuum ac proprium versatur *Rationalismi* negotium. De Rationalismo ad diiudicandam constituendamque religionis Christianae doctrinam adhibito v. lib. nostr. *Institutiones* theol. Chr. dogmaticae, §. 12.

Ea, quam primo loco posui, sentiendi ratio cum posteriore non semper coniuncta cernitur; nam vel ii ipsi, qui nullum rationis usum in religione divinitus revelata esse posse statuunt, tamen ratiocinando hanc suam sententiam firmare plerumque student. Atque *formam* tantum cogitandi ac credendi spectare potest rationum argumentorumque investigatio et usus, quemadmodum olim scholastici ratiunculas suas maxime procul habebant a *materia* dogmatum suo tempore hierarchiae auctoritate sanctorum, non nisi formam eorum excutere conati; haud dissimiles in eo certis quibusdam recentioribus theologis, qui antiqua ac partim antiquata protestantium decreta novis argutiis scholasticis etiam atque etiam commendant aequalibus suis.

Auctorem huius orationis in misologia describenda rationum odium ante oculos habuisse, inde clarum fit, quod praeter rationis *mysteria* s. secreta alia quoque esse concedit, quae nulla homines ratione unquam assequi potuerint, divino consilio variis modis tradita, a nobis autem pia mente accipienda (p. 15.), quanquam vult examinari, quae divinitus edocti dicimur, ea num recte a nobis intelligantur.

ratione ficta et composita? [3]) Huiusmodi autem deliciae non delectandi causa proponuntur, sed ut verae habeantur; neque animi causa ieguntur, sed ut mens, si Diis placet, nutriatur atque ad omnem sanctitatem et pietatem instituatur! — Neque hoc sufficit, sed adeo duros dicere non dubitant atque agrestes ac nihil altum suspicientes, si qui se haud quidquam ibi intelligere fatentur, ubi nihil ratione ac via procedat, neque facile ad credendum se adduci posse, ubi, cur tali modo res acciderint, nullae omnino rationes reddi queant.

Quid autem? nonne in philosophia ea, in quibus rationes valeant et ratio ipsa adhibenda sit, in dies arctioribus finibus circumscribi, eorum autem numerum, quae ad fidem sint revocanda, haud cunctanter augeri videmus?

Quid, quod in rebus divinis tractandis sat multi exstitere, qui, rationes perosi, temerarios habendos censeant, qui eorum, quae in hoc genere vera atque indubitata ab aliis circumferuntur, rationes reddi postulant, neque cum illis in aliorum sive veterum doctorum, sive indoctae priorum temporum multitudinis auctoritate acquiescendum putant? [4]) Quidquid vero vel suo vel suorum iudicio libris sacris contineri videtur, nonnulli eiusmodi putant, ut in earum rerum rationes inquirere nefas adeo habendum sit.

Hoc autem, quo nostrorum haud pauci tenentur, rationum odium, nonne cum Platone magnum malum fatebimur?

---

3) Hoc dictum esse videtur in recentissimos historiarum Romanensium et tragoediarum auctores, qui fictis et commentitiis fabulis, portentis, visis somniorum, praesagiis et insulsis fatorum necessitatibus legentium spectantiumque animos delectant. Ac si paulo diutius vixisset auctor, ad misologiam etiam referre potuisset stultam credulitatem, quae miraculosis novi illius praestigiatoris Bambergensis sanationibus decipi sese passa est. V. *von Hornthal* Darstellung der Ereignisse bei den vom Herrn Fürsten von Hohenlohe zu Bamberg unternommenen Heilversuchen, wie sie sich in Wahrheit zutrugen. 1822., et alia hac de re scripta, quae enarrantur in Hall. Allg. Literatur-Zeitung Jahrg. 1822. Erg. Bl. N. 74-76.

4) Adde inertiam et laboris fugam, quae rerum gestarum veritatem subtiliter explorare reformidat, et, ut excusationis habeat quandam speciem, criticum historiae studium, non sine magna reconditae accurataeque doctrinae copia ac varietate suscipiendum, inique elevat et extenuat. Multo enim commodius est, cogitationis suae somnia, ab inspiratione quadam divina falso repetita, otiose contemplari et, quae maiorum decretis atque institutis perperam sancita fuerint, fanatico quodam stupore in omne aevum rata habere.

Inde enim primum hoc factum videmus, ut, quae a Deo nobis benigne concessa est veri indagandi vis, mentem et rationem, humano generi propriam, plures nostrorum hominum, quo graviora sunt, de quibus agitur, eo magis aspernentur et contemnant, ac tum demum pie loqui, aut adeo pios esse se arbitrentur, si de ratione plurimum detrahant. Namque de his nunc pluribus dicere nolo, qui superstitione ac temeritate acti, casum nescio quem aut mirum Dei interventum eo certiorem, quo *minus* expectari possit, sperare, quam ratione vitae *suae* rerumque gerendarum duce uti malunt. Plurima *quidem* fieri, quae unquam fieri posse nemo facile putarit, re ipsa quemquam expertum esse, sedulo affirmare licet. Quid autem? ad istiusmodi eventus, qui res humanas haud quidem casu, sed numine divino, longe alia spectante atque maiora, quam humano ingenio capi possint, regi probant, etsi nullo modo a nobis cognosci ac praevideri queant, tu consilia tua diriges potius, quam ad rationis praecepta et sanae mentis regulam res tuas componas? Ita vero nonne superstitione potius, quam religione, te duci intelligis? Tu enim, quod tuum erat, negligens, quae numinis divini sunt, tibi sumere audes? — An vero divinum illud rationis munus nobis nonnisi eo *datum* putabimus, ut, quae ad communis vitae usum pondere, mensura, numeris conficiuntur, ratione persequamur; porro quae in rebus gerendis utilia sint nec ne, illa quidem mentis nostrae vi expiscemur, praeterea autem haud fere quidquam illa assequi conemur? — Haudquaquam omnia unius rationis ope inventa esse, quae homini scitu necessaria fuerint, quis neget? Fuisse porro, qui insigni Dei auxilio adiuti ea viderint atque cum aliis communicarint, quae alias multo serius ac fortasse nunquam homines ipsi cognoverint, quis, quaeso, dubitet? Esse denique, quae nulla homines ratione unquam assequi potuerint, divino consilio variis modis nobis tradita, a nobis autem pia mente accipienda, quis non fateatur? Postremo autem sat multa esse, quae Deus homines celare voluerit, quaeque nulla via ac ratione a nobis agnosci et sciri queant, nonne ut quisque est sapientissimus, ita saepissime sibi reperisse videbitur? At vero cuius generis sint, quae nobis scire haud data sint, nonne caute statuendum erit, certisque rationibus in ea re utendum? Quae porro divinitus edocti dicimur, ea num recte a nobis intelligantur? ad quaenam illa pertineant? num omnino divina et divinae originis habenda sint, quae huius generis ferantur? ea omnia quonam alio modo te reperire

posse censes, nisi ratione ac rationibus? Quae vero divina, i. e. verissima, gravissima, ad vitam regendam aptissima, ad animum placandum saluberrima inveneris, nonne ratio ipsa te hortabitur, teque adeo coget ea summo studio complecti, his confidere, haec denique sequi? — Tu contra omnibus rationibus omissis ac spretis, quae novae cuiusdam disciplinae commenta sive auctorum sive asseclarum speciosa eloquentia proferuntur, aut invicta audacia obtruduntur, omni dubitatione maiora stolida inertia amplecteris? — Quae tute tibi libris sacris invenisse temere sumis, quaeve illis inesse alii tibi affirmant, tu aequo animo accipies, in his tu, de omnibus rationibus securus, acquiesces? — Quid, tu eo magis pium te praebere censes ac divino sacrae doctrinae dono et munere dignum, quo magis sine cogitandi subtilitate atque argumentorum vi aliorum, nescio quorum, auctoritatem atque constantem, qui iactatur, consensum sequi paratum te praestes? — Tu homines potius audies, quam qui Deus in te est?

Ex quo autem talia ab iis quoque, qui ultra vulgus sapere videbantur, verbis iactata et factis expressa scimus, simul cum ratione doctrinam quoque et literas sperni aut suspectas haberi vidimus. Enimvero rectissime hoc quidem doctrina et literarum studio effici dicitur, ut eorum, quae olim pro certis atque exploratis habueris, plura minus certa tibi videantur, neque unice vera; quaeque antea communi omnium consensu constare putaveris, varie variis temporibus cognoscas disputationibus agitata sententiisque diiudicata. Neque quidquam inde periculi aut veritati aut veritatis studiosis timebant viri omnium temporum sapientissimi. Fuit, fuit aliquando tempus, quo, qui sapientissimi habebantur, quique in suo genere erant doctissimi, atque ii, in quibus neque pietas neque morum probitas desideranda esset, modeste dubitare sapientiae initium esse dicerent, omnia caute expendere et verbis et exemplo suo nos iubereant, humanae denique scientiae hoc potissimum esse propositum faterentur, ut, quae pluribus et gravioribus rationibus veriora et probabiliora viderentur, amplecteremur atque sequeremur. Nuper autem qui unice sapere videri volebant, quid hi? — lege et crede; audi et tace! — Haec iubemur viri, haec praecipiuntur adolescentibus. Hinc fit, ut Philosophiam despiciant, antiquitatis studium suspectum reddant [5]), libro-

5) Non solum maledicta ex trivio arripiunt, et *paganos*, *atheos*, et *alienos a Christo* clamant esse eos, qui priscarum religionum

rum veterum interpretationem incertam clament atque insidiosam. Mediae, quam dicunt, aetatis secula, in quibus pontificum romanorum dominatio vigebat, monachorum auctoritas florebat, artes evanuerant, docti, si qui fuere, vix mutire audebant, audaciores fustibus et carcere coërcebantur, haec quidem summis laudibus efferunt; artes autem optimas quatuor abhinc seculis apud nos renatas esse atque inde haud mediocribus incrementis auctas, quin potius conquerendum sit, nulli dubitant; viros, qui cum maiorum, tum nostra memoria doctissimi ac de literis bene meriti habebantur, damnant, magnacque calamitatis auctores detestantur! — Quidni enim? — Nimirum illis artibus, illorumque virorum opera factum est, ut homines dubitare didicerint, quae alias quam maxime indubitata habuerunt; atque inde ab illis temporibus illisque ducibus res ad doctorum iudicium revocandae ***docte,*** id est, cogitando, inquirendo, examinando, verbo, ratione et rationibus adhibitis, tractari coeptae sunt.

Talia cum animadvertisse mihi viderer, quae profecto neque vestrum quemquam effugere potuerunt, dolui equidem aetatis nostrae vicem, haud parvam illam ratus calamitatem, simulque, quaenam huius mali causae habendae *sint*, non semel quaerere mecum coepi. Quarum *etsi plures* reddi posse video, omnium tamen latissime patere puto, quam Socratem in eodem, quem supra laudavi, loco apud Platonem tradentem audimus. Namque *μισολόγοι*, ait ille, ***eadem de causa fiunt homines, qua*** *μισάνθρωποι*: rationes odisse solent homines, non aliam ob causam, quam qua odium in homines concipere solent.

Quod quomodo fieri soleat, iam ex eodem Socrate audiamus. Ille autem: Si qui sunt, inquit, qui hominibus uti incipiant, idque ***sine arte*** faciant, i. e. quamvis naturae humanae ac morum, quales in plerisque hominum deprehenduntur, sint imperiti; iis saepe accidit, ut

---

origines historiae et philosophiae luce collustrare student, sed etiam, quod addi poterat, impediunt et evertunt industriam eorum, verae pietati ac virtuti promovendae dicatam, qua, quod nostris quidem temporibus gravissimi est momenti, obsoleta ac magis magisque nunc labans auctoritas rerum divinarum novis praesidiis, iisque ex ipsius animi humani natura petitis, optime sustentari possit. Ita fit, ut, quo quis est avidior patrocinii verborum ac formularum obsoletarum, eo magis abhorreat a praecepto illo vere Christiano, quod iubet *ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ*, et adversarios non confutet argumentorum pondere, sed calumniis ac contumeliis plane obruat.

homines, quos aliquamdiu probos putabant, mox improbos cognoscant, quos sibi fidelissimos sperabant, eorum mox perfidia laedantur. Idem iterum iterumque experti, tandem, de fide ac probitate hominum prorsus desperantes, omnes contemnere, aspernari, odisse incipiunt; idque suo iure facere arbitrantur, omnium minime, quod quidem facere debebant, se ipsos imperitiae accusantes. Pari modo iis, qui initio res rationibus expendere conati sunt, id autem sine arte fecerunt, evenit, ut, quae rationibus quibusdum fidentes aliquamdiu certa habuerunt atque indubia, mox aliis rationibus oppugnari, labefactari, convelli animadvertant. Ista veri rationum ope indagandi spe ubi saepius exciderunt, quid fit? — rationes omnino negligunt omnes, aspernantur, perhorrescunt, iisque uti vanum, inutile, periculosum esse clamant. Qui si recte statuere velint, non tam rationes accusandae erunt, sed ipsi potius reprehendendi. Voluerunt enim rationes sequi, cum artis, qua in his tractandis versandum erat, prorsus essent imperiti.

Haec ille! — quae quam vere dicta sint, paucis mihi monere liceat.

Quinam enim potissimum sunt, qui nihil fere ratione ac lege certa neque in hominum mentibus, neque in vita rebusque humanis procedere somniant; qui nihil nisi mira atque inaudita probant, seque his demum audiendis et legendis summa voluptate deliniri ac pietatis adeo sensu efferri contendunt? — Sunt adolescentuli, qui, quamvis rerum imperiti, sibi plurimum sapere videntur, eoque se prudentiores esse credunt, quo magis insignia atque a communi aliorum iudicio diversa statuant: sunt mulierculae, quae literis, quas dicunt elegantiores, quodam modo tinctae, de rebus haud paulo scilicet gravioribus quam quae alias mulierum habentur, iure suo se iudicium ferre arbitrantur; sunt viri, literarum non omnino rudes earumque fortasse olim studiosi, nunc autem otio, mollitie, inertia diffluentes: sunt denique haud pauci saepius certissima, ut dicunt, spe decepti, ac tandem, nunquam scilicet secundo fortunae flatu usi, fortunarum naufragia passi [6]). Horum autem plerique omnes, cum olim de

6) Non debebat silentio praetermitti magnus proh dolor! eorum numerus, qui, molli vita, occultis dissolutae iuventutis flagitiis et effusis in omnem intemperantiam libidinibus effeminati, ingenii quoque acumen hebetarunt. Verum enim est, quod in proverbio apud nos dicitur, in incesta iuventute largissima esse semina superstitiosae senectutis. Nam in mutua, quam esse scimus, non item explanare possumus, animi corporisque coniunctione nimia

iis, quae hominibus accidant, quaeque ab iis gerantur, suo modo meditati, variaque sibi de rebus humanis invenisse visi sint, tamen, quoniam in illis rebus perpendendis sine arte versabantur, mox, quam parum, quae repererunt, rem decernant, animadvertentes, seque rationibus deceptos arbitrantes, in alia omnia abierunt. Rationibus enim omissis mentem animumque humanum, hominum vitam et facta, atque omnia adeo, quae gerantur ac fiant, a casu nescio quo pendere, ac numinibus nescio quibus nunc bonis nunc malis regi putant, atque omnino in rebus humanis vim quandam ignotam dominari statuunt. Ita autem nihil non fieri posse, neque quidquam tam novum, tam inauditum, tam inopinatum, tam absurdum denique esse, quod non ubique evenire queat, facile sibi persuadent sibique persuaderi patiuntur.

In rebus ad philosophiam pertinentibus quinam potissimum sunt illi rationum inimici? — Haud quidem indocti et harum rerum omnino rudes! Sunt potius semidocti, qui aliquam rebus illis indagandis operam navarunt, atque, dum rem rationibus investigandis bene sibi succedere putabant, hanc viam aliquamdiu tenuerunt, ac nihil non tali ratione inveniri et confici posse contenderunt. Mox autem, quoniam arte destituti in rebus illis elaboraverant, factum est, quod ex Socrate tunc plerumque fieri audivimus: rationes enim iis obvenere, quibus, quae certa et nullo modo refellenda invenisse sibi persuaserant, sibi rursus erepta queruntur. In quo cum operam se perdidisse doleant, nequaquam, quod facere debebant, se ipsos suamque imperitiam, sed potius rationes accusant, atque ipsam per rationes incedendi viam damnant!

Quae dum dico, quemnam vestrum non subit numerus haud parvus eorum, qui nostra aetate partim philosophiae se non rudes iactant, partim adeo philosophos se profitentur, quibus talia accidisse videmus! — Quis autem est, qui tale aliquid veris philosophis, apud veteres, Baconi, apud patres, Leibnitio, nostra memoria, Kantio, evenisse ne dicam sciat, sed tantum suspicari possit?

Neque alia causa est, cur in rebus divinis nostra aetate haud paucos eorum, qui sacras literas profitentur, rationes perosos intelligamus. Quid enim? — nonne in iis, quos, ceteroquin bonos fortasse viros et literarum at-

---

et naturae legibus repugnans nervorum remissio ac resolutio ingenii aciem obtundit atque innatas animi vires frangit, adeo, ut sui iudicii homines esse non patiatur, et potius alienae auctoritati prorsus obnoxios omni vi destituat, supra vulgi opinationes inveteratas evolandi. Namque haud temere dicitur: Sapere *aude!*

que eruditionis non omnino expertes, illo malo correptos dolemus, si modo paulo propius studiorum, quam secuti sunt, rationem inspicere velimus, facile reperiemus omnium maxime ea desideranda esse, quibus bene instructum et munitum esse oporteat, qui in doctrinam Christianorum sacram cum arte inquirere, et de huiusmodi rebus cum arte iudicare ac sententiam ferre velit? Latinarum et graecarum literarum non omnino rudes sunt, nonnullorum auctorum graece et latine scripta pridem legerunt, ac ne nunc quidem eorum lectionem, quam interdum iucundissimam dicunt, omnino defugiunt. At tamen veterum scriptorum orationem cum arte interpretari quid sit, nunquam didicerunt; antiquissimorum hominum vitam, mores, disciplinam, opiniones, iudicia, loquendi denique usum nunquam accuratius animadverterunt. In hebraicae linguae elementis addiscendis adolescentes olim desudasse satis habent. Qui praeterea virorum doctissimorum verbis et exemplo praecipui ad usum loquendi in scriptoribus sacris obvium cognoscendum fontes nobis commendati sunt, de his vix fando audiere! Inde fit, ut, quoties de sensu loci paulo difficilioris iudicium ferendum sit, circum scholia, claves, ianuas, commentarios, versiones trepident, ab his pendeant, hos sequantur auctores. Quibus ubi aliquamdiu se permiserunt, mox varietas ac diversitas sententiarum, quas iisdem scriptorum locis varii interpretes inesse volunt, eos male habere incipit. Inde bona pars de obscuritate et ambiguitate librorum queruntur, alii interpretum levitatem accusant, inconstantiam reprehendunt, calumnias vituperant! Tandem vero quid his hominibus fit? Rationibus ex libris sacris repetitis aut omnino parum tribuunt, aut certam aliquam versionem, nuperrime omnium maxime Vulgatam, sequuntur, huic se dant, inde argumentantur, probant, refellunt, somniant! — Neque dispar est eorum ratio, qui alias Theologiae partes sine arte pertentant. Christianae doctrinae fata ut cognoscant, haud paucos videmus non tam adire fontes, atque eorum scripta, qui fontes docte tractarunt; compendia potius nunc haec, nunc illa, percurrunt, recentiorum quorundam narrationes pie compositas atque eleganter conscriptas manibus terunt, has in deliciis habent, ultra sapere nec volunt, nec possunt! Alii doctrinae christianae dogmata tradentem olim audierunt, varios variorum libros, in quibus doctrina Christianorum enarratur, subinde legerunt, de pluribus huiusmodi libris iudicia ferentes annales literarios non raro inspexerunt. Intra haec substiterunt; rem

cum arte tractare nunquam conati sunt. His omnibus quid futurum censetis, si quando res ad rationes revocare audebunt? — Hos nonne variis rationibus perturbari, contrariis vero in diversas partes abstrahi, incertos vagari ac tandem infinito circumerrandi labore defatigari necesse est? — Quod ubi accidit, iidem si adversus rationes hostiliter se gerant, quid mirum?

At enim praeter hos in rebus divinis rationum osores se gerunt praesertim illius generis homines, qui vetere illo sunt compellandi: *ne sutor ultra crepidam!* Nostris enim temporibus quotusquisque est, quin de rebus sacris iudicare ac sententiam ferre, quid verum falsumve sit, decernere, quid tenendum, quid reiiciendum sit, statuere forti animo audeat? Sunt indocti, sunt antiquitatis, sunt linguarum veterum, sunt historiae sacrae fere prorsus ignari, sunt poetae et fabularum scriptores, sunt artifices et mercatores, sunt bibliopolae ac bibliopegi, sunt sutores et sartores, sunt mulierculae denique et adolescentuli! Homines fortasse pii ac ceterum boni, sed in una illa re haud leviter peccantes, de qua nunc nobis sermo est. Namque, quod eos decebat et fieri oportebat, res divinas, quantum per ipsorum rationes licebat, cognoscere, percepta rationibus aptis firmare, in*primis* scripta sacra diligenter legere, lecta pie meditando perpendere, in usum suum convertere, vita factisque exprimere, non satis habuerunt. Cum doctorum virorum de rebus ad doctrinae subtilitatem potius, quam ad pietatis studium pertinentibus disputationes ad ipsorum aures pervenissent, atque ita variae ac diversae sententiae et opiniones de rebus, quae gravissimae videbantur, iis innotuissent, has rationibus examinare, perpendere, quidve veri iis insit videre, suum esse putarunt. In quo quidem iis accidit, quod necesse erat: quippe qui sine arte in his rebus tractandis versarentur. Itaque variis dubiis aliquamdiu misere vexati, atque iis, quae antea certissima sibi esse putarant, destituti, iamque rationum ope vera invenire desperantes, dum non habent, quo se vertant, rationes omnes abiiciunt, spernunt, damnant, atque eo magis se pietatem sequi arbitrantur, quo acriores rationum inimicos sese praestent.

Quorsum igitur haec omnia? — Omnium profecto minime ut Vos, Viri doctissimi, de malo illo nunc demum admoneam, sed ut, mecum a Socrate causam mali haud levissimam edocti, hanc mecum teneatis et pro virili oppugnetis. Quo tandem modo autem melius ac certius effici poterit, ut homines desinant res, quae arte con-

tineantur, sine arte tractare, quam accurata iuvenum ad solidam doctrinam institutione? Hanc igitur Vos, Viri doctissimi! consilio, studio, opera vestra iuvate. Nos autem, Collegae carissimi! quod adhuc fecimus, porro quoque faciamus, atque indefessa opera illud assequi studeamus, ut, quaecunque nostri olim tractent, recte et cum arte tractare et velint et possint.

V.

Ueber einige Stellen alter Schriftsteller

von *Ph. Buttmann.*

Als die Erklärer des *Theokrit* bei der bekannten Stelle 7, 72. 73.

ὁ δὲ Τίτυρος ἐγγύθεν ἀσεῖ,
Ὡς ποκα τᾶς ξενέας ἠράσσατο Δάφνις ὁ βώτας,

sich darüber einmal weggesetzt hatten, dafs ξενέας für ξέ-νας hier stehe, worüber sie sich ohne Zweifel nach beliebter Manier durch κενός, κενεός, beruhigten, so blieb die Frage übrig, warum denn nun aber der Dichter das Mädchen eine Fremde nenne. Und da liefsen sich Heinsius und Valckenaer zu der Entscheidung herab, dafs er *more satis usitato* so nenne ein Mädchen, das er nicht nennen wolle. Wobei uns nun zwei neue Fragen erwuchsen, wo denn dieser *mos* anderwärts zu finden sei, und warum denn der Dichter das Mädchen nicht nennen wolle. Reiske allein unter den Aeltern erkannte die Verderbung eines Eigennamens; und unsere Vosse lehrte ihr richtiges Gefühl, die in den Scholien als die gangbarste sich aussprechende Meinung (s. hier und zu 1, 65. u. 8. extr.), dafs die Nymphe *Xenea* geheifsen habe, unbedenklich befolgen. Und in der That ist es auffallend, dafs man mehr Anstofs genommen, einen sonst nicht vorkommenden Eigennamen anzuerkennen, als eine sonst nicht vorkommende Form eines der geläufigsten Wörter mit schiefem Sinne. Ist der Name aber verdorben, nun gut, so steht er auf der grofsen Liste der in allen Theilen des Alterthums noch vorkommenden unrecht geschriebenen Namen, die auf ihre Berichtigung anderswoher warten. Aber ist es denn niemand eingefallen, nachzusehen, wie diese Nymphe anderswo genannt wird? Oder hat man sich abschrecken lassen durch die dreierlei Namen, die Servius (ad Ecl. 8, 68.) angibt, und deren keiner mit je-

V. Nemo hunc numerum improbabit, qui Tullii consuetudinem norit eam, de qua egit Asconius ad cap. 2. in Pison., ne recentem interpretem ullum commemorem. Ibi ait Cicero, auctoritatem quamdam Senatus interpositam fuisse XL. annis ante se Consulem, quae spectat ad annum V. C. DCLIII. quum a C. Mario, et L. Valerio Flacco illius anni Consulibus ad annum DCXC. quo Cicero Consul fuit, annos XXXVI. numeret optime Asconius, excluso nimirum utroque termino: *et perinde*, ait, *accipiendum, ac si dixisset, prope XL. annis.* Patet igitur, eadem ratione dici I. Act. 18. absolute, XL. *diebus interpositis*, et I. Accus. 11. *quadragesimo post die*, pro XXXVI. tum etiam adverbium *prope*, quod additur I. Act. 10. ad eumdem numerum egregie referri. Iam non laboro, an sit ipse nonarum dies addendus. Licet etiam coniicere, *prope* XL. eo melius dici, quod incertum osset, an primo statim post ludos die Verrem defensurus esset Hortensius.

VI. Sequitur, ut eorum dierum ratio ineatur, qui post hos XXXVI. ad Victoriae ludos excurrunt, de quibus Cicero II. Accus. 52. Omnes libri numerum ibi habent XLV. uno excepto Fabriciano codice, qui tamen omnium est antiquissimus, et praestantissimus. In eo legi, *ut dies XXXV. inter binos ludos tollerentur*, ipse testatur Franciscus Fabricius ad I. Act. 10. eique paruit Lambinus, qui tot locos inde sanavit. Nullum pro Hottomanno suffragium inveniri posset illustrius, si dies Romanorum circensium eo tempore quinque fuissent, ut in Kalendario Maffeiano notantur. Iis etenim diebus, ut ille facit, hinc exclusis, atque ad superiora relatis, dies existerent plane XXXV. Sed non modo quinctus dies lege additus postea fuit a M. Antonio Cos. ex II. Philipp. 43. ut vidit Manutius ad illud cap. 10. verum etiam incertum est admodum, an hi ludi tum mense Septembri, an adeo, ut vidimus, omnino committerentur. Si quis itaque sentire cum Hottomanno velit, optimum ipsum codicem leviter emendet, oportet, ut sint dies XXXVI., superiores autem illos *prope* XL. esse dicat XXXII.; quemadmodum I. Act. 13. equester ordo dicitur indicasse *annos prope quinquaginta*

continuos, quum plures esse non potuerint, quam duo et quadraginta. Sic Isocrates in panegyrico LX. triremes posuit pro LIII. quod Morus probare non poterat in not. p. 63. Sed malo mehercule Fabricianum codicem ad ceterorum lectionem revocare, ut in illo ex quatuor notis X. unam excidisse dicam, quod etiam I. Act. 18. contigisse observavimus. Hoc etenim videtur aequius: quandoquidem accuratum in egregio codice numerum non habemus.

VII. Neque vero ullam video causam, qua Tullius adduci potuerit, ut hic numerum poneret non accuratissimum. Dies erant certi, et proxime elapsi: locus, quo proferuntur, eiusmodi est, ut nihil iuvet a veritate discedere. Atqui non ea modo codicis Fabriciani lectio, verum etiam vulgata nequit cum vero numero convenire. Manutius quidem censuit XLV. dies esse, ut dicuntur. Sed unus detrahendus est dies, quo ille perperam Septembrem auxit, quum tempora, ut diximus, non distinxerit: duoque praeterea, qui numerari non debuerant, primus scilicet ludorum Victoriae dies, et Romanorum ultimus; neque enim *inter binos ludos* hi sunt, neque ad agendum idonei, quum in ipsis ludis essent. Omnino inter extremum ludorum magnorum diem, et ludorum Victoriae primum, h. e. inter pridie idus Septembres, et VII. Kalendas Novembres intersunt dies XLII. Quem ergo ipsum numerum a Tullio positum existimo, qui sane facillime in vulgatum XLV. converti potuit. Notum est enim, quam saepe a librariis numerales notae II. et V. fuerint invicem commutatae. Si Drakenborchium consulas ad Livium XXXVII. 22. exempla huius rei multa conspicies. Me non temere iudicasse confido, quum intelligam sine aliqua emendatione componi omnia non posse: haec autem sit emendatio, mea ut opinio fert, eiusmodi, ut nihil facilius, probabilius, aut ad totum locum adcommodatius ex MSis hactenus erui possit.

VIII. Cetera iam, quae II. Accus. 52. antecedunt, verba, et ab interpretibus intacta dimittuntur, operae pretium fuerit considerare. Ultro quidem fateor, necessarium minime esse, ut Cephaloeditanorum interkalarius tot diebus constiterit, quot inter binos ludos Romae intercedebant. Veruntamen iisdem plane constitisse ostendunt codices omnes: ut quod casu contigerat, ex eo Ciceronis observatio fiat etiam magis adposita. Non modo enim in vulgata est utroque loco numerus XLV. verum etiam unus a ceteris omnibus discedens Lambinus ita legit. *Tunc Cephaloeditani fecerunt intercalarium XXXV.*

dies longum. Non dubito, quin pro consuetudine Fabriciani lectionem receperit, ex quo eumdem numerum in sequentibus tacite ab ipso positum vidimus. Nunc illud sumamus, quod negari non debet, *mensem unum, dimidiatumque,* quem Verres exemerat, a Cephaloeditanis restitui oportuisse. Quis autem putet, in ea civitate dies XXXV. unum, ac dimidiatum mensem constituisse? Manifestum est itaque, Fabriciani codicis numerum tam in longitudine interkalarii, quam in diebus inter binos ludos positis ad vulgatum XLV. esse trahendum. Contra Tullius ipse indicat, exemptos a Verre fuisse dies XLV. dum Herodotum illum rediisse dicit post comitia dies XXX. quae se diebus XV. antevertisse credebat. Denique negari non potest, fuisse apud Graecos eiusmodi aliquando menses, quorum unus et dimidiatus XLV. dies efficeret, ut cum summis viris Graevius observat. Ita visus est omnibus interkalarius optime constitutus, et videatur porro licet, sine ullo emendationis, quam proposui, detrimento.

IX. Sed his non ego tamen impedior, quin eumdem numerum ita suspicer utroque loco positum, ut aeque ambo corrupti fuerint, quod in numeralibus notis passim evenit, hic vero aliis etiam ex causis est factum, quae veri speciem obducerent. Numerus XLII. ita convenire utrobique videtur, si omnia penitus inspiciamus, ut una emendatio alteram plane simillimam tueatur. Primum dico varios Graecorum quoque fuisse menses, et saepe diebus triginta minores, ut ex tabulis a Pontedera, peritissimo viro, confectis abunde constat. Quodsi Cephaloeditani Attica octaëteride tum utebantur, quo hunc ille locum refert Epist. XXIII. p. 239. in ea ipsa menses eiusmodi reperientur. Neque vero mensem unum ac dimidiatum ad amussim intelligere necesse est: quum praesertim repente isthaec nata exemptio fuerit iis diebus, quibus de Sacerdotio cum Verre agebat Artemo, quos casus adtulit, non consilium. Hoc itaque pro meo iure sumere mihi videor posse, *mensem unum dimidiatumque,* certo dierum numero non definiri. Quamobrem, si locus corruptus fuit, si in varietate id vicit, quod editur, idque regnavit, hanc ea res habet causam sane probabilem, quod multi putarint, dies XLV. ad unum dimidiatumque mensem conficiendum omnino requiri. Quisnam vero infitiabitur, ita sensisse quam plurimos? Recte igitur sensisse credentur? At non idcirco minus eam locutionem Cicero adhibuisset, quod triduum numero pleno deesset.

X. His praemissis, observari magnopere velim, quo

exemplo se ipsum explanet orator. *Eximi iubet*, inquit, *non diem ex mense, sed ex anno unum, dimidiatumque mensem, hoc modo, ut quo die, verbi causa, esse oporteret idus Ianuarias, eo die Kalendas Martias proscriberet.* Quis non intelligit, Romano more unum, ac dimidiatum mensem a Tullio dici, quo certe more varia, et inaequalis dierum summa prodibat? Cur, si dicis XLV. Verres exemerat, breviorem anni mensem Cicero in explanando delegit Februarium, eumque cum Ianuarii parte coniunxit? Mendum hic esse iam censuit Pontedera Epist. XXXV. p. 322. ex eo profectum, quod vulgo anni Romani ante Iulianam emendationem ratio ignoraretur, unde alia multa veterum scriptis inlata menda cognoscimus. Diebus enim XXVIII. ex Kalendario Iuliano Februario attributis, in exemplo Tulliano dies XLV. eximuntur. At diebus XXIV. mensis tum ille constabat, ut vir doctissimus egregie iam inde a p. 319. demonstraverat. Ne autem mirum cuiquam sit, eos ipsos qui IV. a Caesare additos Februario dies numerarunt, duos ab eodem Ianuario tributos numerasse (si enim numerassent, dies existerent XLVII.) observandum est, Macrobium ipsum I. Saturn. 14. ubi dies aliis mensibus a Caesare adiectos recenset, Februarium iam antea XXVIII. fuisse diebus praeditum existimasse. *Sed*, ait, *neque mensi Februario addidit diem, ne deûm inferiorum religio inmutaretur.* Censorinus etiam de D. N. cap. XX. vetustissima duorum mensium adiectione commemorata, *factique sunt*, inquit, *dies LVII. et ex his duo menses, Ianuarius undetriginta dierum, Februarius duodetriginta.* Horum sententiam Tullianus, ut nunc legitur, confirmat locus: sed, ubi mendum lateat, Pontedera non vidit, et sana emendando corrupit.

XI. Quum enim aliis de causis gravissimis, et ex ipsius Tullii apertissimis testimoniis dies Februarii XXIV. constituisset, atque inde, retractis ad Idus Ianuarias Kalendis Martiis dies XLI. demi cognosset, emendavit, *quincto idus Ianuarias.* Primo non mihi adridet admodum ista Latinitas, *quo die esse oporteret V. idus Ian.* sed Tullium dicturum fuisse arbitror, *quem diem esse oporteret quinctum idus Ian.* vel, *quo die e. o. ante diem V. id. Ian.* Locutio autem in omnibus libris extans optima est, ut III. Philipp. 1. *quod si aut Kalendae Ianuariae fuissent eo die.* Deinde tam in re, quam in exemplo, necessarium esse numerum dierum XLV. vir summus perperam existimavit. Denique multo fit concinnius exemplum, quo idus, et Kalendae pro terminis adsu-

mantur. Si autem dies XLV. exempti fuerant; quando nulli erant menses, ex quorum idibus, et Kalendis hic numerus conficeretur, praesto erant nihilominus dies XLVI. et ab idibus Februariis ad Kalendas Apriles dies XLIII. quibus annis mensis non addebatur interkalarius. At minus temere ipsius Pontederae rationibus, et universo loco consulitur, si mecum emendes infra, *interkalarium XLII. dies longum.* Convenit hoc numero dierum inter binos ludos intercedentium, qui casu totidem fuerunt: convenit adlato illi exemplo, in quo unus tantum dies ad eumdem numerum explendum deest, ut consulto ii menses fuerint ad exemplum, explanationemque delecti.

XII. Sed ipsius Tullii auctoritas opponetur, atque a nobis postulabitur, quomodo ea, quae diximus, cum his ibidem positis a Tullio verbis componamus. *Herodotus, quum Roma revertitur, diebus, ut ipse putabat, XV. ante comitia, offendit eum mensem comitialem, comitiis iam abhinc XXX. diebus habitis.* Facile pro XV. substitui posset XII. eadem ratione, qua in reliquis usi sumus. Verum non est necesse. Nam huius initio capitis 52. sic habemus: *Cephaloedi mensis* (non dies) *est certus, quo mense Sacerdotem maximum creari oporteat.* Tum proxime: *dies is erat legitimus comitiis habendis,* h. e. dies mensis illius comitialis primus. Si ergo quolibet illius mensis die fieri comitia poterant, quae primo facta sunt die, id est, legitimo, sed non necessario: quis miretur, Herodotum existimasse, non ipso mensis comitialis initio, sed post triduum saltem futura comitia? an sic existimabat sero futura, quum vel ad finem mensis fieri possent, et XII. dies, antequam ea fieri liceret, ipse tamen advenerit? Praeterea egregie auctus a Lambino fuit hic locus, dum ita edidit, *offendit eum mensem, qui consequitur mensem comitialem.* Deesse aliquid iam senserat Nannius, suoque codice opem nullam ferente, de coniectura *fuisse* addiderat. Nunc Librariorum manifesta est aberratio propter bis positum *mensem:* elegans autem, atque integra lectio id praestat, quod oportet, ut Herodotus haud ipso comitiali mense redierit, et ut minus XXX. diebus mensis ille constare potuerit.

XIII. At enim a Grutero, a Graevio, a Lallemando, ab Harlesio adiectio Lambiniana reiicitur. Quid ita? quia sine admonitione invecta est. Male omnino factum: nimium parcus verborum Lambinus fuit. Quid enim erat negotii, duobus verbis admonere? Verumtamen ad cap. 2. ille monuerat, se multa emendasse vetustissimi Fabriciani codicis beneficio: deinde alia multa item tacite inde re-

stituerat, quae item repudiasset Gruterus, nisi a Metelli codice confirmari vidisset. Fabriciano igitur numquam integriori licebit esse? Atqui nonnullis tamen locis Fabriciani codicis testimonii singillatim Lambinus exprompsit. Sic lubuit: saepius autem piguit idem facere: neque tanta eo seculo diligentia postulabatur. Quodsi emendationes illae tacitae optimo codici tribuendae non erant, quorsum illa non circumscripta professio? Sunt vero plane omnes egregiae: haec denique notas habet veritatis insignes. Quibus certe notis est factum, ut eam illi ipsi, qui Lambinianam recensionem omnem ad margines amandarunt, illius repetitores, aut potius inimici retinerent: deinde ut ex Gruterianis editionibus, quibus insederat, invito Grutero, quum repetitio Lambiniana fundus earum fuerit, eamdem servarint Iac. Gronovius, et is, qui fuit diligentior, Ernestus: quum hic quidem Graevianum ante oculos iudicium haberet. Quae itaque requirit locus, quae plane Tulliana sunt, quae ab optimo codice profecta aequum est credere, ea neque repudiare audeo, neque ipsius Lambini coniecturae tribuere: cui qui tribuunt, maiorem homini, quam velit ipse, laudem impertiunt.

XIV. Iam vero, si vetustum errorem Pontedera detexit, quo dies XXVIII. Februario ante Caesaris emendationem tribuebantur, probabilem habemus causam, cur numerus XLV. bis numeri XLII. sedem occupaverit. Nam, quum veteres quidam, atque adeo non indocti, ex Censorini, aut Macrobii disciplina, ab idibus Ianuariis ad Kalendas Martias, uno, ut debet, excluso termino, dies esse XLV. existimaverint, quum praeterea iidem apud Tullium legerint *quindecim*, et *triginta*, magnum se fecisse arbitrati sunt, quum ad eam rationem inferiores numeros emendatos nobis prodiderunt. Quod si ludorum intervallo suos dies XLII. reliquissent, suspicionem profecto nostram retardassent. Verum aut illi emendatores ipsi, aut alii postea eos discrepare non debere numeros censuerunt. In summa tam sunt ista connexa, ut facile mendum vel parere, vel adprobare potuerint.

IX.

Commentatio *Em. Car. Frid. Wunderlichii τοῦ μαχαίτου* in Epigramma Bacchylidis aut Simonidis in Br. Anal. T. I. p. 141. Anth. Palat. T. II. p. 542. *)
Edidit *Frid. Iacobs.*

*) Huius Commentationis, a Viro doctissimo mihique amicissimo

Πολλάκι δὴ φυλῆς Ἀκαμαντίδος ἐν χοροῖσιν ὥραι
ἀνωλόλυξαν κισσοφόροις ἐπὶ διθυράμβοις
αἱ Διονυσιάδες, μίτραισι δὲ καὶ ῥόδων ἀώτοις
σοφῶν ἀοιδῶν ἐσκίασαν λιπαρὰν ἔθειραν,
οἳ τόνδε τρίποδά σφισι μάρτυρα Βακχίων ἀέθλων
θήκαντο· κείνους δ' Ἀντιγένης ἐδίδαξεν ἄνδρας·
εὖ δ' ἐτιθηνεῖτο γλυκερὰν ὅπα Δωρίοις Ἀρίστων
Ἀργεῖος ἡδὺ πνεῦμα χέων καθαροῖς ἐν αὐλοῖς,
τῶν ἐχορήγησεν κύκλον μελίγηρυν Ἱππόνικος
Στρούθωνος υἱός, ἅρμασιν ἐν Χαρίτων φορηθείς,
αἵ οἱ ἐπ' ἀνθρώπους ὄνομα κλυτὸν, ἀγλαάν τε νίκαν
θῆκαν ἰοστεφάνων θεᾶν ἕκατι Μοισᾶν.

In carmine Simonidis proposito in victoriam a tribu Acamantide ex certamine chororum, Dionysiis dithyrambos canentium, quos *κυκλίους* vocabant, reportatam, praecipua laude tribus sive chorus atque choragus 1-5. 9-12. leviore *χοροδιδάσκαλος* et tibicen 6-8 celebrati sunt. Recte. Nam maximus honor et praemium victoriae, in certatione choragorum partae, tripus ad tribum victoris, sive quod a tribubus olim sumtus ad choros adornandos praebebantur, sive quod ita libertati convenire existimabant Athenienses *φιλελεύθεροι*, pertinebat. Hinc Demosthenes, victoria in certamine choragorum illi per iudices, a Midia corruptos, erepta, de honore tribui suae *Πανδιονίδι*, non sibi detracto queritur in Midiana c. 3. p. 5. ed. Spald. *τούς τε κριτὰς διαφθείραντος τούτου (Μειδίου) τότε, καὶ διὰ τοῦτο τῆς φυλῆς ἀδίκως ἀφαιρεθείσης τὸν τρίποδα.* et c. 8. p. 13. *ἐμοῦ μὲν ὕβρισεν εἰς τὸ σῶμα, τῇ φυλῇ δὲ κρατούσῃ τὸν ἀγῶνα αἰτιώτατος τοῦ μὴ νικῆσαι κατέστη.* Adde c. 36. p. 67. Vide etiam Wolf. Prolegg. ad Leptin. p. XCI. Proximus tribui victrici honore erat choragus sive a tribu sua delectus *), sive voluntarius, *ἐθελοντής*, quippe qui satis grave chori suis impensis, certe ubi sponte hanc provinciam receperat, et sua opera adornandi onus subisset. Magna eius munia vide a Wolfio l. l. p. XC et XCI bene descripta. Ergo non mirum choragos *φιλονεικοῦντας* (bis ita appellantur Or. Mid. c. 17. p. 32.) ut tribui, ut sibi vi-

---

anno ante praematuram eius mortem mecum communicatae, mentionem fecimus in Notis crit. ad Anthol. Pal. p. 793. F. I.

*) In choragis legendis *τῶν ἐπιμελητῶν τῆς φυλῆς* et Archontis insignem curam fuisse, ex Midian. c. VI. p. 9. apparet, ubi quum tertium iam annum tribui Pandionidi deesset choragus, hanc ob causam curatores tribus et Archon in concione sese invicem incusasse traduntur, *κατηγορούντος τοῦ μὲν ἄρχοντος τῶν ἐπιμελητῶν τῆς φυλῆς, τῶν δὲ ἐπιμελητῶν τοῦ ἄρχοντος.*

ctoriae laudes pararent, omnibus artibus et dolis etiam grassatos esse. Choragos quidem, qui recte et iuste ad victoriam contenderant, hoc nomine magnopere laudandos esse putavit Demosthenes in Mid. c. 18. p. 33. *οὐκ οὖν δεινόν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ σχέτλιον, τῶν μὲν νικᾶν ἂν παρὰ τοῦτ' οἰομένων χορηγῶν, τῶν ἀνηλωκότων πολλάκις πάντα τἀ ὄντα εἰς τὰς λειτουργίας, μηδένα τολμῆσαι πώποτε μηδ' ὧν οἱ νόμοι διδόασιν ἅψασθαι, ἀλλ' οὕτως εὐλαβῶς, οὕτως εὐσεβῶς, ὅπως μετρίως διακεῖσθαι, ὥστε ἀναλίσκοντας, ἀγωνιῶντας, ὅπως ἀπέχεσθαι, καὶ προορᾶσθαι τὰς ὑμετέρας βουλήσεις καὶ τὴν περὶ τὴν ἑορτὴν σπουδήν; Μειδίαν δὲ κ. τ. λ.* Adde quae memorantur ibid. p. 34. Hinc intelligitur, cur Theocritus in Epigr. XII.

Δαμοτέλης ὁ χορηγός, ὁ τὸν τρίποδ', ὦ Διόνυσε,
καὶ σὲ τὸν ἥδιστον θεῶν μακάρων ἀναθείς,
μέτριος ἦν ἐν πᾶσι· χορῷ δ' ἐκτήσατο νίκην
ἀνδρῶν, καὶ τὸ καλὸν καὶ τὸ προσῆκον ὁρῶν.

Damotelem per bonas artes, honesti ac recti rationem habentem, victoriam retulisse posuerit. Ita enim explicanda sunt verba, *ἐκτήσατο νίκην, καὶ τὸ καλὸν καὶ τὸ προσῆκον ὁρῶν*; quae sic accepta optime conveniunt iis, quae ibi praecedunt, *μέτριος ἦν ἐν πᾶσι*, quibus sensu generali Damotelem illum in omnibus *μέτρου*, modi, servantissimum fuisse significatur. Iam sensus: Damoteles victor cum in omnibus *μετριότητα* colebat, tum in hac victoria recte atque honeste paranda, illam documento luculento probavit, satis placebit, atque cur in victore certaminis choragorum illa potissimum laudata sit virtus, *μέτριος ἦν ἐν πᾶσι*, probe intelliges. Iacobsio, praeceptori de me meritissimo, non magis in ea, quam elegit, lectione *παισὶ*, atque in interpretatione, quam (Animad. in Anth. Gr. Vol. I. P. II. p. 201.) dedit: „Demoteles, quum inter pueros certaret, modicam laudem adeptus est; inter viros victoriam retulit," assentiri possum, quam in eo, quod Damotelem *ducem chori*, *ἡγεμόνα χοροῦ*, ut Attici loquuntur, fuisse contendit; quo sensu Dorienses *χοραγὸν* usurpasse veteres notarunt. Vid. etiam *Wolf.* Prolegg. ad Leptin. p. 89. not. 64. Nam praeterquam quod de Damotele, *χορηγῷ*, inter Dorienses victore nihil constat, *duci chori*, quamquam chori victoriam multum iuvare poterat, teste *Demosthene* c. 17. p. 32. *ἴστε δήπου τοῦθ' ὅτι τὸν ἡγεμόνα ἂν ἀφέληταί τις, οἴχεται ὁ λοιπὸς χορός*, et victoriae laudem et tripodis dedicationem datam fuisse, nemo facile exemplorum documentis comprobabit. At carmine *Simonidis* dedicationem tripodis a cantoribus, *ἀοιδοῖς*, fa-

ctam esse, docemur — *σοφῶν ἀοιδῶν, οἳ τόνδε τρίποδά σφισι μάρτυρα Βακχίων ἀέθλων θηκαντο,* quod non poëtas esse, sed ipsos *χορευτας* existimo. Nam primum *ἀοιδοὺς σοφοὺς* cantores peritos significare, negari nequit. Deinde auctores dithyramborum, quibus cantandis chorus aliquis vicerat, ut victores coronatos esse, et tripodem tribus victricis dedicare potuisse, quis putet? quis affirmet? At choragum et chorum coronatos esse omnes norunt. *Demosth.* in Mid. c. 16. p. 30. *τὴν δὲ ἐπινικίων (ἡμέραν) ὑπὲρ αὐτοῦ τότ' ἤδη στεφανοῦται ὁ νικῶν.* — *Σφίσι* autem ad *ὥρας Διονυσιάδας* pertinet, quibus tripus dedicatur; quo animadverso concidit, opinor, sententia *Schneideri* (Animadverss. in Anth. Gr. Vol. I. P. I. p. 251.) qui de festo solemni tempore redeunte *ὥρας Διονυσιάδας* accepit. Novum quidem, quod *ὥραις Διονυσιάσιν* haec facta est dedicatio, nec tamen inexplicabile. Dionysia magna, *τὰ ἐν ἄστει Διονύσια,* ubi victores floribus coronati sunt, verno tempore, mense Martis, celebrabantur (vid. *Thucyd.* V. 20). Atque veris pulcritudo ad Horas refertur. Adde antiquam *Hesiodi* fictionem, qui *Ἔργ.* 74. Iove iubente, Pandoram et ab Horis ornatam esse ait: *ἀμφὶ δὲ τήν γε Ὧραι καλλίκομοι στέφον ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν.* Horae igitur festi praesides, victoria laetantes, chorum victorem floribus cingentes, quid multa? victoriae auctores commode poëta fingere potuit *). Sensum autem verborum, *πολλάκι . . . . ἐθήκαντο,* ita constituo: „Horae et alias saepe laetatae sunt egregio cantu chororum *κυκλίων* tribus Acamantidis, et iam illos cantores *χορευτὰς,* qui hunc illis tripodem consecrarunt, victoriae insignibus ornarunt"; vel si poësin tibi ad prosam nudam revocare placet, hunc: Et alias chorus tribus Acamantidis excelluit, et iam victoria relata tripodem dedicavit. Testificatio enim laetitiae ex priorum chororum tribus Acamantidis cantu perceptae mihi, opposita — *ἀνωλόλυξαν — μίτραισι δὲ καὶ ῥόδων ἀώτοις ἀοιδῶν ἐσκίασαν ἔθειραν* — consideranti, praestantiam tantum cantus, non victoriam significare videtur. Rei generali, absque particula *μὲν* expressae, specialis, quae illam exaugeat vel comprobet, per particulam *δὲ* annectitur. Vide et *Theocr.* Epigr. XII. 3. 4.

μέτριος ἦν ἐν πᾶσι· χορῷ δ' ἐκτήσατο νίκην
ἀνδρῶν, καὶ τὸ καλὸν καὶ τὸ προσῆκον ὁρῶν.

λιπαρὰν ἔθειραν, nitidam comam, ad pulcritudinem, non

*) Horae *πολυάνθεμοι* Corinthiis *πολλὰ μὲν νικαφόρον ἀγλαΐαν ὤπασαν — πολλὰ δ' ἐν καρδίαις ἀνδρῶν ἔβαλον — ἀρχαῖα σοφίσματα.* ap. *Pindar.* Ol. XIII. 17 sqq. P. I.

ad unguenta referatur epitheton, suadet *Callim.* H. in Pallad. v. 22. qui *λιπαρὸν πλόκαμον* Minervae laudat. *Κείνους δ' Ἀντιγένης ἐδίδασκεν ἄνδρας.* Ad haec verba *Iacobsius*: „Antigenes dithyrambi, quo ille chorus vicerat, auctor, non fabulae scriptor, ut *Bentlejus* ait." Neutrum verum puto. *Χοροδιδάσκαλον* intelligo, qui, ut *Wolfii* (Prolegg. in Leptin. p. XCI.) verbis utar, chorum in iis artibus, in quibus ei certatio esset futura, erudiebat et exercebat; cuius opera ad victoriam parandam quum insignis fuisset, eius nomen memoriae mandandum esse censuit *Simonides*, aeque atque Aristonis tibicinis, qui dulcem chori vocem formabat, *εὖ δ' ἐτιθηνεῖτο γλυκερὰν ὄπα.* Ad chorum, non ad tibicinem *) spectant verba *γλυκερὰν ὄπα*, ita ut *ἐκείνων* vel *αὐτῶν* ex *κείνους ἄνδρας* eliciendum sit. Nam primum tum, quum chorus erudiendus et instruendus erat, — id enim tempus imperfectis *ἐδίδασκεν* — *ἐτιθηνεῖτο* definitur — tibicen, quem, ut infra docebimus, in arte sua perfectum sortiebantur choragi, sero vocem suam excoluisset. Deinde tautologia aperta in verbis *γλυκερὰν ὄπα* et *ἡδὺ πνεῦμα*, si utrumque ad tibicinem referas. Denique relativum *τῶν* v. 9. pro *ὧν* ad *κείνους ἄνδρας* referendum est; quae relatio, nisi verba *εὖ* — *αὐλοῖς* mea ratione, sed pro interpositis acceperis, prorsus turbatur et impeditur. Erant Athenis, qui artem choros erudiendi factitarent, alii alios. *Demosth.* in Mid. c. 14. p. 32. *Σανίων ἐστὶ δήπου τις ὁ τοὺς τραγικοὺς χορούς διδάσκων — τοῦτον ἐμισθώσατό τις φιλονεικῶν χορηγὸς τραγῳδῶν·* et paucis interiectis, *πάντα τὸν μετὰ ταῦτα χρόνον διδάσκει τοὺς χορούς.* Illorum artificum etiam in theatro chororum moderandorum partes fuisse, *Demosthenis* verba eodem capite testantur: *ὡς δ' ἐπληρώθη τὸ θέατρον καὶ τὸν ὄχλον συνειλεγμένον εἶδον ἐπὶ τὸν ἀγῶνα,* (*οἱ ἀντιχορηγοί*, qui Sannionem se reiecturos esse ante professi erant) *ὤκνησαν, εἴασαν, οὐδεὶς ἥψατο.* Midias igitur, quum Demosthenem *χορηγὸν* victoriae decore privare niteretur, artificem, quem ille choro suo conduxerat, ut eum male erudiret, corrupit, corruptum abduxit. En verba, quae ad Simonidis v. 6. 7. 8. illustrandum faciunt, ex *Demosthene* in Midiana c. 7. p. 11. *οὐκ ἀπέχρησε δὲ αὐτῷ τοῦτο, ἀλλὰ καὶ τὸν διδάσκαλον, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, διέφθειρέ μου τοῦ χοροῦ. Καὶ εἰ μὴ Τηλεφάνης ὁ αὐλητὴς ἀνδρῶν βέλτιστος περὶ ἐμὲ τότε ἐγένετο, καὶ τὸ πρᾶγμα αἰσθόμενος, τὸν ἄνθρωπον ἀπελάσας αὐτὸς συγκροτεῖν*

*) Sic ipse quoque haec verba interpretatus eram, recte procul dubio. Non debebam autem aliam apponere interpretationem, qua verba *γλυκερὰν ὄπα* ad Aristonis vocem referenda suspicabar. F. I.

καὶ διδάσκειν ᾤετο δεῖν χορόν, οὐδ' ἂν ἠγωνισάμεθα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀλλ' ἀδίδακτος ἂν εἰςῆλθεν ὁ χορός, καὶ πράγματα αἴσχιστα ἂν ἐπάθομεν. In hac periodo notes elegantem usum verborum, *συγκροτεῖν καὶ διδάσκειν ᾤετο δεῖν χορόν*, pro *συνεκρότησε καὶ ἐδίδαξε χορόν*. Nam vere hoc Demostheni praestitit Telephanes. Latini autem et Graeci sententiam, *feci illa*, ita enuntiant: facienda mihi illa putavi, Graeci verbum *οἴομαι* tum legitime usurpantes. *Demosthen.* Philipp. III. l. 1. *ἐπειδή τισιν οὐ μετρίως ἐδόκουν προσφέρεσθαι (οἱ Ἀθηναῖοι) πάντες ᾠοντο δεῖν, καὶ οἱ μηδὲν ἐγκαλεῖν ἔχοντες αὐτοῖς μετὰ τῶν ἠδικημένων πολεμεῖν.* Ibid. l. 9. *ἀλλ' ἡμεῖς αὐτοὶ καὶ Λακεδαιμόνιοι οὐδὲν ἂν εἰπεῖν ἔχοντες ἐξ ἀρχῆς, ὅτι ἠδικούμεθ' ὑπ' ἀλλήλων, ὅμως ὑπὲρ τῶν τοὺς ἄλλους ἀδικουμένους ἐωρῶμεν, πολεμεῖν ᾠόμεθα δεῖν.* In Midiana c. 39. p. 73. *ᾧ (Ἀλκιβιάδῃ) σκέψασθε, τίνων εὐεργεσιῶν ὑπαρχουσῶν, καὶ ποίων τινῶν πρὸς τὸν δῆμον, πῶς ἐχρήσαντ' ὑμῶν οἱ πρόγονοι, ἐπειδὴ βδελυρὸς καὶ ὑβριστὴς ᾤετο δεῖν εἶναι.* quod exemplum inprimis notabile, quippe ubi non de iis, quae ut bona et recta probaverit Alcibiades, sed de iis, ad quae cupiditates animi illum abripuerint, sermo sit. Adde Mid. c. 34. p. 65. Ex Latinis scriptoribus unus *Iuvenalis* locus sufficiat, Satir. XIV. 222. *nam quae terraque marique Acquirenda putas, brevior via conferet illi.* — Notanda praeterea repetitio particulae *ἄν*; Graecosque ubi conditionaliter loquuntur, in singulis membris sive per *καὶ — καὶ*, *οὔτε — οὔτε*, sive per *ἀλλὰ* vel *μέν — δέ* copulatis particulam illam ponere. Vid. Philipp. III. p. 113. l. 28. p. 114. 1. *μέν — δέ*. coll. *Soph.* Antig. 668. s. Ajax. 1073-75. *οὐ γάρ ποτ' οὔτ' ἄν — οὔτ' ἄν.* At Electra v. 1324. *ἂν οὔτε — οὔτ' ἄν*, praeposita particula *ἄν*, ut ap. *Demosthen.* Philipp. II. p. 69. l. 26. 28. *οὐκ ἄν ἡγοῦμαι — οὔτε — οὔτ' ἄν.* Hinc in Midiana c. 33. p. 64. (ed. Reisk. p. 534. 1.) *ἐγὼ δ' ἂν τοὐναντίον οἶμαι, εἰ τοῦτον ἀφῆκα, λελοιπέναι μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὴν τοῦ δικαίου τάξιν, φόνου δ' ἂν εἰκότως ἐμαυτῷ λαχεῖν*, particulam *ἄν* in verbis *λελοιπέναι μέν* deesse, et fortassis post illa inferendam esse, periti intelligent.

Ἀρίστων *Argivus* tibia cecinit. Id non miraberis. Peritissimi tibicines quum quaererentur, non ex eadem tribu, unde *χορευταί*, neque ex populo Atheniensium ut sumerentur, erat constitutum, sed etiam exteyni admissi sunt. Rationem tibicines legendi descripsit *Demosthenes* in Mid. c. 6. p. 9. *παρούσης τῆς ἐκκλησίας, ἐν ᾗ τὸν ἄρχοντα ἐπικληροῦν ὁ νόμος τοῖς χοροῖς τοὺς αὐλητὰς κελεύει — καί, κληρουμένων, πρῶτος αἱρεῖσθαι τὸν αὐλητὴν ἔλαχον.*

X.

Dan. Wyttenbachii additamenta ad *Phaedonis Platonici* editionem *).

P. 109. Epigramma Incerti, de Panaetio temere Phaedonem dialogum non a Platone scriptum censente, exstat Anthol. Brodaei I, 44. p. 94:

Εἴ με Πλάτων οὐ γράψε, δύω ἐγένοντο Πλάτωνε·
Σωκρατικῶν ὰάρων ἄνθεα πάντα φέρω.
Ἀλλὰ νόθον μ' ἐτέλεσσε Παναίτιος, ὅς ῥ' ἐτάλασσε
Καὶ ψυχὴν θνητὴν, κἀμὲ νόθον τελέσσαι.

Huius Epigr. auctorem facit Syrianum philosophum Anonymus interpres MS. in Aristot. Categ. p. 28. cuius verba, quamvis corrupta, sic apponenda sunt: *Συριανὸς μὲν ὁ φιλόσοφος ἐπέγραψε τῷ Φαίδρῳ νοθευομένῳ ὑπό τινος Παναιτίου· εἰ μὲν Πλάτων ἐπέγραψε, δύο ἐγένοντο Πλάτωνες σωκρατικὸν γὰρ. ὧν ἄνθεα πάντα φέρω· ἀλλὰ νόθον μ' ἐτέλεσε Παναίτιος ὃς ἐτέλεσε καὶ ψυχὴν θνητὴν καὶ μὲ νόθον τελέσαι. Ἐγὼ δὲ φῆμι ὁ ὑμέτερος διδάσκαλος, ἐπιγράφω ταῖς Κατηγορίαις· εἰ μὴ Ἀριστοτέλους ἐγενόμην, ἢ δίπλοος οὗτος, ἢ σοφίην ἀκάρηνον ἐδείματον ὄσφιν ἐμεῖο.* De hoc interprete Categor. Aristot., adhuc ignoto, a nobis nuper inter libros MS. Voss. primum animadverso, diximus in ed. nostra Phaed. p. 336. Hinc igitur et de huius Epigr. auctore discimus: et praeterea altero augemur, sic legendo:

Εἰ μὴ Ἀριστοτέλους γενόμην, ἢ δίπλοος οὗτος,
Ἢ σοφίην ἀκάρηνον ἐδείματο νόσφιν ἐμεῖο·

i. e. ***Nisi Aristotelis sum, hic aut duplex est, aut sine me sapientiam condidit capite carentem.*** Quod interpres bis posuit *ἐπέγραψε*, utroque loco significare voluit *Epigramma fecit.* Syrianum autem, Procli magistrum, in Phaed. interpretibus numerat Olympiodorus, ut notavimus p. 110. Verbum *φῆμι* compendio scriptum *φῆ*, transversa lineola ducta per inferiorem partem litterae *φ*, possit quidem esse *φησὶ*, ut proximum *ὑμέτερος* mutandum sit in *ἡμέτερος*, et scriptor suum magistrum laudet: quod solet fieri in Olympiod. et aliorum Gr. Interpretum in Platonem et Aristotelem commentariis. Sed de hoc novo

*) Depromta e Miscell. Doctrinae ab ipso editae Amstel. a. 1817. Vol. III. p. 82-109. Quae *W.* in antecedentibus a p. 29. ad p. 82. paulo verbosius, ut solebat, narrat de editionis suae consilio, apparatu, notarumque, quod addit, breve argumentum, et quae sunt eiusdem generis alia, utpote iniucunda lecturis, omittenda putavimus. *Fr.*

Anonymo alias uberius dicemus. Quod autem ad praesens in Phaedonem Epigr. attinet, habet sane frigidam et repetitionem in *ἐτέλεσσε — τελέσαι*, et paronomasiam in *ἐτέλεσσε* et *ἐτάλασσε*: ipsum autem *τελεῖν* significatione *iudicandi, censendi, statuendi,* novum est. Nam *τελεῖν εἰς τοὺς νόθους,* passive quidem dici potest: *censeri inter spurios,* ut *συντελεῖν ε. τ. ν.* quod legitur pluribus ll. ab I. Meursio allatis in Athen. Att. II, 2, p. 78; ut Scriptor per innovationem verbum hoc pro *censere* posuisse videatur, i. e. *facere censeri*: quae enallage significationis in aliis quoque verbis reperitur. Prius distichon non caret elegantia. *Si Plato me non scripsit, duo fuere Platones: Socraticorum flores sermonum omnes gero.* Sed posterius claudicat, non librarii, sed scriptoris culpa. Et huic omnino suam scripturam relinquam, nec, quod Brunck. fecit, ultimo versu scribam, *καὶ ψυχὴν θνητὴν καὶ νόθον ἐκτελέσαι,* ut scilicet tautologia vitaretur: quae aut concedenda est reliquae duritiei distichi, aut interpretando excludenda, ut *καὶ — καὶ* pro *ὡς — οὕτως* accipiatur: qui usus subinde valet, et animadvertitur ab Hoogev. Doctr. Part. p. 534 et 544, item in *οὐδὲ — οὐδὲ* a nobis Bibl. Cr. XII, p. 67. Itaque sententia sic intelligenda, *Qui ausus est, ut animam mortalem, sic me spurium censere.* Porro *Φαίδρῳ* pro *Φαίδωνι* scriptum solemni librariorum temeritate. Nec illud negligendum, quod dicitur *ὑπὸ Παναιτίου τινὸς, a Panaetio quodam,* neque per contemtum dici potuisse neque a Syriano, neque ab hoc Anonymo, quorum neuter ea fuit doctrinae inopia, ut Panaetii laudes et praestantiam ignoraret. Itaque accipiendum: *a quodam, qui item, ut Panaetius, et animum mortalem statuit, et Socraticorum dialogorum censuram agere voluit.* Panaetius enim, ut constat, utrumque fecit; nec tamen Phaedonem ad spurios aut retulit, aut referre omnino potuit. Fortasse potuit etiam scriptor Epigrammatis in errorem inductus fuisse male intellecto Grammatici alicuius dicto perhibentis Panaetium de Phaedonis et aliorum quorundam Socraticorum dialogis iudicasse; ut adeo Phaedonem philosophum pro Phaedone dialogo acciperet. Qualis est locus D. Laërt. II. 64, *τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων Παναίτιος ἀληθεῖς εἶναι δοκεῖ τοὺς Πλάτωνος, Ξενοφῶντος, Ἀντισθένους, Αἰσχίνου· διστάζει δὲ περὶ τῶν Φαίδωνος καὶ Εὐκλείδου· τοὺς δὲ ἄλλους ἀναιρεῖ πάντας.* Videtur hoc Epigr. ex eorum numero esse, quem undique ex posteriorum etiam philosophorum commentariis collegerunt Agathias et Const. Cephalas.

P. 113. *τύχη — ἔτυχε —*] Exemplum huius Parono-

masiae, praeter illud ex Ach. Tatio notatum p. 335, legimus etiam in Eunapio Vit. Proaeresii p. 150: *τυχὼν δὲ κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φιλοτιμίαν τύχης ἀξίας —.*

P. 114. *Δὶς ἑπτά*, Liban. Or. De ulcisc. Iuliani nece, apud Fabric. Bibl. Gr. VII. p. 170: *Ἐνόσησαν μὲν Ἀθηναῖοι διὰ τὸν Ἀνδρόγεω θάνατον, καὶ τῷ πατρὶ τοῦ τετελευτηκότος τὸν δασμὸν τοὺς δὶς ἑπτὰ ἤνεγκαν* —. In Catulli Epithal. 776. scrib. 76.

P. 127. *Φιλοσοφίας μὲν οὔσης μεγίστης μουσικῆς.* Attigit hanc sententiam I. Davis. ad Max. Tyr. XII, 7. p. 543.

P. 134. *Ὁ — ἐν ἀπορρήτοις λεγόμενος περὶ αὐτῶν λόγος* est interior doctrina Socratis, tradita ab eo discipulis per sermones habitos secreto: distinguitur ab exteriore ac populari. Sic Socrates de iustitia se didicisse ait in Cratylo p. 269, C: *μέχρι μὲν οὖν ἐνταῦθα, ὃ νῦν δὴ ἐλέγομεν, παρὰ πολλῶν ὁμολογεῖται τοῦτο εἶναι τὸ δίκαιον· ἐγὼ δέ, ὦ Ἑρμόγενες, ἅτε λεπαρὴς ὢν περὶ αὐτοῦ, ταῦτα μὲν πάντα διαπέπυσμαι ἐν ἀπορρήτοις —.*

P. 142. *Ἀλλὰ σχεδὸν μέντοι ἤδειν· — ἀλλά μοι πράγματα πάλαι παρέχει.* Piers. ad Moer. p. 173, ex Phot. Lex. MS., pro *ἤδειν* restituit Atticum *ἤδη*: qua in ratione eum sequitur Larcherus Ann. ad Etym. M. Act. Acad. Inscr. T. XLVII. Hist. p. 165. Neque tamen Aristoph. Avib. 19, *Τὼ δ' οὐκ ἄρ' ἦστην οὐδὲν ἄλλο πλὴν δάκνειν*, scribam *ἦστην, cognoverant*, pro *ἤδεσαν*· sed vulgatam tuear vertens: *Hi autem duo nihil aliud erant, quam mordere:* i. e. *nil nisi mordebant*, ut Kusterus et Berglerus. — Nam Brunck. *ἐστὸν, sunt*, dedit, usum tamen verbi *εἶναι* retinens: qui sane elegans et Atticus est, et nobis animadversus Bibl. Cr. X. p. 11. Repetiti *ἀλλὰ* exempla sunt etiam in Demosth. Adv. Lept. p. 364, B: *ἀλλ' ἐὰν δείξῃ πέντε, ἐγὼ λῃρεῖν ὁμολογῶ· — ἀλλὰ καὶ τῶν μετοίκων εἶναι πλείονας ἢ τοσούτους κ. τ. λ.* Adv. Mid. p. 597, C: saepius Iulian. Caes. p. 333, C. Epist. III. p. 374, C. Sic Latinis *at — at*, v. c. Ciceroni Senect. 11. Cluent. 33. Matio Epist. Div. XI, 28.

P. 144. Ad haec adhibeantur et exigantur ea, quae de partibus Verbi *τεθνάναι* tradit eruditiss. vir A. Matthiae in Gr. Gr. p. 328.

P. 149. Graec. Exempl. p. 14. *τὰς περὶ τὸ σῶμα θεραπείας δοκεῖ σοι ἐντίμους ἡγεῖσθαι ὁ τοιοῦτος; — ἢ ἀτιμάζειν, καθόσον μὴ πολλὴ ἀνάγκη μετέχειν αὐτῶν;* huius cap. imitationem consectatus est Basil. M. Homil. XXIV. De leg. Graec. libris Τ. I. p. 500, B: *τί οὖν ποιῶμεν, φαίη τις ἄν; τί δ' ἄλλο γε ἢ τῆς ψυχῆς τὴν ἐπιμέλειαν ἔχειν, πᾶσαν σχολὴν ἀπὸ τῶν ἄλλων ἄγοντας; οὐ δὴ οὖν τῷ σώματι δουλευτέον, ὅτι*

μὴ πᾶσα ἀνάγκη· ἀλλὰ τῇ ψυχῇ τὰ βέλτιστα ποριστέον, ὥσπερ ἐκ δεσμωτηρίου, τῆς πρὸς τὰ τοῦ σώματος πάθη κοινωνίας, αὐτὴν διὰ φιλοσοφίας λύοντας, ἅμα δὲ καὶ τὸ σῶμα τῶν παθῶν κρεῖττον ἀπεργαζομένους· κ. τ. λ.

P. 152. Graec. Exempl. p. 15. *Οἷον τὸ τοιόνδε λέγω· Veluti, hoc tale dico.* Non erat praetermittenda formulae venustas, quam memorando hoc loco attigit Heusd. noster in Spec. Plat. p. 7. Sic etiam Legg. I. p. 574, E: *Οἷον τὸ τριόνδε περὶ αὐτοῦ καὶ μάλα εἴχομεν ἂν αὐτῷ διαλέγεσθαι·* Max. Tyr. XXVII, 5: *Οἷον τὸ τοιόνδε λέγω. — σῶμά που τραφῆναι ἀδύνατον, ὅτι μὴ σιτίων προσφορᾷ κ. τ. λ.*

P. 155. Olympiodori locum Ruhnk. apposuit ad Callim. Fragm. Bentl. Ed. Ern. T. I. p. 541, ubi ex Eustath. Il. ψ, 1436. hoc Callimachi laudatur, *δραμόντος ἑτέρων Ἴχνια μὴ καθ' ὁμά.* Valcken. in fragm. Eleg. Callim. etiam illud prius Callimachi, certe veteris poëtae, et sic scribendum esse iudicat: — *τᾷ μὴ πατέουσιν ἁμάξαι, τᾷ στείβειν* — p. 298. Monuit me quoque Eldikius, litterarum nostrarum coryphaeus. Itaque meum commentum lubens deleo.

P. 161. *Ὡς τὸ εἰκός·* rarius est, pro *ὡς εἰκός*, vel *ὡς εἰκός ἐστι, ut par est, ut consentaneum est.* In Platone credo me legisse, quamquam non annotatum in adversariis video. Xenophon aliquoties habet: Cyrop. I, 2, 11: Select. Gr. p. 122: *ἄριστον ἔχοντες πλεῖον μέν, ὡς τὸ εἰκός, τῶν παίδων, τἆλλα δὲ ὅμοιον·* i. e. *prandium habentes maius quidem, ut par est, quam pueri, ceteroquin autem simile.* Anab. III, 1, 14: Select. Gr. p. 174: *ἀγωνοθέται δ' οἱ θεοί εἰσιν, οἳ σὺν ἡμῖν, ὡς τὸ εἰκὸς, ἔσονται· certaminis autem praesides, sunt dii, qui nobiscum, ut par est, erunt.* Agesil. 2130. Basil. M. Ep. CCLIV. T. III. p. 252. E: *ἃ πάντως μὲν γνωρίζειν σοι, ἑωλόν ἐστι καὶ ψυχρὸν, πάλαι μεμαθηκότι ὡς τὸ εἰκός·* i. e. *haec tibi nuntiare ineptum est et obsoletum; quippe dudum, ut par est, scienti.* Aelian. V. H. III, 20: XIV, 18.

P. 162. *Μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ᾖ.* Anon. interpr. Categor. p. 12: *μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι οὐχὶ θεμιτόν, κατὰ τὴν Πλάτωνος φωνήν.*

P. 169. *Καταλλάττεσθαι.* Plato Sympos. p. 334, I: *ἀλλάξασθαι κάλλος ἀντὶ κάλλους·* quo se flosculo ornavit Aristaen. I, 27. Demosth. pro Cor. p. 333. A: *τῆς ἐπὶ ταῖς λοιδορίαις ἡδονῆς καὶ χάριτος τὸ τῆς πόλεως συμφέρον ἀντικαταλλαττόμενοι.* Max. Tyr. Diss. XXXII, 2: *Ἐρώμεθα οὖν Φίλιππον, τίνος ἀντικαταλλάττῃ πόνους τοσούτους —.* Plutarch. Caes. p. 1709, E: *ἐφήμερον καὶ βραχεῖαν ἀντικαταλλάττεσθαι μεγάλων ἀναλωμάτων δόξαν.* Anton. p. 924, B: *φόνων γὰρ ἀντικαταλλαττόμενοι φόνους.* Adv. Stoicos p. 1064, A: *τῆς*

φρονήσεως ἀντικαταλλάττονται τὴν ὑγείαν. Dio Chrys. Or. LXXIX. p. 665, B: ἀντὶ χρηστῶν ἄχρηστα ἀντικαταλλαττόμενοι. Notavit dictionem etc. P. Wesseling. ad Diod. Sic. I, 2. p. 5. Simplex ἀλλάττεσθαι hoc sensu et constr. est in Plat. Leg. VIII. p. 651, C: ἀλλάττεσθαι νόμισμά τε χρημάτων, καὶ χρήματα νομισμάτων. Plut. Apophth. Lacon. p. 236, A: τῆς ἐλευθερίας — οὐκ ἂν ἀλλάξαιτό τις νοῦν ἔχων τὴν Περσῶν βασιλείαν. Himer. Or. XIII, 6. p. 594: Λειβήθριοι μὲν ἀντὶ τῆς Ὀρφέως λύρας, ἣν ἀτιμάξειν εἵλοντο, μανίαν τε καὶ ἀμουσίαν καὶ σιωπὴν ἠλλάξαντο.

P. 171. Proclus Comment. in Plat. Alcib. I. MS. p. 61: τῶν παρόντων μὲν ὑπερφρονεῖν ὡς ἐσκιαγραφημένων. p. 99: ὁ ταύτην κτησάμενος οὐκ εὐεξαπάτητός ἐστιν ἀπὸ (lege ὑπὸ) τῶν εἰδώλων καὶ πρὸς αὐτὰ τὰ ὄντα δύναται βλέπειν τῶν σκιαγραφικῶν τούτων ἀπαλλαγείς. Fons autem huius praecepti et nominis est in mirabili illo Platonis antro Rep. VII. initio.

P. 174. Οὐδὲν ἔτι οὐδαμοῦ ἦ. Iulian. Caes. p. 18. ed. Heus. Ἀλλ' ὁ Πομπήϊος ἐπῆρέ σε μετὰ τοῦτο, κολακευθεὶς μὲν ὑπὸ τῶν πολιτῶν τῶν ἑαυτοῦ, γενόμενος δὲ οὐδεὶς οὐδαμοῦ.

P. 175. Παραμυθία sic est apud Sext. Empir. Adv. Math. X, 86: παραμυθία τῶν λημμάτων, *confirmatio praemissarum*; ut recte interpretatur Fabric.: ibid. 90: ἡ τοῦ λόγου παραμυθία· item 100. Sic et verbum παραμυθεῖσθαι VII, 66. de quo alia ad aliud tempus reservamus.

P. 179. Ad hunc usum verborum ἀποδεικνῦναι et ἀποφαίνειν referendi sunt Athen. XIV. p. 620, B: ἔχαιρε γὰρ τοῖς Ὁμήρου Λαρήνσιος οἷς ἄλλος οὐδὲ εἷς, ὡς λῆρον ἀποφαίνειν Κάσανδρον τὸν Μακεδονίας βασιλεύσαντα —. XV. p. 691, D: simpliciter — οἷς λῆρον εἶναι τὰ — Ἀλέξιδος ταυτί —. Gregor. Naz. Or. XX. p. 319, B: διωγμὸς ἦν — Μαξιμίνου ὃς — πάντας φιλανθρώπους ἀπέδειξε· i. e. *persecutio fuit — a Maximino facta, prae qua omnes aliae persecutiones lenes et humanae fuisse videbantur.*

P. 182. Οὐδαμοῦ φαίνεσθαι. Dem. De falsa Leg. p. 215, A: οὐδαμοῦ γὰρ ἂν φανῆναι καθ' ἑαυτὸν ἐκεῖνον· *nihil enim effecturum fuisse illum per se solum.*

P. 183. Οὐδαμοῦ θεῖναί τι. Eurip. Androm. 209. — τὴν δὲ Σκῦρον οὐδαμοῦ τίθης. Gregor. Naz. Or. I. p. 22, A: πολλὰ κατακρίναντες ἡμᾶς — καὶ οὐδαμοῦ θέντες ἀπῆλθον.

P. 185. Οἱ ἐρασταὶ ὅταν ἴδωσι λύραν —. Idem Max. Tyr. VIII, 10: αὐτὸ ἐκεῖνο τὸ τῶν ἐρώντων πάθος, οἷς ἥδιστον μὲν θέαμα οἱ τῶν παιδικῶν τύποι, ἡδὺ δὲ εἰς ἀνάμνησιν καὶ λύρα —.

P. 187. Verbi ἐπισφραγίζεσθαι vim non cepit interpres Clem. Alex. Strom. I. p. 346, D: — λογισμός ἐστι τὸ

ταχτικόν, ἐπισφραγιζόμενος ἐγκράτειαν, σωφροσύνην μεθ' ὁσιότητος — vertens *qui obsignet,* vertendum: ***ratio est quae ordinat, nomen et potestatem sibi sumens continentiae, temperantiae etc.***

P. 189. *Λήθην λέγομεν ἐπιστήμης ἀποβολήν.* In primis hoc fecit Arist. Topic. VII, 2: *ἀνάγκη γὰρ ἀκολουθεῖν τὰ γένη τοῖς γένεσι, καὶ τοὺς ὅρους τοῖς ὅροις· οἷον, εἰ ἡ λήθη ἐστὶν ἀποβολὴ ἐπιστήμης· καὶ τὸ ἐπιλανθάνεσθαι ἀποβάλλειν ἐπιστήμην ἔσται· καὶ τὸ ἐπιλελῆσθαι ἀποβεβληκέναι ἐπιστήμην.*

P. 192. *Ἀλλ' ἴσως ἔνι τις καὶ ἐν ἡμῖν παῖς* —] Spectat eodem Plotin. Ennead. I, 4, 15. p. 38, E: *τὸν ἐν αὐτῷ κινηθέντα, οἷον πρὸς λύπας παῖδα καταπαύσεις*: sic enim leg. pro *παῖδας*.

P. 193. *Ἐπᾴδειν· **accinere,*** metaph. signif. ***suadendi, docendi, monendi, consolandi,*** Platonicis est frequens. Sic ipse Leg. II. p. 578, D: 580, D: 581, D: VI, 622, D: VII, 637, C: VIII, 646, D: XII, 687, B. Plutarch. Mor. p. 145, C: 602, E: 604, B: 779, A: 920, C. Iulianus Or. VIII, 248, D: *ἐπῳδὴ*, de quo item frequenti alias dicemus. Basil. M. Ep. CLXXXVIII. T. III. p. 204, A: *ἐὰν ἐπιτρέψωμεν τῷ λογισμῷ ταῦτα ἡμῖν κατεπᾴδειν, τάχα ἂν εὕροιμέν τινα μετρίαν τοῦ κακοῦ λύσιν.* I. Chrysost. Hom. de Ira T. I. p. 254, F: *τὴν ψυχὴν ἀναδυομένην, καὶ ὀκνοῦσαν, καὶ ἐρυθριῶσαν, καὶ αἰσχυνομένην διέγειρον, ταύτας αὐτῇ συνεχῶς ἐπᾴδων τὰς ἐπῳδάς.*

P. 194. Exempl. Gr. p. 35. *Πολλὴ μὲν ἡ Ἑλλάς* —. Clem. Alex. Strom. I. p. 302, D: *Πλάτων — ἐν τῷ Φαίδωνι πανταχόθεν τὸν φιλόσοφον ὠφελεῖσθαι γράφων· Πολλὴ μὲν ἡ Ἑλλὰς, ἔφη, ὦ Κέβης, ἦ δ' ὅς, ἐν ᾗ εἰσι πάμπαν ἀγαθοὶ ἄνδρες· πολλὰ δὲ καὶ τὰ βαρβάρων γένη.*

P. 199. Exempla iteratarum negandi particularum haec etiam cognoscantur: Dem. Adv. Lept. p. 374, C: *μὴ ἐξεῖναι τῶν αὐτοῦ δοῦναι μηδενὶ μηδέν.* 375, A: *μηδενὶ δεῖν μηδὲν διδόναι, μηδ' ἂν ὁτιοῦν πράξῃ.* Adv. Androt. p. 423, E: *δίκην οὐδεὶς οὐδεμίαν μὴ δῷ.* Adv. Mid. p. 405, B: *οὐδὲν οὔτ' ἔστιν, οὔτ' ἔσται, οὐ γένος, οὐ πλοῦτος, οὐ δύναμις, ὃ τοῖς πολλοῖς ὑμῶν, ἂν ὕβρις ᾖ, προσήκει φέρειν.*

P. 201. *Ἄλλό τι ἡμῶν αὐτῶν ἢ τὸ μὲν* —. Vim huius formulae accurate explicat idem noster quondam eruditissimus familiaris A. Matthiae Gr. Gr. p. 675.

P. 202. *Πάθημα φρόνησις.* Sic Aristot. de Memor. c. II. *ἐπιστήμην* vocat *πάθος*.

P. 203. *Ὅλῳ καὶ παντί.* Anon. interpr. Categor. p. 61. *ὡς οἱ παροιμιαζόμενοι φασιν ἀλλὰ καὶ παντί*, legendum, *ὅλῳ καὶ παντί.*

P. 204. *Ἀθανάτῳ καὶ νοητῷ.* Eldikius saepe nobis

laudatus hanc mecum animadversionem communicavit. „Quod Olympiodorus *νοητῷ* interpretatur *intelligente*, eodem sensu, nisi fallor scripsit Crito, sive Damippus, apud Stob. Serm. III. p. 44: *τὸ γὰρ ἄλογον καὶ τὸ NOHTON ἐν πᾶσιν ἕνι κ. τ. λ. τὸ δὲ ἐξ ἀμφοτέρων αὐτῶν συγκείμενον ΑΤΤΑ τῷ ὅλῳ καὶ τῷ παντὸς συναρμογά ἐντι.*“ Equidem pro priori retineam vulg. *ῥητὸν*, quod in principio huius disputationis cum *λόγον ἔχον* iungitur, et *λογικὸν* valet: at posterius prae vulg. *ἅ, τε*, plane probandum. Utroque in voc. veterem lect. retinet noviss. ed. N. Schowii: quae ad hoc tempus nonnisi XXVI titulis constat. In loco Olympiodori duo sunt animadvertenda. Primum: quod in verbis, *νοητὸν λέγει ἐνταῦθα ὁ Πλάτων τὸν νοῦν, οὐ μὴν νοούμενον*, pro *τὸν νοῦν* legendum videtur *τὸ νοοῦν*, ut mox. Alterum: quod in proximis, *οὕτω δὲ καὶ Ἀριστοτέλης τὸ αἰσθητὸν αἰσθητικὸν ἐκάλεσεν*, dicendum erat — *αἰσθητὸν τὸ αἰσθητικὸν ἐκάλεσεν*· i. e. *id quod sentiendi vim habet, vocavit αἰσθητὸν, sc. sensibile;* hoc enim Olympiodorus voluit. Habet quidem *ἀναίσθητος*, ut apud alios, sic apud Aristotelem utramque signif., activ. et pass., *quod non sentit, et, quod non sentitur.* At idem *τὸ αἰσθητόν, sensibile, id quod sentitur, vel sentiri potest,* et *τὸ αἰσθητικὸν, id quod sentiendi vim habet,* semper sic distinguit, ut *ὁρατὸν* et *ὁρατικὸν, ἀκουστὸν* et *ἀκουστικὸν, γευστὸν* et *γευστικὸν, ὀσφραντὸν* et *ὀσφραντικὸν*, et sim. V. Categ. c. V.: de Anima III, 2. item in lib. *περὶ Αἰσθήσεως καὶ Αἰσθητῶν.*

P. 205. Socratem m. Iulio obiisse ex tempore festi *Deliorum* et theoriae colligitur: quod recte tuetur, Dacierii etiam errorem notans, Larcherus in actis Acad. Inscript. T. XLVIII. p. 306.

P. 207. *φιλοσοφία — μελέτη θανάτου.* Gregor. Naz. Ep. LXX. p. 827, B: *ζῆν ἀντὶ τοῦ παρόντος τῷ μέλλοντι, θανάτου μελέτην, τοῦτο ὅ φησι Πλάτων, τὸν τῇδε βίον ποιούμενον, καὶ λύοντα τὴν ψυχὴν τοῦ εἴτε σώματος, εἴτε σήματος κατ᾽ ἐκεῖνον εἰπεῖν, ὅση δύναμις.*

P. 208. *Humanis vitiis.* Huic Ciceronis loco Tusc. I. 30. geminus est alter ex eius Hortensio, servatus apud Augustinum de Trinit. IX, 26. Opp. T. VIII. p. 684, B: „si, ut antiquis philosophis, hisque maximis longeque clarissimis, placuit, aeternos animos ac divinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est in ratione et investigandi cupiditate, et quo minus se admiscuerint atque implicuerint *hominum vitiis et erroribus*, hoc his faciliorem adscensum et reditum in coelum fore“.

P. 209. *ψυχὴ — περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους*

καλινδουμένη. Clem. Alex. Protr. p. 37, C: πῶς οὖν ἔτι θεοὶ τὰ εἴδωλα καὶ οἱ δαίμονες, βδελυρὰ ὄντως καὶ πνεύματα ἀκάθαρτα, πρὸς πάντων ὁμολογούμενα γήϊνα καὶ δεισάλεα, κάτω βρίθοντα, περὶ τοὺς τάφους καὶ τὰ μνημεῖα καλινδούμενα; ubi Potterus imitationem Platonicam notat. Iulianus Misopog. p. 344, A: de cultu religioso sepulcrorum — τοῖς περὶ τοὺς τάφους καλινδουμένοις γραϊδίοις συνεχωρήσαμεν. Idem adv. Christianos apud Cyrill. Alex. X. p. 339, F: Τούτων οὖν οὕτως ἐχόντων, ὑμεῖς ὑπὲρ τίνος προσκαλινδεῖσθε τοῖς μνήμασι.

P. 215. Φιλοτησίας. Dem. de Falsa Leg. p. 216, C: συνεστεφανοῦτο καὶ συνεπαιώνιζε Φιλίππῳ καὶ φιλοτησίας προὔπινε: ubi plura dedit Tayl. in ed. Reisk. T. IX. p. 404 sq.

P. 219. Exempl. Gr. p. 43: ῥῆμα παραμυθεῖται. Platoni debuit Themist. Or. I. p. 9, C: ῥῆμα παραμυθούμενοι.

P. 220. Exempla Gr. p. 44. Hunc usum part. οὕτω animadvertimus supra p. 164.

P. 227. Ὀχούμενον ὥσπερ ἐπὶ σχεδίας. Greg. Naz. Or. V. p. 134, D: καθάπερ ἐπὶ λεπτῆς σχεδίας διαπεραιουμένῳ μικρόν τι πέλαγος. Aristoph. Gerytade ap. Athen. XII. p. 551, D: ὡς σφόδρ' ἐπὶ λεπτῶν ἐλπίδων ὀχεῖσθ' ἄρα· sic Brunck.

P. 230. Θρᾶττον. Est etiam hoc verbum in Eurip. Rheso 683. Pherecr. Athen. VII. p. 306, A: πάνυ ἐκεῖνο θράττει με —. Porphyr. ep. ad Anebon. p. 5. v. 42: πάνυ δὲ με θράττει πῶς, οἱ κρείττους παρακαλούμενοι ἐπιτάττονται ὡς χείρους. Iamblich. Myst. Aegypt. III, 2. p. 61. v. 29: ὃ δὴ καί σε θράττειν μοι δοκεῖ.

P. 231. φαίη ὁ λόγος. Plato Philebo p. 88, G: Ἀλλ' εὐθύ τι λέγω, φησὶν ὁ λόγος, καὶ περιφερές. Sophista p. 157, B: Οὐκ ἂν ὀρθῶς γε, ὡς ἔοικεν, ἐπιχειροῖμεν, ὡς φησιν ὁ λόγος. Quae adhibuit Davis. ad Max. Tyr. Diss. XXVIII, 5: Λόγοις τοιγαροῦν εὐωχητέον τὰς ἀγαθὰς ψυχάς, καὶ οὐ δικανικοῖς λόγοις, φησὶν ὁ λόγος.

P. 231. Ἀνυφαίνοι. Verbum in Lexico Manuali Hederico-Ernestino exstare, monuit me discipulus, et mei et literarum studiosissimus, idem mihi supra memoratus p. 337.

P. 232. Τὴν φύσιν τῆς ἀσθενείας. Simplicem in hac sententia ac dictione compositionem secutus est Greg. Naz. Or. X. p. 160, D: τῆς τε ἀνθρωπίνης φύσεως τὴν ἀσθένειαν ἐπιδείξομεν. Hunc autem in periphrasi usum vocis φύσις attigit etiam Abresch. in Animadv. ad Aeschyl. lib. III. p. 174.

P. 234. Ἔτυχον γὰρ καθήμενος ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ παρὰ τὴν κλίνην ἐπὶ χαμαιζήλου τινός· Non ingratum spero me facturum lectoribus nostris apponenda animadversione ex scripto Commentario nostro Plutarcheo ad illum memo-

ratum locum, ex hoc Platonico expressum, in Sapient. Conv. p. 150, A, eaque nunc aliquantum auctiore. Est enim illius Commentarii ea sors, ut vel libero cum Britannia commeatu in paucissimorum nostratium manus perventurus esset; nunc autem adhuc clauso, in neminis cuiusquam conspectum venerit. Sic igitur habet. „Exemplum e Platone ductum Phaed. p. 389, F —. Voc. *Χαμαίζηλος* in Glossas retulit Timaeus, ibique exposuit Ruhnk. p. 273: ut Adiectivum adhibuit Plutarch. T. II. p. 293, A: *Χαμαιζήλων φυτῶν.* Achill. Tat. I. p. 11: *καθίσας οὖν αὐτὸν ἐπί τινος θώκου χαμαιζήλου, καὶ αὐτὸς παραχαθισάμενος, Ὥρα νῦν, ἔφην, τῆς τῶν λόγων ἀκροάσεως.* Simile quid de Terentio prodit Suetonius in eius vita p. 402: *Andriam quum Aedilibus daret, iussus ante Caerio recitare; ad coenantem quum venisset, dictus est, initium quidem fabulae, quod erat contemtiore vestitu, subsellio iuxta lectulum residens, legisse: post paucos vero versus invitatus, ut adcumberet, coenasse unâ, deinde caetera percurrisse, non sine magna Caerii admiratione.* Et Tacitus hunc morem Romanorum attingit Ann. XIII, 16; ubi I. Lipsius erudite docet, viliorum fuisse convivarum ad fulcrum lecti sedere, accumbentibus ceteris: et quaedam nobis animadversa occupavit, quae idcirco hic omittimus. De Graecis haec Athenaei addimus I, 18, A: ex Hegesandro: *Ἡγήσανδρος δέ φησι, οὐδὲ ἔθος εἶναι ἐν Μακεδονίᾳ κατακλίνεσθαί τινα ἐν δείπνῳ, εἰ μή τις ἔξω λίνων ὢν κρατήσειεν· ἕως δὲ τότε καθήμενοι ἐδείπνουν. Κάσανδρος οὖν πέντε καὶ τριάκοντα ὢν ἐτῶν, ἐδείπνει παρὰ τῷ πατρὶ καθήμενος, οὐ δυνάμενος τὸ ἆθλον ἐκτελέσαι, καίπερ ἀνδρεῖος γεγονὼς καὶ κυνηγὸς ἀγαθός.* Ex Perseo de Lacedaemoniis IV. p. 140, F: *τὸ δ' ὅλον ὥσπερ πολίτευμά τι τοῦτο συνίσταται μικρόν. καὶ γὰρ ὄντινα δεῖ πρῶτον κατακεῖσθαι ἢ δεύτερον, ἢ ἐπὶ τοῦ σκιμποδίου καθῆσθαι, πάντα ταῦτα ποιοῦσιν εἰς ἐπαίνλα.* Ceterum, Lipsius et Plutarcheum locum animadvertit his verbis: *nec alio Plutarchus respexit, cum in Convivio suo reliquos quidem accumbentes facit, at Aesopum, qui servus, sedentem in subsellio apud Solonem.*“

P. 237. *Τὸ ποῖον;* Sic etiam Epict. Diss. III, 23. p. 475: *Πῶς οὖν εἶπον ἐκεῖνο; Τὸ ποῖον;*

P. 239. *Τοὺς μὲν χρηστοὺς καὶ πονηροὺς σφόδρα, ὀλίγους.* Hinc aliquid duxisse videtur Lucian. Pro Merc. Cond. §. 13. T. I. p. 722: — *ὄψει ὅτι μεγέθει καὶ σμικρότητι διαλλάττομεν τῶν ἀκροατῶν· τὰ δ' ἄλλα, μισθοφόροι ὁμοίως ἅπαντες.*

P. 241. *Μικρὸν φροντίσαντες Σωκράτους, τῆς δ' ἀληθείας πολὺ μᾶλλον.* Spectat huc Anon. interpr. Categ. MS. p. 16:

πιστεύει γὰρ Σωκράτει λέγοντι· καὶ Σωκράτους μὲν ὀλίγον φροντιστέον, τῆς ἀληθείας δὲ πολύ.

P. 251. *Μὴ μέγα λέγε.* Adde G. Koen. Praef. ad Corinth. p. IX. X.

P. 251. *Προσκυνῶ δὲ Ἀδράστειαν.* Eurip. Rhes. 468: — *σὺν δ' Ἀδραστείᾳ λέγω.* Iulian. Epist. XXIX. p. 403, B: *Ἀδράστεια δ' εὐμενὴς εἴη.* LIX. p. 445, D. Themist. Or. XXXI. p. 354, B: *ἔξεστί μοι παρακαλέσαντι τὴν Ἀδράστειαν ὑφηλογῆσαι.* Liban. Or. Ad Eos Qui Molestum Eum Appellabant: apud Fabric. B. G. VII. p. 199: *σὺν Ἀδραστείᾳ δ' εἰρήσεται.*

P. 253. *Partem philosophiae physicam, quae tunc una adhuc philosophiae pars, auctoribus Ionicis, Pythagoricis, Eleaticis, florebat.* Haec non ad vivum resecanda, sed intelligenda eo modo, quo diximus Philomathiae lib. II. p. 240. Nam et Ethica tractabatur a Pythagoricis et Dialectica a Zenone Eleate eiusque sectatoribus.

P. 254. Exempl. Gr. 64. *Ἆρ' ἐπειδὰν τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν σηπεδόνα τινὰ λάβῃ, ὥς τινες ἔλεγον, τότε δὴ τὰ ζῶα συντρέφεται.* Monuit me Paradysius noster de C. Sprengelii coniectura prodita in eius hist. med. germanice scripta, T. I. p. 443, *ψυχρὸν* mutantis in *ὑγρὸν*. Quam sane mutationem et res ipsa postulat, et commendat proclivitas librarii, propter frequentem in hac disputatione *θερμοῦ* et *ψυχροῦ* oppositionem, facile in istum errorem incidentis.

Ibid. Πότερον τὸ αἷμά ἐστιν, ᾧ φρονοῦμεν, ἢ ὁ ἀὴρ, ἢ τὸ πῦρ. Poterat item addi Stoicorum ex Heraclito repetitum placitum, et Diog. Laert. VII, 156, 157, et diss. nostrae de Placit. immortal. Sect. VIII. p. 70.

P. 256. *Ἑνὶ λόγῳ.* Plat. Leg. VII. p. 636. Dio Chrys. Or. LXXVII. p. 631, C. Plutarch. Pompeio p. 645, D. de Is. et Osir. p. 377, A. Plenius Galenus de san. tuenda. II. ed. Charter. T. VI. p. 75, C: *λόγῳ ἑνὶ καὶ πρώτῳ.* Budaeus Comment. Ling. Gr. p. 984.

P. 257. *Κατὰ νοῦν· ex animi sententia, gratum.* Iulian. Or. VIII. fin. p. 252, D. Anon. apud Suid. in *Ἀσιφυγία.*

P. 263. *Δέον, id quod oportet, officium, quasi ligans,* a verbo *δεῖν ligare* ductum, quibusdam videri Plato in Cratylo p. 271, tradit: *τὸ δέον φαίνεται δεσμὸς εἶναι.* Quam significationem suae disputationi accommodat Plotin. VI, 2. p. 753, C – F.

P. 265. Platonis, ut videtur, Comici, verba *ὡς καὶ νῦν ἔχομεν παρουσίας*, quum in fine iambos habeant, suspicionem praebent, versum huiusmodi fuisse: *Ἀλλ' ὡς γε καὶ νῦν εἴχομεν παρουσίας.*

Ibid. Ad illam formam constructionis verborum *χαίρειν προσαγορευόμενός τι* referenda etiam sunt haec Plat. Euthyph. p. 51, G: *τί ποτε ὂν τὸ ὅσιον, εἴτε φιλεῖται ὑπὸ τῶν θεῶν, εἴτε ὅτι δὴ πάσχει.* Symposio p. 331, F: *τοῦτον οὖν τὸν λόγον, ὦ Φαῖδρε, εἰ μὲν βούλει, ὡς ἐγκώμιον εἰς Ἔρωτα νόμισον εἰρῆσθαι· εἰ δὲ, ὅ, τι καὶ ὅπη χαίρεις ὀνομάζων, τοῦτο ὀνόμαζε.* Athen. VI. p. 234, D: *Πολέμων γοῦν ὁ εἴτε Σάμιος, εἴτε Σικυώνιος, εἴτ' Ἀθηναῖος ὀνομαζόμενος χαίρει.* VII. p. 277, D: *ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας, εἴτ' Εὔμηλός ἐσθ' ὁ Κορίνθιος, ἢ Ἀρκτῖνος, ἢ ὅστις δήποτε χαίρει ὀνομαζόμενος.* VIII. p. 234, B: *ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας ἔπη, εἴτε Κύπριός τίς ἐστι, ἢ Στάσινος, ἢ ὅστις δήποτε χαίρει ὀνομαζόμενος.*

P. 267. *Τὰ ἀνωτάτω*, scilicet *principia, genera summa.* Sext. Emp. Adv. Mathem. IX, 117. X, 38, ibidem Fabric.: idem ad VIII, 223, de Adv. *ἄνωθεν*, paulo tamen aliter quam de *genere*.

P. 269. Exempl. Gr. 72: *Οὐκ ἂν φύροιο.* Verbum aliquoties a Platone positum, ut notet *turbare in disputando.* Gorg. p. 288, D: *φύρονται ἐν τῷ αὐτῷ καὶ περὶ ταὐτὰ σοφισταί τε καὶ ῥήτορες.* Sic *συμφύρειν* Phileb. 74, C. Alibi simpliciter. Epict. Diss. II, 12. p. 230: *οἱ δὲ πολλοὶ καὶ εἰκαῖοι φύρονται καὶ φύρουσι.* IV, 13. p. 675: *καὶ φύρω καὶ φύρομαι.* Plutarch. de Is. et Os. p. 378, D. Defect. Orac. 416, F. Aristid. T. II. p. 112: *πάντα ταῦτα τῶν φυρόντων ἐστὶ τὰ ὀνόματα.* Ibid. p. 314: *καὶ μὴ φυρώμεθα ὥσπερ ἐν πυκτομαχίᾳ.*

P. 270. *Ἰδέα* et *εἶδος* promiscue etiam ponuntur in Euthyph. p. 49, H: 50, A: 51, C.

P. 283. *Ψυχὴ ἂν εἴη, πρὸς τῷ ἀθάνατος εἶναι καὶ ἀνώλεθρος*· i. e. ***anima, praeterquam quod immortalis est, etiam interitus expers sit.*** Huc pertinet Athen. I. p. 33, E: *ὁ Ταινιωτικὸς, πρὸς τὸ ἡδὺς εἶναι, ἔχει τὶ καὶ ἀρωματῶδες.* Diphilus Siphnius, medicus, apud eundem: *ἡ γογγυλὶς — γλυκυτέρα γάρ ἐστι καὶ πεπτικωτέρα πρὸς τῷ εὐστόμαχος εἶναι.* In hac compositione *πρὸς τὸ* rarius est quam *πρὸς τῷ*, ut monuimus item in animadvv. ad Plut. Mor. ed. Oxon., Consol. ad Apoll. p. 115, B. Sed illarum Volumen animadversionum quum nesciamus quando ad nos venturum sit, eiusque ego non nisi scriptum exemplum in manibus habeam; et homines nostrarum literarum studiosi succensere, certe subirasci, mihi videantur eos si quando ad illas animadversiones reiicienti; age eorum stomacho consulamus, et locos auctorum ibi expositorum saltem suis paginis notemus, ut et nos brevitatis rationem habeamus, et ipsi locos illos evolvere et inspicere possint. Igitur Platonis sunt, Theaetet. p. 132, G: Symp. 324, F: Phaedr.

342, B: Leg. VI, 618, E: 622, D. Plutarchi Symp. IV. p. 669, B: VIII, 710, D: Praec. Reip. 815, E: Malign. Herod. 855, B: Adv. Epic. 1092, E: Fab. Max. 175, A: M. Coriol. 253, E: Pelop. 280, F: Marcell. 303, C: Tib. Gracch. 831, E. Dion. Chrys. Or. VI, 109, B: 98, C: LXV, 600, D: LXXVIII. in. Aristid. Or. Plat. I. p. 75. Horum quidam emendantur: quod nunc referre longum erat.

P. 285. Xenophontis verba, Hellen. V, 1, 10: *ἔνθα ἡ Τριπυργία καλεῖται*, imitatus videtur Procop. b. Pers. II, 27. p. 330, D: *ἀμφὶ πύλας τὰς Σοΐνας καλουμένας ξὺν τοῖς ἑπομένοις ἐμάχετο· οὗ δὴ Τριπυργίαν καλοῦσι τὸν χῶρον.*

P. 289. *Ὁ ἑκάστου δαίμων, ὅσπερ ζῶντα εἴληχεν.* Huc pertinet etiam disp. Iamblich. Protrept. p. 11.

P. 297. Ad argumentum de aequilibritate terrae referendus est Cic. N. D. II, 39: *Ac principio terra universa cernatur, locata in media sede mundi, solida et globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata.* Eadem cum mundo communicatur ibid. 45: *Quocirca, si mundus globosus est, ob eamque causam omnes eius partes undique aequabiles ipsae per se atque inter se continentur: contingere idem terrae necesse est, ut omnibus eius partibus in medium vergentibus: id autem medium infimum in sphaera est: nihil interrumpat, quo labefactari possit tanta contentio gravitatis et ponderum.* De Or. III, 45: *Incolumitatis ac salutis omnium caussa videmus hunc statum esse huius totius mundi atque naturae, rotundum ut coelum, terraque ut media sit, eaque sua vi nutuque teneatur.* Ovid. Met. I, 12: *Nec circumfuso pendebat in aëre tellus, Ponderibus librata suis.* Ubi similia dat N. Heinsius.

P. 301. Iulian. Or. V. p. 170, D. *terram* significans, eam dicit, *τῶν ὄντων ἀποκάθαρμα καὶ τρύγα καὶ ὑποστάθμην.*

P. 308. *Θέαμα εὐδαιμόνων θεατῶν.* Geminum huic est dictum Plat. Phaedr. p. 346, C: *μακαρίαν ὄψιν τε καὶ θέαν — εἶδον.* Quod significat Iambl. Myst. Aeg. I, 12. p. 23: *ἐν γὰρ τῷ θεωρεῖν τὰ μακάρια θεάματα, ἡ ψυχὴ ἄλλην ζωὴν ἀλλάττεται·* et totum locum perperam cum Metrodori Epicurei sententia continuavit Clem. Alex., aut librarius, in eius Strom. V. p. 614, B.

P. 314. *Τῇ ὑστεραίᾳ ἢ ᾗ τὰ ἐπινίκια ἔθυεν.* Formam construct. attigit Bast. in app. ep. cr. Praef. p. VII.

P. 327. In Theophr. Hist. Plant. IX, 17, et Dioscor. IV, 79, *Chii* dissensu codd. dubiam habent lectionem, ut pro iis *Cei* substituendi videantur. Nam et pronuntiandi in his vocibus idem fere fuit sonus: et credibile est, Ceo-

rum fuisse insigne prae cetèris studium colendae componendaeque cicutae, propter morem antiquitus apud eos vigentem, ut senes sibi sponte sumenda cicuta mortem expedirent. Quo de more tradit Strabo X, p. 744 seq. apponens Menandri versus: *Καλὸν τὸ Κεῖον νόμιμόν ἐστι, φανία, Ὃ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς*: item Aelian. V. H. III, 37: Heraclides de Rebus publicis p. 516, ubi perperam ***Cois*** tribuitur, ut monet Holsten. ad Steph. Byz. v. *Ἰουλίς*. Omnino saepe in libris confunduntur *Chii*, *Cei*, *Coi*: quo pertinent dicta Villoisoni in Actis Ac. Inscript. T. XLVII. p. 325: et de prioribus duobus populis notum illud Aristoph. Ran. 1001: *Πέκτωκεν ἔξω τῶν κακῶν, οὐ Χῖος ἀλλὰ Κῖος*. Itaque simile mendum suscepit Meleagri Epigr. CXXII, quod sub Antipatri nomine est in Anthol. Brod. III, 6. p. 312; unde distichon saltem apponemus:

Γήραϊ δ' ἢ νούσῳ βίον ἔλιπες; Ἦλυθον ᾄδαν
Αὐτοθελεί, κείνων γευσάμενος κυλίκων.

Ubi istud *κείνων*, quod male habuit interpretes, mutandum in *Κείων*, i. e. ***Cea gustans pocula.*** Ad eandem causam pertinet, quod est ap. Stob. Floril. Tit. VII. p. 90, de Erasistrato, medico illo, ut videtur, quem alii *Κεῖον*, alii *Κῶον* patria faciunt: *Ἐρασίστρατος ὁ Χῖος ἤδη γηραιὸς ὤν, ἕλκος ἐπὶ τοῦ ποδὸς ἔχων· Εὖγε, εἶπον, ὅτι τῆς πατρίδος ὑπομιμνήσκομαι· καὶ κώνειον πιὼν κατέστρεψε.*

P. 330. Eldikius hacc annotavit: „in Greg. Naz. loco *ἐπειδὴ δὲ προσηνέχθη τὸ κώνειον, δέχεται μάλα ΗΔΕΩΣ*, non necesse quidem, ut scribatur, nescio tamen, an olim ad Platonis Plutarchique rationem scriptum fuerit *ΙΔΕΩΣ*."

P. 334. *Συνέλαβε τὸ στόμα καὶ τοὺς ὀφθαλμούς*. Alius etiam in adversariis erat locus Io. Chrys. Homil. Antioch. XX. p. 222, F seq.: *ἡμεῖς δὲ αὐτὴν καταλείψαντες ἀπελευσόμεθα, καὶ οὐκ ὀψόμεθα ἐκπνέουσαν, καὶ τὰς τελευταίας ἀφεῖσαν φωνάς; ἀλλ' αὐτὴ μὲν καθ' ἑκάστην ηὔχετο τὴν ἡμέραν ἡμῖς δὲ* (f. *αὐτῆς*) *ὀφθαλμοὺς καθελεῖν καὶ στόμα συνελεῖν, καὶ περιστεῖλαι, καὶ τὰ ἄλλα πάντα πρὸς τὸν τάφον ἐπιμελήσασθαι κ. τ. λ.*

Haec igitur nostrae editionis et descriptio fuit, et accessio. Quod si quaedam etiam sint recentiores Phaedonis editiones, quae ad notitiam nostram non pervenerint, nec ad usum a nobis adhibitae sint: de quo statuere non possumus; non dubitamus fore, ut docti quidem et prudentes lectores, ea quae desunt nostrae operae, iis quae adsunt compensaturi sint.

XI.

Ch. A. Lobeckii Dissertatio I. et II. *de mysteriorum Graecorum argumentis.*

(Regimonti Prussorum, 1820. pp. 10 et 8. 4to.)

De mysteriis Graecorum etsi multa passim docti indocti-que scripserunt, illi testatae antiquitatis monimentis nixi, hi Sabinorum similes, quos fama est somniasse quod vellent [1]), tamen si quis putat omnia veterum scriptorum testimonia collecta et composita esse, longe errat. Nam et ii, qui primi hunc locum commoverunt, quum et rude incultumque solum accepissent, nec instrumenta haberent satis idonea, non potuerunt omnia aequaliter elaborare; et qui his proxime successerunt, aliis potius omnibus, quam antiquitatis studiis culti, Philosophi partim, Theologi alii, et nonnulli Quodlibetarii, peregrinantium modo pleraque in transitu speculati, sua potius quam Graecorum iudicia nobis expresserunt. Fuit, qui non melius posset facere, quam fecit. Sed plures errorum amor, quam errandi necessitas a vero abstraxit; quibus nihil aliud actum est, quam ut lectorem, oscitaturum scilicet, si per quotidiana duceretur, miraculis excitarent [2]). Itaque si qui de Graecorum mythis et mysteriis aliquid sublime, admirandum et plane incredibile audire concupiscunt, his largissima pabula parata sunt tum a sepultis illis fabulatoribus, Becano, Hardtio, Dickinsono usque ad Bryantium et Taylorum, quos si huius sapientiae amatores attingerent, mirarentur sibi tam obsoletas dapes apponi, tum ab his, qui post eos ad mythologiam perturbandam coorti sunt, qui credulorum aures modo nominum Indicorum et Islandicorum bombis complebunt, modo Lelegum et Pelasgorum philosophemata, modo Adepta Coptica et Arcana Memphitica recludent, denique sacris conditis ex pergulis suis tanquam ex antro Trophonio attonitos et stupentes dimittent. Verum hi de circo praestigiatores, qui, si coercitione sanari possent, iamdudum ab H. Vossio, Graeciae verissimo interprete, ad frugem reducti essent, praeter sua sibi philosophemata nihil attulerunt, quod non apud Meursium legissent, adeo quidem ut, si ille libellus e rerum natura sublatus foret, bonam copiam eiurare cogerentur.

Sed inter eos, qui de mysteriis Graecorum lectu digna scripserunt, maximum semper certamen fuit, rerumne

1) V. Festus l. S.
2) Cf. Senec. Quaest. Nat. VII. 16.

fortuitarum concursione, an sua virtute et conditorum sapientia tantam celebritatem consequuta fuerint, quantam nullum alterum sacrum habuisse constat. Nam et obscuris saepe ex causis atque levibus opinio quaedam famaque sanctitatis oritur, quae semel suscepta quotidie crescit, nec vulgi solum assensu sed intelligentium quoque iudiciis sustinetur. Et est tamen credibile, veteres scriptores, qui de mysteriis multa et honorifice praedicantes augustam illam Eleusinem tanquam commune totius Graeciae sanctuarium suspexere, non fortuitis neque futilibus rebus, sed ipsa eorum excellentia atque praestantia ad hanc praedicationem excitatos esse. Ergo igitur, quoniam hodie nihil praestantius habetur hominum institutione, mysteria arbitrantur a sapientibus quibusdam viris condita esse, ut essent tanquam seminaria quaedam sapientiae, quibus sacra disciplina et sacerdotalis ad posteros propagaretur; quam disciplinam quum a vulgo explorate percipi posse diffiderent, non perceptam autem plus damni quam utilitatis habituram viderent, idcirco salubri providentia institutum esse, ut pauci tantum ingenii praestantia et virtutis perfectione excellentes, in huius secreti communionem adsciscerentur. Quonam autem in argumento fuerit haec secretior doctrina, inprimis magna hominum dissensio est, opinionumque varietas. Namque alii mysteriorum auctoribus hoc propositum fuisse contendunt, ut animos populari superstitione implicatos ab errore liberarent et ad eam religionem, quae supremi numinis cultu casto et pio continetur, traducerent, sed reipublicae causa, ne communes religiones turbarentur, multis quasi velis et involucris veritatem obtendisse. Alii in ea opinione sunt, ut initiatis spem immortalitatis per transennam ostensam fuisse existiment, quae et improbos absterreret a peccandi consuetudine et bonos confirmaret. Ab utrisque igitur requiro, quanam aetate hanc occultam doctrinam coepisse putent? an a prima mysteriorum institutione, quae Iasio Iovis filius in insula Samothrace, Eumolpus Neptuni Eleusine condidisse fertur? Hoc qui affirmant, perinde faciunt ut pictores illi, qui Isaaci sacrificium pingentes, Abrahamum repraesentant sclopeto minantem. Hi si forte ab aliquo ob antiquitatis ignorantiam obiurgati sic responderent: pulveris pyrii usum longe ante Europaeos a Chinensibus perceptum esse ac potuisse fieri, ut multis retro seculis et iam Abrahami temporibus aliqua eius rei notitia glisceret et ut Abrahamus ipse, longe lateque peregrinatus, inventi particulam unde unde extricaret; haec ergo si dicerent et porro adderent, esse etiam inter

quaedam Hebraica et Chinensia nomina aliquam similitudinem et convenire quibusdam in rebus Chinensium et Hebraeorum mores (quorum omnium nihil negari potest) num improbius facerent, quam redivivi isti Hardtii, qui vetustissimis Graecis Brachmanarum et Chaldaeorum placita affingentes, nullum aliud argumentum afferunt, praeter illud pictorium, fieri potuisse, ut iam ante quater mille annos Indorum philosophi de rebus divinis eadem sentirent et traderent, quae in sacerdotalibus libris nuper ex alia lingua in aliam translatis tradita videmus, et ut haec decreta longo circuitu ab Indis ad Aegyptios, hinc in Graeciam, ubi vix ullos esse Indos notum erat, transfusa statim inter septa mysteriorum velut in sacrario quodam reponerentur, usque ad illud tempus, dum maturitas quaedam existeret serendae in vulgus philosophiae?

Hoc genus argumentandi qui respuunt, eo redigun-tur, ut, qualemcunque demum doctrinam a mysteriarchis propositam putent, eius aliqua indicia in Graecorum scriptis quamtumvis obscure impressa ostendant. Antecedentium vestigia illo nos ducunt, unde prima mysteriorum indicia serpunt, ad sacra Cabiria. Quorum nulla est nec esse potest apud Homerum mentio. Sed qui primi aut secundum primos fabularum monimenta vicatim et oppidatim collegerunt, Hellanicus et Pherecydes, hi Cabiros Vulcani ex nympha Cabira filios tradiderunt (Sturz. p. 152.) non alio, ut videtur argumento, quam quod Cabirorum cultum insulis Thraciis, Lemno, Imbro, Samo, patrium et domesticum esse noverant, Lemnus autem, harum insularum maxima, Vulcani vetus erat diversorium fabricaque inclyta. Homerus autem, quum nullam earum silentio praetermittat, tum Lemnum, diutinam Graecorum stationem, saepissime commemorat, nulla tamen sacrorum mentione facta, quod satis indicii est, ea nondum sermonibus hominum celebrata fuisse. Idemque non solum mysteria nulla novit, sed ne principia quidem mysteriis praeludentia, orgia, piacula, sacerdotum collegia stata et hereditaria, Pallodiorum praesidia, tam inter Grajos quam barbaros. Sed ex eo, quod Pherecydes Atheniensis Proteum Cabirae patrem facit, Vossius ad Georg. IV. p. 864. coniecturam duxit, iam illis temporibus Cabirorum religiones mystico quodam fuco delibuta fuisse; quem facillime imbibunt ceremoniae turbulentiores et fanaticae, quales Asianas plerasque fuisse constat. Totus autem ille Thraciae angulus Deae magnae, eiusdemque frugiferae, infernae, sacris ex Asia transfusis oppletus erat, cuius ut nomina pro locis et temporibus diversa, ita etiam

satellites et assessores discreti, Cybelae Corybantes, Cereri Cabiri proprii fuere; quod utrumque genus naturali affinitate coniunctum et mox in unum confusum Pherecydes eodem loco commemorat; nulla ut dubitatio sit, quin is idem, quod ceteri inferiores, de Cabiris prodiderit, eos Cereris administros sacrorumque antistites fuisse. Ceterum Proteum istum a vicina Pallene huc repetitum arbitror, non alia ratione quam qua Vulcanum, Lemni habitatorem, Cabiris inscripsere patrem, et recentiores genealogi ex Myrina, eiusdem insulae urbe post Homerum condita, Myrinam Amazonem exsculpserunt, sacrorum Cabiriorum, ut nonnullis creditum, auctorem. Haec, quae clarissimis historiae et geographiae antiquae testimoniis repugnant, si quis propterea vera ducit, quod ab aliquibus ita prodita sunt, hoc quoque patietur probari sibi, Frisiorum genti Frisonem, virum sapientissimum, et leges et nomen dedisse [3]), Augustam Trevirorum a Trebeta s. Trevero Nini conditam esse [4]), a Norice Herculis Noricum [5]); a Prusia Bithyniae rege Prussiam nomen accepisse, Lithuaniam ab Italorum manu, duce Palaemone huc propter Neronis tyranniden transvecta [6]); quae illis non multo incredibiliora et ab iis scriptoribus prodita sunt, qui si cum antiquissimis inter Graecos logographis et genealogis comparentur, neque temporibus rerum a se traditarum inferiores reperiuntur (nam ab illiterata antiquitate omnes tantumdem absunt) neque ab arte critica minus perfecti, sed perinde ut illi chronologiae et geographiae ignari, rerum nominumque similitudine fortuita confusi, denique eadem cupiditate ducti vetera novis, peregrina domesticis miscendi [7]).

Proximus hinc ad Aeschylum est transgressus, quem Athenaeus prodidit X. 23, 68. in Cabiris Argonautas ebrios induxisse. Ex hac fabula plures nobis quam Stanlejus putavit loci supersunt; unus Plutarcho servatus Symp. II. Quaest. I. 7, 65. Hutt. *ποιεῖ δ' εὔχαρι σκῶμμα καὶ μέμψις ἐμφαίνουσα χάριν, ὡς Διογένης, περὶ Ἀντισθένους λέγων*

ὃς ἐμὲ ῥάκη τ' ἤμπισχε κἀξηνάγκασεν
πτωχὸν γενέσθαι καὶ δόμων ἀνάστατον·

---

3) Suffridi Petri Annal. Fris. et de Scriptor. Frisiae p. 40. 59.
4) v. Christ. Brower Antiqq. Trevir. c. IV. sq.
5) Wolfg. Lazii de Migrat. Gentt. p. 38.
6) Alex. Guagnini Sarmat. Europ. l. I.
7) Quae perdoctus Danus (Eggo, Untergang der Naturstaaten p. 99 sq.) de chronographis medii aevi dicit, eadem fere in illos Graecorum genealogos dici possunt, fabularum popularium corruptores. cf. Strabo XI. 774.

οὐ γὰρ ἂν ὁμοίως πιθανὸς ἦν λέγων, ὃς με σοφὸν καὶ αὐτάρκη, καὶ μακάριον ἐποίησε— Καὶ ὁ λέγων ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἐπιβεβουλευμένος ἀφῃρῆσθαι τὴν σχολὴν καὶ τὸν ὕπνον, πλούσιος γεγονὼς ἐκ πένητος. Καὶ εἴτις ἀνθοσμίαν δρέψας αἰτιῶτο τοὺς Καβείρους λέγων, Ὄξους σπανίζειν δῶμα ποιήσαντας (ποιῆσαι) ὥςπερ αὐτοὶ παίζοντες ἠπείλησαν. Si Reiskius Wyttenbachiusque argumentum fabulae cognitum habuissent, (quod minime contendo illis in hoc negotio expendendum fuisse,) neque ille hunc locum in suspicionem vocasset, neque hic lectionem quarundam Edd. εἴτις ἀναστρέψας αἰτιῶτο comprobasset, sensu carentem. Rem manifestiorem reddet Pollucis locus VI. 23. Καὶ Αἰσχύλος

> Μηδὲ κρωσσοὺς μήτ' οἰνηροὺς μήθ' ὑδατηρούς
> Λιπεῖν (λείπειν) ἀφνειοῖσι δόμοισιν.

quae ex Cabiris desumta esse indicium dat Grammaticus Bekkeri Anecd. T. I. p. 115. Ὑδρηροὺς πίθους καὶ οἰνηροὺς Αἰσχύλος Καείραις. Ut ea praetream, quae unicuique in oculos incurrunt, illud ne negligatur admonendum est, Cabiros hic induci tantam messis ubertatem promittentes ut cellarii, quemadmodum per iocum comminantur, ad summam se cadorum inopiam redactos videant, ac prae vini (ac Lemnii quidem) abundantia ne gutta quidem relinquatur aceti. Non dissimilem utrium et cadorum stragem in uberrimo lactis proventu commemorat lyricus poëta apud Plutarchum de Pyth. Orac. XXIX. p. 269. T. IX.

> προβάτων γὰρ ἐκ πάντων κελάρυξεν
> ὡς ἀπὸ κρηνάων φέρτατον ὕδωρ
> θήλεον γάλα. τοὶ δ' ἐπίμπλων ἐσσυμένοι πίθους.
> ἀσκὸς οὔτε τις ἀμφορεὺς
> ἐλίννυε δόμοις
> πέλλαι τε ξύλινοι (τε) πίθοι πλᾶσθεν ἅπαντες.

Aeschylus igitur divinum Cabirorum chorum induxit Curetibus, quibus Euripides usus est, similem, sed festiviorem, Lemni indigetem, frugum et fructuum largitorem, omnibus ut appareat, hunc quoque poëtam Cabiros deae frugiferae satellites et promoscondos credidisse. Quibuscum congruit, quod a Dionysio Antiqq. I. 23, 61. relatum est, Pelasgos annonae difficultate pressa Cabiris vota nuncupasse [8]), quodque in prooemio Argonauticorum

8) Μήδεια ἐν Κορίνθῳ κατῴκει καὶ ἔπαυσε Κορινθίους λιμῷ κατεχομένους, θύσασα Δήμητρι καὶ νύμφαις Λημνίαις Schol. ad Pind. Ol. XIII. 74. Non est, quod dubites Νύμφας Καβειρίδας significari, quas Strabo refert Lemni seorsum a Cabiris cultas esse.

Orphicorum v. 27. una cum Cerere *δῶρα Καβείρων* [9]) commemorantur, id est, fruges.

Usque adhuc nullum nobis mysticae doctrinae vestigium apparuit. Sed Herodotus II. 51. quum memorasset usum Hermarum mutuniatorum Athenienses a Pelasgis accepisse, *οἱ δὲ Πελασγοὶ*, inquit, *ἱρόν τινα λόγον περὶ αὐτοῦ (τοῦ Ἑρμοῦ) ἔλεξαν, τὰ ἐν τοῖσι ἐν Σαμοθρήκῃ μυστηρίοισι δεδήλωται*, quae paullo ante *Καβείρων ὄργια* nominantur. Hic igitur et expressum mysteriorum Cabiriorum videmus et non occultum sacrarum fabularum indicium. Num igitur *his* sacris, ut dicuntur, fabulis quamlibet unam sententiam subiicere licebit, sive quis emanationis doctrinam sub nomine illo latere putet, sive dualismi rationem, seu quodcunque demum vel vigilanti vel somnianti occurrerit? Non, puto; nisi a ratione desciscimus. Etenim nomen ipsum *τῶν ἱερῶν λόγων* tam late patet, ut perinde in omnia conveniat, quae de rebus sacris et divinis vel scripto vel sermone, vel privatim initiatis vel publice promiscuis traduntur. Ne quis igitur (ut vulgo fieri solet) illata *ἱεροῦ λόγου* mentione statim in mysterii suspicionem incidat, tum Aristidis *λόγοι ἱεροί*, nauseae medicamentariae plenissimi, arcanorum inanes, tum alii vetant loci v. c. Plutarchi de Is. et Os. III. 104. *οὗτοί εἰσιν οἱ τὸν ἱερὸν λόγον περὶ θεῶν πάσης καθαιρόντα δεισιδαιμονίας καὶ περιεργίας ἐν τῇ ψυχῇ φέροντες*, et Dionis Chrysostomi Or. I. p. 59. *εἰ δ' ἄρα μῦθόν τινα ἐθέλοις ἀκοῦσαι, μᾶλλον δὲ ὑμῖν καὶ ἱερὸν λόγον* etc. quibus omnibus nihil reconditi et arcani significatur. Sed magis proprie significanterque illi dicuntur *ἱεροὶ λόγοι*, quibus sacrorum rituum, nominum, monimentorum causae variae atque mutabiles explicantur, historicae, physiologicae, morales. Atque in nulla re magis luxuriata sunt veterum ingenia, quam in fictione rerum gestarum, nihil ut esset in sacrorum ceremoniis tam fortuitum aut tam obsoletae incognitaeque originis, cuius illi non ortum, auctorem et singula momenta ex tempore comminiscerentur, ad minima mobiles et ex qualibet materia fabulam serere promti. Equi simulacrum fonti adstabat? Pegasus erat. Oscilla movebantur? Virginem sic de arbore pependisse ferebant. Puella foenea in pompa vehebatur? Iovem narrabant pompae nuptialis

9) Illa dona (*παρακαταθήκη*) Cabirorum Guberlethus c. XIV. aliorsum interpretatur; partes genitales esse vult, Dionysi a fratribus occisi reliquias, idque, quia portenti simile est, multorum suffragia tulit. Virum accurate eruditum, longeque seiunctum ab opinandi levitate, Otfriedum Muellerum miror in hac causa nimis suspicacem fuisse v. *Orchomenus und die Minyer* p. 457.

imagine simulata Iunonem asperam et ringentem exhilarasse. Atqui communia sunt haec popularis laetitiae oblectamenta, neque Graecis magis quam Germanis placita, apud quos nulla olim paganalia celebrabantur, quin rustica iuventus et per funes se iactaret, et effigies foeneas laneasque in pompa duceret et larvata circum compita grassaretur. His vero vernilium comessationum ludicris qui arcana naturae symbolice adumbrata fuisse doceret, adhuc inventus est nemo; sed Graecis scilicet non concessum fuit vel digitum movere, quin mysterium aliquod e longinquo ostenderent.

Verum fabularum illarum, quibus rerum sacrarum rationes reddebantur, duplex genus fuit; unum in propatulo positum, alterum reconditius. Lucian. de Dea Syr. c. XI. 93. T. IX. *ἱστορέοντι δέ μοι ἐτέων πέρι καὶ τὴν θεὸν αὐτὴν ἥντινα δοκέουσι, πολλοὶ λόγοι ἐλέγοντο, τῶν οἱ μὲν ἱροὶ, οἱ δὲ ἐμφανέες, οἱ δὲ κάρτα μυθώδεες.* Item Plutarchus, cur sacerdotes Aegyptiorum piscibus abstineant, duplicem ab iis logon afferri dicit, *τὸν μὲν ἱερὸν καὶ περιττὸν, συνάδοντα τοῖς περὶ Ὄσιρίδος καὶ Τυφῶνος ὁσίοις καὶ φιλοσοφουμένοις, τὸν δὲ ἐμφανῆ καὶ πρόχειρον, οὐκ ἀναγκαῖον οὐδ' ἀπερίεργον ὄψον ἀποφαίνοντα τὸν ἰχθύν·* de Is. et Os. VII. 109. T. VIII. Verum de hoc in aliud tempus differam.

Plures perhiberi a veteribus rerum sacrarum enarrationes, quasdam in publico medioque positas, alias reconditas, in superiore huius commentationis parte demonstratum est. Iam invenio qui dicant, hoc alterum genus mysteriorum antistites sibi reservasse atque in initiatorum coetu de divina mente, de natura animi humani deque rerum coelestium et terrestrium conspiratione ea disseruisse, quae in medium proferre sine magna imperitorum offensione religionumque omnium perturbatione nequaquam possent. Magnifica sine dubio res et Graecorum sapientia dignissima, si modo vera esset. At enim vero, qui sic existimant, nullum aliud opinionis suae firmamentum habent, quam quod veteres auctores sacrorum quorundam causas in mysteriis sibi explicatas esse narrant; easque auditiones *λόγους ἱεροὺς* appellant. Quod isti sic interpretantur, inter ipsa altaria hierophantas quasi de sacro bemate concionatos esse, eaque oratione et falsas opiniones sustulisse et veras induxisse. Verum quod *in mysteriis* acceptum dicitur, non necesse est ita arcte circumscribere, neque praepositio illa tam definitos terminos habet, ut non etiam de tempore proxime antegresso et subsequuto accipi possit. Possum centena similia af-

ferre, sed contentus ero uno Strabonis exemplo. Is L. XI. 592. T. IV. *τὴν ἐσθῆτα*, inquit, *τὴν Ἀρμενιακὴν, Θετταλικήν φασιν, οἷον τοὺς βαθεῖς χιτῶνας, οὓς καλοῦσιν Αἰτωλικοὺς ἐν ταῖς τραγῳδίαις, καὶ ζωννύουσι περὶ τὰ στήθη, καὶ ἐφαπτίδας, ὡς καὶ τῶν τραγῳδῶν μιμησαμένων τοὺς Θετταλούς· ἔδει γὰρ αὐτοῖς ἐπιθέτου κόσμου τοιούτου τινός.* In tragoediis, hoc est, non in ipsa fabularum actione, sed in instructu apparatuque supellectilis histrionalis. Cur ergo non credere malumus id, quod probari potest, veteres auctores, qui illud nobis tradidere, causas et rationes solemnium, quibus forte interfuissent, privatim a sacerdotibus sciscitatos esse? Pausanias I. 22. p. 17. *ἔστι δὲ Γῆς κουροτρόφου ἱερὸν καὶ Δήμητρος Χλόης· τὰ δὲ ἐς τὰς ἐπωνυμίας ἔστιν αὐτῷ διδαχθῆναι τοῖς ἱερεῦσιν ἐλθόντα ἐς λόγους.* Idem alio loco IX. 27, 82. quum Pamphi et Orphei hymnos a Lycomedis ad sacra cantari dixisset, *ἐγὼ δέ*, ait, *ἐπείξαμην ἀνδρὶ ἐς λόγους ἐλθὼν δαδουχοῦντι· καὶ τῶν μὲν οὐ πρόσω μεμνήσομαι·* quo clare significatur, haec carmina inter *ἀπόθετα* fuisse numerata. Sed ne illud quidem iudicandum est, sacrorum mysticorum curatores aut solos aut ante ceteros hierologiarum commentis usos fuisse. Quin manifestum est, omnes, qui occulte et qui palam populo ritibus quibusdam insolentioribus deorum numen placarent, tum periegetas, interpretes, aedituos, semper parata provisaque habuisse, quae advenis, rerum actarum causas exquirentibus, responderent; eorumque interpretationes pro locis et temporibus et pro ipsorum hominum ingeniis, varie subornatas fuisse. Sed sanequam veri simile videtur, sacrorum opertorum ritus, quo occultiores obsoletioresque essent, eo magis tum spectatores ad causas indagandas excitasse, tum illos, quorum intererat, nequid earum rerum nescire viderentur, ad mentiendum fecisse promtiores. Id quod omnibus liberrimum fuisse reperimus. Nam neque inter diversarum urbium sacerdotia ullum erat vinculum doctrinaeve commercium, neque fuisse quandam inter eiusdem oppidi familias sacerdotales earum rerum disciplinam, continuis successionibus custoditam, ullo argumento affirmari licet.

Ac si vel hoc demonstrari posset, inter medios rerum actus hierophantam ad enarrandos illos *λόγους ἱερούς* surrexisse, tamen nullus foret huius argumenti usus. Etenim tantum abest ut hinc salubris cuiusdam rei scientia emanaverit, nulla ut fuerit foecundior errorum anilium officina. Omittam illa Lernaea initia, quorum summa turpitudo, sed recens institutio est; quanquam non videtur dubitari posse, quin foedum illud Liberi Patris mi-

nisterium Prosymno praestitum in sacris Prosymnaeorum fabulis antiquitus fuerit celebratum. Alia mihi in promtu sunt argumenta, quibus clarum faciam, hierologias istas a philosophia alienissimas, ac fere totas ex fabulari historia repetitas esse. Fundamenti loco haec ponantur docti Grammatici verba in Schol. ad Pind. Isthm. VII. 3. *πάρεδρον Δήμητρος εἶπε τὸν Διόνυσον κατὰ μὲν τὸν μυστικὸν λόγον, ὅτι παρεδρεύει αὐτῇ ὁ ἐκ Περσεφόνης γεγονὼς Ζαγρεὺς Διόνυσος, ὁ κατά τινας Ἴακχος· κατὰ δὲ τὸν φυσικὸν, ἐπειδὴ τῇ ξηρᾷ τροφῇ, ἣ ἀνάκειται τῇ Δήμητρι, παρέπεται ἡ τοῦ οἴνου χρῆσις.* Perspicue hic physica interpretatio fabulose traditae opponitur. Et ad hanc regulam alia licet examinare plurima. Pausanias II. 4, 188. quum Mercurio arietem adiungi docuisset propterea quod is deus pecudum haberetur custos et altor, aliam reconditiorem rationem in sacris afferri dicit, quam idcirco occultam secretamque tenet: *τὸν δὲ ἐν τελετῇ Μητρὸς ἐπὶ Ἑρμῇ λεγόμενον καὶ τῷ κριῷ λόγον ἐπιστάμενος οὐ λέγω·* qui est ille haud sane verecundus de testiculis arietis a Mercurio ad placandam Cereris iram proiectis, quo illa induceretur ad credendum, stupratorem suum, Iovem, hanc sibi ipsum admissi flagitii irrogasse poenam. Clemens Al. Admon. p. 11. A. *τεθρυλλήκασι δὲ, ὡς ἄρα ἀποσπάσας ὁ Ζεὺς τοῦ κριοῦ τοὺς διδύμους φέρων ἐν μέσοις ἔρριψε τοῖς κόλποις κῆς Δηοῦς, τιμωρίαν τῆς βιαίας συμπλοκῆς ἐκτινύων, ὡς ἑαυτὸν διῆθεν ἐκτεμών.* Huic addam aliud simile. Harpocratio p. 54. *ὁ Ἄττις παρὰ Φρυξὶ μάλιστα τιμᾶται, ὡς πρόπολος τῆς μητρὸς τῶν θεῶν, τὰ δὲ περὶ αὐτοῦ διεθήλωκε Νεάνθης· μυστικὸς δὲ ὁ λόγος.* Etiam de hoc Attine duplex ferebatur sermo, unus ad interpretationem naturae spectans, quem tum alii tum Sallustius refert de N. D. IV. 29. *ἡ μὲν μήτηρ τῶν θεῶν ζωογόνος ἐστὶ θεὰ καὶ διὰ τοῦτο Μήτηρ καλεῖται· ὁ δὲ Ἄττις τῶν γιγνομένων δημιουργός.* Alter fabularis, quo traditum est, Attinem cum Cybele familiariter consuesse, eoque iratum Iovem suem immisisse, quae infelicem amasiunculum perderet. Et hunc fuisse *μυστικὸν* sive *ἱερὸν λόγον* ex eo concludi licet, quod Pausanias tradit VII. 17. 299. Attinem cum Cybele a Dymaeis consecratum esse, argumentum autem sacrorum tanquam *ἀπόῤῥητον* tacite haberi, sed luctuosum pueri casum in sacris Galatarum Pessinuntiis adumbrari; quodque Neanthes in libro de Teletis, unde ista excerpsit Harpocratio, res a suibus mirabiliter gestas persecutus est Athen. IX. 376. A. quod pluribus confirmabimus, ubi ad *θύσθλα* bacchica perventum erit. Sed illa sublimiora de circulo lacteo et animorum humanorum per eum transgressu, quae Sallustii

isti in hac de Attine fabula incluserunt, Dymaeis municipibus in sacra concione proposita fuisse, non magis credibile est, quam quod Hieronymo Aleandro in mentem venit suspicari, „Pausaniam, quum diceret quaedam sibi cognita in Magnae Matris initiis de Mercurio et ariete, quae proferre non audeat, suspicionem iniicere, naturalem subesse rationem; occulta enim mysteria in illis Isiacisque sacris rerum ut plurimum naturalium interpretationem sumsisse; ex eoque vernum tempus denotatum existimari posse; arietem enim, coeleste signum, ver figurare, ac quia verno tempore oves tondeantur, Mercurium eius rei simulque lanificii auctorem creditum“ Tabul. Hel. p. 744. T. V. Graev. quibus multa similia a nostris hominibus et dicuntur et creduntur, optata magis quam inventa. Hoc si sensisset Pausanias, quomodo tandem illa scribere potuisset VIII. p. 369. *τούτοις Ἑλλήνων ἐγὼ τοῖς λόγοις* (de Saturno equinum pullum pro Iove puero devorante) *ἀρχόμενος μὲν τῆς συγγραφῆς ἐνηθείας ἔνεμον πλέον, ἐς δὲ τὰ Ἀρκάδων προσελήλυθώς* (leg. *προσελ.*) *πρόνοιαν περὶ αὐτῶν τοιάνδε ἐλάμβανον· Ἑλλήνων τοὺς νομιζομένους σοφοὺς δι' αἰνιγμάτων πάλαι καὶ οὐκέτ' ἐκ τοῦ εὐθέος λέγειν τοὺς λόγους, καὶ τὰ εἰρημένα οὖν ἐς τὸν Κρόνον σοφίαν εἶναί τινα ἐκαζον Ἑλλήνων.* Ergo manifestum est, physiologicas sacrarum fabularum interpretationes a nullo mysteriarcharum Pausaniae antehac propositas fuisse. Similiterque *λόγοι* illi Aegyptiorum *ἱεροί*, quos Herodotus commemorat, maximam partem ita comparati sunt, ut non alte ex philosophia repetiti, sed ex ipsa fabularis historiae sentina hausti videantur; *Διότι δὲ μέζον τε ἔχει τὸ αἰδοῖον ὁ Διόνυσος καὶ κινέει μοῦνον τοῦ σώματος, ἔστι λόγος περὶ αὐτοῦ ἱρὸς λεγόμενος* II. 48. quem ad Osiridis laniatum spectasse aliorum testimoniis constat. Neque minus ille, qui est de festis ignibus: *ὅτου δὲ ἕνεκα φῶς ἕλαχε καὶ τιμὴν ἡ νὺξ αὕτη, ἔστι ἱρὸς περὶ αὐτοῦ λόγος λεγόμενος*, quo Isidis errores declaratos fuisse apparet, mariti corpus cum lucernis quaerentis II. 62. Lucian. Dea Syr. IV. 88. *ταύτην* (Europam) *Φοίνικες τῷ νηῷ ἐτιμήσαντο καὶ λόγον ἱρὸν ἐπ' αὐτῇ ἔλεξαν, ὅτι ἔουσαν καλὴν Ζεὺς ἐπόθεε καὶ τὸ εἶδος ἐς ταῦρον ἀμειψάμενος ἥρπασε.* Id. XV. 97. *ἔστι δὲ καὶ ἄλλος λόγος ἱρὸς — — ὅτι Ἄττις γένος Λυδὸς μὲν ἦν, πρῶτος δὲ τὰ ὄργια τὰ ἐς Ῥέην ἐδιδάξατο — καί μιν ἡ Ῥέη ἔτεμε*, et cetera non ita multum diversa ab iis, quae Pausanias in Gallograecorum sacris repraesentari scribit, fabulae non admodum antiquae imitamenta. Inde est, quod Herodotus, quae de ceremoniarum argumentis accepit, *ἀπηγήματα* appellat, tanquam in expositione rerum gesta-

rum aut pro gestis habitarum posita, loco palmari II. 3. *τὰ μὲν νῦν θεῖα τῶν ἀπηγημάτων οἷα ἤκουον, οὔκ εἰμι πρόθυμος ἐξηγέεσθαι, ἔξω ἢ τὰ οὐνόματα αὐτέων μοῦνον, νομίζων πάντας ἀνθρώπους ἴσον περὶ αὐτέων ἐπίστασθαι,* quem locum perverse interpretatur Schweighaeuserus, ad hunc modum: „*Quae igitur audivi ad res divinas spectantia, ea non est mihi animus in publicum edere, exceptis deorum nominibus, existimans omnes (in Aegypto homines) idem de his nosse.*“ Primum *τὰ οὐνόματα αὐτέων* non potest significare deorum nomina, sed *τὰ τῶν ἀπηγημάτων*, quae Herodotus tantummodo nomine se indicaturum profitetur, sic ut causas sacrorum afferri a sacerdotibus significet, argumentum autem inenarratum relinquat. Deorum enim nomina in sacris tradita tantum abfuit ut in publicum ederet, ut nihil magis tectum reconditumque habuerit. Sic II. 61. *τύπτονται μὲν γὰρ δὴ*, inquit, *μετὰ τὴν θυσίην πάντες καὶ πᾶσαι· τὸν δὲ τύπτονται, οὔ μοι ὅσιόν ἐστι λέγειν.* Neque id semel dicit, sed saepius. L. II. 170. *εἰσὶ δὲ καὶ αἱ ταφαὶ, τοῦ οὐκ ὅσιον ποιεῦμαι ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι ἐξαγορεύειν τοὔνομα ἐν Σαΐ.* L. II. 132. *ἐπεὰν τύπτωνται τὸν οὐκ ὀνομαζόμενον θεὸν ὑπ' ἐμεῦ ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι.* cf. II. 86. 186. Diod. III. 54. *τοὺς ὀνομαζομένους Κορύβαντας — ἐξ οὗ δ' εἰσὶ πατρὸς, ἐν ἀπορρήτῳ κατὰ τὴν τελετὴν παραδιδομένῳ.* Strabo X. 210. T. IV. *μάλιστα μὲν οὖν ἐν Λήμνῳ καὶ Ἴμβρῳ τοὺς Καβείρους τιμᾶσθαι συμβέβηκε· τὰ δ' ὀνόματα αὐτῶν ἐστὶ μυστικά.* Quibus accedat Pausanias VIII. 37. 468. *τῆς Δεσποίνης τὸ ὄνομα ἔδεισα ἐς τοὺς ἀτελέστους γράφειν.* Idem VIII. 25. 426. *τὴν Δήμητρα τεκεῖν φασιν ἐκ τοῦ Ποσειδῶνος θυγατέρα, ἧς τὸ ὄνομα ἐς ἀτελέστους λέγειν οὐ νομίζουσι,* quae ob eam causam modo *Ἀγνὴ Κόρη*, modo *Ἄῤῥητος* et *Ἄφραστος* cognominata est. Quare autem tam singuli quam universi nomina eorum deorum, quorum in tutela se suasque urbes esse rebantur, occulta habuerint, nec requiret quisquam, qui de evocatione sacrorum aliquid inaudiverit, et accuratius a nobis tractabitur eo loco, quo reiectis aliorum sententiis veras mysteriorum causas aperire conabor.

Verum, quae reliqua sunt Herodoti verba: *νομίζων πάντας ἀνθρώπους ἴσον περὶ αὐτέων ἐπίστασθαι,* non possunt hoc significare, quod latinis verbis expressum est, sed hanc sententiam habent: *Non puto quemquam silentium meum reprehensurum esse, si quidem omnes consentiunt* (*ἐπίστανται* i. e. *νομίζουσι*) *rebus divinis eam deberi reverentiam, ut, quae ab ipsis auctoribus involuta sunt, aut non scrutemur omnino, aut concredita non temere vulgemus,* quod idem pluribus verbis significat II. 65. *τὰ*

δὲ ἐόντα σφι (θηρία) ἅπαντα ἱρὰ νενόμιστται· τῶν δὲ εἵνεκα ἀνεῖται τὰ ἱρὰ εἰ λέγοιμι, καταβαίην ἂν τῷ λόγῳ ἐς τὰ θεῖα πρήγματα, τὰ ἐγὼ φεύγω μάλιστα ἀπηγέεσθαι· τὰ δὲ καὶ εἴρηκα αὐτῶν, ἐπιψαύσας ἀναγκαίη καταλαμβανόμενος εἶπον· ut supra dixerat c. III. τὰ δ' ἂν ἐπιμνησθῶ αὐτέων, ὑπὸ τοῦ λόγου ἐξαναγκαζόμενος ἐπιμνησθήσομαι· quo significat, se neque nihil de his rebus dicturum esse, neque plus, quam usus ferret. Quod ut faceret, naturali quadam reverentia adactus est, quam nos omnes consecratis antiquitate opinionibus praestamus et maxime ea, quae apud alios sancta et religiosa habentur, non tam nostro iudicio quam ex eorum sensu, qui his pro divinitus traditis utuntur, aestimanda ducimus. Sed qui hunc et ceteros scriptores iurisiurandi religione a proditione arcanorum prohibitos fuisse existimant, perverse errant, neque vident, Maternum Firmicum, cuius auctoritatem praescribunt, de Orphicis sacris loqui, quae a mysteriis Eleusiniis et Samothraciis longissime seiuncta, neque diu ante Herodoti aetatem privatim suscepta sunt, auctoribus potissimum Pythagoreis fugitivis et Pythagoricis circulatoribus, qui, lustrandi et piandi munus et reconditam rerum divinarum scientiam professi, ingentem copiam librorum, quibus sacrificalis et theologica doctrina contineretur, in orgeones sparserunt, exemplum ab Aegyptiis, nomen et auctoritatem ab Orpheo Musaeoque, ornamenta a domesticis literis et disciplinis sumentes.

XII.

De Accentus Lege, quam Graeci in pronunciandis nominativis vocum monosyllabarum tertiae declinationis secuti sunt, scripsit *Car. Guil. Goettling.*

(Bonnae, 1821. pp. 8. 4to.)

Quum ante hos sex menses de pronunciatione genitivi pluralis monosyllaborum exponebamus, satius visum est, quod nobis de accentu nominativi singularis monendum esset, in aliud tempus differre, ne res inter se diversas confundere videremur. Tamen non indignum iudicavimus hunc locum, qui seorsum diligentius consideraretur, partim quod in tanta scholasticorum librorum copia ne unus quidem reperitur, in quo vel periculum certam in hac re legem constituendi factum sit, partim quod et ipsius rei praecipiendae est aliqua difficultas et praeceptae utilitas. Itaque usi summus iterum nobis scribendi opportunitate oblata in hunc finem ut, quum de gravioribus argumentis sermocinandi nec otium nec animus nobis esset, quae de nominativo adhuc scribenda essent, adderemus. Rem instituemus sic, ut, propositis primum, quas indagare licuit, legibus, argumenta deinde

addamus et rationes, cur ita, non aliter, pronunciandum esse credamus. Sic enim etiamnunc sentimus, non debere rationem ad pronunciationem, sed pronunciationem ad rationem accommodari. Idcirco addemus etiam, quum res dabit, Grammaticorum praescripta, sed duntaxat ea, quae rationi nobis videbantur accommodata esse; nam in concinnandis vel iis praeceptis, quae contra naturam et linguae et rationis proposita sunt, artes nostrae conticescunt.

I. Vox quaeque monosyllaba tertiae declinationis, quae neutrius est generis, in casu recto notator apice, seu circumflectitor. Hanc legem et ipsa res flagitat et praeceptum Grammaticorum. Nulla enim vox est neutrius generis in tertia declinatione, quae in ultima accentu notetur, neque potest esse propterea, quod neutra, ut antiquissima sunt linguae vocabula, ita et antiquissimam, aeolicam dico, accentus pronunciationem sibi servarunt. Nemo facile *τὸ χρεών* proponet tanquam huic regulae contrarium, quod partim, ut *ἄκλιτον*, cuius sit declinationis, nescimus, partim proxime ad participii formam accedere videtur. v. *Wolf.* Anal. litt. II. p. 471. *Buttm.* ausf. gr. Gr. p. 226. Suidas praeterea: *χρέων κατὰ ἀττικὴν ἔκτασιν τοῦ ο εἰς ω.* Eiusdem fere generis est quod *Eustath.* p. 1257 monet: *Ἡρόδωρος καὶ Ἀπίων ἐν τοῖς εἰς πῖ σχολίοις λέγουσι, καὶ ὀξυτόνως εὑρίσκεσθαι καρή*; addit enim: *καὶ θηλυκῶς*, femininum ergo, nec tertiae, sed primae declinationis. Corrigendi itaque *Thom. Mag.* v. *κεφαλή* et Etym. M. v. *Θηλαμών. Κάρη* (l. *καρή*) *θηλυκῶς, ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ Ἥν τε κάρην* (l. *καρήν*) *ὤμοσα σόν τε βίον*, ubi non opus est, ut cum *Sylb. Bentl.* (Fragm. Callim. ap. Ern. p. 582.) et *Valck.* fragm. Callim. eleg. p. 130 corrigamus *σήν τε.* Id si rite stabilitum est in polysyllabis, patieturne res fieri aliter in monosyllabis? Consequitur itaque, debere, ut ubique sibi constent Graeci, neutra monosyllaba gravi accentu notari. Quod fieri non potest, nisi adiecto apice, quoniam is sub eandem cadit rationem. Tulit enim, quae res est satis iam superque exposita et nunc in vulgus nota, originem suam ex contractione binarum syllabarum, quarum prior acuto notabatur. Nec dissentiunt veteres. Grammaticus apud *Herm.* de em. rat. gr. Gr. p. 449. *Πᾶν μονοσύλλαβον ὄνομα οὐδέτερον περισπᾶται, οἷον πᾶν, πῦρ, κῆρ, ἦρ, κρῖ, σκῶρ, οὖς, φῶς, σταῖς* etc. *Arcadius* p. 124: *πᾶν μονοσύλλαβον οὐδέτερον ἔχον φύσει μακρὰν, εἴτε ἀπαθὲς εἴη, εἴτε πεπονθός, περισπᾶται.* Adde Schol. Ven. ad Il. XII. 66. Notavimus propterea, quod *σταῖς* et *σκῶρ* vel apud *Buttm.* ausf. gr. Gr. p. 160 et p. 239 *σταῖς* et *σκώρ* proferuntur, quum illud in omnibus edd. *Herodoti* II. 36: *φυρῶσι τὸ μὲν σταῖς ταῖσι ποσί*, hoc v. c. apud

Athen. VII. p. 319 F. *τῶν οὐδὲ τὸ σκῶρ θεμιτὸν ἐκβαλεῖν θεοῖς* circumferatur. Si quis tanquam analogiam *ἡ δαὶς* et *ὁ φώρ* nobis proferat, ab eo magnopere dissentimus. Nam si horum vocabulorum volumus considerare principium, reperiemus id ex longe aliis causis natum et profectum, quod diligentius deinde aperiemus, quum separatim de masculinis et femininis dicemus. Eiusdem generis sunt etiam indeclinabilia ut *γρῦ* et litterarum nomina *μῦ, νῦ, ξῦ, οὖ, πῖ, ῥῶ, σᾶν, ταῦ, ὖ, φῖ, χῖ, ψῖ, ὦ.* Ne alicui sint fraudi versus noti in Anth. *Brunck.* III. adesp. 537. p. 264. *Τὐννομα Θῆτα, ῥῶ, ἄλφα, σάν, ὖ, μῦ, ἄλφα, χῖ, οὖ, σᾶν,* quod ibi *σάν* acuto, non apice notatur; ibi enim, nisi scribendum *ῥῶ, ἄ, σᾶν, ὖ* etc. *σάν* tanquam licentia, ab ipso versu et loco flagitata, ferri poterit; alias ubique *σᾶν* non *σάν* scribendum erit et pronunciandum, v. c. apud *Herodot.* I, 139 *τελευτῶσι πάντα ἐς τοὐνὸν γράμμα, τὸ Δωριεῖς μὲν Σᾶν καλέουσι, Ἴωνες δὲ σίγμα* (melius *σῖγμα* quum *σιγή, σιγάω* etc. primam ubique producant. Descendere autem videtur ab *σιγάω*, quasi ea littera, qua audita homines solent silere; non enim magistrorum umbraticorum hoc esse inventum, ut pueris frementibus silentium imponerent, putandum est. Cf. tamen *Wolf* litt. Anal. II. p. 464). Eodem modo sunt ea corrigenda, quae apud Etym. M. v. *βλήρ* leguntur. *βλῆρ. Αἰολικῶς τὸ δέλεαρ — κατὰ συγκοπὴν καὶ συναλοιφὴν βλῆρ πεποίηται,* non *βλήρ.* Et *κᾶρ* neutrum, sicubi vere casus rectus huius substantivi reperitur, circumflexo notandum erit. Quod in *Homero* Il. XVI, 392 *ἐξ ὀρέων ἐπὶ κάρ* (potius *ἐπικάρ* tanquam adverbium) pronunciant, eandem fere excusationem habet, quam adverbiorum *ἐκποδών* (*ἐκ ποδῶν*) et *ἐπισχερώ* accentus. Quod reliquum est, haec lex antiquissima causa videtur esse, cur *Atticorum* dramatici poëtae hiatum in formulis *τί οὖν, τί εἶπας, τί ἔστι* admittere solebant, de qua re praeter alios videndi sunt *Brunck.* ad *Soph. Philoct.* 723. 904. et *Schaef.* ad v. 100. Nam quae Porsonus *Eurip. Phoen.* v. 892 contra monuit, non habent quo se tueantur. Itaque ab initio pronunciatum esse *τῖ*, non *τί*, vereque longam fuisse syllabam ex eo canone, quem supra proposuimus, elucere videtur, licet hoc ipsum pro certo non venditemus. Post vero, quum corriperetur syllaba, usus remansit. Ipse etiam accentus acutus (*τί*) Porsonum docere poterat, hanc vocem cum insequenti tam arcte debere coniungi pronunciando, ut hiatus, quem in vocibus gravi accentu notatis illico animadvertas, omnino non audiatur.

II. Ex masculinis et femininis tantum eae voces circumflectuntor, quae accusativum per *ν*, non per *α*, termi-

nant. Non multum dissidet hic locus ab eo, quem paullo antea tractavimus. Quodsi enim voces polysyllabas in ις exeuntes contemplemur, statim eas tantum accusandi casum per ν terminare apparebit, quarum ultima syllaba gravi accentu notatur. Sic Ἔρις, Ἔριν, Ἄρτεμις, Ἄρτεμιν; contra vero, quarum ultima acuto notabatur, eae in accusativo non ν sed α solent assumere: v. c. ἐλπίς, ἐλπίδα, sed εὔελπις, εὔελπιν. Verum haec vel pueris nota sunt. Sed probabiliter inde rationem elicias, cur etiam ex monosyllabis nonnisi eas voces apice in nominativo notari voluerint Graeci, quarum accusativus in ν exire solet. Huius generis sunt κῖς, λῖς, μῦς, σῦς, βοῦς, ναῦς etc. Nec refragantur veteres Grammatici. Schol. Ven. ad Il. XI, 486. λῖν περισπαστέον κατὰ νόμον τῶν μονοσυλλάβων αἰτιατικῶν· πᾶσα γὰρ αἰτιατικὴ μονοσύλλαβος εἰς ν λήγουσα περισπᾶται, ἀπέστραπται δὲ τὸν ὀξὺν τόνον· μῦν (?), μνᾶν, σῦν, μῦν· ταύτη καὶ ἡ κλεῖδα αἰτιατικὴ γενομένη κλεῖν περισπᾶται, τῆς εὐθείας ὀξυνομένης. Ταῦτα Ἡρωδιανὸς ἐν τῷ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς καθόλου. Ἄλλως. ἔδει μὲν περισπωμένως (λῖν), ὡς μῦς, μῦν. τὸ γὰρ πληθυντικὸν παρὰ Καλλιμάχῳ· αἱ μέν ῥα λίεσσιν (unde augeatur fragm. Bentl. 329.), ὡς μύεσσιν. Ἀριστάρχῳ δὲ ἐπείσθη ἡ παράδοσις ὀξύνοντι. Mirum quod in hanc rem ab Etym. M. monetur p. 567. λὶς — οὗ ἡ αἰτιατικὴ, — ἐπεὶ δὲ λὶν᾽ ἤγαγε δαίμων Σίντιν (Il. XI, 480.) — τὸ πλῆρες λίνα, ὅ ἐστι λέοντα Δωρικῶς. ἔδει μέντοι περισπᾶσθαι, ὡς μῦς, μῦν. Ἀριστάρχῳ δὲ ἐπείσθη ἡ παράδοσις ὀξύνοντι. Sequitur inde, *Aristarchum* legisse λίν᾽, non λίν. Male itaque fecit *Brunck.* in Eur. Bacch. 1173, quod in textum recepit νέον λίν, ὡς ὁρᾷν πάρα, unde ne metrum quidem sanatur; non enim corripitur syllaba ideo, quod acuti signum apposueris; nam πᾶν ὄνομα μονοσύλλαβον μακρονατάληκτόν ἐστι φύσει ἢ θέσει. Arcad. p. 193. Recte itaque a *Barn.* in textu positum νέον λῖν. Eodem fere modo κῖς apud *Anon.* ab *Herm.* (de em. rat. gr. Gr. p. 433) editum. Quae contra hanc regulam monet *Arcad.* p. 125: τὰ εἰς ις μονοσύλλαβα ὀξύνεται, ἴν, ἴς, ῥίς, ῥίν, λὶς ὁ λέων ipsius videntur esse, non *Herodiani*, siquidem fidem habemus scholio Ven., quod supra allegavimus. De accusativo κλεῖν iam prius e schol. Ven. monuimus; sed quum is ad metaplasmorum genus pertineat, non est quod κλεὶς apice notemus κλεῖς. Simile quidem exemplum est nominativi δαῖς, quem apud Etym. M. reperias p. 244. Sic enim mihi persuadeo, fuisse primum duos nominativos δάϊς et δαΐς, alterum, cuius etymon in vocalem (gen. δάϊος), alterum, cuius radix in consonam exiisset (δαΐδος, δαΐδι). Hoc docere mihi visa sunt schol. *Ven.* ad Il. XIV, 387.

ὅτι βαρύνεται ἡ εὐθεῖα δαΐς, διδασκόμεθα ἐκ της παρὰ Καλλιμάχῳ αἰτιατικῆς· ἐς δάϊν ὁπλισμὸν ἵππειον· ἡ γὰρ τοιαύτη αἰτιατικὴ βαρυνομένην αἰτεῖ εὐθεῖαν καὶ τὸ δάϊς ὁμολογεῖ τῷ τόνῳ. Videtur itaque apud *Hom.* Il. XIII, 286. XIV, 487. ἐν δάϊ pronunciandum esse; sed dubitanter id proponimus. Quae *Buttm.* (ausf. gr. Gr. p. 241) monuit, satis demonstrant, χοῦς vocabulum non infringere regulam nostram, quum accusativus χόα graece, saltem attice, minus recte audiat.

III. Sequitur ut, quae vocabula in casu recto acuto notari debeant, explicetur. Neque hoc multum habere controversiae ex iis patet, quae iam a nobis sunt praemissa; partim enim huius rei praecepta et data sunt, partim quid res cum re differat singillatim demonstrabitur ita, ut, si qua sint exempla, quae regulam nostram convellere videantur, ab his potius stabiliri eam et confirmari appareat.

Omnia vocabula, quae accusativum suum in α terminant, acuto notantor in casu recto. Huius generis sunt Κάρ, φρήν, σής, θώς, Τρώς, Ζεύς etc. Paucorum in hoc genere exceptorum duplex est ratio, una, quorum accusativus aliquando, licet rarissime, in ν exiit, altera, quorum nominativus passus est contractionem ita, ut magis bisyllaborum quam monosyllaborum videatur esse. Ac primum quidem in illis locum tenet παῖς (παῖδα) acuto, non apice notandum ex regula nostra; sed accusativus non solum in α sed etiam in ν litteram terminari poterat πάϊν, cuius rei non est quod multa exempla quaeramus. Πούς, licet in compositis δίπουν, Οἰδίπουν haud raro reperiantur, melius πούς pronunciabitur, propterea quod simplicis substantivi accusativus ποῦν nondum erui potuit. Bene itaque *Seidl.* in *Eur.* Elect. v. 531 recepit πούς pro vulgato ποῦς. εἷς et πᾶς, quum non sint substantiva, excusationem habent; sed illud eo magis regulam confirmare videtur, quod in compositis μηδείς et οὐδείς pristinam suam pronunciationem recipere solet. Πᾶς vero (in compositione σύμπαν), si recte auguramur, crassiori cuidam pronunciandi modo apicem suum debet, non magis urgendum quam vocabulorum in ᾶς exeuntium, de quibus *Lobeck.* in Anal. litt. IV. p. 60 diligenter exposuit v. c. ἀτταγᾶς, ἀλλᾶς, πελεκᾶς. Nimirum magis rustica haec videntur esse, quam ἀνδριάς et ἰμάς, quae recte notantur acuti signo.

Alterum genus, quod supra memoravimus, non habet invidiam propter contractionem. Gramm. ap. *Herm.* de em. rat. gr. Gr. p. 449. ἐν τοῖς ἀρσενικοῖς περισπᾶται τὸ χᾶς

(παῖς?), *Θρᾷξ καὶ καὶ τὸ βῶξ ἐκ τοῦ Θρᾴξ γὰρ Θρᾷξ ἐκ τοῦ βόαξ βῶξ.* Cf. Etym. M. v. *Βῶξ.* Recte quidem *Θρᾷξ* cum iota subscripto, circumflectitur; contra notandum est acuto secundum regulam, quum sine iota scribitur *Θράξ, Θρακός* etc. *Arcadius* p. 125. *τὰ εἰς ξ μονοσύλλαβα ὀξύνεται* (propterea quod exit in consonam radix) *πλάξ, δράξ, γλάξ βοτάνη γαλακτοποιός, σάρξ — αἴξ καὶ ταῦτο οἱ Ἀττικοὶ προπερισπῶσι καὶ τὸ Θρᾷξ καὶ βῶξ.* Cf. Greg. Cor. p. 195. et Etym. M. v. *Αἴξ* (p. 36.) — *τὸ τοίνυν αἴξ ὀξύνεται, τὸ δὲ Θρᾷξ περισπᾶται· καὶ τὸ Ταῦξ* (an *βῶξ*?) *καὶ γλαῦξ.* At hoc quidem postremum ab *Atticis* solum apice notatum fuisse docet schol. ad *Aristoph.* p. 350. *Γλαῦξ, Εὐφρόνιός φησιν· οἱ Ἀττικοὶ περισπῶσιν, οἱ δὲ Δωριεῖς ὀξύνουσιν.* Nunc *Arcadii* locus, qui supra appositus est, corrigi poterit: *τὰ εἰς ξ μονοσύλλαβα ὀξύνεται — αἴξ, γλαύξ. καὶ τοῦτο οἱ Ἀττικοὶ περισπῶσι* etc. In hoc vocabulo *Atticorum* arbitrio libenter cedi potest; nos vero, ne *γλαῦξ* a nobis, vel adeo *γλαύξ, εἰς τὰς Ἀθήνας* feratur, finem imponamus.

XIII.

Commentatio brevis *Io. Grammii* de rebus litterariis a S. V. Abbate *Io. Laur. Moshemio* in Dania a. 1722 gestis, occasione locorum quorundam in Thes. Epist. La Croz. T. I. ad unius alteriusque amicorum petitionem scripta. Ex autographo ed. *Tork. Baden.*

Venit Hafniam aestate a. 1722 V. D. et Cel. I. L. Moshemius, atque inter alios litterati ordinis homines, quos aditus sui honore afficere voluit, etiam Arnam Magnaeum b. m. et I. Grammium accessit aliquoties; ab utroque ita acceptus, quemadmodum ipse postea testatus est haud semel in litteris suis, ad eruditos in Germania Belgioque viros perscriptis. Conceperat iam dudum uterque ex operibus viri haud vulgarem de ingenio eius, doctrina, multaque litterariae rei notitia, opinionem, quam praesentia tantum abfuit ut imminuerit, ut etiam mirum in modum auxerit: Nostrique illi, colloquiis eruditis et singulari morum suavitate novi hospitis illecti, nihil in studiis suis celatum ipsi voluerunt. Is vero curiosus inprimis et diligens percunctator, atque ad expiscandum quaecunque vel in publicis Bibl., vel privatis litteratorum Museis, laterent, acer dierum illo circiter XX, quo

Hafniae commorabatur, spatio, tantum nostrarum rerum notitiae sibi acquisivit, quantum vix alii integro, ut credo, anno, contigisset. Inter alia Arnas Magnaeus monstravit ei codicum suorum MSS. vastissimum apparatum, monstravit magnam veterum diplomatum sylvam, admirabili ἀκριβείᾳ partim sua ipsius manu, partim per librarios, quos conducere solebat, ex αὐτογράφοις descriptam; ostendit emendationes, quas ad Saxonem Grammaticum, quas in Olai Wormii monumentis, quasque in Lindenbrogii Scriptt. Septentr. aliisque libris, fecerat: communicavit denique epistolam de lingua *Evangeliorum Gothicorum*, quae sub Ulfilae exstant nomine, a Franc. Iunio et Stierhielmio publicata, illam scilicet, quam nuper antea ad illustrem Bascwitzium, Legatum Hanoveranum missam, deinceps ad plurium doctorum notitiam pervenisse, nemini non constat in praesentia. Neque invidit beatus Magnaeus erudito hospiti nostro usum codicis, quem in supellectili sua habebat, continentis *expositionem in Apocalypsin*, auctore *Aprigio* Hisp., saec. 17. Theol., quam ineditam esse, ac rarissime in Bibliothecis inveniri certum, alii plane interiisse crediderunt. Pari etiam modo cum Moshemio egit Io. Grammius; atque etiamsi nimium quantum impari instructus copia, nihil tamen Magnaeo concedere voluit in candore, liberalitate, officiisque litterariis, tam insigni et celebri advenae exhibendis. Itaque ei reclusit omnes fere Thesauros suos, in quibus praeter Ott. Sperlingii Cl. V. et doctorum ad eum virorum epistolas, nec non peculiare volumen, similes Gruteri, Scaligeri, Lingelshemii, Casauboni, Mart. Opitii, Grotii aliorumque Epistolas complexum, quod Norvegicus quidam pastor Grammio dono dederat: erat etiam mediocris formae liber, sua ipsius manu perscriptus, in quem, quicquid eo usque temporis nancisci potuerat in Graecis ἀνέκδοτον, aut de cuius editione nondum sibi constitisset, coniecerat: atque habebantur in eo libro accurate satis exarata varia Philes sapientis carmina, de gemmis sc. et lapidibus, de avibus quibusdam, de elephanto etc. olim a Paulo Vindingio b. m. ex Cod. Bibl. Bodl. quodam descripta, et ab illustri illo Viro cum Grammio discipulo suo communicata, antequam Fabricius eorum magnam partem in Bibl. gr. ex isdem sc. Vindingianis apographis ederet. Exstabat praeterea Iulii Africani Cesti, et nonnihil ex Belopoeïas Scriptoribus, nec non alia, quae enumerare nihil attinet. Verum de quo maxime gloriabatur Grammius, quodque dubitare non poterat, quin tale existimaretur, ut cuiuscunque docti viri in se oculos et admirationem conver-

teret, fuit fragm. Plutarchi de *Nobilitate*, hucusque, quantum cognoscere licebat, ineditum: Hocque non tantummodo in eundem librum suum propria manu transtulerat, variasque hinc inde observatiunculas, partim suopte ex ingenio, partim ex Stobaei aliorumque collatione, in alternis paginis, relictis ad hunc usum vacuis, adimpleverat; sed et folia illa membranacea, unde erat exceptum, iam ipse magna cura asservabat, haud diu ante ab eruditissimo sibique amicissimo viro Arna Magnaeo dono oblata. Repererat vero ista folia Magnaeus ad calcem codicis, nescio cuius, latini, ex eorum numero, quos ex Bibl. Iani Rosenkrantzii sibi comparaverat, olim ex Hispania huc advectos, ad quorum MSS. classem (ut hoc obiter dicam) etiam pertinuerat Aprigius vel *Apringius* ille in *Apocalypsin*, supra memoratus, praeter Ciceronianos nonnullos, atque plures, ex quibus pauci adhuc reliqui, inter MSS. b. m. Arnae Magnaei, in Bibl. Acad. publica visuntur. Hoc modo et illa membranea folia ad Grammium pervenerant, et ab eo, ut dictum, haud indiligenter habebantur. Quippe quorum non solum descriptione perfunctus ipse fuerat, sed et textum, variis locis plane corruptum, restituerat; ne iam illud de collatione repetam, idque meditabatur, ut post institutam paulo studiosiorem perquisitionem, pluriumque recentium aeque ac veterum, qui de Nobilitate vel data opera, vel obiter et in *παρεκβάσεσιν*, egerunt, lectionem, (apud quos videlicet fieri poterat, ut aliqua huius fragm. occurreret sive mentio seu particula) tandem in publicam lucem cum versione et notulis quibusdam, emitteret. Gratulabatur Moshemius Grammio de cimelio hoc invento, gaudebat propitium fatum tam bene foliis istis prospexisse; addebat exhortationem, ut in proposito edendi perseveraret: pollicebatur denique ultro, se Fabricio, statim ac Hamburgum venisset, indicium eius allaturum, et si quid illi de Plutarchiano hoc libello compertum esset, huc renunciaturum. Interim petebat, ut libellus, in quem apographa, de quibus dictum, atque hoc etiam Plutarchianum, coniecta erant, sibi ad bidui solummodo tempus commodaretur, saltem ut legeret, et de stilo, num Plutarchi esset, iudicaret. Annuit Grammius, homo simplex et incallidus, neque deinde facilitatis suae poenitens, postquam redire ad se cod. suum vidisset, pridie eius diei, quo Moshemius Hafnia discedens in Holsatiam regressus est. Ceterum abstulit idem secum ex Sperlingianis MSS. omnes Gisb. Cuperi ad praeclarum illum virum epistolas, nec non Sperlingianas ad illum, quarum editionem, cum reciperet, sese cu-

raturum esse, atque, ut statim praelo subiicerentur, in Belgio cum Bibliopola quodam acturum, facillime, imo nulla prece, totum illum fasciculum obtinuit a Grammio, utpote qui nihil sibi gloriae nominisve quaerendum ex alienis laboribus, sed laetandum potius existimabat, quocunque demum modo aliquis ex iis fructus ad rem litterariam perveniret. Exinde haud paucorum mensium spatium, aut, ut credo, integer effluxit annus, intereaque haud rarae inter Vener. Moshemium et Io. Grammium litterae commearant, omnibus utrinque signis amicitiae refertae, cum ecce Grammius in Epistolam incideret a Moshemio ad Iac. Hasaeum scriptam, atque ab hoc in *Bibl. Brem.* omnium lectioni expositam Cl. VI. fasc. IV. p. 749 *). Quantam vero haec lecta in admirationem coniecerint eos, quibus de facinoribus Moshemii litterariis, rebusque Hafniae ab ipso praeclare gestis, satis liquido constabat, haud necessum est dicere. Itane vero Moshemius descripsit ex cod. antiquissimo Plutarchum? is qui paucula illa folia membranacea, eaque non magnae adeo vetustatis, saltem fugitivo oculo aspexit a Grammio sibi ostensa, descripsit autem, quicquid eius secum abstulit ex apographo Grammiano. Nactum se idem dicit *Aprigii Commentarium*, sed unde et quomodo? hoc silet. Nempe aufere-

*) Ita nempe ibi Hasaeus: „Kilia Holsatorum Cl. Moshemius, e Dania, in qua aliquot mensium (rectius hebdomadum dixisset) spatio commoratus fuerat, redux ita inter alia ad me: descripsi ex Cod. antiquissimo Plutarchum περὶ εὐγενείας, quem eruditos in deperditis huius viri adhuc numerasse nosti. Nactus sum Aprigii Pacensis in d. Iohannis Apocalypsiu commentariuni, pariter pro dudum amisso habitum, cuius quidem Isidorus Hispal. et alii ex veteribus tanta cum laude nominarunt. Suppeditavit autem mihi illum codex antiquissimus, qui Ariae quondam Montani fuerat, et MXXX Barcinone scriptus. Contuli Adamum Bremensem cum cod. cel. membr. in Bibl. Acad. Lindenbrogii Scriptt. septentr. vitiosissime editos, duce Arna Magnaeo Hist. Prof., emendavi. Nactus sum omnes, quas ad summos aetatis suae viros scripsit epistolas, Oth. Sperlingii, viri rerum antiquarum peritissimi, et in his paene centum Gisb. Cuperi, maxima eruditione refertas. Conscripsi dissertationem de Ulphila, cui nondum extrema manus acsit. Taceo alia, ne te obruam. Amicitiam quoque, quod primo loco monendum erat, cum viris Daniae eruditis Ioh. Grammio, viro acerrimi ingenii, Arna Magnaeo Andrea Hoyero, Casp. Bartholino, et aliis, contraxi, a quibus deinceps, quae desidero, facile me impetraturum confido. Quot, mi Hasaee, et quantis Dania Thesauris abundat! quot scriptoribus nondum editis! quot monumentis exquisitissimis in septentr. praesertim historia! quot vel unica Rostgaardiana Bibl. codd. habet praestantissimos. Verum vindices suos hae gazae quaerunt, nec facile, ut nunc sunt tempora, invenient.“

bat tantum ad legendum, retentumque per aliquot dies, subitanea opera, inscio Professore Arnaeo Magnaeo, descripsit librum, parvae videlicet molis in octava, ut vocant, forma. Is contulit cum cod. celeberrimo Adamum Bremensem? de hac, fateor, collatione nihil mihi admodum cognitum, neque nunc succurrit memoria, quid Magnaeus, cum hoc ipsi ex Bibl. Bremensi recitaretur, responderit. Saltem dubito, neque sine causa, Cod. illum membranaceum in Bibl. Acad. a Moshemio oculis usurpatum, nedum collatum fuisse. Fuerunt potius, sicut mihi persuasum, illae ipsae Adami emendationes, quarum mentionem iniecit Fabric. in *Bibl. med. aevi* T. I. ubi videre licet auctori eas suo, Cl. Arnae Magnaeo, vindicatas; nullumque ibi verbum prolatum de collatione Adami per Moshemium, quod tamen silentio praetermittere incomparabilis Fabricii diligentia non sivisset (qui enim epistolam illam ad Hasaeum ignoraret?) nisi summo viro de *ἀλαζονείᾳ* istius hominis iam tum suboluisset. Quod vero demum Magnaeo se duce usum noster ille meminisset, ubi de Lindenbrogii Scriptorum emendatione dixit, ideo interpretamur factum, quia desperabat se posse mortalibus persuadere, tantos se proprio Marte progressus et in historicis et in lingua Danorum tam brevi tempore fecisse, ut tot corrupta loca solus emendaret. Quantos vero risus haec ipsa ostentatio haud tantummodo Magnaeo, cum verba illa audiret, sed et Andreae Hoyero, Christ. Stubaeo, Io. Grammio aliisque excitabat! praesertim cum liqueret, iis omnibus nihil subesse aliud, quam quod Magnaeus, occasione mentionis de Erpoldo Lindenbrogio factae, Moshemio ostendisset, quemadmodum et nostratibus saepissime fecerat, suas ad oram libri adscriptas correctiones locorum vitiosorum. Idem quoque de *dissertatione* sentiendum, quam de Ulphila noster composuerit; nempe cuius praecipuam oportebat et nobilissimam partem constituere, quicquid ex Magnaei observationibus sublegerat. Itaque cum haec tacite adeo haberi nequirent, Arna praesertim Magnaeo, viro candido et cordato, omnique falsae ostentationi, si quis unquam vixit, infensissimo, passim Moshemianas illas litteras vellicante; quin ad aures nonnullorum pertingerent, apud quos Moshemii non solum eruditio (de qua nemo ullus controversiam movebat, aut unquam moverit) sed et virtus, fides et sanctitas in magnam existimationem venerant, indigne admodum hi ferre tantae pietatis Theologum in conventibus profanorum hominum ludos fieri. Decreverunt ergo (neque hoc iniuste) ipsum prius audire, quam ei homi-

num generi, quod Poëtarum appellatione obscura olim aetas distinguebat, fidem suam adiungere. Quam enim iniquum hoc et indignum in eiusmodi congressibus, virum sanctissimum et Polyhistorem quidem, nullius ementitae laudis indigum, puerilis de plagiis suis iactantiae accusari! Sumsit hanc sibi provinciam Dn. Conradi, tunc Reg. Maiestatis a Concionibus sacris, hodie Generalis Ecclesiarum per ducatus Slesv. et Holsat. Superintendens, isque ad litteras, quas de ista re ad virum scripsit, responsionem obtinuit, d. 27. Nov. a. 1723., his verbis conceptam. *)

---

*) „Dafs ein Stück eines unschuldigen Briefes einigen meiner Freunde, die ich liebe und verehre, einen übeln Verdacht von mir beizubringen geschickt gewesen, hat mich ungemein geschmertzet. Ich habe mich geärgert, wie ich die Unbescheidenheit H. D. Haseus gesehen, der die Briefe seiner Freunde, wider ihren Willen, zuweilen drucken läfst, und zuweilen nicht gar zu aufrichtig [alia manu]. Er hat mir mehr dergleichen Possen gespielet, und ich habe deswegen fast den Briefwechsel mit ihm aufgehoben. Allein ich habe die Sache dennoch von einer so elenden Kleinigkeit zu seyn geglaubet, dafs ichs nicht einmal nöthig gefunden, mich deswegen bei Hrn. Grammen in meinem letzten Schreiben zu entschuldigen, zumal ein Stück dieses Briefes hätte ihn überführen können, wie viel Hochachtung ich vor ihm hege, und dafs ich nie gesonnen gewesen, etwas zu schreiben, das ihn beleidigen könnte. Doch ich will mich deutlicher erklären.

Man giebt mir (1) Schuld, es wäre falsch, dafs ich den Plutarchum aus einem alten Codice geschrieben. Wann ich dieses geschrieben hätte, lieber Gott! was wäre es denn, und wem würde damit geschadet! Es würde eine pauvre vanité seyn, sich etwas zuzuschreiben, das man nicht gethan, und zwar eine Sache, die in sich nichts heyfst (sed quam suavis et iucunda haec ipsa *misera vanitas* tibi fuerit, declarant caeterae tuae ad alios epistolae, falsitate et vaniloquentia prae illa ad Hasaeum abundantes); ich werde um kein Haar gelehrter oder ungelehrter werden, wenn ich ein paar Blätter aus einem alten Buche abgeschrieben oder nicht abgeschrieben hätte! Indessen giebt mir mein Gewissen Zeugnifs, dafs ich die Worte, so wie sie in Hr. Haseus Briefe stehen, nicht geschrieben, und er mufs entweder übel gelesen haben, oder sonst andere Gedanken gehabt haben. Ich habe bereits vor zwei Monathen deswegen an Hr. D. Haseus geschrieben, der mir aber noch mit keiner Sylbe geantwortet. Indefs werde ich nicht ruhen, bis es herauskommt, worin das Versehen stecke, und es soll Hr. Grammen öffentlich Justice geschehen (hoc nunquam in cogitationem venit Grammio ut postularet, sed Dominus Conradius sua scriptione, quam nullius rogatu et sua sponte suscepit, hanc Moshemio responsionem expressit, ut haberet sc. quo laboranti heic Moshemii famae succurreret, et deridentes ἀλαζονείαν eius reprimeret), da er seine Ehre bei dieser Sache meinet interessiret zu seyn. Wenn er nur selbst nachdenken will, wird er leicht schliefsen können, dafs ich, da ich diesen Brief privat und in der Eil geschrieben, wahrhaftig nicht die

Interim priusquam haec agebantur, iam communicaverat Moshemius cum Fabricio et Wolffio Hamburgensi-

---

Intention haben können, mich auf seine Unkosten grofs zu machen (cur ergo haec ipsa verbosius iactavit in litteris ad la Crozium, quas inferius exhibebimus, ubi sane plura non tantum ἀλαζονείας et *miserae*, ut heic agnoscit, *vanitatis* specimina, sed et manifesti mendacii et plagii impudentis), und wie könnte ich so albern gewesen seyn, dafs ich mir eingebildet, ich würde bey meinem Freunde höher angeschrieben werden, wenn ich ihm melde, dafs ich einige Blätter aus einem alten Buche copiiret, ach! miserable vanité, ich habe demnach, wo ichs geschrieben, so nicht schreiben wollen, oder aber, wie ich eher glaube, ich habe geschrieben: *reperi*, oder inveni in antiquissimo codice etc. Indefs wird Hr. Gramm sich doch wohl erinnern, dafs ich bey meiner Anwesenheit mit seiner Erlaubnifs seine Copie von diesem Codice etliche Tage bey mir gehabt, da ich denn freilich einige Blätter abgeschrieben (et hoc neque rogato neque permittente Grammio; quod vero te nunc adegit rem confiteri, fuit praeter litteras ad Hasaeum in Bibl. Bremensi, Fabric. Bibl. Gr. Vol. XII., quod sciebat satis Grammium latere non posse), um davon urtheilen zu können, welche ich einem berühmten Manne in Hamburg gegeben, der dieselbe mit einigen anderen Büchern des Plutarchi zusammenhalten wollen. Unterdessen habe ich einen andern Codicem von diesem Werke nicht vor gar langer Zeit in der Wolffenbüttelschen Bibliothek gefunden, und ich möchte wünschen, dafs Hr. Gramm mir eine Copie von seinem Codice schicken wollte, damit ich dieselbe mit dem Wolffenbüttelschen, der allem Ansehn nach weit (cur vero istud nunquam aperuit Wolffio? cur Fabricio celavit? neutrum enim quicquam de eo percepisse mihi persuasissimum: Et res ipsa loquitur. Wolffius etiam, qui sequenti demum anno suam editionem absolvit, num tacuisset tale quid in praefatione [ubi cuncta sibi perquisita memorat] hoc sc. de Cod. Guelferbytano et quidem Grammii membranis multo auctiore; ego vero nugas esse, et fabulam à Ven. Theologo confictam, quemadmodum tunc suspicabar, ita nunc nihil ambigo.) vollständiger zusammenhalten könnte. Ich verlange das Werkgen nicht herauszugeben, sondern, wofern er Lust dazu hat, will ich ihm hier einen Verleger schaffen, und ein anderes schönes griechisches Manuscript, so mir neulich in die Hände gefallen, und ein vortreffliches Carmen de virtutibus Principis mit einem gelehrten Commentario des berühmten Franc. Porti begreift, dazu geben, um es zusammen zu drucken, desgleichen die Variantes aus unserm Codice zu Wolffenbüttel dazu senden.

II. Hr. Arnas Magnaeus nimmts übel, ich hätte eine Dissertationem de Ulphila verfertigt. Ist denn auch möglich, dafs der gelehrte Mann dieses übel nehmen kann? oder bildet er sich ein, dafs ich seinen mir communicirten Brief von Ulphila vor meinen ausgegeben habe oder jemahls ausgeben werde? Denkt er dieses, so kann ich für dem ewigen Gott versichern, dafs ich nie hieran gedacht. Sein Brief hat mir Gelegenheit gegeben, meine von einigen Jahren her gesammlete Collectanea de Ulphila wieder hervorzukriegen und in Ordnung zu bringen. Daraus ist eine Dissertation de Ulphila erwachsen, die ich mit dem ersten

bus omne illud, quod ex Grammiano Plutarchi Apographo descriptum hinc abstulerat, veri possessoris nomine admodum sollicite occultato. Et Fabricius illud, quod adeptus fuerat, totum inseruit Bibl. Gr. T. XII. p. 268 sqq. non taciturus profecto nomen Grammii, si scivisset, utpote quocum nonnihil commercii litterarii iam a longo habuerat tempore. Wolffius autem, a quo integrum Plutarchi librum cum versione latina sperare Fabricius ibidem (p. 275) iussit Tomo VI. anecd. gr. inserendum, cum in eo esset, ut propositum impleret, haud cessavit Moshemium compellare eumque urgere de suppeditandis ex promissis illis, quae in Apographo deerant. Iam vero intercesserant illae a Dn. Conradio litterae, ex quibus haud levis, ut apparuit, timor atque pudor Moshemii animo iniectus, sufflaminabat hominem, utpote qui tunc iudicare poterat, facile inanes atque irritas fore, quas adhibere constitnebat artes ad impetrandum a Grammio supplementum illud (praesertim cum hic a lecta illa ad Dn. Conradium epistola apologetica, neque aliquid apographi sui mitteret, neque indicio et promissis de Cod. Plutarchi Guelferb. quicquam fidei tribueret) nuncque haud ulterius locum habiturum, quod in Epistola ad Hasaeum ia-

---

werde drucken lassen, wenn ich nur die neue Edition des Codicis Argentei aus Holland werde erhalten haben, worauf ich warte. Ich werde darin seines Briefes §. XX und XXVI mit vielem Ruhm erwehnen, und, wofern er's erlauben will, denselben ganz hineindrucken lassen. Ich habe dieses Briefes schon mit gebührendem Ruhme gedacht in meinen Noten über Cuperi und Sperlings Briefen p. 6; wie kann's denn immer seyn, dafs dieser ehrliche Mann mit mir übel zufrieden, weil ich an meinen Freund gemeldet, ich hätte eine Dissertation de Ulphila geschrieben, aber noch nicht ausgearbeitet. Mein Vorhaben ist von dem seinen unendlich unterschieden. Ich handle de Ulphila, Er aber von der Sprache des Codicis Argentei, welchen man dem Ulphilae zuschreibt. Doch so geht's, wenn man private Briefe unvorsichtig drucken läfst. Es ist nichts leichter, als dafs daher ein Mifsverständnifs entstehen kann: wiewohl ich hoffe, es werde Alles gehoben seyn, wenn meine werthe Freunde diese Nachricht bekommen. Ich müfste ja toll seyn, wenn ich beim Leben anderer ehrlichen Leute, die schreiben können, ihre Arbeiten mir zueignete etc. P. S. Sogleich giebt mir ein Freund, an den ich in Bremen geschrieben de dato 17. Nov., zu vernehmen, dafs er einen Menschen, den Hr. D. Hase zum Abschreiben brauche, befragt: ob er um die Umstände des Briefes wisse; der ihm geantwortet: Es könnte wohl seyn, dafs nicht alles richtig getroffen, weil mit dem Siegelwachs ein Theil der Schrift des Briefes weggerissen worden, welches er aus Conjectura suppliret; gilts! meine Muthmafsung wird eintreffen, die ich eben gemeldet."

ctavarat: confidere ab amicis Hafniensibus, facile deinceps ea, quae desideraret, impetraturum. Itaque captum deprehensumque se videns, Wolffio primo omnium rei secretum aperit, auctorque est, Grammium ipsum per litteras ut adeat, haud dubie ita compos voti futurus. Fecit hoc cel. Wolffius hancque ad Grammium epistolam (quae prima inter eos commutatarum fuit) X. Cal. Maias a. 1724. scripsit. *)

His litteris acceptis Grammius parumper se sustinuit antequam responderet, istudque morae intervallum ex parte impendit conficiendo novum apographum libelli Plutarchiani *περὶ εὐγενείας*, quod quidem sua manu absolvit, adspersis quibusdam annotatiunculis, quotquot sc. deprehendit in ed. Fabric. nondum occupatas; tunc vero ut Moshemio ostenderet, inanem illius esse metum pudoremque, seque istis eius iuvenilibus planc ineptiis haud multum commoveri, quid? quod perinde sibi esse, cuius sub nomine ineditum illud magni Scriptoris fragmentum prodiret, dummodo publico res grata fieret, novum suum quod paraverat *ἀπόγραφον*, et quidem ad Wolffii petitionem, integrum, directe ad ipsum Moshemium misit Helmstadium una cum litteris ad Wolffii istas responsurus. Versabatur per aestatem illam Wolffius in Belgio, unde Hamburgum nondum redierat, cum fasciculus Hafnia de-

---

*) „Patere, Vir praestantissime, ut, nullo studii officiique genere adhuc tibi cognitus, litteris his benevolentiam tuam mihi conciliare audeam. Meministi virum doctiss. Io. L. Moshemium, Acad. Iuliae Prof. Theol. Hafniae versantem, dialogum (ita enim videtur) Plutarchi *περὶ εὐγενείας* ex membranis tuis descripsisse. Hoc eius *ἀπόγραφον* bona ipsius venia ad me pervenit, occupatum sc. in monumentis veterum *ἀνεκδότοις* ad communem usum promulgandis. Interim opusculum non accepi integrum, sive quod vir doctus non totum descripsit, sive quod ipsae membranae tuae non integrum exhibeant. Pars dialogi, quam habeo, finitur verbis illis: *ταῦτα μᾶλλον πρὸς τὴν εὐγενῆ Ἀφροδίτην, ἢ πρὸς τὴν δημοτιμὴν Λαΐδα ἢ δυοῖν ὀβόλων ἑταιρίδιον, ἢ ἐκεῖνοι τῷ Ἡφαίστῳ δισμοὶ τῷ μὲν καταλειφθέντος καὶ πρεσχομένου. Ἄρεος κατάπτονται, τῷ δὲ ἐκ τῆς δήμου τυχόντος ὤ*“ — — (Eandem hanc partem fere integram erudit. Fabricius noster ex Rev. Mosheimii apographo, Graece tantum, novissimo Bibl. suae Gr. vol. quod cum his nundinis accepimus, inseruit p. 268 sqq.) „Ego vero nunc in eo sum, ut Tomum IV. anecd. meorum, cuius tres plagulae praelum iam reliquerunt, in lucem proferam; atque hunc dialogo illo, tanquam illustri gemma distinguere, apud animum constitutum habeo, si quidem pace tua, V. Doct., id fieri posset. Quem in finem vehementer a te peto, ut vel membranas ipsas, quia in apographo tum lacunas tum menda deprehendere mihi videor, vel saltem eam partem, quae mihi adhuc deest, ex illis sumtu meo descriptam, ad me mittere haud graveris — etc.“

latus esset ad Moshemium. Itaque ab eo Grammius primo litteras accipit d. 15. Aug. 1724, Brunsvici datas, hoc tenore. *)

---

*) „Quibus ego causis impeditus fuerim, quo minus ad te citius litteras darem, tibique ob transmissum Plutarchi fragmentum gratias agerem, si multis enarrare vellem, rem facerem mihi nec satis commodam nec tibi iucundam. Qui peregrinantur, uxorem ducunt, nova munera suscipiunt, multis, quae alii vix sibi possunt arrogare, iuribus utuntur. In his autem ego per illud, quod sibi, tempus, locum aliquem occupavi. Habes omnia. Haec ipsa vix mei compos inter aulae strepitum et nundinarum molestias in litteras refero. Sed satius tamen duxi breves, rudes et impolitas ad te dare litteras, quam nullas. Itaque nunc tribus verbis, quas possum, gratias ago, quod Plutarchi illum libellum tua manu eleganter descriptum ad me miseris. Initium eius Hafniae descriptum antea iam cum Vener. Wolffio communicaveram, qui cum illud Fabricio monstrasset, hic duodecimae Bibl. suae Gr. parti, id quod haud dubie iam nosti, ornamento esse voluit. Credas velim, Vir eximie, me invitissimo id factum esse et prorsus inscio. Multo minus id mihi placuit, quod aliquam mei fecit mentionem. Quanquam id haud dixit, quod nescio qua fide scripsit Hasaeus, a me illud descriptum esse, sed simpliciter descriptum illud esse narravit. Postquam tuum deinceps nactus sum ἀπόγραφον, mirabili quodam fato factum est, ut Wolffius ex Auctione quadam Batavi illud ipsum fragmentum tuum iam editum, et ab Arn. Ferrono, Regis Galliarum interprete, elegantissime latine versum nanciscereturt, quod quidem et Fabricio et Wolffio, Tibi mihique ante latuerat. Ea de re cum me certionem fecerat Vener. Wolffius, non dubitavi ego tuum ἀπόγραφον ad illum mittere, quo tanto rectius Plutarchum, quem alioquin editurus erat, ederet. Itaque iam Plutarchus tuus, parte IV. anecdd. Wolffii cum Ferroni interpretatione comparebit venustissima sane, parte vero V. variae lectiones ex cod. Guelferb. locum invenient.“ (Repeto hic idem, quod superius ad germanicas Moshemii litteras, Dn. Conradio inscriptas, adnotavi, mirum ac. videri, quod Wolffio nihil indicaverit de hoc cod. Guelferb. variisque eius lectt. Cui enim persuadebitur, Grammio secretum hoc magis fuisse revelandum, quam editori ipsi Wolffio? verum, ut supra dictum, nugae sunt merae et Moshemianae offuciae. Novi quidem alias, multa egregia et anecdota latere in Bibl. Guelferb.; sed heic quidni oportet mirari, postquam tantus vindex et sospitator eo locorum pervenit ac Moshemius, absconditos tamen ibi iacere adhuc Thesauros, atque vindices suos desiderare, non alio modo quam in Dania?) „In praef. Wolffius, id quod fas est, omnem gloriam descripti codicis ad te referet, Amice optime, tibique quas debet gratias persolvet. Ita Hasaeana narratio confutabitur, quae incautos quosdam ut crederent induxit, ac si ego mihi, quae ad alium pertinent, tribuerim. Homo licet sim, non is tamen sum, qui ex eiusmodi rebus malis artibus laudem quaeram. Haec te scire volui, Vir egregie, ne fortassis pravam de me opinionem conciperes, aut me boni viri officio defuisse putares. Credo caeterum, et Wolffius, qui te meis verbis salutat, credit te haud aegre laturum, quod

Denique cum absolutus proelo iam esset *tomus* ille *quartus* anecdotorum, accepit illum ab editore Grammius, suoque vidit nomini inscriptum esse, quo certe honore perlubenti caruisset animo. Adiecta huic muneri epistolâ, d. 12. Oct. eiusd. a. exarata, sequentia de argumento illo habet. *)

---

hoc modo Plutarchi edendi gloriam tibi praeripuerit. Plura scriberem, nisi aulae me negotia vehementer turbarent. Exemplum primitiarum mearum Iuliarum et reliquarum disput. meo tibi nomine illustris Schröderus offeret. Nunc in Script. Hist. Eccles. edendis, et magno Antiqu. Eccles. Systemate elaborando totus sum. Quid Sperlingii et Cuperi epistolae in Batavia nunc agant, me prorsus praeterit, sex enim menses sunt, ex quo nihil inde litterarum accepi, non tamen dubito, quin in iis edendis strenue pergatur. Αὐτόγραφα, quae fidei meae commisisti, occasionem expectant, qua tuto queant ad te redire; nec enim ego amplius illis utor. Salutem plurimam quaeso amicis meis imprimisque Arnae Magnaeo dicito. Ita vale, Vir eruditissime, mihique fave. Dab. Brunswici in ipsis nundinis d. 15. Aug. 1724."

Successerunt brevi post litterae a Wollio, Hamburgi d. 5. Sept. scriptae, sicque loquentes: „Ex itinere Belgico vix reversum exceperunt me iucundissimae tuae litterae, insigni studii in me tui argumento, opusculo Plutarchi περὶ εὐγενείας comitatae. Facile per te intelligis, quam gratus mihi fuerit illius conspectus. Itaque nunc nihil addam nisi amplissimam grati animi significationem, qualis in eum cadere potest, qui maximo se beneficio cumulatum profitetur. Cetera ipsius opusculi imminenti editioni et tuis ad me nutibus relinquam. Ita sc. est, ut Rever. Moshemius nuper ad te perscripsit; nactus sum non ita pridem ex auctione, quam vocant, Hagiensi, opusculi huius, sed eadem parte, qua tuum illud exemplar deficientis, interpretationem latinam elegantissimam ab Alexandro Ferrono compositam et Lugd. 1556, 8vo editam. Ex versione intelligas licet codicem, quo is usus est, tantum non semper, etiam in locis manifeste mendosis, consensisse. Interim inde hoc emolumentum ad me redit, quod tum loca veterum omnia, quae in membranis tuis penitus omissa meministi, tum etiam alias quasdam lacunas feliciter suppleat. etc."

*) „Accipis cum his, Vir eruditissime, Vol. IV. anecdd. meorum, quod amplissimo nomini tuo inscribere ausus sum, ut vel sic aliquod grati in te animi argumentum exstaret. In hac qualicunque significatione tantisper facile acquiesces, donec in viribus meis positum sit, beneficium hoc tuum re ipsa demereri. Pompeii Caimi libellum de nobilitate, quem mihi subindicaveras, frustra hic et alibi locorum quaesivi. Ipse itaque haud gravatim inquires, utrum coniectura mea in praefatione allata rata sit, quod sc. forte locus ille, quem Caimus quanquam in membranis tuis non exstantem attulit, in iis deprehendatur, quos Ferroni latina interpretatio suggerit. Praeterea vero eruditas tuas animadversiones ad illa loca, in quibus vel haesi, vel hallucinatus sum, etiam atque etiam mihi expeto. Nimia operarum ad imminentes tunc Nundinas Lipsienses festinatio non permisit mihi, ut omnia, qua par erat, industria persequerer. — — Quodsi mihi membranas

Et huc usque illa de editione Plutarchiani opusculi. Nunc de *Gisb. Cuperi* et *Sperlingii* epistolis, nec non altero illo *Epistolarum doctorum virorum* volumine paucis dispiciamus; saltem ut pateat, quam parum Moshemius, etiamsi divinae veritatis praeco, et elegantium librorum de virtutis et veritatis studio scriptor, quam parum, inquam, ipse locum et personam tueatur, veritatis etiam mediocriter studiosi. Ostensum in superioribus, atque ex duabus Moshemii ipsius litteris, tum illis ad Hasaeum a. 1723, tum alteris ad Io. Grammium a. 1724. scriptis est liquidum, ipsum inter alia spolia Dania secum abstulisse Cuperi et Sperlingii epistolas, postquam receperat, earum sese editionem Belgicis typis curaturum esse notisque eas illustraturum. Puto etiam haud per ipsum erudit. V. stetisse, quo minus promissum impleretur, sed et aliquot folia revera fuisse typis exscripta, quemadmodum in alia quadam epistola Grammio indicavit; cur autem haud ulterius progressum sit, cum resiscere nunquam potuerit Grammius, tandem a perquirenda cessationis causa destitit. Nunc vero minime opus, cum publicatae iam illae sunt epistolae, atque, in novo Thes. *Antiqq. Rom.* et *Gr.* Venetiis excuso, comparuerunt, insertae *tomo* eius IV. cura Io. Poleni, ad quem eas Sigeb. Havercampus, Grammio perlubente, misit. Ceterum post septennii moram et amplius, abrupto iam dudum omni per epistolas inter eos colloquio, verens Grammius, ne possessione sua perpetuum privaretur, quandoquidem tot tempora erant elapsa, ex quo Moshemius in litteris suis Brunsvici a. 1724. scriptis professus fuerat, occasionem duntaxat exspectari, qua *αὐτόγραφα* illa Cuperi Sperlingiique Hafniam remitterentur, obsecravit ill. V. b. m. Io. Wilh. Schröderum, ut efficeret, ne ulterius Ven. Abbas ea re cunctaretur. Noverat sc. per neminem id rectius curari aut obtineri posse quam Schröderum, ut quem perpetuum Moshemius ac fidelissimum in his locis famae suae vindicem retinuerat. Neque caruit res effectu; paucis enim post mensibus (annus agebatur 1731.) apportatus fuit ad hospitium Grammii per Schröderi famulum fasciculus, Moshemii sigillo obsignatus, omnia illa *αὐτόγραφα* epistolica continens, nullis vero adiectis a Moshemio ipso litteris, atque haec ipsa *αὐτόγραφα* erant, quae, ut dictum, Ven. ille vir a. 1723. hic accepta

---

illas opusculi Plutarchi retinere per te liceat, cumulum superiori beneficio addideris, sin minus, faxo, ut statim sartae tectaeque ad te perferantur. Ita vale" etc.
(Miscell. Vol. II. P. I. 1823.)

per octo, ut dictum, annos retinuerat, quaeque apud Grammium postea asservata etiamnum exstant salva et incolumia. Qua ergo, te quaeso, fronte scribere potuit Moshemius anno proxime insecuto d. 6. Iun. a. 1732. ad Zach. Conr. Uffenbachium ea, quae Cel. Schelhornius *Amoenitt. Eccles.* T. 2. inseruit p. 759., ubi sc. haec leguntur: „Reverendiss. Abb. Moshemium eximium Academiae Iuliae, imo orbis eruditi decus in itinere Danico, praeter alia nactum esse *Bibl. Bremensis* me edocuit omnes, quas ad summos aetatis suae viros scripsit, epistolas Otth. Sperlingii, viri rerum antiquarum peritissimi, et iii his paene centum Gisb. Cuperi maxima eruditione refertas. Quodnam autem harum epistolarum fuerit fatum, ipse vir summus in litteris ad b. Uffenbachium a. 1732. d. 6. m. Iun. e coenobio suo ad saxum S. Michaelis missis hisce verbis exposuit: *Habui olim omnes ferē epistolas, quas Otho Sperlingius, V. erudit., ad litteratissimos aetatis suae viros dedit: ex his paucae tantum inter Schedas meas restant, reliquas Hafniam ad Io. Grammium, Prof. Gr. l. et Historicum Reg., misi, apud quem igne illo furioso, qui Bibliothecam eius consumsit, perierant. Dolui vehementer hanc iacturam; sed quid fatis succenseas?*"

Non loquor hic de eo, quod Ven. Vir dicit, sese omnes fere Sperlingii epistolas habuisse, ex quibus, cum reliquas Hafniam misisset, paucas adhuc a. 1732. inter schedas suas restitisse; in quo si veritati litavit Ven. Abbas, utique parum honeste se gessit, illud, quod suum non esset, retinendo, ac depositi ita partem, quantumvis exigua fuerit, fraudando. De hoc autem, cum nihil antea subodoratus Grammius nec quidem suspicatus est, (qui neque, cum a. 1722. Moshemio apparatum illum crederet, folia ipsi annumerarat, nec syngraphan ab illo petierat) deliberavit aliquando cum animo suo, istis ad Uffenbachium animadversis, utrumne reposcere debere paucas illas, quas ceterarum a restitutione anno praecedente facta, etiamnum in schedis servare ad alios perscripsit Abbas, an potius pro commento Moshemiano, cui nihil subesset solidi, haberet. Atque nunc quidem profitetur Grammius, sese in hanc, utpote meliorem, partem, propendere, atque Abbatem, si non veritatis, saltem honestatis legem observasse, integreque satis versatum in deposito restituendo, credere. Hoc igitur, ut diximus, transeat. Sed alterum, quod subiicitur, videlicet quod reliquas Sperlingii epp. S. V. vir miserit Hafniam ad Grammium, apud quem *deinceps furioso illo igne, qui*

Bibliothecam huius consumserit, perierint; nimis profecto mirum. Itane enim credibile, oblitum fuisse virum, quod, dum Hafniae furiosus ille ignis grassabatur (de quo ad aures ipsius primum nuncium pervenisse post a. 1731., cu demum mortalium persuadebit?) atque cum calamitas ista varias urbis nostrae Bibliothecas absumebat, Grammianae vero modicam tantum partem, cuius (deo sit laus et gloria!) potior atque maximus librorum numerus salvus ignibus ereptus fuit, tunc temporis nihil epistolarum Cuperi et Sperlingii fuerit penes Grammium, verum illas tandem post tertium ab incendio Hafniensi annum a Moshemio ad reposcentis Grammii flagitationes redisse, hoc est non sane integro anno priusquam Moshemius conflagrationem earum et iacturam ad Uffenbachium scribens doluit? Deinde ex iisdem ad Uffenbachium litteris alterum Schelhornius locum profert p. 761, his verbis: *Hug. Grotii epistolarum ad Jo. Freinshemium et alios datarum magnum olim Hafniae volumen mihi oblatum fuit. Quod cum apud se amicus quidam retinuisset, eodem ante annos aliquot incendio, quo Sperlingii epistolae, deletum fuit.* Sed non erant in codice, quem in dicat, ullae ad Freinshemium epistolae Grotii. Non *oblatum* fuit volumen Moshemio aliter, quam ad inspiciendum: non *retinuit* amicus ille nisi quod summum erat, ad eedendum Cel. hospiti cuncta illa, quae ut publica is et rara commendabat, nullo iure obligatus, nec promisso quidem, quantum ad hoc volumen. Non denique *deletae* fuerunt hae epistolae magis, quam Sperlingii, ex cuius docti viri reliquiis quaecunque ante incendium possedit Grammius, adhuc servat, ne uno quidem folio deperdito; sed et idem ipsum volumen, quod Moshemius a. 1729. hic vidit, et cuius iacturam pariter ac Sperlingiani apparatus a. 1732. nunnciavit, sartum tectum, integrumque superest in librorum Grammii numero cuivis conspiciendum. Ceterum ut amplius cognoscat lector, vanissimae narrationi Moshemii (non tantum ad Uffenbachium, sed ad Hasaeum, ac denique ad la Crozium, de quo postea) quantum tribuendum, iubet nunc exponere totam voluminis eius historiam. A. 1775. Pastor quidam Norvegus, nomine Franc. Bakke, nunc ut audio, defunctus, dono obtulit Grammio vol. illud epistolarum a viris eruditis saec. 17., et quidem ab initio eius ad 1634. maximam partem scriptarum, quem codicem accepisse patrem suum, itidem, ni fallor, Pastorem referebat a mercatore in eo Norvegiae oppido, ubi habitarat quondam Heurlotius, superioris in isto Regno Tribunalis aulici as-

Digitized by Google

sessor, vir eruditus. Is Hafniae nostrae olim patre, ut accepi, negotiatore natus, in peregrinatione sua Io. Freinshemio Heidelbergi tunc degenti perquam familiaris vixerat, eiusque magni viri e mortali vita egressi uxorem in matrimonium acceperat; postea hac defuncta in Daniam reversus, officium illud in Norvegia a Rege Frid. III. obtinuerat: Idemque is Henr. Holstius est, cuius nomen in fronte editionis Phaedri fabularum cum Freinsh. notis conspicitur, quam sc. ex MSS. Freinshemii procuravit, et Friderico ab Alefeld, in ducatibus Slesw. et Holsat. Proregis vicem gerenti, epistola Wormatiae 1664. scripta dedicavit: ubi et multa penes se esse Freinshemii inedita, quae Magnatum gratiam, vel Bibliopolarum industriam desiderant, ut in lucem emittantur publicam, prodidit. Narrabat itidem Pastor (quod et postea Grammio confirmatum fuit per D. et Ven. V. M. Ionam Ramum, Pastorem in Ringarica Norvegiae, scriptis clarissimum), Holstio et uxore eius altera, quam in Norvegia duxerat, fato functis (non diu ante a. 1690.) repertam fuisse in aedibus non parvam librorum et chartarum manu exaratarum copiam, et libros quidem Hafniam missos fuisse ibique venditos; chartarum autem congeriem in duo compactam dolia fuisse ablatam a mercatore, a quo Pater Francisci Bakke istud, de quo agimus, volumen impetrasset, reliquis sc. chartis in piperis et scombrorum involucra absumtis, solum hoc superfuisse, fortasse quia folia hinc inde in eo putrescentia non admodum ei usui inserviebant, qui ceteris interitum attulerat. Sunt autem in isto codice, ad tres fere pollices crasso, in quarta forma tres centuriae, et totidem circiter epistolarum decades, quarum maiorem numerum constituunt a Iano Grutero septuagesimum solae numerum excedentes vel ad eum ab aliis datae: Hug. Grotii 48 insunt ad Lingelshemium pleraeque, paucissimae ad Salmasium et alios, nonnullae omnino ad Freinshemium: Scaligeranae 40 aliquot, maximae ex iis sunt, quas V. S. ad Davidem Hoeschelium scripsit, et in editis conspiciuntur, quanquam hinc inde pleniores in nostro libro autographo, ut videtur, fidelius exprimente. Ceterae a Thuano, a Lingelshemio, Casaubono, D. Heinsio, G. I. Vossio, M. Opitio, Balth. Venatore, aliis. Confecit insignem hanc Syllogen V. Cel. Matth. Berneggerus, Io. Freinshemii olim socer, partim sua, partim aliena manu usus. Optaret quidem adhuc Grammius, quemadmodum et olim desideravit, eas in publicam lucem proferre, si librarii copia fieret; in eumque finem parata iam dudum habet omnium et singula-

rum exempla nitidissime et accurate descripta. Quamque non invidus sit in communicando, hoc fuerit argumento, quod eas, a. 1735, si recte memini, cunctas τῷ μακαρίτῃ Io. Christoph. Wolffio utendas commodarit, utque ad suam augendam Syllogen curaret excipi aut conferri, lubenter et ultro quidem permiserit. Et iam aliquot ante annis (itidem post Hafniense incendium) Lingelshemii ad Thuanum, huiusque ad illum epistolas ex eodem ipso Cod. exceptas, rogatus transmiserat Grammius celebri bibliopolae Londinensi Sam. Bicciley ad Historiae Thuanae editionem exornandam; in cuius etiam Tomo ult. conspiciuntur excusae Sect. 17. p. 30. ad p. usque 45. Posset quidem iam satis existimari dictum, his speciminibus Cel. Viri vaniloquentiae allatis excussisque; verum ut nondum finem faciamus, faciunt eiusdem acerbae, quas supra audivimus, ex litteris tum ad Dn. Conradium, tum ad Grammium, querelae de Iac. Hasaeo, quasi iste haud bona fide epistolam eius edidisset, nec non repetita saepius modesti sc. innocentisque animi sui declaratio. Queis vero, quantum fidei tribuendum esset, etiamsi neque Arnas Magnaeus, neque Grammius tam obesae fuere naris, quin intelligerent, facili interim aure transmittentes, quicquid pro homine excusationis afferrent amici eius, tamen plenissime nuper demum apparuit, quando in publicam emissum lucem vidimus Thesauri Epist. la Croziani T. I. Hunc enim librum qui evolverit, inveniet illis, quae ab Hasaeo evulgata fuerunt, multo ut apertiora, ita et foediora ἀλαζονείας Moshemianae documenta. Non attingam quidem omnia, cum insigni Danorum et universae gentis nostrae iniuria, temere a Theologo illo effutita, in quibus, quod de Flav. Iosepho cum MSS. a se collato dicit p. 298., purum putum est mendacium; postea etiam in Cel. Havercampii praefatione detectum, resque, ut vere se habebat, exposita. Quod vero de Rostgaardo scripsit, quasi non serio is rem ageret, quia Libanianas epistolas detrectabat curae committere cuiusvis ardelionis, sequentia non minus tempora ostenderunt vanissimum fuisse, rectissimeque tunc perill. illum virum fecisse; secus enim si esset actum, careret adhuc haud dubie litteratus orbis nitida editione illa, quam suscepit demum perfecitque egregius ille b. m. Wolffius, cui quid ad hoc operis incitamenti fuerit, nemo forte mortalium melius explicare, illo exstincto, potest, et cuilibet, si necessum fuerit, demonstrare, quam Io. Grammius. Verum his omissis, audiamus ex epistola ad la Crozium 142 verba p. 301., quibus thraso ille litterarius Danicam suam

expeditionem exque ea reportata sua describit ampla spolia. *)

In istis, tum cum primum ea legerem, tum quoties in memoriam rediit de iis cogitare, nihil magis sum miratus, quam fabulam ab ineptissimo *ψευδολόγῳ* confictam de occasione, qua in Plutarchum incidisset. Interim hoc

---

*) „Multa Hafniae reperi venerandae antiquitatis monumenta ex Hispania aliisque terris a Legatis Regiis eo translata, quae nullum, qui luci ea adferat, reperire, profecto dolendum est." (Pusillam oportet fuisse notitiam Moshemii de Thesauris litt., qui in Gallia, Anglia, Germania etc. reperiuntur, et quorum non multum admodum est, quod luci adhuc adsertum, si inedita spectentur.) „Magnam eorum partem ingenti pretio Sunderlandius Comes, nunc fato functus, Bibl. suae vindicavit" (Nobis in Dania viventibus plane incompertum, a Sunderlandiae Comite aliquam monumentorum ineditt. partem hinc ablatam)," quam a Rege tuo emtum iri, nuper ab amicis accepi. Ego inter alia ex Cod. membr. antiquissimo, qui Arii quondam Montani fuerat, Aprungii Pacensis Sec. V. Episcopi in Apocalypsin commentarium descripsi, miris et inauditis explicationibus refertum, quem Isidorum Hispal. et Trithemium vehementer commendare, recentiores deperditum esse conqueri, meministi. Si quid tibi de hoc homine adnotatum est, aut de libro eius, fac quaeso ut accipiam. Constitutum enim est, de eo aliquando, si fata velint, publice commentari. Plutarchum *περὶ εὐγενείας*, cuius Stobaeum mentionem facere nosti, omnes hodie amissum dolent; at hunc ego in Cod. optimo membr., trecentorum, ut videtur, annorum, quanquam in fine mutilum, Hafniae reperi, atque ex fati paene faucibus (librorum enim compactor codicem possidebat) eripui." (O! iniquum nimis Wolffium, et in summa merita inurium, qui in *IV. Anecdotorum Graec. Tomo* totum hoc silet, et pro Plutarchi opusculo gratias agit Grammio, praeterito vero Plutarchi sospitatore Moshemio.) „Contuli iam loca, quae Stobaeus serm. 86. p. 498. et 84. p. 494. ex eo habet, et omnia recte sese habere intellexi, quin ex hoc Cod. Stobaeum hinc inde emendari posse animadverti." (Neque tu animadvertisti, neque intellexisti, sed alienis et quidem eius, ad quem codex pertinebat, observationibus es usus.) „At unum est quod me male habet. Idem Stobaeus l. c. p. 494., locum ex eodem hoc libro meo exhibet: *ὅλως δὲ περὶ εὐγενείας ἐγὼ ἀκοῦω* — At Aristotelis ex *libro* de *Nobilitate* depromtum esse ait. Quanquam non dubito, quin Stobaeus memoriae vitio pro Plutarcho Aristotelem posuerit, cum multis pateat argumentis, Aristotelem eius, quem ego possideo, libri auctorem non esse. Varia praeterea *Poëmata Gr.* nondum edita, eaque elegantissima, accepi, de quibus alio fortassis tempore ad te scribam. Iam id tantum subiungo, omnes prope Epistolas Otth. Sperlingii, quas ad eruditos nostri aevi viros scripsit de re antiquaria et nummaria, nec non multorum ad eum responsorias, et in his supra 50 *Gisb. Cuperi*, quibus tui saepius perhonorifice meminit, in meas incidisse manus. Ut taceam ingens quoque volumen ineditarum Grotii, Meursii, Gruteri, Salmasii, Vossii epistolarum vegrandi licet pretio a me comparatum esse. Kiliae 29. Aug. 1722."

scias velim, nonnihil materiae hinc suppeditatum habuisse fabulae ei exstruendae. Narraverat nempe illi Grammius, quomodo Arnas Magnaeus folia ista graeca in calce alicuius suorum codd. reperisset (sicut superius indicatum) eaque per librorum compactorem, cui codicem nova ornandum veste tradiderat, avulsa sibi dono dedisset. Hanc vero narrationem Moshemius parvae sibi gloriae futuram ratus, substituit aliam ad fidem faciendam la Crozio, sese illa folia apud librorum compactorem deprehendisse atque ex fati eripuisse faucibus. Impertivit statim la Crozius hoc indicio, totaque a Moshemio composita fabula Paul. Ern. Iablonskium, quemadmodum ex huius responsione (num. 159. p. 184.) manifestum, ubi haec legas: „Prodigio simile mihi visum fuit, quod de libro Plutarchi a Clar. Moshemio sospitato commemorasti. Itane in illa regione, cui nunquam defuerunt viri eruditi, tanti Thesauri delitescere potuerunt? Tu vero, qui tantum potes in possessorem horum librorum, nihil, scio, omittes, quo ipsum excites, ut editionem horum omnium maturet.“ Nimirum latuissent perpetuo hi Thesauri in barbara Danorum gente,, nisi *sospitator* advenisset Moshemius, suaque illos divina virgula perquisitos, e fati extraxisset faucibus, sua etiam luce caliginem, qua obsepiebantur, illustrasset. Profecto in illis, quae iactat ad illustrandum Plutarchum sese attulisse, conferendo cum Stobaeo loca, unum et alterum, nihil eius agnoscitur, neque enim verbulum heic, aut iota, quod non omne ex Grammii annotatiunculis in libro iam tunc descriptis, impudens plagiarius accepit. In Grammii quoque libro invenerat istius exarata manu ex Windingianis schedis Graeca illa poëmata, quae ut elegantissima praedicat. De Sperlingii et Cuperi epistolis sufficiant iam nuper dicta; falsum tamen, quod hic adiicit: multorum ad Sperlingium responsorias simul abstulisse; nam ex hoc genere nullas obtinuit, si Cuperi illas excipias. Denique quod ad ingens vol. attinet epistolarum Grotii, Meursii et ceterorum, nescio quid virum impulit ut mentiretur, et la Crozio diligenter adeo exponeret, vegrandi se illud pretio comparasse, nisi spes forsitan liberalem inveniendi emptorem, cui maiori addiceret, coque reperto, volumen a possessore Danico futuro sc. (quemadmodum ad Hasaeum praedicarat) *facillime,* haud illo quidem pretio, sed meris blanditiis extorquendi. Hac vero ex spe deiectus, multisque post annis de eadem epistolarum sylloge ad Uffenbachium, talium supra modum curiosum, scribens, necessitate adactum se vidit ad commentum immutan-

dum; igitur sibi oblatum quidem Hafniae Codicem, sed ibidem penes amicum fuisse relictum, retulit; ac postea (forte ut Uffenbachio omnem ulterius perquirendi occasionem ac spem praecideret, cum Sperlingianis et Cuperianis cunctis conflagrasse. Ultimum ut plenius cognoscatur, quam solemni et constanti in more positum hoc sit Moshemio, quamque in naturam ei verterit, in epistolis falsa dicere atque de rebus suis gestis, nec non litterariarum mercium acquisitione gloriari; attexemus historiolam nuper nobis repertam in praefatione eruditi illius Galli, cui editionem quarundam Cuperi epistolarum Gallice scriptarum debemus. Indicat is, sese in eandem Moshemii epistolam ad Uffenbachium, ex qua nos quaedam protulimus, incidisse, edoctumque inde fuisse, *epistolas Cuperi ad la Crozium, cum huius responsionibus, penes Moshemium reperiri;* sic enim ipse professus fuerat Moshemius: „*Habeo adhuc Gisb. Cuperi epistolas ad M. V. la Croze, cum huius responsionibus, in quibus multa sunt eximia et scitu dignissima; sed qui eas mihi dono dedit, illustris la Croze, se vivo, in alias manus Thesaurum hunc vetat venire.*“ Itaque eruditus Gallus Cuperianis iam dudum potitus, ad la Crozium scriptis: huius vero responsiones nusquam, licet anxie quaesitas, inveniens, hoc indice excitatus est, inque spem ingressus la Crozianas nunc demum obtinendi, amicorum, qui Moshemium familiarius norant, auxilio. Tam certus etiam voti propositique fuit sui, ut in schemate evulgato iusserit eruditum orbem la Crozii a se pariter et Cuperi epistolas exspectare. At vero cum ad rem esset ventum, frustra doctus ille editor amicos sollicitabat de la Crozianis a Moshemio impetrandis, si quidem frustra apud hunc omnis eorum fuit opera. Igitur ipse sibi fit pararius, calamum sumit, scribit ad Abbatem, admovet omnes preces, maximaque obtestatione orat, ut la Crozii Responsiones, quarum ipsum possessorem esse, ipsius ad Uffenbachium litterae loquebantur, haud amplius editioni suae sibique, iam publico eorum sponsori facto, invideat. Recipit sic demum a Vener. Moshemio responsum Helmstad. d. 6. Maii a. 1741. datum, hocque deinceps prologo editionis suae in excusationem inserit. Atque in eo videre licet, quam anxie se gerat Abbas ac aestuet, quamque in varias partes se torqueat, nunc Schelhornium accusando (quod tamen non eadem libertate audet, qua Iac. Hasaeum olim eiusque amanuensem), nunc seipsum et calamum suum, nunc denique nimium illud spei de la Crozii facilitate conceptum, eo demum redactus, ut vanilo-

quum se agnoscat, fateaturque, aliisque talem agnoscendum ipse praebeat. *)

O quam terribilis et periculosa res est, inter vitia, quae mortalium animos, in iuvenili maxime aetate corrumpunt, vaniloquentiae et mendacii assuetudo! Ut pertinaciter haeret! ut difficulter etiam magnis ingeniis exuitur! Moshemius, quo (si nonnullorum iudiciis credendum) nullus iustiori pretio virtutes et vitia aestimare; nullus illarum pulchritudinem horumque foeditatem ornatiore stilo depingere in Theol. libris novit. Is qui a. 1723. in vaniloquis deprehensus, tam scite et Philosophice de eo disserere in litteris ad Dn. Conradium potuit, ut deierares nunquam futurum esse, ut posthac ad indignam adeo viro docto et Theologo, miseramque, utitidem appellavit, vanitatem relaberetur; is tamen ipse, decem fere post annos, in eodem turpissimo luto haeret, neque deponere potis fuit vitium, quod Philosophus olim dixit τῶν βαιοπανούργων esse, ***hominesque bonorum omnium contemtui exponere.*** Iamque (caetera ipsius si intuemur) aetate, meritis et scriptorum praestantia venerabilis cogitur, ut colores illi vitio quaerat, indigna quaedam perfugia, artesque vix mediocribus servis, ut cum eodem Aristotele loquar, ignoscendas adhibere.

---

*) En itaque responsum illud, ex l. editoris praefat. desumtum: „Le dessein que vous avez formé de publier les lettres de l'illustre Msr. Cuper, est fort beau: je voudrois de tout mon coeur, que j'eusse le pouvoir d'y concourir en quelque chose; mais, Monsieur, je suis dans la plus grande impuissance du monde de vous secourir; je n'ai jamais eu entre mes mains les réponses de feu Msr. la Croze à Msr. Cuper; je les lui ai demandé plus d'une fois, mais il a toujours répondu, que sa coutume n'etoit pas de conserver les minutes de ses lettres. Je crois qu'il a dit exactement la vérité. Et vous avez pourtant, direz-vous, assuré feu Msr. Uffenbach, que vous aviez les lettres de feu Msr. Cuper à Msr. la Croze, avec les réponses de celui-ci? Il est vrai, Monsieur, *je l'ai dit*, si Msr. Schelhorn a bien copié ma lettre à feu Msr. d'Uffenbach, comme je le veux bien croire. Mais ou je l'ai dit par inadvertance, ou par la précipitation de la plume, ou dans l'espérance d'obtenir les dites réponses. Quoiqu'il en soit, je puis toujours vous prouver par les lettres originales de feu Msr. la Croze, qu'il ne m'a jamais confié ses lettres à Msr. Cuper."

XIV.

De codd. Bibliothecae Cracov. scr. *Guil. Münnich.* Pars II. De codicibus varii argumenti.

(Vid. Miscell. cr. Vol. I. P. IV. p. 690.)

A. Quae *Ianocius* in Hist. Miscell. II. p. 212. de *Iac. Parkoski de Storawicz* iuris civilis sec. XV. scriptore, fretus auctoritate Catalogi MSS. Bibl. Univers. studiorum Iagellonicae a. 1777 conscripti affirmavit, ea omnino falsa sunt, nam alio loco laudatus idem ille Iac. Parkoski, etsi Catalog. p. 351 non 180. instituta iuris civilis scripsisse dicatur, tamen in ipso Cod. MS. BB. VI. 13. nihil praeter praefationem Matthaei de Cracovia opusculo *Suavistilla* seu *Favistilla* dicto praefixam reliquisse videtur. Sufficiat breviter exponere scripta, quae in Cod. memorato in 4to foliis chartaceis 134 continentur:

I. *Raymundi Parthenopei* Summa iuris, quae Statuto Laskiano a. 1506. longe correctior adnexa est. fol. 98.

In unico autem hoc Cod. Bibl. Univers. Litterarum Cracov. nulla auctoris est mentio, sed folio 95. verso haec leguntur: *Explicit liber de iure personarum et rerum et actionum et cetera sub anno Domini Millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono: Ego Iohannes Clericus de Badzen* (*Bendzin* Polonicum oppidulum in confinibus Silesiae). Fol. autem 98vo in fine indicis: *Iste liber finitus est simul cum tabula seu registro subscriptis feria quinta ante festum Viti proxima Anno Domini ut supra in Oppido Slawkow et cetera.* Nec differt, quod ad partitionem textus in libros IV, item quod ad singula capitula et argumentum totius operis attinet, haec Summa Raym. Parthenopei manu Ioannis de Bendzin scripta ab exemplari a. 1506 typis impresso, sed exstant variantes lectt. eaeque minus latinae, e quibus fit verisimile, exemplar typis mandatum sive *Ioannis Laski* sive *Iacobi de Zaborowo* opera correctum fuisse. Quo luculentius id pateat, vel parcissima lectionis varietas accuratius inspecta de hac re quemlibet Lectorem edocere poterit. v. g.

Laski.	Codex Cracov.
Fol. I. v. 1. paternam pietatem, quam erga filios meos habui	*paternalem amorem, quem ad filios meos habui.*
— — v. 4. utilem	*levem.*
— — v. 8. honore et utilitate . .	*proficuo et honore.*
— — v. 13. tempore belli . . .	*tempore impacis.*
Fol. I. verso v. 7. quae sunt iure naturali contraria	*que sunt iuri naturali contraria.*

— — v. 9. unamque habebant libertatem	*unaque habebant libertatem.*
— — v. 13. occupatio	*sedium occupatio.*
— — — federa pacis et induciarum	*federa pacis et treuge.*
— — v. 17. utuntur	*sortiuntur.*
— — v. 21. lege lata	*lege postea lata.*
— — v. 26. multiplicatis . . .	*plurificatis.*
— — — dumunculas	*domiculas.*
— — — permanebant . . .	*commanebant.*
— — v. 29. asserens eis	*et dixit eis.*
— — v. 31. coërceantur	*intercipiantur.*
— — v. 33. multiplicatis et amplificatis	*plurificatis et ampliatis.*
— — v. 34. civitatem multi. . .	*civitatem.*
Fol. II. v. 8. consulares	*consules.*
— — v. 19. promulgationem . .	*provulgationem.*
— — v. 20. observationem . .	*observanciam.*
— — v. 23. improbos	*reprobos.*
— — v. 24. improborum formidato supplicio	*improbis formidato supplicio.*
— — v. 26. honeste	*iuste.*
Fol. II. verso v. 6. Ligurus Lacedomonibus	*Ligurius Macedomonibus.*
— — v. 14. et magistratus creari ceperunt	et m. c. et leges scribi ceperunt.

II. Auctoritates seu adnotata ex auctoribus diversis classicis et aliis contra varia hominum vitia fol. 5. a fol. 99 ad 104. v. g. *contra sompnolentos, contra linguosos, contra inconstantes* etc.

III. *Matthaei de Cracovia* tractatus in MS. cod. nostro *Favistilla* seu *Suavistilla* dictus fol. 20, cui in fine haec est epigraphe f. verso 124: *Explicit tractatus qui intitulatus Sfavistilla* (Ffavistilla?) *Magistri Mathei de Cracovia perswasivus* (!) *de sepe celebrando et cetera Jhesus Cristus Maria.*

IV. *Alb. Ranconis de Hetuno* (Hestuno, Hesdin?) epistola, quae sic incipit fol. 125. recto: *Carissimo suo socio et amico Martino Plebano in vico artificum maioris civitatis Pragensis Alb. Ranconis de Hetuno indignus in sacra pagina et in artibus Magister Parisiensis Scholasticus ecclesie Pragensis salutem.* Haec epistola constat fol. 9. et est de communicantium devotione, *quam auctor*, ut ipse testatur, *confirmare studet, ut contrariam opinionem per scripturas catholicas confutari possit.* Quid autem sibi voluit et ubi illa *Iac. Parkossii* (non Parkoski) praefatio ad Matthaei de Cracovia suavistillam? Fol. 10. recto sic illa quidem incipit: *Reverendissimo in Christo Patri et dno domino Sbigneo Dei gracia Episcopo Cracoviensi sibi domino metuendissimo Magister Iacobus*

Parkossii de Szorawice decretorum doctor etc. suorum minimus clericorum pastoralis curam regiminis feliciter gerere et laudem in nomine Domini perhenniter obtinere. Quis ille Iacobus Parkossii, ut opinor, filius idemque Polonus fuerit, iam ex hac inscriptione epistolae apparet. Quem in finem autem Matthaei de Cracovia opusculo praefatus fuerit, elucet ex his verbis folio eodem verso: *Quid Deo gracias* (gratius) *et acceptabilius inveniri aut excogitari potest, quam membrorum domini vel personarum miserrebilium* (miserabilium) *misereri et ipsum ipsimet sacrificando ymolare et ymolando victimari, quod quatenus vestra reverendissima Paternitas et efficiat frequentius et efficacia fervidius, praesentem tractatulum, utpote ad hec non tam efficaciter, quam mirabiliter inducentem, qui ob sui compendiositatem et dulcedinem sfavistilla non inconcinne vocari potest, dignum duxi offerendum. Quemque nedum pontificibus, sed omnibus passivi* (sic) *presbyteris ymo et alias laycaliter communicantibus ac communicare volentibus saluberrimum ac perutilimum* (sic) *vestra reverendissima Paternitas prospiciet, dignum reor ipsum synodaliter publicandum, ut ceteri solicitamentis et avisamentis* (sic) *eius inducti, tanto frequencius, quanto effectuosius sacrificantes largitoris gratiarum graciam in via et tandem gloriam in patria percipere mereantur etc. Jhesus Christus.* Iam quoque qualis noster Iacobus Parkossii fuerit, ex illis, quae laudavimus, abunde intelligi poterit. Restat autem, ut de opusculo Matthaei de Cracovia in Cod. nostro Favistilla (ffavistilla) sive Suavistilla (sfavistilla) dicto, id enim non liquet, ea breviter in memoriam revocemus, quae fusius alii tradiderint. Hunc enim tractatum iam in officina Gutenbergiana a. 1458 typis excusum fuisse docuit *Gothelf Fischer*: Beschreibung typographischer Seltenheiten Lief. III. p. 79 s. tit.: *Tractatus racionis et consciencie de sumcione pabuli salutiferi corporis domini nostri Ihesu Christi.* Quod idem opusculum cel. viri *Io. Alb. Fabricius* Bibl. m. et inf. aetatis ed. Patav. T. V. 48, 49, *Panzer* Norimbergensis et alii sub alia inscriptione alibi prodiisse indicaverunt, v. g. *Utrum deceat Sacerdotes Missas continuare vel Laicos frequenter communicare,* Memingae 1491, quem quoque ut apud nos in Cod. MS. dialogum inter rationem et conscientiam habitum *Ios. Andr. Zaluski* in Programmate literario Dantisci 1743 a *Georgio Petro Schultz* edito p. 41 a *Petro Saunier* Ord. S. Spiritus de Saxia in usum Reginae Poloniae *Ludovicae Gonzagae* in

Francogallicum sermonem translatum et Lugduni 1652 impressum fuisse narravit. Idem dialogus apud Fabricium l. c. audit: *Conflictus rationis et conscientiae de summendo vel abstinendo* (sic) *corpore Christi.* Prodiit e prelo Mateciano Cracoviae in lucem dissertatio Illustrissimi viri Iosephi Maximiliani Comitis *Ossolinski,* Caesareae Vindobonensis Bibliothecae Praefecti, Socii nostri Honorarii, *de Raymundo Parthenopeo et antiquo in Academia Cracoviensi Iuris Romani sive Civilis studio.* Haec autem Dissertatio adnexa est Operi maiori, quod *Vitae Eruditorum Polonorum* lingua patria inscriptum est. Tam ex opere universo quam et ex illa dissertatione non parum laudis universitati studiorum Cracov. redundabit, quod aliter ignoratum fuisset. Sunt enim praeter instructissimam rarissimorum saeculi XVI scriptorum nostratium Bibliothecam Comiti I. M. Ossolinski non pauci Codd. MSS. Polonorum, qui ad historiam Universitatis nostrae faciunt, in quibus prae caeteris *Stanislai Iosephi Biezanowski* Continuatio Annalium Universitatis nostrae a *Martino Radyminski* a. 1660 scriptorum eminet. Sed ea quoque subsecuta est apud Polonos rei litterariae felicitas, ut de prosperis eventibus optime confidere possimus. Quae et quanta opera hisce ultimis annis *Stanislaus Potocki, Alexander Chodkiewicz* et *Stanislaus Staszyc* et alii, quorum nomina praesentes pagellae non capiunt, in variis ediderint disciplinis, certe neminem latet.

B. Descriptio duorum codd. *Claudii Ptolemaei,* qui in Bibl. univers. studiorum Iagell. asservantur.

I. Codex membr. in 8vo mai. foliis 150. Fol. 1. recto nitide picto in limbo: *Sanctissimo Patri Alexandro Quinto Pontifici Maximo Iac. Angelus Florentinus. In libros Cosmographie Ptholemei Prohemium.* In fine, fol. ultimo: *Claudii Ptolemaei Viri Alexandrini Cosmographye octavus et ultimus liber finit. Quem demum e Graeco Latinum fecit Iac. Angelus Florentinus civis. Ad Laudem Omnipotentis Amen. Explevi* 1472. 19. *Sept.* Folio autem vacuo ante textum primo: *Io. Broscius emit Patavii* 4 *libris d. XVI. Decembris a.* 1623. 4. *Librae valent* ½ *aurei Ungarici. Aestimabatur eo tempore aureus Ungaricus libris duodecim.* Scriptio huius cod. nitida, cursiva, Italica, mendis tamen non carens v. g. Libro III. Germaniae situs. Sub his *Semana est silva et Asbigurgius mons, cui* 30, 54 *et* 44. 52½ *Gabrica et Gabrita* silva. Pro Budorigo est *Ludorigum* 41. 52⅔ *Carodunum,* 42⅔ 51½ *Assanca* 43. 93. *Sarmathie Europe finis: Sarmathia Europe terminatur a Septemtrione*

oceano Sarmathico iuxta Vennedicum et parte terre incognite secundum hanc descriptionem. Post Instule fluvii ostia Cronis flu. ostia 50. 50. *Super autem Tyram flu. penes Daciam Carodunum* 49½, 48⅔.

II. *Atlas Ptolemaei* fol. mai. in charta papyracea lintea, in qua insigne, quod vulgo reperitur in libris typo *Nicolai Ienson Galli* apud Venetos expressis a. 1471. Vid. *Iansen* Essay sur l'origine de Gravure, Paris 1808. p. 342, planche T. I. 13. Nro. 69. Hoc insigne est autem pileus cardinalitius. Atlas noster iam passim mutilatus has continet tabulas sine textu ullo: 1) Orbis Terrarum; 2) Brittania; 3) Hispania; 4) Gallia; 5) Germania Magna; 6) Rhetia, Noricum, Vindelicia, Panoniae et Illirycum; 7) Italia; 8) Sicilia; 9) Sardinia; 10) Sarmatia Europaea et Asiaticae pars; 11) Graecia; 12) Mauritania; 13) Numidia; 14) Cyrenaica, Libya et Aegyptus; 15) Libya inferior; 16) Asia minor; 17) Sarmatia Asiatica; 18) Regiones inter Pontum Euxinum et Mare Caspium; 19) Syria, Mesopotamia, Babylonia; 20) Armenia, Media, Parthia; 21) Arabia; 22) Scythia; 23) Serica; 24) Aria etc.; 25) India citra Gangem; 26) India ultra Gangem; 27) Taprobane. Vacua papyri totidem fere folia forsitan delineationi recentioris Geographiae tabulis destinata erant, ut in *Nicolai Donis* editionibus 1482. 1486. Ulmae Hispaniam et Galliam recentiores habemus post antiquas harum terrarum tabulas. Quae enim Ptolemaei geographiae factae fuerunt tabulae, eaedem etiam novis recentioris Geographiae non raro adaptatae sunt mappis, ut, quae vitia in illis inveneris, in his quoque reperias v. g. ut Suevus amnis apud Ptolemaeum in mare influit, ita Spreva quoque in Salum defertur apud *Sebastianum Münsterym* in Cosmographia eius a. 1567. Tabulae autem nostrae in picturis et delineationibus similiores sunt *Nicolai Donis* tabulis, quam *Romanae* editionis 1478 aut *Bononiensis* 1491 (1462); sed maiores sunt utrisque. Differunt etiam in multis v. g. in Germania Magna: *Vistulae* fons infra *Budorigum* 40° Long. 53° Latit. cum magno circuitu ad *Asciburgium Montem*, in quo *Luti*, *Buri*, *Lutidunum* (sic) *Budorigum* in dextra, *Leucaristus* in sinistra, et *Calisia* iterum in dextra Vistulae ripa, *Setidaba* in sinistra. Ad 53° 15′ devolvitur in Vistulam aliud flumen, quod Nicolaus Donis caput Vistulae esse credidit, idemque *Visburgios*, *Asancam* in sinistra ripa Vistulae posuit. Ad Albis fontes *Casurgis* et non procul inde *Redintumium* (sic) *Budurgis* 40° Long. 50° 30′ Lat. *Nomisterium*, *Hegetmatia* 51 Lat. 39° 30′ et 40°

Long. Inter *Budurgim* et *Orcynium nemus Visburgii* et non procul inde *Assanca* 50° 30′ Lat. 42° 45′ Long. Quodlibet oppidum quadrato s. potius parallelogrammati inclusum, in quo nota puncti designat verum civitatis situm. At in Gallia et Hispania aliae notae appositae sunt eaeque arbitrariae vel aliquot punctorum vel aliorum signorum v. g. lunae, glandis etc. quibus indicatur, ad quam qua civitas gentem pertinuerit. Sed hae notae desunt in Germania Magna, v. c. ad Eduos (Aeduos) lunae nota signatos Augustodunum, Lugdunum, Cabalinum eodem signo itidem notatae urbes pertinent in Gallia. — Caeterum magna cura et diligentia iidem gradus Longitudinis et Latitudinis servati sunt, ut in textu Ptolemaeano indicantur. Alia, quae reperiuntur, oppida *Carrhodunum* dicta apud Ptolemaeum, sunt:

1) Carrhodunum 33° Long. 50° 46′ Lat. in Vindelicia, quod *Bertius* p. 62 (56) *Krainburg* in Bavaria nominavit (Kruse, Archiv. III, 99).

2) Carrhodunum 39° Long. 46° Lat. in Pannonia Superiori (*Karnburg*) Bertius l. c. 63 (57).

3) Carrhodunum 49° 30′ Long. 48° 40′ Lat. (supra Tyram flu. penes Daciam) Bertius p. 83 (74). Hoc oppidum Cluverius Leopolim esse censuit, sed si supra Tyram (Dniester) idem valet ac ad Tyram, versus Daciam in dextra Tyrae ripa quaerendum erit hoc oppidum fere inter *Zaleszczyki* et *Czernelico* in dextra Danastris ripa. At apud *Crusium* est Carrhodunum in Pannonia superiori l. c. 98. *Czakotorn* in Stiria, ni fallimur, per errorem typographi, oppidum in fines Styriae in Ungaria situm, *Carrhodu*, nunc Bastarparum *Czaykowice* in Galicia. Ibidem p. 99. laudantur quoque *Cracovia* Megalopolitani Ducatus oppidum, *Cracovia* (Krocke) pagus Anhaltinus, alius item non procul a Magdeburgo, alius in Misnensi Marchionatu. Addimus hoc loco Maravicos pagos et oppida *Krakow*, *Krakowice*, item Pomeranicum *Krokow*, unde Matthaeus de Cracovia, Krokow. Tandem et alia Polonica v. g. Krakuszowice pagum tribus miliaribus a Cracovia trans Vistulam in Galicia distantem, ubi etiam est tumulus *Craci*, quem alii dicunt Secundi sive Iunioris, alii vero Senioris, esse sepulchrum. Sunt etiam qui negent verum ad Cracoviam Craci I tumulum esse, at illum esse genuinum. Sunt quoque et Czechorum sive Bohemorum recentiorum fabulae, quae Crocum Bohemum Slavum nostram civitatem condidisse ferant, quibus occasionem dedisse videtur *Pulkava* sec. XIV, qui Cracoviam a Craco Croci fratre exstructam esse

scripserit; alii id negant et *Krakowiec* arcem in Bohemia conditam Cosma duce autumant. *Dobner* ad Hagecium II, 77. Nemo in re tam incerta aliquid certi proferre audebit. Inter quatuor eius nominis oppida, quae Carrhodunum vocata fuerunt, unum Longitudinis 42° 30′ *Ptolemaeus* antiquus circa 160 a. post Christum natum Geographus memoriae prodidit, quod vulgo Cracovia nostra fuisse creditur. Vid. *Bertii* editio in Theatro Geographiae Veteris a. 1618. I. p. 160. Editio *Ulmensis* I, 1482. II, 1486. et multae aliae sequiores idem perhibuerunt. Sufficit autem *Mannerti* auctoritatem interponere Tom. III. Geographiae antiquae Germanice scriptae, Lips. 1820. p. 467: „Karrhodunum, si aliorum oppidorum distantiam consideraverimus, in itinerario versus Calisiam et Budorigum, quae Ratiboria est, alia civitas esse non potest, quam nostri aevi urbs Cracovia. Sita est autem ad Vistulam, cuius fontes Ptolemaeus ultra eius agrum ad septentrionem versus Orientem non suo loco posuit, quod quidem utique vero huius urbis situi repugnat. Sed quum idem Auctor Montem *Asciburgium*, e cuius extremis radicibus hunc amnem defluere putabat, nimis ad Septentrionem et Orientem promovisset, etiam caput huius fluminis, ut non suo loco collocaverit, necesse fuit.“ Haec sunt *Mannerti* verba. Itaque *Ptolemaeus* in Geographiae Libris VIII, quum veros Vistulae fontes in Monte *Barania Gora* in Principatu Tessinensi e tribus rivulis *Biala*, *Czarna* et *Malinka Wisla* ignoraret, Carrhodunum hoc et Casurgim et Budorgim et alia oppida plura 50° et 51° Lat., quae in sinistra Vistulae ripa sita sunt, in dextra posuit. Sed vera Cracoviae nostrae Latitudo teste *Lenscio* Astronomo, Miscell. Crac. II, 24. est 50° 3′ 52″, qui numerus sane dato *Ptolemaeano* non congruit, ita ut, si solam poli altitudinem spectamus, illud antiquum Carrhodunum a nostra Cracovia ultra 20 vel 22 milliaria ad Septentrionem abesset. Sed utrum revera Carrhodunum illud Cracovia nostra fuerit, necne, non admodum pro illa sententia pugnabimus. Etsi enim non raro acciderit, ut in derelictis antiquorum populorum sedibus novi populi nova conderent oppida, tamen id non semper factum fuisse certum est et non raro antiquissimarum urbium vestigia longo a recentiorum civitatum positione intervallo distant. Caeterum Gallicum sive potius Celticum est nomen Carrhodunum, quod *collem curruum* significare dicitur. Utrum vero Celtae an Teutonici homines an Slavi, quicunque Vistulae accolae, Ptolemaei temporibus illud Carrhodunum incoluerint, quis nostro aevo

eruere poterit, quum nulla fere quod ad linguam incolarum illius temporis antiquitas tradiderit illorum populorum monumenta. Attamen in memoriam revocare liceat omnia fere sive Gallica sive Celtica sive Teutonica sive Sarmatica nomina, quae apud Ptolemaeum memorantur, paucioribus exceptis, non a Germanice, sed a Slavice loquentibus hucusque esse conservata v. g. *Corconti, Krkonosze, Bohemice, Luti, Buri. Luty* crudelis Slavonice, Ecclesiastica dialecto, *Bury* fuscus, virgatus, Polonice. His addere lubet Vistulam, Wislam, apud *Jornandem* Wisclam, quod vocabulum certe propius ad antiquum Ptolemaei nomen accedere videtur, quam Germanicum: die Weichsel. Itaque Calisia, Krapak, Krempak pars Carpathici montis. Multa loca Buda, Budyn, Budzyn per Pannoniam et Bohemiam, Budy, Budki per Poloniam. Sed his etiam non omnia tribuere volumus, nam varii fortunae casus multa tulisse videntur, quae explicari nunc non possint. Non raro fieri potuit, ut sub antiquo nomine novus populus latuerit, et antiquus sub novo nomine sederit pristino loco v. g. Hermunduri, Thuringi, Bohemi, Czechi, Cambri, Cantuarii etc. Sic Carrhoduni, Budorgi et nescio quibus Celtici nominis locis tum Germani tum Slavi suo tempore habitare potuerunt. Sic itaque liberum cuilibet in antiqua Carrhoduni sede vel Gallos, vel Germanos vel Slavos quoscunque ponere pro lubitu. At antiquam nostram Cracoviam ad radices montis *Waveli* a Slavis conditam, ut fert traditio, non seculo demum octavo a *Craco I.* (anno 700 sive 750), quicunque is fuerit, ad Vistulae iam a confinibus Silesiae navigabilis ripam positam fuisse, sed forsitan aliquot seculis antiquiorem a primis Chrobatiae Polonicae incrementis ortam esse, ut quidam volunt, multis credibile est. Nam Bohemos Czechos olim albos Chrobatos fuisse, *Nestor* memoriae prodidit, quod *Dobnerus* ad Hagecium luculentius demonstravit, Dobner II. p. 11. 16; *Nestor Schloezeri* II, 66, et in ficto apud Cosmam Pragensem privilegio Episcopatus Pragensis 1006. ed. *Dobrovscii* Tom. I. p. 171 occurrit duplex *Chrovati* h. e. Chrovat sive Chrobatia, quarum altera disertis verbis circa Cracoviam fuisse dicitur. Atque quamvis eam *Dobnerus* P. I. ad Hagecium in Prooemio p. 163 ad rempublicam Bohemorum pertraxerit, tamen quum *Nestor* ad Vistulam solos Polonos Lechitas posuerit, Polonicam Chrobatiam, qui eam fuisse censeat, rectius nonnullis iudicare videntur. Exstat etiam apud *Nestorem* et tertia Chrobatia p. 121 ad Asiae confinia. Item et Czerwenicae urbes Chrobatia ru-

bra dictae sunt, et quae nunc est Chrobatia seu Croati
a Septentrionalibus populis originem trahit Slavici nomi
nis regnum. Quamobrem non miramur esse aliquos, qu
Cracum illum a. 750, cuius tumulus trans Vistulam i
monte *Lasota* e regione urbis erectus est, non primum
conditorem, sed instauratorem urbis fuisse asserant, siv
nova civitas in antiqui Carrhoduni locum statim succes
serit, sive interiecto aliquo tempore post primum Slavo
rum adventum eodem, vel alio eoque novo loco exstru
cta fuerit, quod quidem iam seculo IIItio vel IVto au
tandem Vto post Christum natum accidere potuit, siqui
dem Sarmatae Slavi semper viciniae fuerint. Sed de hi
ut incertis multa disserere nolumus, sed quod iam ex re
rum gestarum memoria certo certius est, id tacere no
possumus: Cracoviam antiquissimam in his regionibu
urbem, quocunque illa seculo condita fuerit, tandem suc
cessu temporum auctam accessione suburbiorum ad tan
tum ambitum excrevisse, ut seculo XV et XVI. ad octin
genta millia incolarum complecteretur. Quam ob rem
mirum in modum Auctor ceteroquin eruditissimus incu
ria rerum Slavicarum erravit, qui scripsit (*Kruse* Archi
für alte Geographie, III. p. 99) Cracoviam paullatim e qua
tuor minoribus oppidis coaluisse civitatem, scilicet *Cra
covia, Clepardia, Stradomia* et *Casimiria*. Nam Cle
pardia olim suburbium a *Casimiro Magno* a. 1346 iu
civitatis obstinuit. Vid. *Dlugossi* Hist. Libr. I. p. 39.
quae quidem a tignis ad dolia sali condendo aptatis *Klepk*
vulgo *Kleparz* appellata fuisse fertur, quia ibi magna sa-
lis nativi usque ad novissima seculi praeteriti XVIII tem-
pora ad annum 1768 fuerunt horrea. Stradomia nunquam
fuit civitas, sed antiquissimum est adhucdum suburbium
cuius nomen a Slavorum Aeolo *Stry* sive *Stri* ventorum
Deo derivatur. Sunt autem in Silesia quatuor pagi *Stra-
dom* seu domus Dei *Stry*, nam genitivus casus Polonice
Stra sonat. Vid. *Martini* Index pagorum Silesiae p. 164.
Etiam in Myslenicensi tractu trans Vistulam eius nominis
pagus et oppidulum est in tractu *Czenstochoviensi*, cis Vi-
stulam, et plura facile alia invenientur huius nominis
exempla. Casimiria autem a Casimiro Magno a. 1335.
d. 3. Kal. Martii Sandomiriae demum in civitatem erecta
fuit, de qua *Nakielski* in Miechovia sacra Classe I. p. 258
consulendus est. „In cuius urbis colonia deducenda, in-
quit, praecipua usus est opera hominum generis Teuto-
nici, quos ex *Hassia* acciverat, unde etiam alteram uxo-
rem, mortua priore, duxerat, *Adelaidem* sive *Hedvigim*
nomine Henrici Hessorum (sic) Landgravii filiam —

um qua plurimi ex Germania huc ad nos commigrasse eruntur, ex quibus prima ac praecipua familia DD. *Fo-orum*, ut publica monumenta illius urbis actaque vetu-a profitentur, censetur fuisse.“ Pagos antiquissimae ominum memoriae *Bawol.*, ubi nunc Casimiria est, Stra-omiam, priscae gentilitatis sacris idolatricis celebratam, t Clepardiam tandem antiquiori Cracoviae civitati ad-uncta fuisse oppida nemo negabit, quae iam ab anno 1792 ni magistratui parere coepit, nunc autem ab amplissi-no XII virorum senatu regitur ab anno 1816. Carrho-dunum autem nostrum Vir doctissimus ***Krusius Zarno-veciam*** transtulit 8 abhinc milliaribus in via Varsaviam ferente, oppidum sat exiguum ad *Piliciam* amnem, idque eo consilio fecit, ut a *Sandecia* Veteri ad Danubiolum (Dunajetz) sita, quam *Asancam* Ptolemaei scite, sed nescio an recte iudicat, octodecim milliaria computaret, et inde per *Leucaristum*, quod oppidulum *Wolczyn* Po-lonice, *Constadt* Germanice vocatur, itinerarium suum deduceret Budorgim, quam *Laskowice* Pagum 3 milliari-bus a Vratislavia distantem esse nunc censet. Sed recta nunquam Cracovia per Zarnowecim in Silesiam fuit via, quia hoc oppidum nimis ad Orientem divergit, et fere omnia alia propiora sunt itinera tendentibus in Silesiam, eaque longe faciliora, minus montosa, planiora; nec suf-ficiunt 18 vel 19 milliaria Zarnovecia Wolczynum, sed certo aliquot milliaria amplius emetienda erunt. *Zarno-veciam* idem auctor, ubi repudiata a *Casimiro Magno* aut potius neglecta Adelaidis regina 14 annis vixit infelix coniux, tandem in *Czarnodunum* mutavit, quod quidem vocabulum monstrum Celticae et Slavicae linguae esse qui-libet fateatur necesse est, qui non ignoret, litteras radica-les Slavonicas Z. Z. Cz. C. scilicet *Zemla, Zywete, Czerw* et *Cy*, nec esse easdem nec homonymas, ita ut *zarna* mola manualis plural. tant. a voce *czarny* nunquam pos-sit derivari. Sed haec forsitan sunt levia et minoris mo-menti. Nescio annon graviora sint illa p. 88, recentio-ribus nominibus pagorum in Baronatu *Pszczynensi* seu Plessensi *Orlow, Orzechow, Oremba, Herzmanowice* pro-bari, sylvam *Orcyniam* ibi fuisse. Recentiores illae pa-gorum appellationes in planis a montibus iam longe dissi-tis campis certo nihil ad Carpathos in Tessinensi Ducatu denominandos facere potuerunt, et nullus inter eos et Or-cyniam sylvam fuit unquam nexus. Terminationem *wice* per se quoque nihil unquam valuisse, credibile est; sed si quis eam a *Wieco*, circulus, concessus iudicum, unde *wiecznica* praetorium, curia, vox iampridem antiquata,

in vita Iesu Christi auctore S. Bonaventura, interpret *Balthasare Opecio* a. 1522 obvia, si quis, inquam, a *wie co* derivare voluerit terminationem *wice* innumeris opp dis et pagis inditam, sane is errasse non videbitur. *wieco* cum antiquo Gothico *Wich* cognatum esse faci concedimus. Caeterum et Budorgim magnam civitate fuisse, nemo antiquorum scriptorumm emoriae prodidit ex recentioribus ii id fecerunt, qui Vratislaviam Budo gim esse crediderint, 51° 6′ 30″ Lat. 34° 45′ Long. Vi *Klosii* Epistolae de Vratislavia germanice scriptae To I. p. 95. At Budorgis apud Ptolemaeum 40° Long. 50 30′ Lat. et Budorigum 41° Long. 52° 40′ Lat. — Utram que civitatem *Mannertus* quidem unam fuisse, et circa R tiboriam iacuisse affirmavit, quod nos, quanquam diffici et grave nobis sit a Mannerto et Krusio dissentire, tame sat idoneis causis negari posse existimamus et duas civ tates easque remoto satis locorum spatio distentas fuis credimus. Budorigum esse oppidum *Szrem*, quod pr mum urnarum multitudine iam a. 1415 innotuit (Dlu Hist. XI, 371), Budorgim esse forsitan *Nimcium* in Vi *S. Ottonis* 1124, *Nemetiam* aut aliud quodvis oppidu versus Meridiem a Vratislavia distantiae eiusdem cred mus, si quid in re tam antiqua evinci potuerit; nam Slavis et Germanis combustio cadaverum et ossilegi et urnarum sepulcralium usus et sexcenta alia erant com munia, quae e communi forsitan caeremoniarum font a primis gentilitatis incunabulis, ex Asia secum tulis videntur. Etiam in terris per Slavos nunc vel olim h bitatis maior inveniri solet urnarum multitudo, quam i aliis regionibus, quae vel paucos vel *nullos* Slavos inco las habuerint.

C. Cracovia sub regibus ex stirpe *Piastea* et *Ja gellonica* liberrima fuit, ita ut sub illis regibus Polo niae mitissimis Sec. XIV, XV et XVI. foederi Hanse tico iuncta commercio et mercatorio et literario inclaru rit. Verum quum seculo XVII imminuta regia potesta omnis in universo Poloniae regno pessumdata fuisset li bertas, sero evanuit Cracoviae gloria, atque cum salu publica interiit plerumque et privatorum felicitas. Qua et quanta autem libertas, vastata a Tartaris (a. 1240–42 Polonia, anno 1257 a *Boleslao Pudico* primum, aut for sitan iterum Cracoviae iure Magdeburgensi concessa fue rit, id e Miscell. Cracov. Fasc. II. p. 63–66 satis con stat. Verum quum e vitiosis apographis exemplum pri vilegii editum esset, ex autographo idem exhibendum esse censuimus, cuius verba genuina sic habent:

In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Indivi-
ie Trinitatis. Res favorabiles et instrumentis et testi-
s fama et facti evidencia valari condecet et muniri, ne
livionis nubilo seu calumpnia valeant obfuscari. Cum
tur Congregatio hominum, que naturalis est et dicitur,
eritis iusticiam fecerit: sicut iusticia ipsa omnibus est
vorabilis et ipsa Congregatio pari vice, Intendentes ergo
care civitatem in Cracovia, et homines inibi de diver-
s climatibus congregare; inculcamus auribus singulorum
m presentium, quam futurorum: Quod nos *Boleslaus*
)ei gracia Dux Cracovie et Sandomirie una cum illustri
iatre nostra *Grimizlawa*, et Generosa nostra Coniuge
unegundi, eo iure eam locamus, quo et Vratislavien-
s Civitas est locata. Ut non quod ibi fit, sed quod ad
lagdeburgensis Civitatis Jus et formam fieri debeat, ad-
ertatur. Ut si quando de hoc dubitatum fuerit, ad jus
:riptum a dubitantibus recurratur. In primis igitur hoc
rmiter observari volumus Advocatis nostris *Gedeoni* di-
to *Stylvoyt*, *Jacobo* quondam iudici de *Niza*, *Deth-*
aro dicto *Wolk* in nostra presentia personali adstanti-
us, inviolabiliter promittimus observandum: quod om-
ies Cives in ipsa civitate habitantes, infra sex annorum
ipacium nullum censum vel aliquam exactionem nobis
lare vel facere debeant, de personis vel locis suis vel ei-
lem Civitati pertinentibus, nisi de Cameris, ubi panni
enduntur, et de Cameris Institorum, que Crami vulga-
iter appellantur: de quibus postquam eas nostris sum-
tibus et laboribus locaverimus et edificaverimus, quia et
oc eis promisimus, quinque partes census ad nos deve-
iente earumdem, Advocati vero predicti sextam par-
em hereditarie percipient in eisdem. Hoc tamen non ex
ure, sed ex nostra gracia speciali. Postquam vero trans-
cti fuerint sex anni predicti, de qualibet Area tenebun-
ur nobis solvere dimidium lottum ponderis Theutonici
Argenti, tum, cum solvendum fuerit, usualis. De carni-
icum tamen, Pistorum et Calcipariorum stacionibus ius
t potestatem liberam dictis conferimus advocatis, id re-
mendi vel aliis pro ipsorum libitu perpetualiter confe-
endi, ita, quod Possessores dictarum Stacionum ab om-
i censu sint in perpetuum absoluti. Advocati vero in
ieta civitate finita libertate sextam Curiam de omnibus
erpetualiter et libere optinebunt, non quod hoc ex iure,
ed ex nostra gracia speciali. Similiter curiam aliam ex-
ra civitatem, ubi pecora mactabuntur, libere et iure he-
editario possidebunt. Concedimus et promittimus invio-
abiliter observare; quod Advocati sepedicti libere et

sine omni exactione et Theloneo nostro perpetualite merces suas devehent, et transibunt per Universum no strum Dominium et Ducatum. Alii vero inhabitatore eiusdem civitatis per decem annos de eadem gaudeant li bertate. Promittimus etiam Advocatis et Civibus Uni versis, quod nullum eis preficiemus Advocatum nec Spe cialem nec Generalem, sed cum aliquod negotium emer serit, quod maiori inquisitione indigeat, vel intererimu vel alium de nostro latere pro eodem tantummodo fini endo negotio transmittemus. Volumus etiam et concedi mus Civitati jam dicte, ut pro aratura et pascuis et alii Usibus habeant iure hereditario Villam, que communi ter *Ribitwy* appellatur, cum omnibus eiusdem Ville per tinenciis, exceptis duntaxat lacubus. Item cum toto ter ritorio, quod est inter civitatem et fluvium *Prudnyk* pe gyrum a villa supradicta Ribitwy usque ad villam nomi ne *Crowodram*, ita quod ex ipsa villa Crowodra cum suis pertinenciis includatur, salvo tamen iure episcopal tam in terris et in molendinis, quam fluvio supradicto In eodem etiam fluvio concedimus Advocatis, vel quibu ipsi contulerint, duo nostra molendina, et tercium, quod fu olim Fratrum de Mechovia, necnon quartum, quod fu de Andreow Monachorum, et si plura sint in eodem flu vio molendina sine aliorum tamen nocumento et prejudi cio edificare poterint, eam eis iure hereditario concedi mus potestatem. Ita, quod de qualibet rota tam presen cium, quam futurorum molendinorum fertonem usuali tunc argenti nobis annuatim persolvere teneantur. Usum etiam *Wysle* fluvii cum Ripa utraque a terminis Swere nicie usque ad terminos Claustri de Mogyla civitati con ferimus, ita, quod in eo quilibet piscari valeat libere, e sepe dicti Advocati tria molendina construere libere e ab omni solutione iureque hereditario possidere: excepto eo duntaxat, quod Annonam pro nostris expensis in ea dem civitate vel prope ipsam presertim ad tria milliari consumandis molere teneantur, si quando in dicti spacio fluvii plura edificare voluerunt molendina de voluntat advocatorum sibi liceat et assensu ita tamen, ut dimidi marca usualis argenti nobis solvere annuatim de rota qua libet teneantur. Applicamus etiam in perpetuum usibu eiusdem civitatis omnibus sylvam totam, que est in supe riori parte Wisle, que *Chwacymech* vulgariter appel latur. Conferimus dictis Advocatis triginta Mansos Fran conicos liberos ab omni Solucione et Servicio et omn iure Ducali, et absque omni censu iure hereditario pos sidendos. Et quia iuris est, ut et actor forum rei sequ

debeat, ordinamus et volumus, ut cum aliquem civem dicte civitatis querulari contigerit de Polono Cracovien-sis Diecesis, Jus suum coram Poloni iudice prosequatur. E converso, si Polonus Civem in causam traxerit, et hanc Advocati exequantur sententiam, et dirimant que-stionem. Hoc etiam nobis iidem Advocati promiserunt, quod nullum adscriptitium nostrum vel Ecclesie seu cu-iuscunque alterius vel etiam Polonum liberum, qui in ru-re hactenus habitavit, faciant suum Concivem, ne hac occasione nostra vel episcopalia aut Canonicorum vel alio-rum predia ruralia desolentur, hic eciam eisdem Advo-catis et omnibus habitatoribus civitatis ejusdem presenti-bus et futuris et eorum heredibus in perpetuum concedi-mus, eciam post eorum finitam libertatem, ut nullus co-rum vadat vel mittat ad impugnandum aliquem, vel ad resistendum alicui extra Ducatum Cracov. secundum ter-minos eiusdem Ducatus, quos nunc possidemus, vel post-modum possidebimus dante Deo. Volumus eciam et hanc iniectam conditionem ipsi civitati declaramus, ut mone-tarii quicunque fuerint, Domino Episcopo Prandote Cra-coviensi et eius successoribus perpetuo nomine Cracovi-ensis Ecclesiae sine omni difficultate etiam nobis irrequi-sitis persolvant integraliter et sine diminutione decimam de Moneta, ut si quis hanc solutionem impediverit vel retardaverit, possit eum Episcopus Ecclesiastica Censura cohercere secundum terminos novem partium nobis vel nostris successoribus solvendarum. Hec omnia et singula promisimus, concessimus et donavimus Advocatis et eo-rum heredibus in perpetuum. Item Civibus Civitati et eorum Successoribus, a nobis et nostris succedaneis in perpetuum inviolabiliter observanda. Nulli ergo omnino homini liceat hanc nostre successionis donationis et pro-missionis paginam infringere vel ei ausu temerario con-traire. Si quis autem hoc attemptare presumserit, in-dignacionem Dei omnipotentis et beatorum Martyrum Stanyzlai et Wenczlai et nostram se noverit incursurum. Ut autem hec omnia robur perpetuum optineant, pre-sentibus, nostrum Sigillum et Venerabilis Patris nostri iam dicti P. Dei gracia Cracov. Episcopi et Capituli eiusdem Ecclesie nostrorumque Baronum, Comitis Ade Castellani, nec non Comitis Nicolai Palathini Cracov. duximus ap-pendenda. Acta sunt hec in Colloquio iuxta Villam, quae Coposina vulgariter appellatur, Anno incarnationis Do-mini M°. CC°. L°. VII°, Nonas Junii. Presentibus Vene-rabili in Christo nostro sepe dicto Patre P. Episcopo Cracov. et prefato Comite Adam Castellano Cracov., Fulcone Cancellario nostro, dicto Comite Nicol. Palatino Cracov., Co-

mite Ioanne Iudice Sandomiriensi, Comite Nicolao Iudice Cracoviensi, Comite Warsone Dapifero Sandomiriensi, Lassota Preposito Scalbimiriensi, Twardozlao Subcancellario Curie nostre.

D. *Guentherum Zainerum Reutlingensem* civem primo Cracoviae, deinde Augustae Vindelicorum typographum, apud nos Cracoviae a. 1465 *Ioannis de Turrecrementa* explanationem in psalterium typis mandasse, coniecturam fecit *Georgius Guil. Zapfius* Norimbergae a. 1803, quem librum alii Cresslaci (Cressy) aut Croiae seu Croviaci (Croy) in Gallia prodiisse censuerunt. At is liber iure Cracoviae nostrae vindicari potest, quum praeter exemplar a Zapfio memoratum, nullum fere aliud alibi inventum fuerit, quam in Polonia. Nam et *Vindobonense* exemplar in Caesarea Bibliotheca asservatum, de quo mentionem facit *Denisius*, Leopoli Vindobonam translatum fuit, et duo, Cracoviensis Universitatis literariae exemplaria et sex Varsaviae, et duo, quae olim in Bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti *Tynieciae* exstabant, simul evincere id videntur: librum hunc non nisi in Polonia typis excusum fuisse, qui non 149 sed 150 foliis constans semel tantummodo Cracoviae evulgatus in fine inscriptus est: *Iohannis de Turrecremata Cardinalis S. Sixti vulgariter nuncupati explanatio in Psalterium finit Cracis.* Cracoviam autem illis temporibus et Cracos appellatam fuisse docent nos aliquot *Codd. Mss.* Bibl. nostrae v. g. *Tabulae Astronomicae Alphonsi regis* post a. 1428 scriptae, ubi vocabula Craci et Cracovia promiscue occurrunt. Exemplari vero e Coenobio Miechoviensi Canonicorum Custodum S. Sepulchri Varsaviam allato uni haec adscripta sunt verba: a. 1476 *per fratrem Andream Cruciferum Monasterii Myechoviensis Ord. sancti sepulcri dominici Ierosolimitani degentis tunc temporis in Przeworsko* (est oppidulum Polonicum trans Vistulam situm) *sub regula S. Augustini condam Cantoris Chori ej. Monasterii Myechoviensis.* His verbis et coniectura *G. Guil. Zapfii* confirmatur et secundo inventae typographiae decennio librum impressum fuisse proditur. Quem enim *Denisius* stylo cerussato annotavit in Vindobonensi exemplari annum 1471 iure reiecimus, quia iam a. 1468 *Guentherus Zainerus* Augustae Vindelicorum typographicam artem exercebat. Attamen fieri potuit, ut et alios codices hic apud nos excusserit, ad quos sequens aliquot opusculorum *S. Augustini* forsitan princeps editio pertinere videtur, quae iisdem, quibus explanatio in Psalterium Ioannis de Turrecremata

expressa est typis et litterarum compendiis, eadem forma et eadem papyro lintea cum signo bovis cornuti crucem in capite inter cornua gerentis lineis 40 sine custodibus, paginis, charactere Gothico, foliis 173. In fronte huius libri haec leguntur: *Omnes libri Beati Augustini Aurelii de doctrina christiana tres. Preter quartum, qui tractat de modo pronunciandi sermones Katholicos.* Folio 34. verso, linea 36: *Incipit liber Aurelii Augustini de natura summi boni.* Fol. 44. verso, linea ultima s. 40: *Incipit liber de Laude et Utili.* Fol. 46. v. 26: *Incipit liber Beati Augustini de vera et falsa penitencia.* Fol. 57. v. 20: *Incipit speculum sive manuale S. Augustini.* Fol. 71 recto: *Liber de contemplatione Jesu Cristi,* in fine huius libri v. 31: *Explicit liber beati Augustini de fide ad Petrum et de Trinitate.* Fol. 91. v. 10: *Incipit regestrum Soliloquii.* Fol. 92: *Incipit liber Soliloquiorum.* Fol. 113. verso: *Explit* (sic) *Soliloquium beati Augustini.* Tum folio 114 recto: *Incipit liber de honestate mulierum ad Clericos.* Folio 115 verso: *Incipit liber Augustini de contemtu mundi.* Fol. 118 recto: *Incipit liber Augustini de Correctione et Gracia.* Fol. 133. verso ... *de Simbolo.* Fol. 137. verso l. 19: *Incipit Augustinus de Disciplina Cristiana.* Fol. 173. recto lin. 34: *Explicit Augustinus de predestinacione Sanctorum.* Haec Augustini sedecim opuscula in uno Codice utrum Cracoviae prodierint in lucem necne, non est nostrum omnino contendere, sed apud nos prodiisse vero tamen non est absimile, quia magna apud nos S. Augustini fuit auctoritas, ita ut Bibliotheca Universitatis nostrae maiorem operum ex editionibus principibus partem inter cimelia sua adservet v. gr. *de doctrina christiana*, *Panzer* Annal. ante a. 1466 typis *Io. Mentelini*, Argentorati I, 67, 388, *κτημα Iohannis de Pyzdry* Concionatoris ad S. Barbaram a. 1470 Cracoviae. Item eundem librum ex ed. Iohannis Fust, *Panzer* II, 138. 93. Est nobis quoque de *civitate Dei* Io. Mentelini editio, *Panzer* l. c. I, 68. 394, *κτημα* olim Iohannis de Pyzdry defuncti a. 1472, ubi minio in fronte libri annus 1470 positus; *de festo praesentationis b. Mariae Virginis* ed. Moguntina Ioh. Fust, *Panzer* II, 140. charactere bibliorum a. 1462. *Soliloquium*, quod *Panzerus* V. p. 58. l. 132. 136. 5. *Guenthero Zainero* Augustae Vindelicorum tribuit.

E. In Bibl. univers. studiorum Iagell. plures reperiuntur codd. *Michaelis Vratislaviensis*, maximam partem ipsius manu scripti.

1) *Questiones scripte quondam in usu habite a Michaele Vratislaviensi Artium et sacre theologie professore ad disputationes communes apprime necessarie* 4. p. 366, partim propria partim aliena manu scriptae. Alia manu additum legitur: *Quaestiones variae Michaelis Vratislaviensis, super quibus disputare solebat in Lectoriis.* Agitur de variis argumentis logicis, metaphysicis, ethicis et theologicis, v. c. Dissertatio I: *Modus argumentandi contra dubitantes,* Diss. V: *Utrum aetatum florentissima adolescentia plus quam tenera pueritia custodiri debeat et tueri fidelissime?* Diss. VI: *Utrum homo utens ratione magis debeat procurare bonum commune, quam privatum?* Diss. XVII: *Utrum Astronomia sit nobilissima scientiarum?* Diss. XXXII: *Homo dignissimus animalium* etc.

2) *Aristotelis libri Metaphysicorum XII.* latine. In fine positus est annus 1499 *in profesto Nativitatis.* Antecedit Introductio Michaelis Vratislaviensis, in qua legitur: *Sicut dixit Philosophus VI Ethicorum, oportet sapienter non solum ex principiis scire, sed circa principia verum dicere.* Sequitur interpretatio latina *Metaph. Arist.* cum glossis marg. et cum explicatione interlineari. Notae marginales provocant saepe ad Ciceronis libros de Officiis. Est vulgaris Metaph. Arist. versio, nec nisi glossae et explicationes interlineares a *Michaele Vratislav.* profectae sunt. Ab hoc Michaele distinguendus est alius *Michael Custos Vratislaviensis Ordinis Minorum,* cuius conciones latinae, una *profesto S. Francisci,* altera *S. Stephani* in Ecclesia Vratislaviensi habitae in Bibl. Univers. stud. Cracov. asservantur. *Denis* in *Historia Typographiae Viennensis* 1782. 4. p. 107 – 111 cf. 79. 80 hunc nostrum Michaelem Vratislaviensem simpliciter Typothetam *Io. Winterburgeri* primi Vindobonensium Typographi nuncupat et confundit eum cum *Ioanne Mich. Budorensi.* Obliviscitur *Ioannem Michaelis* significare filium *Michaelis*, non *Michaelem.* Deinde *Budorensem* putat idem esse ac *Budorgiensem.* Quia vero apud poetas quemadmodum Cracovia *Carrodunum* ita Vratislavia *Budorgis* appellatur, ex *Ioanne Michaelis Budorensi* fecit *Michaelem Vratislaviensem.* Ut igitur clarius ostendatur, Ioannem Michaelis Budorensem fuisse iuvenem Matheseos studiosum, typographiae deditum, qui *Georgio Tannsteter* 1514 suam operam addixerit, ponimus hic integram epistolam ex rarissimo opere: *Tabula Ecclipsium G. Peurbachii* desumtam, apud *Denisium* autem mutilatam: „*Ioannes Micha-*

elis Budorensis doctissimo Mathematicae et Medicinae Professori Dno *Georgio Transtetter* Collimitio, Amico et Patrono S. D. Diu mihi fuit animus, humanissime simul et doctissime Collimiti, Tabulas primi nobilis *Ioannis de Monteregio* et Ecclipsium *Georgii Peurbachii* undecunque conquisitas et elimatas in communem Germanae industriae frugem et utilitatem tandem emittere. Idque idipsum ut aliquando assequerer, difficillimas, Deum testor, peregrinationes et in scribendo transeundoque non trivialem operam mihi ipsi volens imposui. Cum Romae, ubi me lactis gallinaceae haustum in exemplari uno nactum esse confidebam, tua etiam Cracoviae, quam anno superiori (1513) ob hanc unicam susceptam provinciam etiam dissimulans petieram. Et certius quidem, ut verum fatear, nihil habebam, quam laborum omnium omniumque occupationum ea in re finem votique secundos eventus. Verum ut saepe fit, aliquorum invidia, qui se solos sapere existimant, et sub tenui etiam pallio sapientiae locum esse non credunt, impeditus, id quod conabar, consequi neutiquam potui, maxime quod homini Astronomiae studioso maximo impedimento erant. Quorum ego versutiam et incoctam invidentiam evictam sensi, cum primum Cracoviam relinquens Viennam perveni: Viennam, inquam, ad te, qui literarii ordinis hominibus liberalis hospes semper fuisti, hisce praesertim, qui praeter terrarum cognitionem, *coelum etiam* ipsum affectant.*) Qui mihi statim praefatas tabulas (*Peuerbachii et Regiomontani*), exemplari emendate scripto, et, ut credo, auctorum ipsorum diligentia reviso, cum quadam gratificandi sedulitate ostendebas; nescio an fato an casu. Fato crediderim, casu minus. Propterea quod eas ipsas antea tibi seu spiritu quodam fatidico ductus, ex faecunda liberalium Artium Bibliotheca, qua multa est emendatorum librorum copia, decerpseras maxima mea laetitia. Mirabar enim Gymnasii nostri felicitatem, quod post tot inclytos Astronomiae Professores inclyta etiam ingeniorum monimenta servare videntur. Mirabar et tuam sedulitatem, fidem, vigilantiam, quibus, ut exirent, imo elimate et integre exirent, quae depromta erant opera tua, diu noctuque curasti. Quae me etiam eo diligentiae provexit,

*) Haec ad nostrum *Michaelem Vratislaviensem* referri minime possunt; nam hic Cracoviam nunquam reliquerat, nec *tenui pallio*, sed Toga Academica et tunica sacerdotali amictus incedebat. Ne anteriora quidem Mich. Vratislaviensis a. 1513 Canonicus S. Floriani et a. 1515 Rector Academiae Cracov., a. 1514 scribere potuit.

ut studium diligentiamque in componendis characteribus formis chalcographicis formandis, quibus plurimis iam annis exerceor, libere fuerim pollicitus.*) Quid uterque praestiterit censebunt posteri, deque nobis longo aevo futurorum iudicium erit. Id sane de me ausim fateri, industriam meam, quantulacunque illa in siderum et Mathematicae rationibus erat, studium et diligentiam suscitatam esse, ad eorum in Astronomicis vestigiis laborem, qui coeli et coelestium rerum sunt studiosi, pro virili parte iuvandum. Est enim liber in manibus, meis dico et *Frid. Grisogoni* Dalmatae Artium et Medicinae Doctoris de iudiciis nativitatum piae memoriae *Ioannis Lucilii Hypodarni* alias *Sandritter* Heilbrunensis, Praeceptoris quondam nostri in hac re communis, ut lectu dignus, ita et *memoria et perennitate* dignissimus. Quem amplissima Minerva et plus quam dici queat, ingenio subtili, mundi Deus, dum in humanis fuit, ditaverat, ut tu ipse ex his, quae supersunt, monimentis subodorari poteris. Quem nos opera tua auxiliante, conformi sedulitate ac iucunda studiorum sollicitudine comitabimur. Et inter caetera Tabulis ad Planetarum reliquorum motum attinentibus, evidentiori veritate et facilitate plus gratiosa posteris indubie placituris. Quae ut emergant eo animo, quo sunt instituta, summopere nitemur. Vale doctissime Collimiti: meque, qui tui sum studiosissimus, iugiter ama. Viennae Austriae. Anno ab incarnatione Christi MDXIV. pridie Cal. Maias.“

XV.

De *Xenophontis Oeconomici* Cap. XV. scripsit M. *Fr. Aug. Bornemann*, Prof. Afran. Mis.

Totum hoc Caput, non uno modo tentatum, secundum priores editiones sic restituendum esse putavi:

(1) *Ἀλλὰ μέντοι ἐπειδάν γε ἐμποιήσῃς τινὶ τὸ βούλεσθαί σοι εἶναι τἀγαθὰ, ἐμποιήσῃς δὲ τῷ αὐτῷ τούτῳ ἐπιμελεῖσθαι, ὅπως ταῦτά σοι ἐπιτέλῃται, ἔτι δὲ πρὸς τούτοις ἐπιστήμην κτήσῃ αὐτῷ, ὡς ἂν ποιούμενα ἕκαστα τῶν ἔργων, ὠφελι-*

---

*) Si quid simile noster Mich. Vratislaviensis unquam fecisset, et si formis chalcographicis sese occupandi animum habuisset, profecto in praefatione ad *Hallerum* de laboribus suis ad chalcographiam et typographiam spectantibus opportuno loco fuisset locutus.

μώτερα γίγνοιτο, πρὸς δὲ τούτοις ἄρχειν ἱκανὸν αὐτὸν ποιήσῃς, ἐπὶ δὲ τούτοις πᾶσιν ἥδηται *) σοι τὰ ἐκ τῆς γῆς ὡραῖα ἀποδεικνύων ὅτι πλεῖστα, ὥσπερ σὺ σαυτῷ, οὐκέτι ἐρήσομαι περὶ τούτου, εἰ ἔτι τινὸς ὁ τοιοῦτος προσδεῖται· πάνυ γάρ μοι δοκεῖ ἤδη πολλοῦ ἂν ἄξιος εἶναι ἐπίτροπος, ὢν τοιοῦτος. Ἐκεῖνο μέντοι, ἔφην ἐγώ, ὦ Ἰσχόμαχε, μὴ ἀπολίπῃς, ὃ ἡμῖν ἀργότατα ἐπιδεδράμηται τοῦ λόγου.— (2) Τὸ ποῖον; ἔφη ὁ Ἰσχόμαχος.— Ἔλεξας δήπου, ἔφην ἐγώ, ὅτι μέγιστον εἴη μαθεῖν, ὅπως δεῖ ἐξεργάζεσθαι ἕκαστα· εἰ δὲ μή, οὐδὲ τῆς ἐπιμελείας ἔφησθα ὄφελος οὐδὲν γίγνεσθαι, εἰ μή τις ἐπίσταιτο, ἃ δεῖ καὶ ὡς δεῖ ποιεῖν. — (3) Ἐνταῦθα δὴ εἶπεν ὁ Ἰσχόμαχος· Τὴν τέχνην με ἤδη, ὦ Σώκρατες, κελεύεις αὐτὴν διδάσκειν τῆς γεωργίας;— Αὕτη γὰρ ἴσως, ἔφην ἐγώ, ἤδη ἐστὶν ἡ ποιοῦσα τοὺς μὲν ἐπισταμένους αὐτὴν πλουσίους, τοὺς δὲ μὴ ἐπισταμένους, πολλὰ πονοῦντας, ἀπόρως βιοτεύειν. — (4) Νῦν τοίνυν, ἔφη, ὦ Σώκρατες, καὶ τὴν φιλανθρωπίαν ταύτης τῆς τέχνης ἀκούσῃ· τὸ γὰρ ὠφελιμωτάτην οὖσαν καὶ ἡδίστην ἐργάζεσθαι, καὶ καλλίστην καὶ προσφιλεστράτην θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις, ἔτι πρὸς τούτοις καὶ ῥᾴστην εἶναι μαθεῖν, πῶς οὐχὶ γενναῖόν ἐστι; γενναῖα δὲ δήπου καλοῦμεν καὶ τῶν ζώων, ὁπόσα καλὰ καὶ μεγάλα καὶ ὠφέλιμα ὄντα, πραέα ἐστὶ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους. — (5) Ἀλλὰ ταῦτα μέν, ἐγὼ ἔφην, (ita malim quam ἐγὼ, ἔφην) ὦ Ἰσχόμαχε, ἱκανῶς δοκῶ καταμεμαθηκέναι, ἢ εἶπας καθὰ δεῖ διδάσκειν τὸν ἐπίτροπον· καὶ γὰρ ἢ ἔφησθα εὔνουν σοὶ ποιεῖν αὐτὸν, μαθεῖν δοκῶ, καὶ ἢ ἐπιμελῆ καὶ ἀρχικὸν καὶ δίκαιον· (6) ὃ δὲ εἶπας, ὡς δεῖ μαθεῖν τὸν μέλλοντα ὀρθῶς γεωργίας ἐπιμελεῖσθαι, καὶ ἃ δεῖ ποιεῖν καὶ ὡς δεῖ καὶ ὁπότε ἕκαστα, ταῦτά μοι δοκοῦμεν, ἔφην ἐγὼ, ἀργότερόν πως ἐπιδεδραμηκέναι τῷ λόγῳ, (7) ὥσπερ εἰ εἴποις, ὅτι δεῖ γράμματα ἐπίστασθαι τὸν μέλλοντα δυνήσεσθαι τὰ ὑπαγορευόμενα γράφειν, καὶ τὰ γεγραμμένα ἀναγιγνώσκειν· ταῦτα γὰρ ἐγὼ ἀκούσας, ὅτι μὲν δεῖ γράμματα ἐπίστασθαι ἠκηκόη ἄν· τοῦτο δὲ εἰδὼς οὐδέν τι οἶμαι μᾶλλον ἂν ἐπισταίμην γράμματα. (8) Οὕτω δὲ καὶ νῦν, ὅτι μὲν δεῖ ἐπίστασθαι γεωργίαν τὸν μέλλοντα ὀρθῶς ἐπιμελήσεσθαι αὐτῆς, ῥᾳδίως πέπεισμαι· τοῦτο μέντοι εἰδὼς οὐδέν τι μᾶλλον ἐπίσταμαι, ὅπως δεῖ γεωργεῖν. (9) Ἀλλ' εἴ μοι αὐτίκα μάλα δόξειε γεωργεῖν, ὅμοιος ἂν μοι δοκῶ εἶναι τῷ περιόντι ἰατρῷ καὶ ἐπισκοποῦντι τοὺς κάμνοντας, εἰδότι δὲ οὐδέν, ὅ τι συμφέρει τοῖς κάμνουσιν. Ἵν' οὖν μὴ τοιοῦτος ὦ, ἔφην ἐγὼ, δίδασκέ με αὐτὰ τὰ ἔργα τῆς γεωργίας· (10) Ἀλλὰ μὴν, ἔφη, ὦ Σώκρατες, οὐχ ὥσπερ γε τὰς ἄλλας τέχνας κατατριβῆναι δεῖ μανθάνοντας, κ. τ. λ. cf. omnes editt. a §. 10.

---

*) Praeclara haec est coniectura Hermanni pro ἤδη τε. V. Miscell. crit. V. I. P. I. p. 161.

Transpositio enim, a I. A. Ernestio proposita, a Zeunio et Weiskio non impugnata, a Schneidero, serioribusque editoribus in textum recepta, qua §. 5 – 9 a verbis *ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐγὼ ἱκανῶς δοκῶ* usque ad *δίδασκέ με αὐτὰ τὰ ἔργα τῆς γεωργίας* posuerunt post §. 2. verba: *εἰ μή τις ἐπίσταιτο ἃ δεῖ, καὶ ὡς δεῖ ποιεῖν,* mihi pluribus de causis deinceps afferendis improbanda esse visa est; qua admissa non solum multum venustatis et concinnitatis, qua hic locus gaudet, perire videtur, sed difficultates etiam, quibus laborare dicitur, tantum abest, ut ea minuantur et tollantur, ut haud parum augeantur novaeque inferantur. Nam ut locus secundum illam habet translationem, nexum equidem nonnisi hunc eruo, quem et Ernestii et meis verbis afferam. *Absoluta disputatione de villico*, dicit Socrates §. 1–2. *reliquum esse, quod leviter tantum oratione tactum sit.* Cum Ischomachus interrogasset: *quidnam illud sit?* respondet Socrates: *dixisse illum, maximum esse hoc, ut aliquis discat, quomodo quaeque res sit facienda, quo ignorato inutilem curam omnem ac diligentiam fore;* cf. C. 13, 2. *haec autem satis se percepisse, quomodo erudiri debeat villicus, quomodo benevolus domino, diligens, ad regendum aptus et iustus efficiatur, sed illud obiter duntaxat tactum esse, quomodo agricultura ipsa debeat tractari; neque enim sufficere, universe dixisse, gravissimum esse, ut aliquis compertum habeat, qua ratione exercenda sit agricultura, imo necesse esse, ut ipsa illa agriculturae munera quae sint, et quomodo curari debeant, ipsi exponatur.* In hac (quae et ipsa pro hac causa paullo longior videtur) oratione primum hoc offendit, quod Socrates postquam in. §. 2. responderat: *enimvero dixisti, maximum esse, ut aliquis discat, quomodo quaeque sint efficienda, sin minus, omnem omnino curam inutilem esse pronuntiasti,* statim subiicit: *at haec mihi videor didicisse, quomodo villicus erudiendus sit, ἀλλὰ ταῦτα μέν, ἐγὼ ἔφην, ὦ Ἰσχόμαχε* etc. Etenim ut Ernestio nunc concedam, omnia recte explicata esse, et verba §. 3. *ἔφην, ὦ Ἰσχόμαχε* et §. 10. *ἔφη, ὦ Σώκρατες* aut a librariis post transpositionem factam addita, (quamquam vel tunc utroque loco *ἔφην* et *ἔφη* retinenda erant) aut, quod minus etiam credibile est, transpositioni adeo locum fecisse, quaeri tamen potest, quo tandem referendum sit pronomen *ταῦτα*. Quod si ad praecedentia, ad *ἐπιμέλειαν* pertinere dixeris, aliter puto orationem suam instituisset Xenophon; sin ad totam illam sententiam, sc. *sine ipsius agriculturae scientia dili-*

gentiam omnem vanam fore et irritam, nec quadrant sequentia, nec poterat dicere Socrates, se illud ipsum, quod ab Ischomacho cogniturus erat, iam exploratum habere; sin denique ad ὅτι μέγιστον εἴη μαθεῖν et quae seq., pariter sibi repugnaret Socrates, qui idcirco interrogaverat, ut, quae nesciebat, ab Ischomacho disceret. „Atqui, inquies, minime haec ad praegressa, sed ad sequentia trahenda sunt, *) et hoc sibi vult Socrates: *at quomodo sit villicus instituendus, supra iam cognovi.*“ Audio, sed nonne vides, quam haec sint abrupte et inutiliter adiecta a Socrate? ab eo, quod nescire sese fassus est, statim transgreditur ad ea, quae tractata esse iam initio Capitis dixerat. Quod ut excusari quodammodo possit, expectasses certe, tam miram ratiocinationem magis idoneis particulis coniuncturum Socratem fuisse, quales sunt *Ταῦτα μὲν γάρ τοι ἐγὼ* et simili; quamquam ne tum quidem assequi me posse fateor, qui Socrates ita delabi oratione potuerit, ut, quae per se clara iam essent et aperta, multis verbis repetere et illustrare vellet. Eiusmodi igitur locus offensioni esse debebat, etiamsi de transpositione nihil aliunde constaret. — Sed quid diutius benevolum lectorem moror? Gravissimus, quem admisit Ernestius, error in eo versatur, quod verba §. 5. *δοκῶ καταμεμαθηκέναι, ἢ εἶπας, καθὰ δεῖ διδάσκειν* et seqq. perperam cum aliis interpretibus intellexit, qui, nisi antiquissimam Iac. Lod. *Strebaei* versionem latinum inspicere dedignati essent, non est dubium, quin rectius de toto hoc capite statuissent. Etenim hunc in modum ille reddidit: *Hoc Ischomache satis didicisse videor, te docente quemadmodum sit docendus villicus procurator: ut enim dixeris te illum tibi reddere benevolum diligentem imperandi peritum iustum didici.* Clarius vertes: — *didicisse videor eo loco, ubi dicebas, quemadmodum* etc. Aliter enim si haec accipi voluisset Socrates, simpliciter scribendum Xenophonti fuisse putem *καταμεμαθηκέναι, καθὰ δεῖ διδάσκειν τὸν ἐπίτροπον· καὶ γὰρ ἤ εὔνουν σοι ποιεῖς αὐτὸν κ. τ. λ.* Inde ab initio cap. XII. exponit

*) Ut in iis locis, quos attulerunt Werfer in Actt. Monacc. T. I. f. 1. p. 99. Bast. ep. crit. p. 152 et Dorvill. ad Charit. II, 11 init.. ubi „*Ad sequentia*, inquit, *hoc pronomen (τοῦτο) saepe refertur; quod non observatum in optimis auctoribus turbarum saepe dedit ansam.*“ Nam ut huius usus ignoratio fraudi fuit Fischero et Weckherlino ad Cyrop. VIII, 2, 28, ita de eadem re non satis circumspecte praecepit censor Cicer. oratt. pro Scauro ed. Heinr. in Ephem. litt. Ien. 1817. N. 77.

nimirum, Ischomachus, villicum non esse debere neque vino neque somno rebusve venereis deditum, XII, 15 sq. et XIII, 10 sqq. agriculturam operariis esse utilissimam, XIV, 3 sqq. inprimis §. 7 eandem efficere, ut ad iustitiam agricolae perducantur: ab eadem arte iucunditatem non abesse, cognoscere Socrates potuit e XIII, 9 et §. 11. In his omnibus nonne inest *φιλανθρωπία* et *γενναιότης* illa agriculturae, quam §. 4 Ischomachus praedicat, et de qua sibi ex superiori disputatione persuasum esse, Socrates §. 5 affirmat? Quidni *προσφιλεστάτη θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις* ea ars appelletur, cui operam dare nequeunt, nisi qui pravarum cupiditatum expertes sunt, et qua tractanda homines in dies evadunt iustiores? Quae cum ita sint, admissa Ernestii transpositione vide ne hoc dicat Socrates: „*Quidquid ad villicum erudiendum facit, nosse mihi videor; sed quod dicebas maxime necessarium esse, ut quomodo quidque peragendum sit rerum ad agriculturam pertinentium, hoc abunde ex iis cognovi, quae de villico edocendo antea tradidisti.*“ Siccine igitur, qui sanus fuerit, unquam loqui potuit? Adeone stupidum fuisse Socratem putabimus, ut quae se adhuc nescire §. 1 fassus erat, eadem §. 3 optime sibi cognita esse, et paulo post §. 4 sqq. iterum se ignorare operosis verbis demonstraret!

Posthaec §. 8 Ischomachus, quasi miratus id quaerere Socratem potuisse: „*ipsam iam agri colendi*, inquit, *artem requiris*?“ In quo praeterea difficile est ad intelligendum, quare Ischomachus Socrati petenti, ut sibi agriculturae *munera* exponat, hac ratione respondere potuerit: illa videlicet ars mea sententia non in muneribus agri colendi, sed eo potius cernitur, ut quomodo quaeque munera agriculturae efficiantur et exerceantur, cum maxime teneas: id quod et ipsum melius ex vulgata verborum serie quam ex mutata eruitur. — *Recte*, inquit Socrates, *ea enim est, quae peritos divites, imperitos autem reddit pauperes.* Satis intempestive et velut amplius persecuturus, quae tamen antea non dixerat, pergit Ischomachus: *iam igitur et huius artis honestatem et liberalitatem audies.* Interpellata orationis serie ad aliam plane rem progreditur, neque instanti Socrati, quaeque vellet, clarissime exponenti ullo pacto satisfacit. Imo cum dixisset §. 9, facilem cognitu esse hanc artem, *ῥᾴστην εἶναι μαθεῖν*, §. 10. tamen denuo inculcat, non aeque eam difficilem esse atque ceteras artes. Neque haec nova disputatio praegressis tali aliqua particula adnectitur, qua tam diversas res apte conciliari posse consenta-

neum sit; cuiusmodi formula est καὶ γὰρ, qua significatur, explicatum iri copiosius ea, quae modo enunciaverat Ischomachus, ῥᾴστην εἶναι μαθεῖν ταύτην τὴν τέχνην.

Patet igitur, transpositione loci difficultates non tam tolli, quam talem in modum coacervari, ut, si nondum plane reiici Ernestii rationem, at in dubium certe vocari oporteat. Accedit, quod in libris manu exaratis nullum reperitur vestigium, quod tantae audaciae faveat. Quare vel propterea vulgatum rerum verborumque ordinem retinere et explicare utcunque, quam statim immutare praestabit. Illud quomodo fieri possit, si quid adhuc restat, age paucis videamus.

Ac primum quidem monendum est, cum totus hic dialogus ad delectandum magis, quam ad docendum conscriptus sit, (cf. Weiskii disp. de Xenoph. Oecon.,) non eam ubique in rebus exponendis concinnitatem et severitatem hic quaerendam esse, qualem vel in eiusdem Memorab. vel in Platonicis admiramur dialogis. Cuius rei, si quod aliud, nostrum Caput documento esse potest. Nam quum ad sectionem usque 4. sermo de eo fuisset, superesse gravissimum in hac causa tractandum, artem sc. ipsam agri colendi, in. §. 4. Ischomachus, placidissimi vir ingenii, respectu eorum, quae §. 3. in medium protulerat: νῦν τοίνυν, inquit, ὦ Σώκρατες, καὶ τὴν φιλανθρωπίαν ταύτης τῆς τέχνης ἀκούσῃ, *nun so sollst du denn auch die Menschenfreundlichkeit dieser Kunst hören*, i. e. iure hoc quaeris, nec nolo tibi, de quibus quaeris, exponere, modo huius artis liberalitatem et honestatem antea accipias.*) Sed quum primum vocem τὴν φιλανθρωπίαν

*) Particulae νῦν τοίνυν, quae iam ob insolentiam suam interpretum animos advertere, iisque viam monstrare debebant, qua locus esset interpretandus, respondent fere vernaculis: *nun so*, *wohlan denn*, neque absimiles loci sunt in Mem. l. 3, 9. Εἰπέ μοι, ἔφη, ὦ Ξενοφῶν, οὐ σὺ Κριτόβουλον ἡδέως ἂν ἴδοις τῶν εὐφρονικῶν ἀνδρῶν μᾶλλον ἢ τῶν θρασέων; — Πάνυ μὲν οὖν, ἔφη ὁ Ξενοφῶν. — Νῦν τοίνυν νόμιζε αὐτὸν θερμουργότατόν τι εἶναι καὶ λεπτουργότατον. Anabas. III, 1, 37. duces et centuriones decere ait Xenophon, ut gregariis militibus fortiores sint καὶ ὅτε εἰρήνη ἦν, ὑμεῖς καὶ χρήμασι καὶ τιμαῖς τούτων ἐπλεονεκτεῖτε· καὶ νῦν, τοίνυν, ἐπὶ πόλεμός ἐστιν, ἀξιοῦν δεῖ ὑμᾶς αὐτοὺς ἀμείνους τε τοῦ πλήθους εἶναι, i. e. iam igitur nunc quoque postulari potest, ut virtute multitudinem superetis. Ibidem cap. II, 39., ubi vulgo legitur Νῦν ἔφη ἀπιόντας ποιεῖν δεῖ τὰ δεδογμένα ex Eton. enotatur τοίνυν ἔφη. Coniunge utramque particulam cum codd. Par. et Vat. F. H. νῦν τοίνυν ἔφη ἀπ-. Nescio an similiter librarii peccaverint Cyrop. V, 3, 21. aliis Ἴθι νῦν, aliis Ἴθι τοίνυν praebentibus, Stephano 2 cum Ald. et Wech. etiam Ἴθι νῦν τοίνυν, quam lectionem per linguae leges nihil, opinor, obstat, quo minus Xenophonti reddamus.

ταύτης τῆς τέχνης pronuntiasset Ischomachus, non pote tanquam oeconomus, artis suae, ut fit, amantissimus, se impetrare, quin in laudes agriculturae erumpat, eam que dicat cum utilissimam et iucundissimam ad exercen dum, tum pulcherrimam et diis hominibusque gratis mam et vero etiam cognitu facillimam esse, praeserti cum agriculturae commoda Socrates ipse breviter am significasset πλουσίους ποιεῖν etc. Ibi igitur Socrates, verens i Ischomachus in arte sua concelebranda iusto longior fu turus sit, et omissis, quae levius adhuc tacta essent, re tractare incipiat, quae iam a Cap. 5. et a se ipso de laud agriculturae et ab Ischomacho de re domestica, de villic rite docendo exposita erant, interrupta Ischomachi ora tione. „*At haec quidem,* ait, *satis mihi videor supra di dicisse.*“ Quibus verbis non poterat non avocare Ischo machum a nimio illo laudandi studio, eiusque animum ad illud advertere, quod supra iam frustra ex eo quaesi verat. Itaque in memoriam ei revocat tum eorum, d quibus inter ipsos convenisset, tum quae deinceps disputanda superessent, „*Quid vero,* inquiens, *et quomodo e quando quamque rem faciendam esse existimes, ho quoniam nescio, fac mihi tradas, ne similis evadam medici, quem* (XIII, 2) *dicebas aegrotorum curam sus cipere quamvis nescientem, quid aegrotantibus sit sa lutare.*“ Respondet Ischomachus, velut se excusaturus *non necesse propemodum esse, ut de his rebus multi eum edoceat, esse enim haec ita comparata, ut sint dubio ipse eorum multa, licet fortasse nescius, cogniti habeat, et si quae forte nesciat, ea ut percontando e conspiciendo facile possit experiri.* Ex his et e verbi extrema sectione additis ἀλλὰ τὸ μὲν προοίμιον καλὸν κ. τ. λ (cf. etiam XVI. 8), quibus denotat Socrates, Ischomach recusationem non talem esse, qualem qui audierit, ab interrogationibus abstineat, colligi licet, Ischomachum quidem noluisse agriculturae munera, quippe omnium fa cillima, Socrati explanare, hunc autem cur quaestionem suam detrectaret, serius demum perspicientem non desi isse illum interrogando urgere, donec precibus eius an nueret. Ceterum ditissimum fuisse Ischomachum, cum aliunde patet, (v. Schneid. ad VI, 17,) tum ex toto dia logi habitu. Qui igitur §. 3. dicit: αὕτη ἴσως ἐστὶν ἡ πορ οὖσα τοὺς μὲν ἐπισταμένους αὐτὴν πλουσίους, nonne videtur ipsum Ischomachum tecte quodammodo taxare, et exci tare, ut secum quoque artem communicet, cuius ope tan tas divitias collegisset? Ita certe satis gravem causam habebis, cur Ischomachus non solum §. 4. spinosam quae-

tionem detrectare voluerit, sed in sequentibus etiam identidem hoc urgeat, agricultura nullam artem ad discendum faciliorem esse.

Quo magis autem vulgata verborum series recentiorum editorum commento praeferenda est, eo minus cum Schneidero sectionem 4tam propterea suppositiciam iudicem, quod agriculturae comparatio cum animalibus *γενναίους* vulgo vocatis ab his: *γενναῖα δὲ δήπου καλοῦμεν καὶ τῶν ζώων* etc. Xenophonte indigna sit. Nam cum omnino mirae interdum sint veterum comparationes, tum Xenophon eas prae ceteris amat, quae e re venatica desumtae sunt. Quod addidit V. D., animalia *γενναῖα* graece non dici *pulchra, magna, hominibus utilia et mitia, sed potius generosa, in quibus primum locum obtineat leo*, hoc ut cadit in Herodian. I, 15, 3. ed. Wolf. *λέοντας δὲ καὶ παρδάλεις, ὅσα τε ζῶα γενναῖα περιθέων ἄνωθεν κατηκόντιζεν* et alios locos, ita uno loco Cyrop. I. 4, 21 refutatur, ubi canis appellatur *γενναῖος*, cui omnia illa epitheta accommodari possunt. Sensus loci in promtu est: *nonne*, inquit, *consentaneum est, eam artem, quae et utilissima et cognitu facillima est, appellari honestam aliquam et nobilem artem, φιλάνθρωπον s. γενναίαν, eoque magis, cum iam animalium ea vocemus nobilia et generosa, quae magnitudine et venustate pollent?*" Contra hoc si membrum ex Schneideri sententia verbis §. 12. *ἡ γεωργία ἔοικε παρέχεσθαι* adiunxeris, quid sibi velit et quomodo huic loco melius congruat, nemo profecto perspexerit; ibi enim non de eo agitur, utrum agricolae appellandi sint liberales generosique homines, necne, sed heri dicuntur eo, quod terram colunt, generosiores et nobiliores. Atqui talem sententiam quis quaeso hunc in modum proferat: *ita moribus adeo generosissimis rusticos videtur agricultura instruere, quippe generosa utique ea vocamus animantia, quae pulchra sunt et utilia?* *) Ceterum in locis ab interpretibus laudatis, si quid video, *γενναῖος* unam eandemque vim habet, quae pene tota continetur nostro *edel.* — Sed redeo, unde degressus sum. Nego igitur ullam sive transpositionem sive coniecturam in sententiarum nexu opus esse ut in

*) Quod a proverbio nostro ne hilum quidem distat, quo male ratiocinantes erroris solemus convincere: *quia leo saevus est* etc. In eadem sectione *καὶ* inter *θεοῖς τε καὶ ἀνθρώποις* positum, quoniam a Paris. C. abest, mire satis Gailius suspicatur Xen. scripsisse simpliciter *τοῖς ἀνθρώποις*, quo facilius equidem quam altero nomine carearn.

auxilium vocemus; modo nē obliviscamur, Ischomachum artis suae studiosissimum declinare velle ea, de quibus supra dictum est, Socratem contra iteratis vicibus ad propositam quaestionem recurrere, precibusque tergiversanti Ischomacho instare, denique malle alium de alia re sermonem instituere.

Sed ut ratum fiat, quod dixi, in toto Cap. nihil fere mutandum esse, de singulis pauca adiiciamus necesse est. Et egregia quidem Hermanni emendatio probatur etiam viro erudito in Ephem. litt. Ien. 1812 N. 122 sq., cuius tamen, si recte memini, coniectura *ἐπειδὰν δὲ τούτοις πᾶσιν ἤδηται* non magis necessaria est, quam quod ab alio ad §. 7. propositum idem censor, nollem id factum, assensu suo confirmavit. Ille enim ex seqq. particulam *γάρ* post *ὥσπερ* collocari iubet, duram dictitans communem omnium librorum lectionem, atque particulam saltem addi debuisse a scriptore, qua praecedentia aptius connecterentur. At nonne voculae *ὥσπερ εἰ* omnia bene coniungunt? Deinde est haec longior aliqua comparatio, quae non una periodo absolvitur, sed pluribus constat partibus, quas, quo artius inter se cohaererent, compluribus Xenophon nexuit particulis. Atque illud *γάρ* loco suo eo minus movendum erit, quo propius ad familiarem dicendi consuetudinem vetusta lectio accedit, quam ita velim interpreteris: *„gravissimam illam rem non aliter videmur perstrinxisse, ac si diceres, debere litteras nosse eum, qui velit dictata quaeque calamo excipere et legere excepta; quo audito percipiendas quidem litteras esse cognovissem, sed litteras ipsas nihilominus opinor ignorarem.“* Unice veram esse hanc explicationem, testatur formula *οὕτω δὲ καὶ*, ibi plerumque collocata, ubi a legitima constructione nonnihil deflectitur. Cf. Heindorf. ad Plat. Phaedon. §. 46. p. 73. Quod idem constat de vocula *δὲ* valere, in apodosi a Graecis inferri solita; vid. Herm. ad Vig. p. 785 et 845.

Sect. 3. s. 8. pro *πολλὰ πονοῦντας ἀπόρως βιοτεύειν* scribendum esse *πόλλ' ἀποροῦντας βιοτεύειν*, ut aliis persuadeatur, mihi certe nunquam persuadebitur; 1) quia oppositionis brevitati non magis nova lectio consulit quam antiqua, 2) quia egestatem eius, qui agriculturam ignorat, citra necessitatem auget et multiplicat, 3) vulgatae sensui nexui accommodatior est: neque enim quod agriculturae imperiti sunt, propterea in *magna* vivunt inopia, sed multum laborando nihil magnopere proficiunt. Comparari possunt verba cap. XX, 1. 4) Similibus locis omnia plena sunt: Cyrop. VII, 3, 14. *Ἡ δὲ τροφὸς πολλὰ ἐπετεύ-*

νσα μὴ ποιεῖν τοῦτο, ἐπεὶ οὐδὲν ἤνυε, καὶ χαλεπαίνουσαν ἐώρα, κάθητο κλαίουσα. III, 2, 20. Ἔφασαν οἱ Χαλδαῖοι πολλοὶ γὰρ ὠφελεῖσθαι οὐδὲν πονοῦντες. — εἰ μέλλοις μικρὰ ὠφελῶν Χαλδαίους πολὺ πλείω ὠφεληθήσεσθαι. etc. Denique ne forte quis obiiciat, verba ἐνταῦθα δὴ §. 3. nonnisi tum usurpari, cum copiosior oratio, quaeque promtam responsionem non desideret, praecesserit, aut ubi nova praeparetur disputatio, is vereor ne contra semet ipse pugnet, quandoquidem in oculos incurrit, novam ab formula illa disputationem instituí. Praeterea cf. Cyrop. III, 1, 33. V, 5, 8. et Sympos. II, 6. Quod si quid in hoc capite mutandum, §. 1. de locutione dubitem κτᾶσθαι τινὶ ἐπιστήμην, cuius insolentiam omnes agnoverunt editores. Quoniam perpetua est in libris scriptis confusio verborum κτίσαι, κτίσασθαι, κτᾶσθαι et similium, de qua egit Matthiae ad Eurip. Phoen. v. 687, fuit, cum legendum putarem ἔτι δὲ πρὸς τούτοις ἐπιστήμην κτίσῃς αὐτῷ eo sensu, quo κτίζειν τέχνην accipi docet H. Steph. in Thes. T. IV. p. 1306. Nunc tamen vulgatam credo defendi posse uno Cyrop. loco III, 3, 3. ἀπὸ δὲ τῶν λοιπῶν κτῶ καὶ σαυτῇ καὶ τῷ ἀνδρὶ καὶ ταῖς θυγατράσι καὶ τοῖς υἱοῖς, ὅ, τι κεκοσμημένοι κάλλιον καὶ ἥδιον τὸν αἰῶνα διάξετε. Sed haec obiter; iudicent ne peritiores: equidem satis habui suspectam reddidisse illam Ernestii transpositionem, diutius illam, nisi fallor, quam par erat, a criticis toleratam.

Hac data opportunitate facere non possum, quin cum aliis VV. DD. transpositionibus tum *Dissert. crit.*, qua *Wassenbergius* in Miscell. critt. Vol. I. P. I. p. 141 sqq. hoc genus tanquam saluberrimum in sanandis veterum scriptis remedium popularibus suis propinare voluit, multo minorem auctoritatem tribuendam esse existimem, quam post eum vel Porsonus in praef. Hec. Eurip. p. XIII, vel alii tribuisse videntur. Ne reliqua commemorem, quod Wassenb. l. l. p. 153 e Xenoph. Memor. I, 2, 53. exemplum delibavit, tantum abest, ut illam emendandi rationem commendet, ut quam maxime evitandam esse liquido evincat.

Ante omnia tamen certis et indubitatis exemplis demonstrandum erat, quo iure pro οὐκ οἶδα οὔτε περὶ πατέρων οὔτε περὶ τῶν etc. scriptor posuerit οὐκ οἶδα καὶ περὶ πατέρων, dein quid sibi in illa sede verba velint καὶ ζῶν, exponere neglexit: fallor enim, aut tanquam otiosa delenda erant, quae vulgato ordine retento locum suum aptissime tuebuntur. Sive enim καὶ ad ἔλεγε δὲ trahendum esse, sive *vel s. adeo* significare statuas, utrobique una cum participio ζῶν, nisi si membrum, quod ille post §.

54. reiiciendum proposuit, antecesserit, non habebit, quo commode referas. Adeo longe a verbis τὸ σῶμα τοῦ οἰκειοτάτου etc. remota sunt, ut nemini facile in mentem veniat, oppositionem quandam inter haec duo καὶ ζῶν ἕκαστος et πρὸς τούτοις γε δὴ — ἀφανίζουσιν, intercedere. Neque vero illud praetereundum, post orationem directam, quae incipit a verbis αὐτοί τε γάρ, non pendentibus a coniunctione ὅτι, duriuscule inferri καὶ πρὸς τούτοις γε δή, ὅτι non interserto ἔλεγε, quod Xenophon, opinor, non praetermisisset. Adde, quod eorum, quae secundum §. II. transferendis singulis verbis et periodis ansam dedisse dicuntur, nihil quidquam neque Wassenbergius attulit, neque ipse extricare possum.

Sed, quod gravissimum est, non solum alibi, ut in Apologia §. 20, *) enarrat ipse Socrates, quibus in rebus discipulos iusserit sibi potius, medicis et oratoribus obtemperare, quam parentibus, verum etiam quae Wass. a Socrate dici potuisse negavit, non adeo videntur absurda esse, ut ab summi viri praeceptis plane abhorreant. Nam quid tandem tradidit discipulis? nempe, ut parentibus sapientiores evaderent, persuasisse iis dicitur docendo, stolidiores semper in prudentiorum hominum potestate esse, neque aegrotantibus neque reis opem ferre posse cognatorum stultitiam, sed medicorum tantum iurisque consultorum peritiam, nec benevolentiam amicorum ullius frugi esse, nisi intelligentia sua opitulari amicis possint; denique cum iuvenibus idem communicasse traditur, quod de se ipso Apollinis oraculum praedicaverat, videlicet se cum ipsum sapientissimum esse, tum ceteros ad sapientiam perducere omnium optime callere. Quae insuper §§. 49 – 53 continentur, quum maximam partem accusatoris verba referant, sicut ipsa illa, quae indidem modo commemoravi, probabile est a maligno homine in peiorem partem explicata et detorta esse. Socrates enim quo pacto omnia intelligi voluerit, et quorsum eius disputatio spectaverit, §. 55. demum perspicimus et quidem ita, ut nihil aliud docuisse Socratem appareat, quam quod apud Platonem ait in Apologia p. 30. A. *οὐδὲν γὰρ ἄλλο πράττων ἐγὼ περιέρχομαι ἢ πείθων ὑμῶν καὶ νεωτέρους καὶ πρεσβυτέρους, μήτε σωμάτων ἐπιμελεῖσθαι μήτε χρημάτων πρό-*

*) Non vereor, ne quis mihi opponat, hanc Apologiam a Xenophonte auctore abiudicandam esse, post ea, quae ad eius auctoritatem tuendam sat multa collegisse mihi videor in ed. Sympos. et Apolog. ex Goescheniana officina propediem in lucem emittenda.

ιρον, μήτε ἄλλου τινὸς οὕτω σφόδρα, ὡς τῆς ψυχῆς, ὅπως ὡς βελτίστη ἔσται.

„At male tamen, inquiunt, extrema illa §. 53. καὶ πρὸς τούτοις γε — ἀφανίζουσιν primis respondent, neque es neque oratio optime cohaeret.“ Posterius me non ntelligere fateor, quum nec particulae καὶ — γὲ δὴ usu ic insolenti positae reperiantur, et ex antecedd. facili egotio ante ὅτι cogitatione supplere liceat οἶδα. Ad rem uod attinet, haud satis scio an Weiskio excepto inter- retes acerbam ironiam, (cui augendae particulae illae imirum in modum inserviunt teste Wolfio ad Plat. Symp. p. 6.) perceperint, ex qua accusatori Xenophon dum plus concedit, quam ille voluit, crimina simul in Socratem conjecta irridere et diluere incipit hac ferme argumentatione: *quemadmodum corpus anima privatum ut inutile e medio tollitur, ita etiam parentes, cognati et amici, ratione carentes, nulli possunt liberis esse usui.*

Praeterea cur W. particulas μὲν et δὲ invicem sibi oppositas necessario censeat negationem οὐκ requirere, non magis quisquam dixerit, quam quare μὲν locum habere posse neget quamvis non sequente δέ. Si quid omnino h. l. voculae μὲν in sequentibus respondet, non poterit non esse ἀλλ' ante ἐπιδεικνίων §. 55; id quod manifesto patere arbitror ex verbis Ταῦτα *) οὖν ἔλεγεν, quibus filum orationis inde ab his καὶ πρὸς τούτοις γε δὴ abruptum repetitur. Haec enim, si quid video, mens est Xenophontis: *memini quidem haec et similia de parentibus Socratem disserere, sed nihil iis nisi ostensurus erat, ὅτι τὸ ἄφρον ἄτιμόν ἐστιν.* Ex iis autem, quae initio §. 54. scripsit ἔλεγε δὲ non dubium, quin δὲ ad superiorem sententiam referendum atque ita explicandum sit, ut ad Vig. p. 845. Hermannus docuit.

Qui hunc Memorab. locum excipit, sumtus est ex in. Epistt. Socratt., nihilo ille felicius, ut arbitror, quam reliqui loci, emendatus. Partim enim de novae lectionis interpretatione ambiguum reliquit lectorem, qui, nisi ab eo, quem conjecturae auctor in mente habuit, sensu plane

*) Editio Parisiensis, unde se ταῦτα μὲν οὖν dedisse scribit Zeunius, nullam apud me fidem habet, cum ed. Leonclav. 3 repetierit, resectis tamen, quae in Stephanum ille effutierat. Non ignoro, Schneidero illud exemplar prae ceteris carum fuisse, sed eius rei causa non tam in lectionum, quibus refertus liber sit, praestantia, quam in eo quaerenda est, quod non collatis editionibus prioribus tanquam novam scripturam cum stupore quodam Schneiderus intuetur, quae antiquiorum exemplorum propria est.

aberraverit, malit minore facta mutatione scribi ἔτι πλείοσιν ἢ τοῖς τότε διδομένοις ὑπὸ σοῦ, partim a Batavo mireris emendationem, quam multo leniorem ad Aristoph. Plut. p. 446 ed. Lips. Hemsterhusius proposuit, silentio transmissam fuisse.

Quod si in veterum scriptorum operibus, quorum codd. vix ad sec. XII. pertinent, magna iam cautione in transponendis locis opus est, fieri non potest, quin eos libros, qui membranis ad quintum et sextum seculum adscendentibus nituntur, tanto maiori reverentia intueamur, quanto saepius a primo inde seculo ab innumeris scriptoribus ecclesiasticis, quos tamen theologi multo minoris pretii hodie habent, quam novissimos grammaticos antiquarum litterarum studiosi, singuli inde loci commemorantur pariter et explicantur. Violentam vero Batavi doctissimi medicinam qui N. T. scriptis adhibere velint, magnopere verendum puto, ne brevi tempore ita omnia permisceant, ut utrum recentioris cuiusdam Graeculi hominis foetum an simplicissimam scriptoris sacri narrationem ob oculos habeas, utique incertus haereas. Atqui apud Matth Ev. XXVII, 35. „*iam factum*, inquit Wassenb., *dicitur id, quod milites mox* v. 38. *fecisse innuuntur*." Nimirum quoniam evangelistae Christus eiusque mors maiori sane curae fuit, quam praedones, factum est, ut quidquid ad illum referretur, ante omnia apostolus narraret, idque eo ordine, quo scire omnia pii lectoris plurimum interesset. Haec causa est, quare v. 35 scripserit: *quum cruci affixissent Christum, vestimenta eius inter se distribuerunt*, et v. 38: *eodem tempore cum Christo cruci affiguntur duo praedones.* Prioribus verbis iam narrari, quod posterioribus demum fecisse milites perhibeantur, non prius mihi persuaderi patiar, quam si cui demonstrare contigerit, praedones illos et Christum unam eandemque fuisse personam. Versu 36. quid obstat quo minus dici queant milites, non quidem *a labore quievisse*, sed *Christi corpus custodire*, (ne quis ad sepulturam surriperet) postquam cruci titulum inscripsissent? Nemo enim nescit, Aoristum Plusquamperfecti vi sexcentis locis indutum esse, *) atque haud dubie

*) Nova ratione, sed quae non uno nomine laboret, et graecae linguae peritis risum moveat, h. l. tractatum video in *Wineri* Gramm. des N. T. Sprachidioms als *einzig sichere* Grundlage der N. T. Exegese. p. 87. Num vero sine accentuum, quibus caret libellus, cognitione tutum unquam et firmum cogitari potest graecae linguae fundamentum? Dubito cum Porsono ad Eurip. Med. v. 1.

Imperfectum *πεπίθεσαν* Matthaeus posuisset, si post excubias demum titulum a militibus impositum fuisse apud animum informasset. Paulo post ad Praesens *σταυροῦνται* delabitur, qui transitus ab uno ad alterum tempus praestantissimis rerum scriptoribus tam familiaris est, ut, qui inde suspicari velit, earum rerum, quas enarraverit, evangelistam non ipsum fuisse testem, inscitiae notam sibimet ipse inurat.

XIV.

Adalb. Barth. Kayssleri et *Io. Theaeni Schneideri Saxonis* vitae. Scrips. *Franc. Passow.*

(Vratislav. 1822. pp. 12. 4to.)

Magnum et doctrinae variae accurataeque, et ingenii ad gravissimas philosophiae quaestiones ab ipsa natura praeclare conformati, et severae morum sanctitatis exemplum amisimus, Commilitones, defuncto ADALBERTO BARTHOLOMAEO KAYSSLERO, philosophiae Dr. et in Universitate nostra per decem annos P. P. O. nec facile videtur aestumare, quaenam iactura magis sit lugenda.

Gravis profecto res est, et cum doctori gloriosa, tum discentibus mirifice fructuosa, si quis singulas universae eruditionis partes ita cognitas animoque perceptas et quasi percursas tenet, ut nusquam erret, nusquam impeditus haereat, nusquam incerto gressu titubet aut labatur, ita vero in promptu habeat omnia, ut aptissimum cuicunque loco ac tempori proferre, prolatumque, quemadmodum res postulet, perspicue et diserte explicare possit. Longe tamen difficilius habetur rariusque invenitur, quod non nisi viro vere philosopho concessum est, disiecta multiplicis cognitionis membra colligere rursus, disponere, in corpus bene ordinatum redigere, et tantam diversissimarum rerum copiam certo proprioque iudicio penetrare, ut neque deficere quicquam videatur ad summam, neque molesta hic illic abundantia laborare, sed interior ubique partium nexus earumque in universa doctrina locus facile perspiciatur.

Raram hanc subtilis iudicii coniunctionem cum eruditionis soliditate, qua quidem, utpote re operosa tenuioribusque ingeniis relinquenda, supersedere se posse interdum opinati sunt philosophiae sectatores, maximi semper fecimus in KAYSSLERO, qui homini cordato nihil absque

Deo esse recte existimabat, et Vos uberrimos huius iudicii fructus percepistis. Hic enim vir, dum recondita de Deo, de mundo deque mentis humanae natura unice vacare videbatur, tantam antiquarum, etiam orientalium linguarum, imprimis vero patrii sermonis sibi peritiam comparaverat, gentium litterarumque historias tanto ardore erat amplexus, tamque arctam praeterea cum scientiis naturalibus et mathematicis familiaritatem contraxerat, ut dubius haereres, utrum doctrinae copiam impensius mirarere, an ingenuam modestiam, qua haec omnia celare, quam ad ostentationem iis abuti malebat.

Quamvis suffecerint fortasse hae virtutes ad illustrandam unius hominis memoriam, tamen maius quid cum KAYSSLERO nobis ereptum perpetuo desiderio dolemus, insigne castissimae sanctitatis exemplum. Ubicunque enim haec totius vitae integritas frustra requiritur, ibi nec litterarum amor verus et liberalis, nec ingenii acumen honestate commendatum, nec in muneribus obeundis sincera fides prosperque eventus. Sed qui puro et intaminato animo ad sapientiae penetralia accedunt, neque studium suum ad ostentationis vanitatem, sed ad optimae conscientiae praemia, non ad humiles cupiditates explendas, sed ad Dei gloriam et suam gentisque humanae veram salutem referunt, in iis efficaceni se praestat sublimis cui se devoverunt disciplina, neque sint vita esse dissimiles sui. Ac sicuti omnis philosophia circa aeternam veritatem versatur, quatenus ea Deus ipse est et in operibus divinae sapientiae conspicitur, ita veritatem et pietatem adversus Deum, e schola in vitam introductas, vitae quoque fundamenta factorumque et dictorum omnium regulas fecerat KAYSSLERUS, quamquam horum quicquam in fronte ac vultu gestare aspernabatur: Deo enim, non populo, pius et religiosus esse volebat. Summa vero ex animo ita composito benivolentia redundabat in genus humanum: omnibus aequus et facilis, omnibus ad consulendum et opitulandum, ad ignoscendum bonisque mala rependendum paratus, nullis adversus quemquam vanis suspicionibus agitatus, ut qui ipse a secretis artibus et occultarum machinationum fallaciis longissime abhorreret, uni tantum gravius et ultra vulgarem captum indignabatur, quem a veritate consulto aberrantem turpique fraudi intentum deprehendisset: hunc enim ad pessima quaeque proclivem putabat: mendacio tamen magis quam mendaci iratus, flagitium quidem acerrimo odio prosequebatur, flagitiosos vero,

quantum poterat, monendo, castigando, adiuvando ad meliorem viam reducere conabatur.

Ab huius pietatis integritate nata erat et educata et adorata decora illa, quae saepe Vobis affulsit, oris serenitas et, quod divinius quoque, perpetua animi tranquillitas, quae KAYSSLERUM non solum ultra acerbissimos fortunae casus victorem evehebat, sed ad extremum usque vitae articulum, tristem plerisque et terroris plenum, ita est comitata, ut non tam vitam morte commutare, quam ab itineris diuturni molestiis in paternas sedes redire videretur. Quod si igitur, notissimo quodam Solonis dicto aliquantum immutato, nemo sapiens praedicandus est, priusquam morte beata sapientiae suae fidem addiderit, ab hac quoque parte KAYSSLERUS talem se probavit, quales omnes esse cupias, paucissimos invenias.

Hic tanti exempli vir lucem adspexit die XXIV Sept. a. MDCCLXIX Landeccae in agro Glacensi, cuius oppiduli nomen ab aquarum salubritate clarum. In gymnasio primum patrio, tunc in Universitate Leopoldina Vratislaviensi tam praeclaros in liberalibus litteris profectus habuit, ut mature publici doctoris munere in gymnasio Saganensi ornaretur, unde ad gymnasium Oppoliense brevi arcessitus nec ibi diu commoratus, honores dignitatemque Prof. philos. P. O. in Universitate Leopoldina suscepit. Quantum deinceps utilitatis et patriae et litteris attulerit docendo, testes sunt viri, tum ab eo ad litterarum amorem excitati, testes publica desideria, quibus eum prosequebantur, quum a. MDCCCIII idoneis de causis munere se abdicasset. Brevi quo iam frui contingebat otii spatio bonam inferioris Germaniae partem visit, Goettingae et Berolini pedem aliquanto diutius fixit; sed mox oblatis conditionibus Halas Saxonum adiit, tum maxime et splendidissimis professorum ingeniis et honestissimis studiosae iuventutis moribus florentes, nec in lectionibus tantum academicis de recentiori philosophia instituendis summo ibi cum applausu perrexit, sed operibus quoque de rebus philosophicis subtiliter et erudite scriptis per Germaniam inclaruit.

Assiduum vero deque sacris fontibus haustum religionis Christianae studium, quod a philosophicis quaestionibus — in aliquod interdum, uti quidem perhibent nonnulli, sed honestissimum certe speculationis detrimentum — nunquam separaverat, id interea necessitatis internae imposuerat KAYSSLERO, ut, ecclesia Catholica, in qua natus et educatus erat, relicta, persuasioni optime stabilitae unice obsequutus, Evangelicae Reformatorum fidei

se addiceret: qua in re gravissima aeque abhorruisse KAYSSLERUM ab eorum turpi levitate, qui religionem haud secus ac vestem detritam mutant, atque a clandestina recentiorum nonnullorum fraude, qui, quod nullo cogente perpetrare minime erubuerunt, id ingenue quoque confiteri foede detrectant, ne virtuti iniuriam fecisse videremur vix addidissemus, nisi perversi nostrorum dierum mores cuique fere ad aliam ecclesiam transitui suspicionis maculam adspersissent, a qua vindicandus erat KAYSSLERUS. Animi vero, quo nunquam non erga Christianos Catholicos fuerit affectus, egregium ipse prodidit testimonium aurea illa oratione, inter sacra ecclesiae instauratae duodecim annis post solenniter recitata, quam adeant ii!, qui fidei suae sine aliter sentientium obtrectatione fideliter inhaerere non posse arbitrantur. Sed de his hactenus.

Inter varias vitae Halis transactae opportunitates ea quoque non levissima obtigit KAYSSLERO, quod felicissima tantum Universitatis tempora, nec quicquam calamitatum viderit, quas post cladem Ienensem in eam irrupisse constat. Haud enim multo ante Vratislaviam erat revocatus, ut gymnasii Fridericiani moderandi in societatem veniret, quod munus postea sibi uni imponi passus est. Scholam, quam non ab una parte laborantem invenerat, talem reliquit, quae non nisi cum praestantissimis conferri posset. Quod quanta virium omnium contentione, quanta in collegas humanitate, in discipulos cum amore vere paterno temperata severitate, quam valido religionis exemplo perfecerit pluribus exponere, non huius est loci: ab iis, in quorum manibus gymnasii Fridericiani cura, debita tantis meritis pietate grataque recordatione KAYSSLERI benefacta post mortem, quod speramus, agnoscentur et celebrabuntur.

Ipse Vratislaviam redux, ea cui hactenus totum se dederat docendi consuetudine statim renovata, quantumcunque suppetebat otii lectionibus philosophicis, cum a civibus Leopoldinae, tum ab aliis litterarum amicis sedulo frequentatis insumpsit. Nec quod maxime semper in votis habuerat, diu frustra optavit, ut sibi liceret, cum officio scholastico academicum munus coniungere, difficilemque educandi atque erudiendi artem in sua amplitudine exercere. Quum enim anno huius saeculi undecimo Universitas litterarum Francofurtana, Vratislaviam translata, cum Leopoldina coniungeretur, nec defuit KAYSSLERUS insigni doctorum undiquaque convocatorum coronae. Ea conditione, ut sibi a gymnasio regundo non esset discedendum, munus Professoris P. O. honorificentissime sibi oblatum accepit,

cui postea seminarii quoque Regii paedagogici moderatio addita est.

Triplicem hanc provinciam eo successu administravit KAYSSLERUS, qui a viro erat exspectandus, qualem eum et nos descripsimus et Vos novistis. In ipso virilis aetatis flore constitutus, largis experientiae subsidiis si quis alius instructus, universum publicae educationis ambitum a primis inde rudimentis ad absolutum usque altiorum studiorum decursum uno quasi obtutu comprehendens, quae non praestitisset KAYSSLERUS, si ad raram hanc et virtutum et munerum coniunctionem longior vita accessisset! Verum enim vero, unicum paene hoc quod nobis supererat votum ratum facere noluit Deus. Lento morbo sensim sensimque exhaustus, fatique, dum familiares spei adhuc indulgerent, diu praesagus, sub noctem diei XII Dec. MDCCCXXI, coniuge, medico, amicis adstantibus, quorum animos ipse amanter erexerat et obfirmaverat, oculis tabulae Redemptorem nostrum referenti infixis, absque cruciatu, absque angore placide exspiravit, Deoque lubens reddidit animam, qua sanctiorem terrae non tulere.

Refricuit et auxit, non repressit iustissimum dolorem novus casus, ut minus inopinatus, ita aeque luctuosus, quo eodem subsequuti Ianuarii mensis die XII res nostrae iterum graviter affligebantur, mortem dicimus IOANNIS THEAENI SCHNEIDERI, SAXONIS cognomine insignis, Philos. Dr., eloquentiae et philologiae per XLV annos Prof. P. O., bibliothecaeque Regiae et Universitatis praefecti, quo illustrius nomen reipublicae nostrae litterariae eripi haud poterat: non enim tam nobis, quam Germaniae universaeque Europae cultiori et posteritati vixit.

Ab humilibus exortus est originibus: patrem enim habuit fabrum murarium, cui die XVIII Ian. anno superioris saeculi quinquagesimo Colmae Wurzam inter et arcem Huberti in Saxonia tunc electorali natus, prima infantiae tempora in successu rusticano, pueritiam in ignobili oppido, Elsterwerdae, apud avunculum quendam liberis orbum peregit, utrobique sibi ipsi commissus suique fere iuris: nec exigua inde in SCHNEIDERUM utilitas. Etenim simplex cui adsuescebat victus duriorque cum aequalibus sub dio vita roborabant corpus, ita ut assiduis viri laboribus ne provectiore quidem aetate unquam deficerent latera ac vires: recludebantur praeterea, exercebantur et acuebantur sensus molles adhuc et flexiles ad naturae contemplationem, priusquam — quae

misera plerumque eruditorum hominum conditio — dura annorum et umbraticorum studiorum quasi cortice obducti, adversus purissimas obtunderentur voluptates.

Hinc feracissimae ingeniorum matri atque nutrici, scholae Portensi, ab avunculo traditus, etsi ab initio severae fereque coenobiali disciplinae reluctaretur fervidus adolescens, mox tamen ab antiquarum praecipue linguarum praestantia captus et mitigatus, primas futuri luminis scintillas ostendit. Annum nondum vigesimum agens Lipsiam se contulit, ex avunculi quidem sententia ut iuris consultorum castra sequeretur, sed apud ipsum longe aliter erat constitutum. Litterarum quo Portae imbutus erat amor altiores iam apud SCHNEIDERUM radices egerat, quam quae alieno arbitrio ex tenacissimo animo facile evelli potuissent: Lipsiae vero, ubi Io. Iac. Reiskius, Io. Frid. Fischerus et Frid. Volg. Reizius humanitatis studia summa tum cum laude docebant, nova eaque uberrima nutrimenta erat nactus. A talibus praeceptoribus excitatus, repugnantem avunculum parum curavit, genioque, cuius probe sibi conscius erat, obtemperavit: nec unquam poenituit SCHNEIDERUM, huius potius monitis, quam vulgaris victumque tantum quotidianum spectantis prudentiae insusurrationibus aurem praebuisse. Reizii quidem accuratam et subtilem doctrinam, rectum iudicium sequutus, maxime suspexisse, sibique quam imitaretur proposuisse videtur: sed eruditionem proprio Marte acquisitam eruditioni ab aliis traditae iam tum praeferre didicerat. Privatam igitur potissimum industriam coniunctis antiquitatis et naturae studiis impendit, laetasque eorum primitias edidit a. MDCCLXX observationes in Anacreontem vernacule haud sine lepore scriptas quas anno post periculum criticum in Anthologiam Constantini Cephalae excepit. Non aequabat tantum, sed superabat in his opusculis iuvenilem quendam impetum exquisita doctrina iudiciumque acutum et pro auctoris aetate mirifice subactum: eam praeterea studiorum viam ac rationem, unde nullo abhinc tempore SCHNEIDERUM aberrasse videmus, iam in his initiis praemonstravit.

Duriora tamen tempora iuvenem a quovis externo subsidio destitutum exspectabant Goettingae, quorsum Heynii, ut videtur, fama tunc maxime florente bibliothecaeque instructissimae copiis allectatus, etsi dehortabantur amici, relicta Lipsia transmigraverat: ibi enim, quamvis a Culencampio et aliis quantum fieri poterat succurreretur, cum extrema interdum rerum omnium inopia ei erat conflictandum. Huic fortunae iniquitati, cui

tamen invictum semper pectus opposuerat, a viro ereptus est de litteris nostris haud uno nomine praeclare merito, a Ric. Franc. Phil. Brunckio, qui quum hominem antiquitatis probe gnarum quaereret eo consilio, ut sibi in edendis poetis Graecis a manu esset, suadente Heynio ipseque strenui iuvenis moribus delectatus, SCHNEIDERUM sibi adiunxit eumque secum haud mora Argentoratum abduxit. Liberaliore quo dehinc fruebatur vitae genere non ad vitae delicias, quas plurimas urbs opulentissima subministrabat, abusus est: sed consuetudine in alteram iam naturam conversa, Brunckio quoque vehementer instigante, iuxta officia huic facienda suis se studiis totum immersit. Quod quam egregie ei cesserit, testatur liber de Pindari vita et scriptis, testantur Plutarchus de puerorum educatione una cum Marcello Sideta editus priorque Oppiani recensio: his enim operibus, Argentorati absolutis, effecit, ut optimae spes cito transirent in fiduciam.

Neque diu tanto iam viro carendum erat patriae. Etenim a Zedlitio, generoso Friderici Magni amico, ut eloquentiae et philologiae cathedram in Universitate Francofurtana Viadrina exornaret invitatus, domino se subducturus interdum importuno, nec, ut verum fateamur, ad seriam Germanicorum morum simplicitatem facto, conditionibus haud sane lautis statim adnuit, eodemque anno MDCCLXXVI munus oblatum est auspicatus.

Gratum hoc diuturnorum studiorum domicilium, cui inclarescens SCHNEIDERI nomen recentem mox splendorem addiderat, nunquam fortasse reliquisset, nisi ante hos decem et quod excurrit annos Universitati Francofurtanae Vratislaviam transmigrandum fuisset. Vratislaviae quoque aliquantisper una cum LUD. FRID. HEINDORFIO doctoris publici directorisque seminarii Regii philologici munus sustinuit: quibus vero negotiis quum nullo tempore multum tribuisset — ut enim, quae sciebat, sibi ipsi fere omnia debebat, ita ab aliis quoque eandem indefatigabilem in privatis studiis assiduitatem exspectabat et exigebat, nec quaecunque aliunde sint illata in iuvenum animis diu haerere arbitrabatur — gratissimum ei accidit, quod post praematuram GEO. GABR. BREDOVII, optimi viri, mortem, exemta ei docendi necessitate, Regiae et Universitatis bibliothecae praeficeretur. Huic, prosperrima plerumque valetudine usus, extremos viridis vegetaeque senectae annos ad mortem usque dicavit.

Longinquum istud laboriosae vitae spatium tanta do-

ctissimorum operum serie distinxit et illustravit SCHNEIDERUS, ut sive ingentem voluminum numerum respicias sive divites thesauros congestarum in iis rerum memorabilium ac novarum, bibliothecae ad instar habenda sint quae posteritati tradiderit. Quae si singillatim enumerare suumque uni cuique pretium statuere velimus, non solum temerarium, sed, si vere auguramur, frustra quoque susceptum opus aggrederemur: sunt enim eruntque dum aliquis solidae doctrinae honos in manibus atque memoria eruditorum. Satis igitur habebimus, provincias, in quibus potissimum regnarit, leviter adumbrasse, vincula, quibus eas inter semet ipsas colligaverit, summatim indicasse, et ad praestantissima tantum ex quovis genere monumenta digitum intendisse.

Ac philologum quidem, grammaticum, antiquarium, scriptorum maxime Graecorum interpretem quis ignoret SCHNEIDERUM, quis non celebraverit aut celebratum certe audierit? Lexicorum Graecorum exstruendorum doctrinam, unde primus ad linguam et litteraturam aditus, ab Henrico inde Stephano propter difficultates suas plane neglectam et quasi proscriptam, ne dicamus ad remos et lapicidinas damnatam, primus ab interitu vindicavit operaque tam efficace restituit, ut nos fere omnes, quotquot nunc linguarum nobilissima delectamur, discipulos habuerit. Quod si multa nihilo secius emendanda, amplianda, addenda reliquerit successoribus, causam non tam in SCHNEIDERO, quam in ipsa vasti operis natura sitam esse, ut peritior quisque et aequior harum rerum aestumator, ita optime norunt ii, qui latissimo huic eruditionis campo pedem ipsi inferre tentarunt. Durabit igitur, ut recte nuper iudicavit doctissimus quidam SCHNEIDERI amicus, quem nostra haec narratio non hic solum sequuta est, durabit debitus operi honos, insigni semper cum utilitate in rebus physicis praecipue ac technologicis consultabitur, et fundamentum copiosioris et accuratioris Lexicographiae manebit.

In eligendis vero, quos ederet et illustraret, scriptoribus antiquis non iis se applicuisse videtur, quorum propria quadam et singulari pulchritudine imprimis sese detentum sensisset, sed quos difficultatibus ex rebus magis et ex argumenti ratione, quam ex lingua et dicendi genere natis prae aliis implicitos ideoque a paucissimis inspectos, nedum diligentius lectitatos animadvertisset. Rarae huiusce strenuitatis, trita ac vulgaria spernentis, recondita atque intacta studiose appetentis, praestantissimi haud dubie foetus praeter Eclogas physicas, ex au-

storibus cum Graecis, tum Latinis depromptas, ut nobis quidem videtur, nominandae sunt editiones Scriptorum rei rusticae, Vitruvii, historiae animalium Aristotelicae et — qui extremus SCHNEIDERI labor — operum Theophrasti, quarum quaeque novas cognitionis regiones aperuit, quaeque auctorem suum posteritati transmisisset. Et de quis opinetur, hunc virum ea iudicii et subtilitate et linguitia destitutum fuisse, sine quibus de singulorum antiquitatis operum pretio et dignitate, de auctore, cui assignanda, deque aetate, qua scripta esse videantur, certi quid definiri nequeat, quae igitur, ut paucis multum comprehendamus, verum criticum faciant: verbo certe mentionem iniicimus iudicii de Argonautarum carmine, diu sub Orphei nomine circumlato: quod quum iuvenis vicenarius antiquissimo Graeciae vati abiudicare haud dubitasset, statim quidem acerbum expertus est castigatorem Ruhnkenium: sed triginta annos post id habuit satisfactionis, ut, quae olim recte sensisset, a gravissimo sponsore, Godofr. Hermanno, novis et tam validis argumentis asserrentur, ut hodie extra omnem fere controversiam posita sint.

Accessit ad haec, quae nostra aetate haud frequens, interior Latinorum medii aevi scriptorum cognitio. Quum enim bene intelligeret, ex his quoque opportune ad auxilium vocatis huic illive antiquitatis parti multum lucis affundi singulisque auctorum locis inexspectatam medicinam afferri posse, haud reformidavit grave taedium omnium, quotquot huc facere viderentur, variis quoque eorum editionibus inter se collatis, diligentissime excutiendorum, nec sine magno fructu hunc laborem exanclavit. Prodiit hinc operum Friderici II Imperatoris nova editio: prodierunt libelli aliquot minores, de Diogenis Laertii pleniore quadam recensione, a Burleyo Britanno nuculo adhuc XIII exscripta, in Analectis litterariis Wachi, de Thoma Brabantino, Cantimpratensi, vero libri de rerum natura auctore, aliique in Io. Gust. Büschingii notitis hebdomadalibus publicati. Sed plura eiusmodi ad crisin potissimum nonnullorum scriptorum Romanorum ex Ioanne Sarisberiensi, Vincentio Bellovacensi et aliis petita eaque quae evulgentur non minus digna in scriniis reliquit.

Omnium vero maxime semper admirati summa artem illud et fere necessarium quod inter antiquitatis studia et naturae cognitionem foedus instituerit SCHNEIDERUS. Huius coniunctionis utilitatem admodum iuvenis persentiscens, quum primum Aristotelis historiam

animalium, Antigonum Carystium, Nicandrum Lipsia evolveret, tantam utrique doctrinae operam navare coe pit, ut non solum antiquos de rebus naturalibus auctore ipse penitus intelligeret, aliisque eorum intellectum innu merabilibus difficultatibus obnoxium multo quam anteha expeditiorem redderet, sed ipsam quoque naturae scien tiam propriis observationibus pari cum diligentia et sub tilitate institutis mirum quantum locupletaret atque auge ret. Nam ut libros recentiorum his de rebus accuratiu scriptos haudquaquam negligebat, plurimum tamen na turae ipsius naturaliumque exemplarium contemplation cui mature adsueverat, tribuere solebat. Fuitque tant SCHNEIDERI cura atque industria, ut manus, ab assidu labore hortensi rigidiores et motuum facilitati minus ido neas, nullo unquam magistro usus, ad res naturales, non eleganter et nitide, recte certe, accurate et distinct graphide ad vivum delineandas adigeret et applicaret.

Ac plantarum quidem cognitionem a teneris fere i deliciis habuerat, nec unquam hic amor refrixit, quo Theophrasti historia plantarum testatur: et quum amoe nissimi hortuli culturam suis ipsius manibus exercer Francofurti consuevisset, Vratislaviae pergeret, labor idem ac requies erat paratumque adversus valetudine minus commodas remedium. Longe tamen plurimum stu dii et operae dicavit Ichthyologiae atque Amphibiologiae condiditque, ut alia taceamus, duratura harum disquisitio num monumenta, ichthyologiae veterum et physiologia amphibiorum specimina, comparationem structurae pi scium cum structura hominis et reliquorum animalium a Monrone Anglice scriptam, a SCHNEIDERO Germanice redditam multisque accessionibus ditatam, Petri Artedi synonymiam piscium emendatam, auctam atque illustra tam, historiam denique amphibiorum naturalem et testu dinum universalem.

Eminet in omnibus operibus hisce peculiaris quae dam anatomes comparativae peritia et aestimatio: han enim universae zoologiae principium esse semper affirma vit. At quod nunc nemini incognitum, de quo nemin iam non persuasissimum, externarum animalium partium descriptionem sine perfecta interioris structurae cognitio ne parum utilem esse parumque fructuosam, quum SCHNEIDERUS ad scribendum sese accingeret, sententi erat minime ab omnibus probata atque recepta. SCHNEI DERO potius una cum spectatissimis amicis, Campero Pallante, Blumenbachio, insignis ea debetur laus, huiu

iudicii veritatem evicisse, certumque hinc zoologiae fundamentum substruxisse.

Quod si vero in universum negari nequeat, feliciorem fuisse SCHNEIDERUM in operum rationibus mente et cogitatione praecipiendis, describendis et adumbrandis, quam in ipsis expoliendis, uberius illustrandis, uno aequabilique tenore ad finem usque perducendis et absolvendis, ita ut interdum aut ingente eruditionis mole obrutus aut nobili quodam inquirendi ardore celerius abreptus, argumento praeclare cogitato clareque ante animum obversanti dignam tantis virtutibus formae perfectionem addere neglexerit: quae igitur ut ut recte objecta videri possint, si contenduntur cum iis, quae ipsi huic insatiabili, ideoque nunquam cessanti, nusquam diutius insistenti cognoscendi cupidini accepta referimus, non leviora tantum, sed cum huius viri indole necessario fere vinculo connexa apparebunt. Haud enim satis habuit, quod in Claudio Salmasio, cui comparari solet SCHNEIDERUS, maiore fortasse cum iure reprehendas, rudem et indigestam materiam coacervasse: sed siquidem haud omnia digessit et disposuit, viam tamen qua ultra tendi possit ubique aperuit et munivit, veramque scrutandi rationem exemplo suo ostendit. Qui vero in universum admirabilis, in singulis non est criminandus.

Et si iam quaeritis, Commilitones, qui fieri potuerit, ut tot tantaque ab uno mortali perficerentur, primas quidem partes egregio quo divinitus ornatus erat ingenio iure concedimus. Duo autem accesserunt, quae, uti a proprio SCHNEIDERI arbitrio pendebant, ita in omnium eorum potestate collocata sunt, qui ceteris hominibus praestare et aliquam sui famam post se relinquere cupiunt: horum alterum iustus erat temporis usus summaque otii parsimonia, quae quantum faciant ad rem nemo fere erit qui ignoret, quamvis plurimi ignorare videantur: alterum, nonnullis fortasse leviusculum visum, recta valetudinis cura, non anxia illa, a medici ore ac vultu suspensa, sed virilis, strenua, aequa sedendi et si res postulet corporis vires intendendi consuetudine quaesita, temperantia et patientia fulta.

Utrumque SCHNEIDERO rectius nemo nec aestumavit, nec exercuit. Nunquam lucubrabat, sed per hiemem aeque ac per aestatem ante quartam horam surgebat, nec raro ad coenam usque sine interpellatione stans plerumque scribebat, legebat, excerpebat: reficiebat vires aestate in horto, hieme ligna serrando: multorum non erat hominum, paucis vere amicus.

Antiqua hac et Catoniana vitae ratione assequutus est, quod irrito plerique desiderio sibi exoptant. Ad extremam usque pervenit senectutem, nullis indefessi laboris molestiis superatus, nullis morbis infractus, neque sensuum acie, neque felice fidaque memoria destitutus. Duravit tamen ultra corporis robur iuvenilis animi vigor: quum enim aetatis anno LXXI exacto vires subito decrescentes sentiret, a studiorum tamen consuetudine recedere noluit, extremoque iam morbo haud leviter afflictus Theophrasti editionem et supplementa ad lexicon Graecum absolvit, novam vero Aelianeae animalium historiae recensionem inchoavit, quam ingruente fato abruptam a viro in his litteris principe, FRID. IACOBSIO, ad umbilicum perductum iri speramus. Gravis annis et meritis, honoribus, quibus nunquam ultra modum delectatus erat, satiatus, vitaeque cognitioni et scientiae fideliter impensae sibi conscius, sex diebus ad septuagesimum secundum annum reliquis, vita excessit.

Commendavimus, hac nobis scribendi opportunitate oblata, Vestrae, Commilitones, memoriae duumviros, inter se quidem admodum diversos, sed suo quemque genere praestantissimum vereque magnum, qui eodem fere tempore nobis erepti, nunc in eodem quoque sepulcreto alter ab alterius latere recubantes diem Domini exspectant. Scripsimus haec non tamquam laudibus nostris egerent viri ultra mortales laudes evecti: sed ut debitae erga utrumque pietatis pignus, quod in aliis Universitatibus lege praescriptum est, sponte exsolveremus. Vos vero, talium defunctorum recordationem fidis pectoribus recolentes, praesentibus dum concessum est bonis fruimini.

Vratislaviae, mense Febr. MDCCCXXII.

XVII.

Io. Georg. Graevii Scholia in *Ciceronis* de officiis lib. I. et II. ed. *Guil. Röther*, Ph. D. Gymn. Heidelb. Prof.

P r a e f a t i o.

In bibliotheca nostra academica complures libri sunt, quos olim possedit *Ioan. Georg. Graevius*, celeberrimus ille professor Ultraiectinus. Quorum librorum nonnulli notas quasdam breviores ad margines ipsius Graevii manu habent adscriptas. Sic v. c. in Horatii

ruquiani (iterum editi Antverpiae 1611) exemplo adscripta legun-
r eius Scholia in Odarum libros duo priores, eadem, quae ante hos
es annos Frid. Henr. Bothius publici fecit iuris. Quae quidem ad-
otationes etsi in suum potius, quam aliorum in usum auctor ad-
ripserit (eo nimirum, uti quidem videtur, consilio, ut in praelectio-
ibus, quas super iisdem scriptoribus habebat, iis pro commentariis
eretur): tamen vel originis suae causa dignae esse videntur, quae
eritui haud procul instanti eripiantur. Praeterea autem nec parvam
ade in bonarum literarum studiosos tractantes eos, ad quos perti-
ent, scriptores, redundare posse utilitatem, consentaneum est.

Quod idem cum editis Scholiis illis Horatiauis a compluribus viris doctis viderem iudicari, eiusdem auctoris *Scholia in Ciceronis de Officiis libros duo priores*, quae eadem servantur in bibliotheca nostra, adscripta illa margini exempli Ciceronis de Officiis librorum, eius quidem editionis, quam ipse Graevius curavit (Amstelod. 1688) in lucem edere decrevi, eadem fere utens ratione, qua Bothius edi-derat Horatiana. Descripsi igitur haec Scholia quam fieri poterat accuratissime, praepositis singulis ad quos pertinent, Ciceronis locis; et paucis tantummodo (quot quidem pertinere ad rem viderentur) meis subiunctis adnotatiunculis, typis curavi exscribenda. Nihil autem praeter haec Scholia volumini illi inest manu exarati, nisi additamenta nonnulla ad Indicem, quas edere nil adtinet.

Quod reliquum est spero fore, ut edendis hisce doctissimi viri Scholiis haud inutilem videar fecisse rem utque haec Ciceroniana non minus humaniter, quam illa Horatiana a viris doctis excipiantur.

Scribebam Heidelbergae mense Martio, 1823.

Lib. I.

Cap. 2. sub fin. *Omnis enim quae a ratione suscipitur*] Puto *a* delendum. *Ratione* suscipere Latiuis est *recta ratione*, Graecis *) *μεθοδικῶς*. Nam *ratio* et *ratio et via* est *μέθοδος*.

C. 6. *quod in rebus honestis et cognitione dignis operae curaeque ponetur*] Sane qui his studiis incumbunt multum prodesse societati humanae ostendit Seneca de tranquillitate animi cap. 3. **)

C. 7. *qua societas hominum inter ipsos cett.*] Cic. V. de fin. 23. — *Sed iustitiae – noceat, nisi lacessitus iniuria*] Vir bonus potest iniuriam ulcisci 1, ut sibi in posterum caveat, ne nova iniuria afficiatur. Recte vetus poeta: *Veterem iniuriam ferendo invitas* ***) *novam.*

---

*) Ms. habet Graeci. Rr.

**) Hoc Scholion tribus lineis a prima, uti videtur, manu, superinductis, deletum est. Rr.

***) In Nota ed. Graev. legitur: *irritas*. Rr.

2, ipsius causa qui laesit, ut ei quasi medeatur utque mo destiorem reddat; 3, reipublicae causa, ut eius, quem ul cisci volunt, exemplo coërceantur alii et ab iniuria de terreantur. Ita Deus peccata hominum ulciscitur. De nique haec intelligenda sunt de ratione, qua non alite possumus iniuriam arcere. Nam in republica iniuria committenda est iudici ultio. Vide Grotium II. de I. B et P. c. 1. et II. de I. B. et P. c. 20. §. 5. n. Vid. Senec III. de ira 32. Iuven. Sat. 13, 180. — *Sunt autem pri vata nulla etc.*] Nunc agit de possessione rerum. — *a vacua venerunt*] possessore carentia et domino. Iust 19. 3. 6. — *victoria*] Cum agrum ab hoste captum an publicum dividunt, suum cuique assignant, aut cum praedam non in aerarium redigunt, sed inter milites dividunt — *lege, pactione, conditione*] Contractu et conventione aut emtione sive a republica sive a privato, sive ab hoste Conditio est pactio certam legem continens. Cic. Top *Si quaeratur, a natura ne ius sit, an ab aliqua quae conditione et pactione hominum.* — *sorte*] Ut ager Pa laestinus a Iosua divisus Hebraeis. Virg. V. Aen. 755 *Interea Aeneas urbem designat aratro Sortiturque do mos.* — *possessionum descriptio*] assignatio, ordo. — *sibi appetet*] invadet vi. Vid. Lang. — *ad usum hominum omnia creari*] Vid. Cic. II. de Nat. Deor. c. 62. — *com munes utilitates in medium afferre*] illa, quae possunt a nobis praestari in utilitatem publicam, praestentur. — *mutatione officiorum*] vicissitudine. — *aliqua perturba tione incitatus*] affectu, barb. passione. — *socio*] proxi mo, ut Christiani loquuntur. — *in quo vitio latissime patet avaritia*] in quo genere maximum vitium est ava ritia.

C. 8. *ad perfruendas voluptates*] ad luxuriam. — *ad opes et ad gratificandi facultatem*] ut potentiam et gratiam tibi compares, ut Iul. Caesar. — *vitaeque cultus*] splendor in victu et amictu. Gell. XI. 2. — *Nulla sancta societas* cett.] inter illos, qui sunt imperiorum et potentiae cupidi, nulla amicitia bona fide initur et colitur. Exempla sint Romulus et Remus, triumviri Crassus Pompeius et Iulius, dein Antonius, Lepidus, Octavianus. — *sanctam servare*] non violare iustitiam, idque, quod debetur societati, servare. — *propter eum - principatum*] quod male existimaret, eum esse primum in civibus, qui vi imperaret, non qui virtute et rebus pro republica gestis excelleret. — *splendidissimisque ingeniis*] excellentissimis.

C. 9. *Itaque videndum est*] verendum. — *in phi-*

losophos dictum] de philosophis. — *suum se negotium agere dicunt*] se sibi vivere dic. Nihil conferunt ad societatem humanam iuvandam tuendamque.*)— *qui altero iniustitiae genere vacant* etc.] quid nobis in alienis negotiis faciendum sit, habita temporis ratione, seu ut vulgo loquuntur, circumstantia(rum), nisi pravus amor nostri nos occaecabit, ut non videamus verum. Plerique enim sunt mali iudices in suis rebus. — *Terentianus ille Chremes*] Heaut. II. 25. — *quasi longo intervallo interiecto*] per nebulam. — *quod dubites*] Plin. 1, 18. *quod dubites, ne feceris.* — *dubitatio cogitationem significat iniuriae*] ostendit, iniusti aliquid subesse huic actioni, nec (sic).

C. 10. *commutantur fiuntque contraria*] aliam induunt naturam. — *ea migrare*] mutare, non praestare. Cic. I. de div. 5. *Credo ne communia iura migrare videatur.* II. de leg. 4. *Quod quis earum rerum migrasset, noxiae poena par esto.* — *ut communi utilitati serviatur*] ne quid peccetur contra communem utilitatem. — *si constitueris te cuipiam advocatum in rem praesentem esse venturum*] si promiseris te certo tempore praesto futurum in iudicio et amico praesentiam commodaturum. — *ab officio discedat*] peccet. — *si se destitutum queratur*] si queratur, sibi non praestitum officium. — *Quae quidem pleraque iure praetorio liberantur*] De quibus datur restitutio in integrum. Haud vulgariter de ipsa re dicitur, cum de persona dici soleat. — *calumnia quadam*] falso praetextu iuris. Iust. 38, 7. Suet. Iul. 20. — *Summum ius, summa iniuria*] Terent. Heaut. IV, 4. 49. Dictum in eos, qui contra aequitatem stricto iure, aut captatis legum verbis abutuntur in alterius damnum et perniciem. — *ad locum*] in rem praesentem. — *ne cupide quid agerent*] nimio partium suarum studio addicti. Suet. Iul. *cupide damnare.* — *ne appetenter*] ne avare nimis appetant. — *regredi quam progredi mallent*] remittere aliquid de suo iure, quam nimis contendere. — *sollertia*] astutia, calliditas.

C. 11. *est enim ulciscendi et puniendi modus*] ne in puniendo modum excedam (sic). — *iniuriae suae poenitere*] declarare, nolle factum. — *per disceptationem*] in iudiciis. — *per vim*] armis. — *si uti non licet superiore*] ut reges et principes, qui nullum iudicem habent. — *Quare suscipienda - in pace vivatur*] De iustis belli causis

*) Pauca vocabula huc pertinentia legi amplius non possunt. Ex iis quae adhuc supersunt literis graecis haud sine quadam veri similitudine effici potest vox *μισάνθρωποι*. Rr.

vide Grot. II, 21. 22. 23. — *credo aliquid secutos*] habuisse aliquam rationem Corinthum delendi. — *semper est consulendum*] Non est iste metus iusta belli causa, nisi constet, non tantum de potentia, sed et de animo, et quidem ita constet, ut dubium nullum ulli esse possit. Vid. Grot. II. de I. B. et P. 22, 5. — *etsi non optimam, at aliquam remp.*] in qua prisca senatus auctoritas floreret. — *nulla est*] exstincta plane omni libertate. — *consulendum est*] parcendum. — *ad imperatorum fidem confug.*] qui se nobis dedent. Vide Grot. II., 5. 4. — *earum patroni essent*] Sic Marcelli fuerunt patroni Siculorum, Aemilii Macedonum. Vid. Sallust. Catil. 41. Cic. II. Verr. 49. — *Ac belli quidem aequitas - perscripta est*] Quando bellum iustum suscipiatur, et quod bellum iustum sit, in libris iuris fetialis definiebatur. Christiani olim consulebant Episcopos. Fetiales sunt sacerdotes publicae fidei, qui praecerant foederibus pangendis; mittebantur, antequam bellum suscipiebatur, ad res repetendas, bella indicebant, iudicabant de iniuria legatorum, ut et de eorum peccatis et criminibus. Vid. Plut. Num. p. 78. Horum fecialium unus pater patratus dicebatur, qui, cum pax aut foedus faciendum esset, recitabat sollemne iurisiurandi carmen et foederis ac pacis leges. Vide Onuph. Panvin. de civitate Rom. c. 32. in thes. antiqu. p. 234. — *Pompilius*] *Poppillius* *) Graev. edit.

C. 12. *status dies cum hoste*] quo sibi invicem denunciaverunt litigatores, ut ad iudicium praesto essent. Plaut. Curc. 1. 1. 5. Hostis est adversarius in foro aut obtrectator in republica. — *Itemque, adversus hostem aeterna auctoritas*] quod hostis, hoc est, non civis, nostrum possidet, id nullo tempore potest usurpare **), hoc est, id semper vindicare possumus, ubi iudicii cum eo copia est. *Auctoritas* est ius dominii. Sic in lege Atinia: *Rei furtivae aeterna auctoritas est*, h. e. rem furtivam semper potest vindicare dominus. — *si est inimicus*] adversarius in foro. — *competitor*] aemulus in magistratu. — *capitis et famae*] existimationis, libertatis. Vide Cuiac. ad tit. de verb. signif. 1. 102. 163. Hinc capitalis causa, quae irrogat infamiam, non solum capitis diminutionem. — *reliqui iustiores*] mitiores, non tam crudeles. *Iusta servitus* = lenis. — *Nec cauponan-*

---

*) unum *l* deletum. Rr.

**) τῷ *r* syllaba *ca* superinscripta est, quasi scriptor vocem *usurpare* corrigere voluisset in *usucapere*. Rr.

res bellum etc.] Non exercentes bellum velut mercaturam pecuniae lucrive causa, sed fortiter pugnantes gloriae nomine. — *vitam certamus*] de vita certemus. Enn. Med. — *hera quidve ferat fors*] quem successum res sit habitura. *Hera fors* est Dea Fortuna, Domina Fortuna. — *Virtute experiamur*] Contendamus, uter superior sit futurus vi armorum approbantibus diis. Plaut. Mil. IV, 8, 41. Pers. III, 1, 4. Cato de re rust. 14.

C. 13. *temporibus adducti*] infelici praesenti rerum statu. — *in aerariis reliquerunt*] privabantur iure suffragii ferendi in comitiis et stipendiorum merendorum in legione, quique ad hoc cives manebant, ut aera tributi nomine penderent aerario. Liv. IV. 24. — *iurisiurandi fraude culpam invenerat*] peierando culpam contraxerat, in crimen inciderat. — *adversus infimos*] Apud Atheniensis servis iniuriam inferre vetitum erat lege. Vid. Meurs. II. leg. Att. 11. — *operam exigendam; iusta praebenda*] ita tractandos, ut imperio et metu in labore teneantur et necessaria ad victum habeant. Colum. I. 8. *iusta praebenda!* — *Totius autem - - nulla capitalior est*] Omnium iniustitiae specierum nulla est detestabilior. — *quam eorum, qui* etc.] de his Iuvenalis Sat. II.

> Ultra Sauromatas fugere hinc libet et glacialem
> Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
> Qui Curios simulant et bacchanalia vivunt.
> *Indocti primum, quanquam plena omnia gypso*
> *Chrysippi invenies.*

Vide ibi plura.

C. 14. *pro dignitate cuique tribuatur*] prout quisque meretur et dignus est. Senec. IV. de benef. 11. *Quaerimus dignissimos, quibus nostra tradamus.* Contra hoc peccant, qui in scurras, histriones, coquos, lenones multum pecuniae profundunt, nihil, aut parum in viros fortes et doctos. Recte hoc observavit Augustus et Vespasianus. *) in Octav. Aug. 83. et 89 et Vespas. 18. Contra id peccavit Nero. vid. Suet. c. 30. Arist. IV. Nicom. 1. *Qui dat vel quibus dandum non est, vel non honesti gratia, sed aliqua alia causa impulsus, hic non est liberalis, sed aliquo alio nomine appellatur.* — *eadem sunt iniustitia*] aeque peccant ac iniusti sunt. — *in suam rem aliena convertant*] aliena invadant et rapiant. — *L. Sullae* etc.] in proscriptione. — *ad alienos*] qui erant ab illorum partibus. — *iniuriosi sunt in proximos*] libe-

*) Sueton. Rr.

ros, cognatos, heredes. — *cupiditas*] Nero, Domitianus. — *vanitati est coniunctior*] vanus is potius dicendus, quam humanus. Aristot. IV. Nicom. 1. — *tertium est propositum* etc.] a destinatione rectae voluntatis, ut Pharisaei. — *delectus esset dignitatis*] ne promiscue et sine dilectu quibusvis demus, sed qui maxime meretur. — *mores eius erunt spect.*] Videant, quam liberales sint, qui in scurras, capreas, lenones, coquos, venatores benignissimi sunt, in viros autem aut virtute bellica, aut ingenii praestantia praecellentes perparci ac valde maligni. Aliter longe Augustus et Vespasianus, qui et virtutem bellicam honorarunt et ingenia foverunt benignissime. Vide Sueton. Octav. 83 et 89 et in Vespas. 18. — *communitas ac societas vitae*] si sint cives, collegae; eiusdem gentis, civitatis, collegii, religionis. — *ad nostras utilitates officia ante collata*] Hoc ipsum est, quod Christus tantopere improbat, Matth. VI. *) 1. 2. et quae ibi notavit H. Grotius.

C. 15. *in quo aliqua significatio virtutis appareat*] in quo ulla vena boni animi et moris. — *ferventior plerumque est*] multa temere et calide nimis agit et audacter. — *videntur potius attingere*] ad viros bonos pertinent, ex illis iudicatur vir bonus. — *ineunda*] capienda. — *referenda gratia*] vulgo *gratitudine*. — *delectus habendi*] discrimina facienda; barbare, *sine discretione*. — *sine iudicio*] sine dilectu. — *Vel morbo — — incitati*] Non ex consilio aut destinatione rectae voluntatis, sed prava quadam profusionis assuefactione. Seneca I. de benef. 14. *Morbi sunt vitia inveterata, inveteratus affectus Stoicorum lingua.* Senec. ep. 75. *Morbi sunt inveterata vitia et dura, ut avaritia, ut ambitio nimia.* Senec. Controv. 8. *Latroni non placebat hic color: malebat adolescentem iudicio, quam morbo militare. — repentino quodam quasi vento*] Phaedrus:

Repente liberalis stultis gratus est,
Verum peritis irritos tendit dolos.

in collocando beneficio] conferendis beneficiis in alios.

C. 16. *primum, quod cernitur in univ. gen. hum. societate*] prima coniunctio est universi generis humani. — *quas ad communem hominum usum* etc.] quae homo alii debet tanquam homini, sunt praestanda. — *descripta sunt legi-*

*) Quid Graevius scripserit, haud liquet; evanidus enim est numerus. Sensus numerum a nobis positum videtur poscere. Rr.

bus] praescripta, ordinata, definita sunt. — *copiae parvae*] facultates.

C. 17. *Ut enim ab infinita illa discedatur*] Ne de illa societate latissime patente totius generis humani plura dicam. I. fam. 29. VI, 13. V. Tusc. 4, 35. 39. — *propior est*] non ita late patet. — *gentis* etc.] *Gens* est multitudo unius populi, ut gens Romana; *natio* est genus hominum ex diversis gentibus collectum, ut natio Graecorum, Macedonum. Pro Fonteio: *Exteris nationibus et gentibus ostendere.* Sed tamen gens interdum latius patet, ut *ius gentium.* — *interius etiam est*] arctius. — *civitatis*] De officio civis erga civem vide Simplic. ad Epict. Enchir. 37. — *res rationesque contractae*] negotia, commercia intercedunt. Plaut. Amphit. *Ut res rationesque vestrorum omnium bene expedire vultis.* — *colligatio*] conversatio, ut barbari. — *ut habeant lubidinem procreandi*] naturae impetu ferantur ad coniunctionem maris et foeminae propagandi generis causa. — *iisdem uti sacris*] Familiae olim et gentes sua sacra habebant, ut gens Fabia. Flor. I. 13. Cic. II. de leg. 4. *Sacra privata perpetua manento.* Hinc *sine sacris hereditas.* — *quam cum viri boni - coniuncti*] Hinc Stoicorum dogma est, solum sapientem amicum esse; inter alios non esse amicitiam. Sen. ep. 81. — *copulatius*] coniunctius, quod magis homines coniungit. — *quod Pythagoras* etc.] qualis fuit amicitia Pythagoreorum et primorum Christianorum. Act. De Pythagoreis Iust. XX. 4. Gell. I. 9. — *Magna - communitas*] societas. — *nulla est gravior*] maioris ponderis, quae magis nos devincit. — *patria una complexa est*] Ratio, cur patria praecipue amanda est, haec est, quia cum civitatis ius sumus consecuti, ipsius nobis stipulamur commoda. Sic vicissim fidem nostram in eius tutelam obstringimus. Per patriam autem non tam solum, in quo nati sumus, sed et civitatem, in qua fortunarum sedem posuimus, intelligimus. Cic. II. de legibus. Themistocles apud Iust. II, 12. *patriam municipes esse, non moenia.* Itaque patriae non irascendum. Contra officium est, cum hostibus patriam oppugnare. — *spectat in nos solos*] nobis solis nititur. — *bene convenientes propinqui*] quorum mores et ingenium cum nostris bene conveniunt. — *necessaria praesidia vitae*] cura tuendi et conservandi.

C. 18. *Ita non iidem-temporum*] Ita apparebit in officiis tribuendis, non eundem gradum necessitudinis omnibus servandum, sed respiciendam temporum ratio-

nem, quae maxime nostram opem desiderant. *) — *ut vicinum* etc.] Vide Gell. II. Noct. 29. et Simplicium ad cap. 37. Enchirid. Epicteti. — *Haec - circumspicienda sunt* etc.] considerandum, cui plura debeamus officia, cui magis simus obstricti. — *quae reliqui summa fiat*] utri parti aliquid debeatur. Est translatio a rationibus. Cum enim accepta et expensa dispunguntur ac inter se aera cum aeribus conferuntur, modo adduntur, modo deducuntur, ut constet, num pares sint rationes. Vid. Gronov. — *ex quo aptum est officium*] quo constet, unde pendeat. Antiqui *apere* dixerunt, pro quo posteri *aptare*. — *in promtu est*] obvium. — *Illa virago viri*] Ut Artemisia apud Iustinum II. 12. *Interea rex velut spectator pugnae cum parte navium in littore remanet. Artemisia autem regina Halicarnassi, quae in auxilium Xerxi venerat, inter primos duces bellum acerrime ciebat. Quippe ut in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres.* — *Salmaci da spolia*] Verba sunt in proelio adorientis aliquem et ei spolia detrahentis, cui obiicit ignaviam et mollitiem hac sententia: O semivir tam mollis, quam nympha Salmacis (de qua Ovid. IV. Met. 285), porrige arma, quae male sustinuisti ac succumbe sine pulvere. Suet. in Octav. *Salve regina.* — *pleniore ore laudamus*] uberiore laude prosequamur. **) — *campus*] locus et materia exaggerandae orationis.

C. 19. *immanitatis, omnem humanitatem repellentis*] ferinae crudelitatis, feritatis, quae nihil cum humanitate commune (habet). — *virtutem - propugnantem pro aequitate*] iustam causam. ***) — *malitia*] astutia et malis artibus. — *sua cupiditate*] ex alienis incommodis sua commoda augendi et comparandi. — *bonos et simplices*] candidos, sinceros. — *veritatis amicos minimeque fallaces*] non aliud ore praeferentes, aliud simulantes; non aliud promtum in ore, aliud clausum in peetore gestantes, qualis fuit Aristides, Fabricii, Curii, Scipiones. — *morem Lacedaemoniorum* etc.] omnes Lacedaemonios sic institutos esse, ut nimis cupidi sint victoriae, seu vincendi alios. — *vel potius solus esse*] ut Pisistratus, Sulla, Pompeius, Caesar. — *servare aequitatem*] aequalitatem,

---

*) Alteri margini adscripta praeterea haec sunt: pro ratione temporum. Rr.

**) Sic. Debebat scribere prosequimur. Rr.

***) Sic. Nonne voluerit scribere *iusta causa?* — ut his binis vocabulis unum illud *aequitate* explicatum sit. Rr.

qua continetur respublica, cum nec legibus, nec iuri communi velis parere, sed supra leges esse, et omnia pro tuo arbitrio gerere et moderari. — *disceptatione vinci*] in consilio, in deliberatione. — *publico ac legitimo iure*] in iudiciis. — *largitores*] corruptores. — *Sed quo difficilius* etc.] fortior est qui se etc. (sic). — *nullum est enim tempus - vac. deb.*] Non debemus putare, ullam esse iniustitiam, quae possit excusari temporibus, quae condonetur, si dicamus, id necessario nobis faciendum fuisse, si id nostri commodi causa faciamus. — *non in gloria*] existimatione vulgi, in principatu iniuste occupato. Iuv. Sat. X. — *principemque se esse*] re. — *Hos toties optata exegit gloria poenas*] Vid. Cic. ad Planc. X. ad fam. 8. Iust. VI, 8: *Gloriae non cupidior, quam pecuniae fuit.* — *qui ex errore - pendet*] qui se accommodat ad vulgi iudicium. — *est sane lubricus*] in quo facillime offenditur, et quae virtus esse putatur, vitium est.

C. 20. *rerum externarum*] honorum, pecuniae, potentiae. — *admirari*] magni facere. — *nullique neque homini-succumbere*] nullius hominis metu ab honesto deficere, vel gratia inflecti; non ad iram proclivem esse; non cuiusquam opes pertimescere. — *multarum aliar. rer.*] propter rerum copiam, quibus hominibus ad vitam bene agendam opus est. — *in posteriore*] in suscipiendis periculis. — *in priore*] in despicientia rerum externarum. — *ratione stabili*] non brevi et repentino impetu. — *nihil a statu naturae discedas - nihil a dignit. sapient.*] nihil facias, quod non deceat facere sapientem; serves solitum vitae ordinem, convenienter naturae vivendo; sibi constare *), ducem naturam et Deum sequendo. — *metu non frangatur*] humilior non fiat, ut faciat aliquid viro forti indignum. — *frangi cupiditate*] subigi cupiditate pecuniae aut honorum ad faciendum, quod non est honestum. — *qui invictum se - praest.*] qui omnes labores subeat. — *haec videnda*] providenda, comparanda. Cic. III. de or. cap. 1. *videndum sibi aliquid consilii.* Terent. Heaut. III. 1. *Aliud vinum sodes vide.* — *pecuniae fugienda cupiditas*] sic scilicet, ut eius parandae causa nihil iniuste, nihil sordide agas. — *tam angusti animi* etc.] Hinc Graecis dicuntur *μικρόψυχοι*. Belg. *armhertich*: contra, *animosi*, qui non sunt parci et avari in sumtibus faciendis. *Animose comparare.* Suet. in Iul. — *si non habeas*] non possis bonis artibus parare. —

*) Procul dubio scribere volebat: *tibi constes.* Rr.

ad beneficentiam liberalitatemque] ut erga alios sis beneficus et liberalis opis indigos. Vide Augustini sermonem. — *Eripit enim libertatem*] quia cogitur multitudini servire et adulari impotentibus dominis, velut populo vel tyranno. De servitute candidatorum Romae vid. not. meas ad Cic. pro Milon. — *aut non accipienda - nonnunquam*] ut Q. Fabius et T. Manlius Torquatus Consulatum. Liv. X, 11. et XXVI, 22. Idem. Ut Antigonus apud Iustin. XXVIII, 4. — *aegritudine*] chagrin, tristitia. — *voluptate animi*] gaudio nimis exultante, laetitia nimis gestiente. Cic. Tusc. 3. — *affert - constantiam*] ut semper tibi sis similis, qualis fuit Socrates, cui in omni fortuna semper fuit eadem frons. — *a negott. publ. se removerint*] a republica abstinuerint. — *ad otiumque*] otium est vita privata, et sic *otiosi* saepe. — *vixeruntque - in agris*] ut Titus Pomponius Atticus. Vid. C. Nepos in eius Vita; et C. Octavius ac eius posteri, de quibus Sueton. in vita Augusti c. 2: *Caius eiusque posteri, seu fortuna, seu voluntate in equestri ordine constitere;* et avus Augusti, de quo ibidem: *Avus municipalibus magisteriis contentus, abundante patrimonio tranquillissime senuit.* Talem et praedicat Horatius: *„Non vixit male, qui vivus moriensque fefellit.“* V. Senecam de otio sapientis. c. 30, 31. — *libertate uterentur*] ne servirent aliis.

C. 21. *claritatem amplitudinemque*] illustre nomen, famam. — *accommodaverunt*] composuerunt. — *a republ. recesserunt*] noluerunt magistratus ambire et gerere. — *gloriam contemnant*] In hoc laudandus est illorum excelsus animus. Diogenes Cynicus et Alexander M. — *offensionum*] sc. eorum, quibus adversandum, si rempublicam velimus administrare. — *repulsarum*] in petendis honoribus, cum saepe honore maxime digni praetereantur. — *parum sibi constent*] non sint eodem animi robore. — *voluptatem - molliores*] ut ipse Cicero. — *qui habent a natura adiumenta* etc.] dotes sive naturae sive fortunae. — *abiecta omni cunctatione*] sine mora. — *adipiscendi magistratus*] suscipiendi. — *decl. animi magnit. potest*] in contemnendis offensionibus. — *quo minus multa patent* etc.] quo pauciora habent fortunae telis obnoxia, quae a fortuna iis possunt eripi, cum philosophi animi opibus censeantur. — *tam graviter cadere non possunt*] ut ii, qui deiiciuntur et deturbantur de dignitate. — *quam quietis*] otiosis. — *angoribus*] aegritudine. — *res honesta*] plena honoris. — *efficiendi facultatem*] an possint illas partes cum dignitate sustinere. —

praeparatio diligens] ut scilicet ante operam demus iis artibus, quae ad rempublicam gerendam requiruntur. Omnes putant se pares illi esse, sed magistratus virum ostendit.

C. 22. ***minuenda - opinio***] evellenda, abolenda. Caesar V. de B. C. 26. sic. ***minuere errorem.*** — ***citeturque Salamis***] allegetur. — ***constituit Areop.***] collapsum restituit. — ***hoc maior. institt. servantur***] est custos legum senatus ille. — ***datum*** al. ***dilatatum putatur***] Non extat (dilatatum scil.) in Mss. l. ***delatum*** = constitutum. — ***parentiores***] obsequentiores. — ***M. Scaurus***] Fuit vir gravissimus et sapientissimus. Consul fuit cum Servio Sulpitio Galba a. u. c. 646. Flor. III, 1. — ***Qu. Catulus***] Flor. III. 23. Suet. in Iul. — ***nisi est consilium domi***] nisi sint viri prudentes, qui rempublicam administrent. Et difficilius habetur, regere rempublicam, quam exercitus. Pauci fuerunt praeclari duces, et simul boni rectores rerum publicarum. — ***P. Nasica***] Cn. Scipionis filius, patruelis Africani minoris, vir optimus ob hoc factum a senatu iudicatus. — ***non solum ex domestica est ratione***] non tantum est mera res urbana et domestica. ***Ratio*** est, quidquid agimus. — ***invadi***] quod ***carpi***. Pro Rosc. Amer. 8. — ***concedat laurea laudi***] triumphus eloquentiae, facundiae. — ***togae arma cessere***] mihi togato consuli, cum Catilinae coniurationem oppressi. — ***maius otium***] certior pax. In Pison. 30. oppressa coniuratione. — ***delapsa arma ipsa***] ***ipsa*** delend. — ***hereditas huius gloriae***] IX. ad fam. 14. — ***abundans bellicis laudibus***] qui res maximas gessit et rerum bellicarum erat peritissimus. — ***triumphum tertium***] de Mithridate. — ***domesticae fortitudines***] quae fortiter et constanter contenta invidia et offensionibus et periculis domi et in toga geruntur.

C. 23. ***exercendum tamen corpus***] assuefaciendum ad labores. — ***ita officiendum***] eo in habitu collocandum. — ***rationique possit*** etc.] Hinc Romani a die tyrocinii quotidie se exercebant in campo Martio in armis, equitando, natando in Tiberi etc. ***Meditatio campestris*** Suet. dicitur. Graeci: ***in palaestra.*** Vid. Plat. VI. de legibus. — ***auctoritas***] consilium, sententia. VI. ad fam. 1. Decessit Cato anno u. c. 604. aut Cos. Cic. Brut. 20. 23. — ***auctoritas***] prudentia in deliberationibus civilibus. — ***bellandi magis fuga***] Vitanda temeritas et timiditas. Vid. Grot. II. de I. B. et P. c. 24. et lib. III. c. ult. Multas respublicas nimia pacis cupiditas perdidit. — ***tumultuantem de gradu deiici***] deturbari de statu et loco, quem

tenueris, timiditate, aut aliqua alia cupiditate, ut nescias, quid agas. Proprie de gladiatoribus, pugilibus et militibus. Vid. Gronov. ad Senec. Agam. 515. — *praecipere cogitatione*] providere. — *nec committere*] Ter. Andr. 2, 19. Cic. V. Fam. 5. — *Temere autem-versari*] Id quod fit, cum nulla iusta causa, aut non satis gravi et necessaria bellum suscipitur. Grot. II. de I. B. et P. c. 24.

C. 24. *rebus agitatis*] caussis singulorum examinatis. — *punire sontes* etc.] auctores scelerum, seditionum, rebellionum punire, multitudini parcere. *Poena in paucos, metus ad omnes perveniat.* Cic. pro Cluent. 40. Vid. Grot. de I. B. et P. II, 21. et III. 14. Lips. Polit. III. 9. §. 20. et seqq. — *recta atque honesta retinere*] ubique honestatis rationem ducere, facere quod honestum est. — *calida*] temeraria, audacia. — *quietis*] moderatis. — *splendidiora*] gloriosiora. — *periculi fuga*] propter pericula. Egregie explicat Grotius II. de I. B. et P. 9. §. 24. — *ancipites adhib.*] Suet. Aug. 21. *contrariam et ancipitem rationem curandi.* — *in tranquillo subvenire autem tempestati*] tranquillitate sedare tempestatem. — *re explicata*] feliciter confecta. — *addubitata*] omissa propter dubii eventus metum. — *ne rep. quidem postulante*] quamvis utilitas reipublicae exigat. — *vertit ad extremum omnia*] se et rempublicam perdidit. — *Arginussis*] sunt tres insulae prope Lesbum. — *Cleombrotus*] in praeclara illa Leuctrica victoria. Plut. in Pelopida. — *invidiam*] odium popularium.

C. 25. *ut totum corpus reip. curent*] non factionem, non ordinem unum, non unam urbem et provinciam, aliis neglectis, ut etiam oppugnatis. Sic Romae optimates et populares suae quisque factioni studebat. Epist. Balsaei ad Richelium. p. 352. — *ad utilitatem eorum, qui commissi sunt*] Talis fuit Epaminondas. Iustin. I. VI. — *tradetque se totum reip.*] non partim serviet sibi, partim reip. sed totus serviet reip. aut saltem nunquam sibi serviet cum detrimento reipublicae. — *in odium aut invidiam - vocabit*] odiosum reddet: nec facile credat calumniis et maledictis magistratus et populus. XIV. ad Att. ep. 2. — *honestatique adhaerescet*] eam sectetur (sic.) — *graviter offendat*] grave damnum faciat suarum rerum. Pro Cluent. *In eodem genere, in quo ipsi offendissent, alios reprehendissent.* — *deserat illa*] non faciat quae honesta sunt. — *honorumque contentio*] certamina de honore. — *qui suo iudicio tueri* etc.] qui in administranda republica suis, non nostris utuntur consiliis, faciunt quod sibi videatur consultissimum, quamvis

nos aliter sentiamus. — *P. Africanum*] qui Carthaginem delevit. — *Q. Metellum*] Qui Pseudophilippum vicit et Macedonicus dicebatur. — *sine acerbitate*] Sic Aristides et Themistocles. — Sic Aristoteles IV. Nicom. 3. dicit animum magnum non esse *μνησίκακον*, irarum memorem. Vid. Grot. II. de I. B. et P. 24. §. 3. Curt. IV. 6. — *inimicis putabunt*] Inimici hic sunt, quorum in republica iudicium et voluntas a nostris rationibus discrepat, aut a quibus iniuria sumus affecti. Aliter *aemuli*. — *placabilitate*] ut facilis sit et placabilis, facile ignoscat iis, qui eum offenderunt, ut Iul. Caesar. Suet. Iul. 75. — *in iuris aequabilitate*] ubi libera est respublica et idem ius est potentibus et tenuibus, qui ab illis distinguebantur tantum dignitate, non libertate. II. de orat. 52. Suet. Vesp. 9. Phaedro I. 2. leges aequae. — *facilitas*] in audiendis querelis omnium et faciles aditus dandi (Sic.) — *altitudo animi*] Hic est *βαθύτης*, quae regit animi motus. — *intempestive accedentibus*] VI. ad Att. 2. ad Quint. Fratrem I. 1. — *Omnis autem et animadversio* etc.] Vid. Gell. VI, 14. — *ne maior poena, quam culpa*] ut poena sit aequalis culpae. — *mediocritatem illam*] *Medium tenuere beati.* — *iracundiam*] proclivitatem ad iram, cum quis facile irascitur. Vituperat et *ὀργιλότητα* Aristot. Sed iram naturalem aiunt esse stimulum hominum mentibus inditum.

C. 26. *superbiam*] *Superbia bonis crudelitate gravior est.* Flor. 1. — Senec. Suasor. 2. *Nunquam solido stetit superba felicitas et ingentium imperiorum magna fastigia fragilitatis humanae collapsa sunt. Nam*

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Nec facile est aequa commoda mente pati.

aequabilitas in omni vita] constantia in omni fortuna. — *quanto superiores sumus* etc.] Senec. Troad. 254. — *Quo plura possis, plura patienter feras.* Symmachus IX. ep. 86. *Is vero incrementis suis maior est, quem sublimitas parti honoris inclinat.* — *ut his facilioribus possint uti*] ne nimis ferocirent, ut facilius admitterent equitem et facilius regerentur. Sic alibi Cic. *melioribus civibus uteremur.* — *effrenatos*] qui quasi sine freno rationis indulgent suis cupiditatibus, inprimis superbiae. — *sibique praefidentes*] nimia sui fiducia inflati. — *in gyrum rationis* etc.] Ratione et doctrina revocandi sunt ad sanam mentem, ut perspecta fragilitate rerum humanarum discant abiicere superbiam. Est translatio ab equis, qui, cum exercentur, in gyrum aguntur. Tibull. ad Messallam:

Seu libeat curvo melius contendere gyro.

varietatemque fortunae] incerta casuum. — *patefacia mus aures*] credamus. — *nec adul. nos sinamus*] ne permittamus, ut nobis adulentur; alioqui non audebun verum dicere. — *falli facile est*] *Regum opes saepiu assentatio, quam hostis evertit.* Curt. VIII, 5. vid. Se nec. VI. de benef. 30. — *inflati opinionibus-irridentur* Ut Thraso apud Terent. in Eunucho. — *Illud autem si est* etc.] Hic distinguit fortitudinem publicam a privat — *investigarent*] ut philosophi, medici et aliarum artium inventores. — *interiecti*] medii. — *non eamq. omni ratione exaggerantes*] non eam cumulantes, amplificantes quovis modo, sive sordidus ille sit, sive pravus, malis sc. artibus, quales sunt, quos Phaedrus describit lib. IV.

Qui, dum quadrantes aggeras patrimonio,
Coelum fatigas sordido periurio.

excludentes ab eius usu suos etc.] qui rem suam familiarem nolunt patere suorum usui. Virg. VI. Aen.

— qui divitiis soli incubuere repertis.

si quando usus esset] opus; ut Atticus. Vid. C. Nep. — *parata sit.*] f. parta. — *turpi quaestu*] sordido. — *neque odioso*] ut est publicanorum et foeneratorum. — *augentur ratione*] bonis artibus et quaestu honesto. Pro Rab. 14. — *diligentia*] cura rei familiaris attentiore. — *parsimonia*] *Magnum vectigal est parsimonia.* Cic. Parad. quae sita est in detrahendo sumtibus. — *animoseque vivere*] liberaliter, non sordide et avare. Sic *animosus emtor* ap. Horat. et ap. Sueton. Caes. 47. *animosissime comparare*, non parcendo sumtibus. *μικρόψυχος* *) — *simpliciter*] non fucata amicitia. — *fideliter*] sine metu insidiarum. — *vitaeque hom. amice*] cum benevolentia erga omnes homines, quam in Germanico et Tito praedicat Suetonius in Caio 3. in Tito 8.

C. 27. *de una reliqua parte*] quarta et ultima. — *verecundia*] pudor. In part. orat. vere dicit, esse virtutum omnium custodem, dedecus fugientem laudemque maximam consequentem. In (libro) de amic. ait esse maximum amicitiae ornamentum. — Cum studemus, ne quid in omni vita committamus in dictis et factis, quod nobis pudorem incutiat. — Reverentia erga homines. — *temperantia* etc.] continentia voluptatum et cupiditatum et motuum animi (passions). Hinc pro Marcello dicitur *mode-*

*) Appositum hoc vocabulum sine ulla nota, qua indicetur, quid sibi illud velit. Sine dubio voluit eo in clariore luce ponere Scriptor vocabuli *animose* sensum; *μικρόψυχος* enim contrarium illi habet significatum. Rr.

ratrix omnium commotionum. V. de fin. *quae in praetermittendis voluptatibus cernitur:* et *quae moderandis cupiditatibus regendisque animi motibus laudatur.* — *modestia*] quae modum in omnibus tenet. II. de fin. *Est virtus, quae nimias libidines honoris, pecuniae similiumque rerum reprimit, unamquamque rem certo naturae termino definit, quod cuique satis sit probans et nimium progredi dissuadens, et modum unicuique rei statuens* *) — *rerum modus cernitur*] Docet modum servare in omnibus rebus, nec nimium, nec parum. *Est modus in rebus* etc. II. de fin. definitur *moderatio cupiditatum, dictorum atque factorum, quae temeritatem reformidat et non audet cuiquam aut dicto protervo aut facto nocere, vereturque quidquam aut facere, aut loqui, quod parum virile videatur.* — *decorum*] Cic. in orat. *Ut in vita, sic in oratione nihil est difficilius, quam quid deceat videre.* — *ab honesto non queat separari*] quia virtus omnis consistit in modo. — *antegressa est*] praeluxit. — *Itaque non solum* etc.] Duplex decorum est, generale, quod in omni officio situm, et speciale, quod temperantiam consequitur. — *agere - considerate*] adhibito consilio; non temere, calide. — *quid sit veri videre et tueri*] perspicere et observare. — *delirare*] desipere. — *ut non recondita quadam rat.* etc.] Ut (non) tantum subtiliter haec rimantibus pateat, sed etiam vulgo. — *sit in promtu*] appareat omnibus. — *venustas*] est gratia formae. Catull.

— — Nam nulla venustas,
Nulla est in toto corpore mica salis.

secerni non potest a valetud.] qui aegrotant, non possunt esse pulchri. — *in omni honest. versatur*] positum est. — *aliud huic subiectum*] singulare, particulare. — *quod consentan. sit hominis excellentiae*] quod proprium sit homini eiusque naturae excellenti, quae videlicet rationis ductu et orationis auxilio expediuntur. — *ut in eo moderatio* etc.] Ut in omnibus rebus et actionibus modum teneamus cum quadam ratione, libero et ingenuo homine digna. Cuius rei maximum documentum est homo liberaliter educatus et sordide ac rustice. — *cum nec. quad. liberali*] honesta.

C. 28. *Quod quaque persona dignum est* etc.] Hor. de arte poetica, v. 14.

Intererit multum, Davusne loquatur, an herus.

---

*) Super: *et nimium* legitur *quae*, et *dissuadens* atque *statuens* mutata sunt in *dissuadet* et *statuit*. Hr.

ipse est parens] sit. — *est enim digna persona*] decet hanc personam. — *praestantiaque animantium reliq.*] supra cetera animantia. — *cum a natura constantiam* etc.] cum natura nos iusserit praeferre et in omni actione ostendere constantiam, moderationem, temperantiam. — *partes datae*] persona imposita. — *non negligere, quemadmodum* etc.] sic nos comparare, sic vivere, ut homines bona de nobis loquantur et existiment, quod qui negligunt dicuntur *ἀποτευθημένοι*, *ἀναίσχυντοι* et *βδελυροί*. — *quam late fusum sit*] quam ad multos et multa pertineat. — *apta compositione membrorum*] cum omnium membrorum inter se est aequalitas, proportio, *συμμετρία*. Suet. Tib. 68. — *movet oculos*] allicit, trahit. — *cum quodam lepore*] venustate. — *movet approbationem eorum*] laudatur et approbatur ab iis. — *Adhibenda — reverentia* etc.] Reverenter igitur sunt habendi, nihil dicendum et faciendum, quod offendat homines. Quod qui negligunt, quamvis reges sint, contemnuntur, ut Caligula, Nero. — *omnino dissoluti*] nullam curam gerentis suae famae et existimationis. — *non violare homines*] nemini facere iniuriam. — *non offendere*] non dare iustam causam secarpendi, non movere sui fastidium dictis aut factis: unde sequitur contemtus. — *hanc primum habet viam* etc.] huc progreditur, ut quod agimus, conveniat praestantiae humanae naturae eamque conservet. — *acutum et perspicax natura*] quod cum prudentia coniunctum est. — *quod ad hom. consoc. accom.*] quod facit ad societatem humanam tuendam, in quo iustitia requiritur. — *quod vehemens atque forte*] in quo contentio periculorum et offensionum adhibenda, quod est fortitudinis. — *neque enim solum corporis*] non scilicet affectatae gesticulationis, quod in Tiberio reprehensum esse Suetonius scribit Tib. 68. — *Duplex est enim vis animor.*] quia duae sunt facultates animi. — *in appetitu*] bruto impetu. — *ut ratio praesit*] quod Graecis vocatur *τὸ ἡγεμονικόν*.

C. 29. *omnis autem actio vacare* etc.] Nihil agendum est temere et sine causa, inconsiderate. — *neque praecurrant*] Ne quid per iram agatur aut cupiditatem, priusquam consideratum sit, agine debeat, nec ne. — *propter pigritiam*] nec quod strenue agi requirat officium, et diligenter, in illo simus lenti aut cessatores. — *retinentur*] continentur. — *diligentiam*] attentionem. — *Ludo autem et ioco*] Brut. 89. — *quietibus ceteris*] horis otiosis. — *seriisque rebus satisfecerimus*] cum negotiis peractis nihil serii agimus. — *non profusum*] non nimii debemus esse in iocando, sed suo loco et tempore, parce iocis debemus uti. Hoc ipse Cicero non observavit, qui

nimius fuit in iocando et propterea reprehensus teste Quintil., quod ne in rebus maxime seriis posset abstinere iocis et dictis. Cato de eo: *quam ridiculum habemus consulem.* — *nec immodestum*] nec obscenum, nec in alios contumeliosum. Hoc qui utuntur in odium hominum incurrunt. Vere Phaedrus I, 29.

Plerumque stulti risum tum captant levem,
Gravi distringunt alios contumelia,
Et sibi nocivum concitant periculum.

Hi dicuntur Graecis *βωμολόχοι*, Latinis scurrae. — *in ipso ioco - probi ingenii lumen*] non scurrilis petulantia. — *illiberale*] quod non decet homines ingenuos, quales sunt ioci servorum apud Plautum. — *petulans*] maledicum. — *flagitiosum*] plenum impietatis in Deum et homines, quale fuit Antiochi, Syriae regis, qui facetis iocis sacrilegium circumscribat *), tollendo ex templo signum aureum Victoriae, sibi eam a Iove commendatam dicens. Iust. 39. 3, 5. Et Dionysius, Siciliae tyrannus maior, qui Iovi pallium aureum eripiebat, laneo ei iniecto, illud in hyeme algidum, aestate grave esse. Et mensam argenteam Apollini cum iuberet auferri, dixit se propinare Apollini poculum boni genii. Ael. Var. Hist. 20.— *elegans* etc.] Virtus scite iocandi dicitur Aristoteli *εὐτραπελία*. Est quaedam concinnitas ingenii atque morum, quae cum in factis, tum multo magis in dictis eluceat et iucunditati est hominibus, quibuscum vivimus. Eius *εὐτραπελίας* officium est non solum, narrare comiter et festive de aliis, aut dicta in eos, quae mulceant et exhilarent animos audientium, dicere, sed etiam aliena in se dicta sine offensione ac fere in optimam partem accipere. — *Plautus noster et Atticorum* etc.] Falsum hoc, et negat Arist. IV. Eth. 8. In Terentio est urbanitas; Plautus est profusus et immodestus. — *philosophor. Socratic.*] Xenophontis. — *Facilis igitur est distinct.* etc.] Facile est videre, qui differant. Distinctio est diversitas **). Et in Timaeo, seu de Universo c. 8. — *si tempore fit* etc.] Cum sumus soluti curis et nihil serio agimus. Suet. Aug. 98. Cal. 32. — *Ludendi etiam est quidam modus* etc.] Agendi quodvis ludicrum, animi recreandi causa et temporis fallendi. — *ne nimis omnia profund.*] ne nimis omnibus voluptatibus indulgeamus. Profundere est *dispensare*. Cic. pro Coel. 12. *Voluptates,*

---

*) Sic. Leg. *circumscribebat*. Rr.

**) Sequitur in MS. numerus 34, quo Aristotelei cuiusdam libri aliquis locus significari videtur: in nota ad h. l. nimirum laudatus est Polit. Lib. VII., cuius c. 34. videtur respici. - Rr.

quae cum inclusae diutius, et prima aetate compressae et constrictae fuerunt etc. Suet. Tib. 42. Cic. pro Coel. 38. — *elatique voluptate*] nimia hilaritate exultantes, quae modum excedit. — *campus noster*] Martius. Horat. II. Sat. 6, 49. De arte 379. Suet. Aug. 83. — *exempla ludendi*] a rebus seriis otiandi.

C. 30. *Sed pertinet ad omnem* etc.] utile est, quotiescunque de officio inveniendo agimus, ante oculos habere etc. — *discendo alitur*] tenetur. — *anquirit*] quia natus est ad inquirendum verum. Ideo studio discendi tenetur. — *audiendi delectat. ducitur*] trahitur. Ovid.

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit et immemores non sinit esse sui.

ne sit ex pecudum genere etc.] qui sit bestia sub hominis persona. — *erectior*] paullo celsiore animo, aut generosior. — *voluptate capiatur*] sit voluptuosus. — *victus cultusque* etc.] In cibo curaque corporis id placeat, quo conservetur valetudo et vires augeantur. Pulchra sunt, quae ex Musonio ad hunc locum annotavi. — *diffluere luxuria*] Vid. de orat. 37. — *duab. nos a natura indutos esse* etc.] duplicem quasi habitum nobis esse impositum. — *una est communis*] natura humana. — *quae proprie* etc.] ingenium et indoles cuique propria. — *dignitatem inesse*] corporis formam plenam auctoritatis, maiestatis. — *lepos*] festivitas. — *C. Caesare*] Strabone. — *hilaritas*] comitas. — *εἰρωνα*] Scurram Atticum alibi vocat. — *Periclem*] vid. Plut. — *praeripere* (*praecipere*) *hostium consilia*] praenoscere ac divinare, quid acturi hostes sint, et impedimenta opponere. (Supra:) *Praecipere cogitatione futura.* Et: *praecipere consilio prudentiaque debemus.* — *cuivis deserviant*] se dedant. Insidiae hic est locus ad aliquem fallendum. — *itemque - alium - efficere*] ut paullo ante: *itemque alii, qui quidvis patiuntur.* — *quemque*] dele *quemquam* (sic). — *ut unus de multis* etc.] affabilitate et populari sermone nihil differat de aliis civibus, ut unus ex minimis civibus. Horat. I. Sat. 9, 31.

Tum paullo infirmior, unus Multorum.

Lucian. *εἷς τῶν πολλῶν.* — *in Catulo*] qui fuit collega Marii. — *in patre*] qui restitit Lepido. — *vindicavit*] puniit, ultus est.

C. 31. *tenenda sunt sua cuique*] unusquisque debet secundum naturae suae rationem et ductum vivere. — *contra universam nat.* etc.] Nihil debemus facere, quod universae naturae humanae rationi (supra dixit *communem personam*) repugnet, propria autem persona decenter debemus uti. — *tamen nos studia* etc.] ea appetamus, quae conveniant nostrae naturae. — *metiamur*] (sc.)

oportet. De bello Afric. 17. — *quidquam sequi*] Horat.
Tu nihil invita dices faciesque Minerva.
aequabilitas universae vitae] Hinc Cicero se tuetur contra Catonem, qui illum reprehendebat, quod Muraenam ambitus accusatum defendendum susceperit, cum ipse tam severus fuisset consul et legem tulisset contra ambitum, in or. pro Muraena cap. 2: „*Ego has partes lenitatis et misericordiae, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter: illam vero severitatis gravitatisque personam non appetivi, sed ab rep. mihi impositam sustinui, sicut huius imperii dignitas in summo periculo civium postulabat. Quod si tum, cum resp. vim et severitatem desiderabat, vici naturam et tam vehemens fui, quam cogebar, non quam volebam; nunc cum omnes me caussae ad misericordiam ac humanitatem vocent, quanto tandem studio debeo naturae meae consuetudinique servire?* — *Graeca verba inculcantes*] intempestive utentes. Iuven. Sat. 6. — *discrepantiam*] dissimilitudinem. — *consciscere alius deb.*] Haec sunt Stoicorum, qui probabant *αὐτοχειρίας*. — *alia in causa*] in alio rerum et fortunarum statu. — *vita lenior*] non ita severa et rigida. — *in proposito* etc.] in hac vitae ratione et genere fuit Alcibiades et talis inter philosophos fuit Aristippus. Vid. Diog. Laert. — *quo animo traditur*] ab Homero et Tragicis. — *habeat sui*] insitum et naturale. — *moderari*] moderate uti, recte gubernare. — *acremque se* etc.] severum. — *sibi accommodatissimas*] quas optime possunt agere. — *qui voce freti sunt*] quod nimirum in illis esset vociferandum. — *Epigonos*] Epigoni sunt septem ducum, qui in primo bello Thebano perierunt, filii, praeter Adrastum, et Thebis expugnatis patres ulti sunt. Apollod. 3. Attius scripsit Epigonos. — *Medumque*] fuit Medeae filius, de quo fuit Tragoedia Pacuvii. — *Menalippam*] Amazonem, de qua infra, II. 4. — *sin aliquando necessitas* etc.] si aliquando cogemur agere, quae nostro ingenio adversantur. — *quam minimum indecore* etc.] Sic Cicero, cum esset in Cilicia imperator, et cogeretur rem bellicam attingere. Ne simus *asini ad lyram*.

Cap. 32. *casus aliquis* etc.] cum casu aliquo, vel temporis quadam ratione nobis aliquid agendum imponitur, statio quaedam mandatur. — *iudicio nostro accommodamus*] cum ambimus consulatum aut certo vitae generi nos mancipamus, ut militiae, monachorum ordini. — *nobilitates*] diversi sunt nobilitatis gradus, ut patricii maiorum et minorum gentium. — *in casu sita*] a fortuna pendent et ab illa mutantur et seorsum deorsum vol-

vuntur. — *gerere quam personam*] quod vitae genus sequi. — *Africanus*] Scipio Aemilianus. — *cumulavit bellic. glor.*] adiecit laudem eloquentiae laudibus bellicis. — *Timotheus*] C. Nep. — *suum quoddam inst. sequantur*] alii vitae generi se applicent. — *in eo - elaborant*] huic rei praecipue dant operam. — *quos nos - esse velimus*] quod vitae genus velimus sequi. (*Quod es, esse velis, nihilque malis*). — *cum est maxima imbecillitas* etc.] cum nondum sumus prudentes, usu rerum edocti. Hinc illi aetati tribuitur *imprudentia*. Iust. V. 7. *non pueros imprudentes*. — *aetatis degendae*] vitae agendae. Lael. 23. Lucret. IV. 115. — *Herculem prodic.*] Sil. Ital. XV. 19. — *dubitasse*] deliberasse. — *Iovis satu edit.*] Iovis filio *) — *deducimur*] eos imitamur. — *multit. iudicio feruntur*] sequuntur iudicium populi, ad id se applicant, quod plurimis vident probari. — *rectam vitae* etc.] Petron. *rectum vitae iter insistere.*

C. 33. *ad suam cuiusque naturam* etc.] cuiusque consilium ad naturam suam est revocandum, unicuique videndum est, quid natura ferat. — *ex eo modo* etc.] ex eo studio, ad quod natura propensus. — *exquirimus*] expendimus. — *in tota vita constituenda*] in vitae genere deligendo. — *ut constare* etc.] ut sit aequabilitas nostrae vitae, ut simus nobis per omnem vitam similes. — *Perpetuitas est constantia*] V. Tusc. 8. — *claudicare*] parum recte progredi, non rectum vitae cursum tenere. Lucr. IV, 518:

Et libella aliqua si ex parte claudicat hilum,
Omnia mendose fieri atque obstipa necessum est.

tanquam ipsa mortalis etc.] ut valde impar sit contentio et fortuna, necessario succumbat, tanquam homo cum Deo. — *ad naturae suae* etc.] *Naturam expellas* etc. — *non vitiosae*] non depravatae. — *consilium vivendi* etc.] qui tale vivendi genus elegerit, quod naturae suae maxime conveniat. — *is constantiam teneat*] in eo vitae genere permaneat. — *facienda - mutatio*] Phaedr.

Mutandum est propositum et vitae genus.

si tempora adiuvabunt] si occasio et opportunitas quaedam et benignitas fatorum ad aliam sectam rationemque vivendi nos vocabit. — *sensim erit pedetentimque* etc.] Ne subita mutatio hominum oculos et sermones in nos

---

*) In nota ad h. l. legitur: „*Iove sato*, uti legendum censuit Victorius in Var. lect. Sed Graevii primus tuetur vulgatum.“ Ad quam notam margo Ms. „et merito. Cic. in Timaeo: *Sic igitur, ut ab his est traditum, horum deorum ortus habeatur atque dicatur, ut Oceanum Salaciamque coeli satu terraeque conceptu generatos.*“ Rr.

convertat. — *dissuere*] paulisper exuere. Cic. Lael. *Catonem dicere audivi, dissuendae magis, quam discindendae amicitiae.* — *bono consilio*] non temere, non levitate et fluctuatione animi, prudenter et deliberato. — *ne vitia s. imitanda*] ut duces Alexandri. — *Paulo*] Aemilio. — *fuerat sui*] sc. patris. — *causas defensitare*] agere in foro. — *tenere*] movere, adficere. — *optima autem hereditas*] Isocrates ad Neoclem: *Περὶ πλείονος ποιοῦ δόξαν καλὴν, ἢ πλοῦτον μέγαν τοῖς παισὶ καταλιπεῖν. Satius est, honestam existimationem, quam magnas divitias liberis relinquere.* V. Senec. IV. de benef. 30. — *cui dedecori esse*] quam dehonestare, ei maculam adspergere.

C. 34. *de hac distinctione*] diversitate. — *exque his deligere* etc. *). — *deligat - consilio - nitatur*] in omnibus actionibus firmior et constantior reddatur, minus vacillet, titubet, offendat: adolescentia enim lubrica est. Recte dicit: *deligat optimos et probatissimos*, ex more Romano, quo deducebantur a parentibus filii ad viros magnos et graves. Brut. 79. dialog. de causis corruptae eloquentiae. c. 34. Cic. pro Coelio 4. Sic Cicero ductus est a patre ad Scaevolam. Vide Melanchthon **). Quantum prosit consuetudo virorum eximiorum, Seneca docet ep. 94. Vulgo hodie dicitur magister, qui mores emendat, conscientiam, ut vulgo aiunt, gubernat. — *inscientia*] ignorantia, imprudentia. — *a libidinibus arcenda*] quibus maxime est obnoxia. Causa est, quam Cicero tradit in lib. de senect. *libidinosa atque intemperans adolescentia corpus effoetum tradit senectuti.* — *exercendaque in labore*] v. inprimis Galenum I. 1. p. 42. — *patientiaque*] Lycurgus etc. — *relaxare animos*] omittere seria, et aliquid delectationis quaerere. — *cav. intemperantiam*] cum quis perniciosis et turpibus voluptatibus indulget. — *mem. verecundiae*] quae maxime decet adolescentes. Hinc rubor est virtutis color. — *maiores natu interesse*] Sic in rep. Lacedaemoniorum ex instituto Lycurgi. — *exercitationibus animi*] Cato c. 11. — *ne languori se* etc.] ne in torporem segnitiemque resolvatur. — *senectus concipit dedecus*] in se admittit, probro se alligat, infamiam comparat. *Concipere scelus* 2. Cat. 4. *fraudes inexpiabiles* I. Tusc. 30. *flagitium*, pro

---

*) In nota ad h. l. sub finem Galenum laudaverat. Ibi post verba: *viro spectatae virtutis* in marg. leguntur haec: ubi dixerat, nos propter nostri amorem in nostris vitiis deprehendendis esse coecos. p. 41. 42. ed. Casal. Rr.

**) in nota ad h. l. quae est in Graevii nostri ed. Rr.

Sulla 5. — *facit adolescentium* etc.] Iuvenalis Sat. XIV. v. 47.

Maxima debetur puero reverentia, si quid
Turpe putas, nec tu pueri contemseris annos. *)

se gerere personam civit. etc.] Quidquid agat qualemve se exhibeat, id videri agere rempublicam ipsam et patriam, ac populum pro eo habiturum existimationem. — *iura describere*] ius suum cuique tribuere: Cic. V. Verr. 11. quod Romae fiebat decretis. Sext. 42. — *aequo et pari - iure* etc.] nolle esse supra leges. — *neque submissum et adiect.*] non obnoxium aut humilem, sed laeta et alacri modestia. — *neque se efferentem*] non arrogantem et alios prae se spernentem. — *ea velle, quae tranquilla* etc.] non moliri res novas et plus quam civilia cupere. — *sentire bon. civ.*] habere pro bono cive, *poet patriot.* — *incolae offic.*] inquilini. Iust. 22. 1. — *nihil praeter s. negot. ag.*] non immiscere se rebus ad se non pertinentibus, et ita spectare et noscere mores, instituta ac res reip., ut non videatur plus velle scire, quam illi velint scire, nec de illis temere iudicare. — *nihil de alieno anquirere*] Arcana non inquirenda. Sic Suecus quidam nobilis, cum omnes famosos libellos Romae collegisset, discedens in itinere in magno vitae discrimine fuit versatus, iacturam sane fecit omnium suarum sarcinarum.

C. 35. *formositate, ord. orn.*] Elegantia. *Formositas* hic est, si omnia fiant eleganter et concinne; *ordo,* si suo tempore et loco; *ornatus,* si debito cultu, gestu, habitu. — Extat de his Gazzus de civili conversatione, sed in primis Casa de morum elegantia **). — *quibuscum et apud quos viv.*] quibus consuetudo et vita nostra interior conspicitur, quibuscum versamur, ne foedi mores taedium nostri iis creent. — *posuit in promtu*] ita collocavit, ut in oculos incurreret. V. Cic. II. de Nat. Deor. c. 54. — *ad naturae necessitatem*] ad exonerandas sordes. — *removent ab ocul.* etc.] ut quoties satisfaciendum naturae est, id faciant in secreto, non admissis arbitris. Hinc irridebatur et contemnebatur Ptolemaeus Physon, *qui quasi astu inspicienda praebebat, quae omni studio occultanda pudibundo viro fuerunt.* — *petulantia*] lascivia, quae homines non decet. — *flagitiosa duc.*] turpia. — *abhorret - approbatione*] quod oculos auresque offendit. — *ut iis haec apta sint*] ut in

*) ad notam h. l. subiectam adscripta haec sunt: ut pulchre Iuvenalis Sat. XV. Rr.

**) Additum est, nescio quò pertinens: *bien france* (sic). Rr.

hac parte curiosi sint, non negligentes. — *sine subligaculo*] sine foeminalibus, campestribus.

C. 36. *ergo et a forma* etc.] cultus corporis careat muliebri munditia. Ovid.

Sint procul a nobis iuvenes, ut femina comti,
Fine coli modico forma virilis amat.

palaestrici motus] Palaestra locus est, ubi se luctando exercebant non tantum temere et fortuitis brachiorum iactibus, sed ad legem et numerum a magistro praescriptum. Hinc *palaestra* pro decore et elegantia. Cic. I. de legibus. — *histrionum nonnulli gestus*] Itaque gestus motusque magni illius oratoris Hortensii, quod histrionum motibus essent similiores, reprehendebatur, et propterea salse a L. Torquato dicebatur *gesticularia Dionysia*, quae famosa saltatrix erat, ut Gellius prodidit lib. I. cap. 5 *). — *dignitas coloris*] Romani in viris amabant colorem fuscum et aliquid quasi adustum. Seneca de constant. Sap. c. 13. Sic contra improbabatur color albus et pallidus. Seneca de brevit. vitae c. 7., et tribuebatur hominibus otio et luxu marcentibus. Mart. III, 58. *album otium* vocat; et X. 12. — *inhumanam neglig.*] belluinam. — *mediocritas*] qualis fuit in Augusto, de quo Sueton. in ei. Vita c. 73. — *tarditatibus utamur* etc.] *Tenero et molli incessu suspendamus gradum.* Seneca. — *pomparum ferculis*] quae scilicet circumferuntur in spectaculis Circensibus, sacris et triumphis. — *anhelitus movetur*] breves et incitatae respirationes. — *ne in perturbationes* etc.] ne perturbemur et perterrefiamus vehementia. IV. Tusc. 8. Exempla vide in Suetonio, Calig. 57. et Claud. 35. et Tac. XV. ann. 66. — *cogitatione - utamur*] ut in rebus optimis et vitae utilibus verum exquiramus, in difficilibus magis.

C. 37. *altera contentionis*] vehementis et pugnatoriae. — *alt. sermonis*] confabulationis. — *disceptationibus*] ubi in foro, in curia, in concione populi oratione decertandum est de aliqua re. — *in circulis*] in coetibus. — *disputationibus*] nobis vulgo *discursibus*. — *congressionibus*] convent. — *versetur*] adhibeatur, usurpetur. — *discentium studiis* etc.] quas res discere volunt homines, ad eas docendas inveniuntur praeceptores. — *duo sequamur*] curanda habeamus. — *exercitatio augebit*] vel sub phonasco, ut solebant veteres. Suet. Aug. 84, vel ut Demosthenes, cuius subterraneam meditationem et lapillos

*) Pertinet hoc Scholion ad Graevii notam h. l. subiectam et inserendum est ante verba: *Alioquin quid ex Comoedo* etc. Rr.

in os coniectos linguae expediendae causa Plutarchus in eius vita commemorat. — *presse loquentium*] suaviter. Cic. 3. de orat. *lenitate vocis atque ipso oris pressu et sono;* — et paullo post: *non vaste, non hiulce, non rustice, sed presse et aequabiliter et leniter.* Vid. Plin. VII. ep. 9 et 12. — *in Catulis*] patre et filio. — *ut eos exquisito* etc.] si disserentes audires, nihil observares petitum ex reconditis et interioribus litteris. — *hi autem optime uti* etc.] Nescio quid urbanum magis et vernaculum quam alii dicere (putabantur) *). — *litterae neque expressae*] singularum vocum neque crassa et rustica pronunciatione velut annumerabantur litterae, neque fracta et blaesa pronunciatione dissimulabantur. — *putidum*] putidum est austerum et auribus insuave teste Non. Marcello. — *nec languens*] non nimis submissa, fusca, attenuata — *nec canora*] non aliquid tinniens, non tinnula. *Uberior oratio L. Cr.*] Hic non respicit pronunciationem, sed ipsum genus sermonis. — *Caesar*] C. Iulius Caesar, non tamen dictator. — *patris frater*] frater patruelis. — *Socratici max. excellunt*] qui dialogos maxime scripserunt, ut Plato, Xenophon. — *tanquam in possession.*] quasi sibi soli potestas dicendi sit data, ceteri tantum audiant. — *vicissitudinem*] vices loquendi — *ne sermo vitium indicet* etc.] Nam ἤθους χαρακτὴρ λόγος ἐστὶν ἀνθρώπου; nam *Laudibus arguitur vini vinosus Homerus.* — *detrahendi causa*] minuendi existimationem. (P. Syrus Mimus et Epicteti elegans praeceptum **)). — *si aberrare ad al. coep.*] interdum de aliis rebus loquamur, ut iocosis, redeamus ad sermones de studiis. — *utcunque aderunt res*] quodcunque sit argumentum sermonis. II. de fin. 10: *tanti morbi aderant vesicae.* — *quatenus sermo delect.*] quamdiu de his sermo placeat praesentibus. — *desinendi modus*] non nimis diu immoremur eidem rei.

C. 38. *ira existat*] se prodat. — *vereri*] Respect toe draegen. Martial.

Nulli te facias nimis sodalem,
Gaudebis minus, et minus dolebis.

ad urendum et secandum] Est translatio a medicis. Vide Cic. Philipp. 8. 5. Senec. ad Helv. 2. — *clementi castig. lic. uti*] leniter et modice reprehendere. — *contum. repellatur*] absit contumelia, ea abstineatur. Sic *repellere dolorem.* I. de fin. 9. pro vitare, non uti. Contumelia quoque abstinendum in contentionibus, quae interdum

*) Non quidem appositum a Graevio est hoc verbum; sed carere eo non possumus. Rr.

**) V. Graevii ad h. l. notam. Rr.

fiebant in senatu et apud populum. Suet. Iul. 71. — *ipsius causa*] ipsius commodo. — *de se ipso praedicare*] *Propria laus sordet.*

C. 39. *hominis honorati*] in dignitate constituti. — *aedificandi descriptio* etc.] domus forma, situs, ut commode habitemus et ipsa domus nobis aliquid addat dignitatis. — *honori fuisse*] existimationem auxisse. — *cum vulgo viseretur*] cum a multis adiretur tanquam visu digna. — *suffragata domino*] eleganter favorem hominum ei comparavit ad consulatum suffragiis dandum. Cic. pro Planc. 1. — *accession. adiunx. aed.*] partem domus fecit ampliorem Octavii domo destructa. — *in dom. multiplicatam*] quae spatium trium aut quatuor domorum occupaverat. — *non repulsam scl. ret.* etc.] in tam magna domo et magistratu, quem petebat, excidit, et de ambitu damnatus est. — *si est in ea solitudo*] si non celebratur coetu salutantium. — *ne extra modum - prodeas*] ne modum excedas; invidiam enim parit. — *mult. mal. et in exemplo est*] etiam in eo peccatur, quod multi provocantur ad imitationem. — *L. Luculli*] Vell. II. 33. — *ad usum cultumque vitae*] ut serviat usui et dignitati. — *ut neve maior* etc.] ne quid suscipiamus, quod sit supra nostras facultates et vim. — *neve minor cura* etc.] ne sordidi simus. — *ad liberalem speciem*] ad ornatum externum, pompam, quae in oculos incurrat. — *decus ipsum*] decorum.

C. 40. *de ordine rerum*] Superius dixit decorum in tribus positum esse: formositate, ornatu, ordine. — *ἐυταξίαν*] Est disciplina quaedam et verecundia manendi in suo ordine et loco, sic, ut nec adspiremus altius, quam decet, nec evagemur latius. — *ut eandem - appellemus*] ut sic loquar. — *locum - actionis*] Locus Comicis saepe significat tempus. — *Quae autem harum virtut.*] Quae praecipiuntur his virtutibus, quando sc. pudorem et reverentiam debeamus habere hominibus, cum quibus vivimus, illisque actiones nostras probare. — *delicatum*] festivum, iocosum, mollem. — *hique de communi off. conv.*] ut curarent, quae pertinebant ad curam publicam eius muneris, cui erant praepositi. — *decet non solum manus* etc.] non solum abstinere ab aliena pecunia et re, sed et in rebus seriis oculos avertere ab inanibus rebus. — *si in athlet. probatione dixisset*] cum magistratus gymnasia et palaestras obiret et adolescentes et ephebos se exercentes inspiceret. Sic *equitum probatio.* Val. Max. — *inscitia temporis*] ἀκαιρία. — *ab humanitate discrepant*] a moribus hominum bene educatorum, qui non belluinam vitam agunt. — *alia magna pervertitas*] pravitas morum aliena a com-

mum bene moratorum vivendi ratione. — *a muleis*] a vulgo. Sic Graecis *πολλοὶ· εἷς τῶν πολλῶν.* — *diligentius declinand.*] haec studiosius sunt vitanda. — *paullum discrepent*] non recte concordent, parva sit, ut loquuntur, dissonantia. — *a sciente*] perito musicae. C. Nep. *scienter.* — *ne f. quid discrepet*] ne quid agamus, quod non conveniat aliis nostris moribus, quod labe nos adspergat quadam. — *quo maior et melior* etc.] quanto magis refert, actiones vitae consonare, et inter se concordes esse ac aequales, quam fides et chordarum sonitus.

C. 41. *animadversores vitior.*] investigatores. — *magna saepe intell.*] saepe ex parvis vitiis deprehenditur perversitas animi magna, quae latet. — *superciliorum aut remiss.* etc.] fronte porrecta aut corrugata; torva frons, – qui semper incedunt tanquam sinapi comedissent. — *ex reticentia*] ex silentio. — *apte fiat*] decenter, decore. — *quid ab officio – discrep.*] quid ab honestate et humanitate discrepet. — *ex aliis iudicare*] exemplum capere. Est haec optima proficiendi ratio. Et hoc se facere testatur Demea apud Terentium et Horatii *) pater. I. Serm. 4. v. 105. — *nescio quo modo – cernamus* etc.] oculatiores simus in aliorum vitiis videndis, quam in nostris deprehendendis. Catullus:

Non videmus manticae quod a tergo est.

Phaedrus IV. fab. 9:

Peras imposuit Iuppiter nobis duas.
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra mala non possumus:
Alii simul delinquunt, censores sumus.

Lepide Horatius I. Serm. 3. 25.

Cum tua praevideas oculis male lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius?

Christus de hypocritis. — *adhibere doctos hom.*] consulere. — *usu peritos*] Phaed. *usu peritus ariolus.* — *Maior enim pars – deferri solet*] solet sequi, quo natura ipsum vocat. — Recte iudicat de virtutibus et vitiis et de officio. — *quid quisque loquatur*] Nam plerique ita loquuntur, ac si essent viri boni. — *quid quisque sentiat*] prout quisque affectus est, ita varie de rebus iudicat. — *mutanda et corrigenda*] aliter facienda sunt. — *more aguntur*] consuetudine. — *Illa enim ipsa*] Consuetudo vim praeceptorum habet. — *errore duci*] e. induci. — *divinis bonis*] virtutibus et doctrina eximia. — *licentiam asseq.*] ius praecipuum sic loquendi et agendi. — *eiicienda*] explodenda. — *inimica verecundiae*] ve-

*) Scriptum erat *Terentii.* Rr.

recundiam non praestat. — *habere dilectum civis*] discrimen facere inter civem et peregrinum. — *an publice venerit*] an legatus sit. — *ad summam*] denique. Lib. IV. de fin. *ad summam*. — *tot gener. hom. conciliationem*] Omnia facere, quae ad societatem generis humani conservandam pertinent. Hoc facimus, cum omnibus hominibus tribuimus, quod eis debetur officium.

C. 42. *foeneratorum*] Foeneratores hic sunt, qui artem foenerandi exercent et foenore quaestum faciunt, mensarii, trapezitae, argentarii. Alias foeneratores sunt homines divites, qui aliis pecuniam elocant: Mentiniers. — *quorum operae - emuntur*] qui conducuntur laboris et operae, non artificii causa; βάναυσοι, qui artes sellularias exercent, ut sunt opifices, fabri, sutores etc.; χειρώναχτες, qui conducuntur ad operam nobis praestandam, qui conducti obligantur ad servitutes. — *non quorum artes*] ut pictorum, statuariorum. — *auctoramentum*] merces. Auctoramentum est proprie eorum, qui auctorantur, qui venalem sanguinem habent, merces gladiatorum, quae eis promittitur a lanistis; inde quaevis turpis rei merces. Sen. II. de ira, 13. ep. 113. — *qui mercantur* etc.] qui dicuntur κάπηλοι, institores: Krehmer. — *nihil enim proficiunt*] Inde Ovid. de institore:

Et peragit solita fallere voce fidem.

cnarii] qui grandiores pisces vendunt, ut asellos. — *fartores*] sunt saginatores altilium avium, ut gallinarum, anserum etc. Cato de R. R. edit. Comel. Varro p. 114. et sic saepe. Graece: ὀρνιθοπῶλαι. — *Terentius*] Eunuch. II. 2, 26. — *unguentar. saltat.*] histriones, pantomimi. Iust. IX, 8. Aridaeus, saltatricis filius. — *prudentia*] scientia, sc. iuris prudentia. Phaedrus:

Nec artis ulla facturum se prudentia nobilem.

medicina] Apud Romanos eam exercebant Graeci. — *sunt - honestae*] honorem pariunt. — *sin magna et cop.*] magnarii mercatores. — *non est adm. vitup.*] non tamen valde laudandi. Plato et Aristot. agriculturam praeferunt mercaturae. Sic senatores Romani non negotiabantur nisi frugibus in agris suis natis. — *satiata quaestu*] Avarus nunquam satiatur. *Quo plus sunt rotae* etc. — *illinc assumes*] petes. Hactenus de artibus.

C. 43. *contentio et comparatio*] potest fieri, ut honesta cum honestis comparentur. — *de duobus honestis* etc.] quorum utrumque instet eodem tempore, cum non nisi altero liceat perfungi, utrum potius ducendum sit. E duobus honestis honestius est eligendum. — *quar. una sit cognitionis*] prudentiae. — *alt. communitatis*] iustitiae. — *magnanimitatis*] fortitudinis. — *moderationis*] in omnibus modum

et decorum servare. — *hae in diligendo offic.* etc.] Interdum ita evenit, ut necesse sit, comparationem fieri inter officia, et quae in praesens sint eligenda et praestanda. — *aptiora esse* etc.] ea praeferenda esse, quae faciunt ad conservationem societatis: quia nati sumus ad societatem. — *excedat e vita*] e consortio et societate humana excidat, ut vivus pro mortuo sit habendus. Βίος, vita, saepe est *hominum genus - mortales.* — *deorum et homin. communitas*] Prima est societas homini cum Deo, quae continetur officio pietatis, et observatione legum naturae; altera hominis cum homine, quam tuentur officia iustitiae.

C. 44. *Lysis Pythagoreus*] III. de orat. 13. C. Nep. Epam. — *disciplinam reip.*] doctrinam de rep. recte administranda. — *ut otium suum* etc.] ut vitam suam otiosam et a reip. negotiis remotam sic consumserint, ut nobis plurimum prodessent. — *prudenter*] scienter. — *in se ipsa vertitur*] neminem iuvat, nisi illum qui cogitat. — *complectitur eo*] utilitatem affert iis, quibuscum vivit. — *congregabilia*] ἀγελαῖα. Varro III. de R.R. 16. — *natura congregati* etc.] nati ad societatem illam tuendam cogitant et agunt. — *solivaga cogn.*] solitaria, dissocialis, immansueta. — *ieiuna*] tenuis, exilis. Brut. 12. *ieiunior oratio* — *immanitas*] belluina crudelitas. — *propter necessit. vitae* etc.] propter utilitatem et necessitatem natam esse societatem. — *q. virgula divina*] sine ullo labore humano. Respicit virgam auream Minervae, qua Ulissem modo ultimae senectutis, modo virilis roboris habitu induit. Odyss. Y, 19. *Il.* 172 et 456, et Mercurii, qua animae mortuorum ducuntur. Virg. IV. Aen. 242. Ovid. IV. Met. et XI, 30. — *suppeditarent*] suppeterent. — *totum se in cognitione* etc.] totum se daret sapientiae studiis.

C. 45. *moderationi modestiaeque*] temperantiae. — *hoc quid effectum sit*] certum exploratumque habeatur. — *quod teneatur* etc.] quod praestet conservationem humanae societatis. — *considerata actio*] non temeraria. — *ut agere considerate* etc.] quia hic finis est cogitationis et studii veritatis, ut prosint societati studia. Nam si quis ut decet verum et res occultas sectatur, non ideo eas sectatur, ut habeat tanquam ultimum finem illam cognitionem, quam cogitando assequitur, sed ut instructior sit ad agendum, quod publice ac privatim prosit; potius ergo est officium iustitiae, quod in agendo occupatur, quam prudentiae, quod in meditando. — *gradus officiorum*] Gell. V. 13. Vide et superius I, cap. 17 et 18. — *prima diis immortalib.*] religionis officia omnibus praeferenda. Hinc *amicus usque ad aras.* — *id - dubitare*] de hac re deliberare.

MISCELLANEA

MAXIMAM PARTEM

C R I T I C A.

CURAVERUNT

FRID. TRAUG. FRIEDEMANN

ET

J. D. GODOFR. SEEBODE.

VOL. II. PARTIC. II.

MDCCCXXIII.

PROSTANT

WITTENBERGAE APUD ZIMMERMANN,

LONDINI, PARISIIS ET ARGENTORATI

APUD TREUTTEL ET WUERTZ.

Digitized by Google

XVIII.

Io. Georg. Graevii Scholia in Ciceronis de officiis lib. I. et II. ed. Guil. Röther.

(V. Miscell. Critt. Vol. II. P. I. p. 164 - 192.)

Lib. II.

C. 1. *Quemadmodum officia ducer.*] Qua ratione comparandum sit, ut rebus agendis insit honestas. — *quibus utuntur homines*] quibus vivant, quibus se tueantur. Terent. Ad. V. 9. Plaut. Trinum. II, 2, 74. Cic. II. ad Att. 11. — *libri nostri complures non modo ad leg.* etc.] multos accenderunt, ut non legerent modo quae scripsi, sed et ut aemulatione similia scribendi inflammarentur. — *philosophiae nomen sit invis.*] Tanquam Romanorum sit res gerere, non in subtilibus Graecarum artium quaestionibus versari. Virg. Aen. VI. *Orabunt alii caussas melius* etc. *Tu regere imperio* etc. — *per eos gerebatur, quibus se ipsa commis.*] per magistratus suffragiis populi creatos, non qui vi et armis dominationem invaserant. — *dominatu unius*] summa potestas. Pro l. Manil. 17. — *neque esset usquam consilio - loc.*] nemo consulitur de rep., nec ullus quidquam potest suadere, quod sibi videatur reipublicae utile, quia unius nutu et arbitrio omnia geruntur. — *socios denique*] illos, qui mecum remp. administrabant. — *nec me angoribus ded.*] immoderato luctui. — *actiones nostras*] orationes consulares et commentarios de consulatu. — *litterae conticuerunt*] cessavit ratio scribendi de rebus in rep. gestis ac orationes in foro et senatu dictas. — *honoribus inservire*] magistratus petere. — *quantum superfuerat*] quantum vacuum mihi relinquebant officia amicis et reip. tributa.

C. 2. *Nam sive oblectatio quaeritur* etc.] in quo animus curis negotiisque fessus requiescat et se reficiat; sive id agimus, ut remedium quaeramus adversus fortunam et vitia seculi. *Ratio ducitur eius* quod sequimur, quod potissimum spectamus. Pro Sext. Roscio 44. — *parum considerate*] temere, sine iudicio. — *disciplina virtutis*] ars virtutis. — *cum ab hoc disc. gen.*] si litterarum studia, tanquam nihil ad virtutem acquirendam profutura, omiseris. - *ad philos. cohortamur*] in Hortensio. — *orbati reip. munerib.*] exclusi a consilio publico et a rebus gerendis. — *Occurrit*] Obiicitur tanquam contrarium proposito. I. Act. in Verr. 17. I. Nat. Deor. 1. — *constanter facere*] convenienter nostro proposito. — *percipi nihil posse dic.*] secuti Academicorum sectam. — *praecepta officii persequamur*] tradamus. — *quorum vagetur animus err.*] qui semper dubitet de

omnibus (ut Pyrrhonii et Academici novi, qui ἀκαταλήψια statuebant) et nihil certi habeat, quod statuat. — *n. s disputandi, sed viv. rat. subl.*] disserendi sublata arte e disciplina recte vivendi. — *ut ceteri*] Peripatetici, Stoic Epicurei, qui vocantur dogmatici. — *alia probabilia*] u Academici medii. Suspendebant iudicium. — *sequi*] di cere. — *affirmandi arrogantiam vit.*] ut summis viribus con tendant, sua placita esse sola vera. — *temeritatem*] pro nuntiandi. — *a sap. dissidet*] remota est. Propert.

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

nisi ex utraque parte] rationes inter se comparatae atqu examinatae essent, ut fecit Sextus Empiricus in Pyrrhoniis hypothesibus et libris adversus Mathematicos. — *Cratipp auctore*] Brut. I. de orat. 1. *auctore* = doctore. Brut. 81. — *pepererunt*] primi invenerunt et tradiderunt. — *finitima ve stris*] quae non longe discrepant a vestris, h. e. Peripateticorum doctrina, cum ille sequatur Panaetium Stoicum.

C. 3. *Quinque igitur rationib.*] Quinque rationibus disputandi ac*) inquirendi ac faciendi officii. — *ad decus honestatemque pert.*] sitne honestum ac (atque) honestius. — *ad commoda vitae*] sitne utile et utilius. — *quinta ad elig. iudic.*] cum utilitas videtur pugnare cum honestate. — *confecta est*] explorata. — *consuetudo deflexit de via*] vulgus aberravit a vero. — *qua nulla pernicies maior* etc.] quo nihil perniciosius. Sic divinat. In Verr. 21. *Nulla salus reip. maior est*, h. e. nihil reip. salutarius. — *severe*] contr. *le viter.* — *haec tria genera*] rebus et natura iuncta et inseparabilia docendi causa considerantur singula et separata. — *ex quo efficitur*] vulgo concluditur. — *eripiendus est*] sc. iis. Sic *dolorem* X. ad Att. 4. IX. ad Att. 15. Iust. VI, 9. 12. — *opinioque* etc.] docendi sunt de omnibus rebus ea in sententia et spe esse. — *quae habent suos impet.*] quae moventur vel ratiocinando, vel instinctu naturae, ut certa quaedam appetant, alia fugiant. — *rationis expertia*] vulgo male Latine *irrationalia.* — *ratione utentia*] vulgo *rationalia. Rationalis causa* est Rh. ad Heren. lib. I, sed non *rationale animal.* Est autem rationalis causa, cuius sunt rationes inveniendae ingenio. — *pietas effic. et sanctitas*] religio et vitae integritas. Senec. *optimus animus pulcherrimus Dei cultus est.* Cic. II. de nat. Deor. 28. *Cultus deorum est optimus idemque castissimus et sanctissimus, ut eos semper pura, integra et incorrupta mente et vita venereris.* — *homines homi-*

*) Scribendum erat *atque*. Rr.

nib. max. ut.] Hinc *homo homini deus*, Iustin. — *his exceptis*] Vere dicit *diis exceptis*. Nam Deus, cui bene vult, plus prodesse potest, quam omnes homines. Abrahamus, Iosephus. Liv. I. 51. *Omnia prospera eveniunt colentibus Deos, adversa spernentibus.* Ovid.

Cura pii dis sunt, et qui coluere colunlur.

hominum operis effect.] studio et labore. — *manus et ars*] opera hominum. — *homin. administrat. ut.*] Hominum enim operâ coluntur agri, eruuntur metalla ex visceribus terrae. — *his muneribus fungerentur*] hoc praestarent, nautae, aurigae. — *e terra exciderentur*] Suet. Cal. 35. *excisae rupes.*

C. 4. *subveniri*] substitui in eorum locum, quae aut corrupta aut labefactata sunt, aut corruerunt. — *deductus aquarum*] cum aquae deducuntur exuberantes, alio derivantur. — *principes inveniendi fuer.*] primi invenerunt, ut mel colligendi *) ex apibus, lactis ad coagulum et caseum ex vaccis, ovibus, capris; domandi equos; lanificia. — *tueri*] sustentare. — *tam multae - artes ministr.*] tam multi artifices nobis servirent. — *distat*] leg. *distitit*, h. e. recessit tam longe. — *iuris aequa descriptio*] leges aeque latae. — *mansuetudo anim.*] feritate deposita. — *verecundia*] pudor. — *munitior*] tutior et securior contra iniurias aëris et ferarum et hominum improborum. — *mutandisque facult.*] permutando facultates, communicando cum aliis, quod nobis superest et illis deest ac vicissim adipiscendo, quod nobis deest et illis superest. Cic. III. de off. 29. Senec. VII. de benef. 31. et ep. 90.

C. 5. *copiosi*] diserti. Pro Cat. 23. *Homo copiosus ad dicendum.* — *vastitatis*] sterilitatis, tempestatum, incendiis, terrae motibus **). (II. de orat. 48.) De prov. consular. 5. — *quaedam hom. genera*] quosdam populos. — *primum - virtutis*] convenientissimum homini strenuo et gerendarum rerum cupido. — *conciliare anim. hom.*] allicere voluntates et obsequentes sibi homines facere. Conf. (Graevii) ad hunc locum notam. — *quae in rebus inanimis* etc.] quae ex rebus vita carentibus et multis animalibus commoda petuntur, ea per artes manuarias servorum et mercenariorum acquiruntur. — *hominum autem studia* etc.] hominum favorem et benevolentiam ad se provehendos et prae aliis honestandos viri non vulgares consequuntur, si ostendant, se plus videre et meliores sanctioresque esse promiscua multitudine. — *vertitur*] constat, perficitur. — *quid consentaneum*] conveniat. — *quae cuiusque rei causa*] Ne

*) scil. artem. Rr.
**) Sic per negligentiam variat in Casibus. Rr.

scilicet fallamur in iudicando et quavis re, quae in manibus est, aestimanda. — *παθη*] cupiditates, libidines. — *appetitionesque*] Ne sc. per iram, libidinem, avaritiam, timorem, ignaviam peccemus. — *uti moderate et scienter*] si sc. illos, quibuscum in eadem civitate, collegio sumus coniuncti, tractemus humane, civiliter et cum quadam dexteritate, secundum artem vitae. *Uti aliquo* est *cum aliquo versari.* Saepe in epistolis ad fam. — *quorum studiis* etc.] quorum benevolentia, cura, officiis, quae ad cultum, ad victum, ad statum suum pertinent tuendum, consequamur affluenter et copiose. — *si quid importetur nob. incom.*] si quis nos laeserit. — *propulsemus* etc.] Ut 20 millia civium arma voluerunt capere pro Cicerone contra Clodium. — *quantam aequitas* etc.] ne modum excedas.

C. 6. *ut hominum studia compl.*] ut reddamus habeamusque homines nobis perseveranter benevolos. — *cum prospero flatu eius utim.*] cum fortuna nobis favet. — *ad exitus pervehimur optat.*] omnia quae suscipimus, nobis feliciter cedunt. — *reflavit*] adversa nobis est. — *affligimur*] in miserias incidimus. — *prox. trium*] Pompeii in campis Philippicis, Scipionis in Africa, filiorum Pompeii ad Mundam. — *nuper summi*] Pompeii. — *invidiae* etc.] iniustae iracundiae et odia in illustres viros: ut Aristides, Themistocles etc. — *hominum studia allicere*] benevolentia consequi, ut nobis studeant et serviant. — *ad eum augendum atque honest.*] ornandum, extollendum. — *si cuius virtutem suspic.*] admirantur, ut Numam Romani, Cyrum Persae. — *quemque dignum* etc.] Quia dignitatem et potentiam moderate habere et ea bene illum usurum credunt. — *cui fidem habent*] Quia virum eum putant probum et sincerum, qui non fallat. — *opes metuunt*] factiones, arma, potentiam etc. — *largitiones*] ut Magi apud Iust. I. — *pretio ac mercede ducuntur*] a quo nummos accipiunt: ut Iulius Caesar ad... *). Hac ratione periit Romana respublica, cum suffragia in comitiis emerent. — *ea tenentur*] capiuntur. — *Atque etiam* etc.] Brevis repetitio illorum, quae dixit. — *ducuntur enim*] permoventur enim. —

C. 7. *ad opes tuendas*] ad magnam fortunam et potentiam conservandam. — *Multorum autem odiis* etc.] Ubi quis universo populo coepit invisus esse, nullis eum viribus satis esse posse munitum. — *nuper est cognitum*] Iul. Caes. — *quae cum max...*] quae omnia tyranni facta de-

*) Quod sequitur post *ad* vocabulum, minus distincte scriptum est, quam quod legi possit: videtur voluisse scribere *cives*. Rr.

fendit et instituta ac leges ratas habet. — *quant. odium hom. vol. ad pestem*] quam nequeat effugere pestem vel cruentam mortem, qui civibus invisus est. — *Malus enim est custos diut. met.*] non diu potest servari, quod habetur et tenetur per metum hominum. — *benevolentia fidelis* etc.] constanter servat potentiam vel in tempus infinitum. — *qui vi oppressos* etc.] in despoticis imperiis vi coërcendi sunt subiecti. Multi enim sunt populi, qui addictius volunt regnari, ut Persae et omnes Asiatici. — *in famulos*] Sic Persae et Turcae. — *teneri*] contineri in obsequio. — *ita se instruunt*] sic se parant, gerunt. — *demersae sint leges*] suppressa sit libertas alicuius potentia. — *timefacta libert.*] metu compressa, ut non posset se exerere. — *iudiciis tacitis*] factis quibusdam, ex quibus iudicare licet, quid sentiat populus, etsi non palam dicat. De Iulio Sueton. 80. — *Acriores autem mors* etc.] vehementius et saevius plerumque agunt, qui repetunt ereptam libertatem, quam qui eam conservare studeut. — *ad incolumitatem*] ut salvi simus. — *ad opes et potentiam*] comparandam et tuendam. — *ut metus absit*] Vid. Arist. V. fol. 10 et cap. ult. — *candenti carbone*] iuglandium. — *Alexandrum Pher.*] V. Tusc. 20. fratrem Iasonis et Polydori. Fuit Thessaliae tyrannus. Diod. Sic. XV, 61. 62. — *compunctum notis Threic.*] Thracem, quorum corpora variis notis erant insignita. Vid. Mel. II. 2. — *stigmatiam*] stigmatibus insignitum. — *nec eum fefellit*] non vana fuit eius suspicio de uxore. — *pellicatus*] quod putaret illum pellicem obducere sibi. I. Divin. 25. — *nobilitata*] famosa. — *Demetrium*] Poliorcetem. Iust. XVI, 2. — *iniuste imperantes*] dure, graviter; *iniusta servitus*. — *spectatoresque se - praeb.*] faverunt vapulantibus. Nemo ad auxilium ferendum accurrit. — *Leuctricae calamitatis*] cladis a Thebanis illatae.

C. 8. *quamdiu imperium*] quamdiu Rom. subiectos clementer et benigne tractabant, non dure et superbe. — *necessarii*] ut saeviretur in victos, illorum urbes exscinderentur, qualis fuit exitus belli Punici tertii, Achaici, Numantini: quia pax infida erat, nisi hostes delerentur. — *si provincias* etc.] ius aequum cuique reddendo et tanquam fidei suae commissos curando. — *hanc consuetudinem*] hanc constantem disciplinam. XV. Famil. *Meam consuetudinem integritatemque*. — *minuebamus*] ab illa recedebamus. — *honestam causam*] pro rep. — *non honesta victor.*] ob immanem crudelitatem. — *hasta posita*] auctione instituta bonorum civium. — *bonorum virorum*] qui remp. salvam esse vellent, etsi essent impliciti magis casu, quam consilio diversae parti. — *locupletium*] quos non

malae res domesticae cogebant esse turbatores reip. Suet. Iul. 27. — *uno calamit. iure compreh.*] omnes simul et semel calamitosas reddidit. Flor. IV, 2: *unum bellum.* Luc. II, 194. *Una mors. Ius* est status, conditio. — *ad exemplum*] ut vivo exemplo monstraretur, populum Romanum amisisse suum imperium. — *Massiliam*] imaginem Massiliae in ferculo. — *indignius*] intolerabilius. — *a quo quidem rei fam.* etc.] qui patrimonii paucos, cupiditatis tantae potentiae multos reliquit successores. — *vibrasset*] agitasset, praefuisset. — *a scelerata hasta* etc.] peiori auctioni Caesareae perseveranter adfuit et ministravit. — *alter autem*] Cornelius Sulla. Vid. Nota. — *extrema scel. met.*] qualia sc. metuebant a Catilina et sociis. — *cum honore et fide*] ut nos honore dignos existimet et viros bonos, qui bene utantur et moderate dignitate. — *cuiusque vitam* etc.] pro cuiusque vitae institutae ratione. — *familiaritates habere*] proximos et familiares habere aliquos fidos et certos.

C. 9. *perfecta gloria constat*] Gloria est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute. — *influere possimus*] tacite irrepere et in nostri amorem pellicere. — *benefica voluntate*] si quos vident homines esse eo animo, ut quibusvis aliis bene esse gaudeat et ubi possit, sua opera esse velit. — *res forte non suppetit*] non habeat facultatem aliis commodandi, etiamsi privata quisque commoda ex eo non senserit. — *specie sua commovet*] ipsa venerabili sua imagine homines excitat. — *perlucet*] se quasi spectandum praebet, cum intus spectari ab hominibus non possit. — *coniunct. cum iustitia prudentiam*] prudentiam, ut possimus, iustitiam, ut velimus aliis consulere. — *cum res agatur* etc.] cum negotium fert et cum maxime tractatur, viam eius expediendi et consilium capere nos posse in arena credunt. Philipp. III, 2. et VI, 7. — *ut nulla sit in his fraudis* etc.] ut persuasum habeant, illos nolle nos fallere. — *iustitia*] integritas vitae et morum. Sic in sacris litteris. — *intelligentiae*] prudentiae.

C. 10. *saepe disputatum sit*] II. Tusc. 14. — *alia est illa, cum veritas* etc.] aliter loquimur, cum philosophantes accurate et rigide verum exequimur, aliter cum captui et consuetudini vulgari servimus. — *bonos viros*] iustos. — *Popularibus enim verbis*] quibus populus utitur. Alibi dicit philosophos et poetas non humane loqui. — *quae magna*] non vulgaria. — *nec opinata*] de quibus non cogitarant. — *nihil nervorum*] virium, roboris. XV. ann. 22. (Sic). *Admiratione afficiuntur ii*] eos admiramur. Sic affici honore, praemio. — *detorquent*] avertant, ut neglecta virtute

voluptatibus succumbant. — *dolorum cum admov. faces*] tormenta et cruciatus quoties videntur impendere. — *ampla et honesta res*] materia praeclari exempli statuendi. — *torror ad se convertit* etc.] non respicientes sc. voluptatem contrariam, nec dolorem aut metum coniunctum.

C. 11. *haec animi despicientia*] iste contemtus voluptatum, dolorum, vitae et periculorum facit, ut homines illi sint magna admiratione. — *nemo enim iustus* etc.] nemo iustus esse potest, qui pluris facit divitias, voluptates, quam iustitiam; qui harum causa aliquid iniusti facit. — *aequitati anteponit*] aliquid iniuste facit. — *qui pecunia non movetur*] qui est incorruptibilis. — *hunc igni spectat. arbitr.*] quia plerique cupidi sunt pecuniae. — *aviditate rapiuntur*] cupidissime appetunt. — *institutio vitae*] genus vitae. — *adiumenta*] opem. — *nisi speciem* etc.] nisi habearis pro bono viro. — *nullis praesidiis septi*] nullis muniti opibus, multorum iniuriis obnoxii. — *qui malefic. et scel. pasc.* –] q. homines sunt perditi et scelerati. — *ne in latrocinio* etc.] ex latronum coetu et societate eiicitur.

C. 12. *iustitiae fruendae causa*] ne quis iniuria afficiatur. — *qui maiores opes hab.*] qui potentiores erant et factionem sibi compararant ad alios opprimendos. — *cum prohiberet iniur. ten.* etc.] cum vetaret vexari humiliores, deinde ius suum cuique reddendo commodam et civilem faceret divitum et pauperum societatem. *Aequitas* et *aequabilitas* iuris dicitur, quod eos, qui in eadem societate sunt, etsi ordinibus et dignitate differentes, aequet. — *pari iure*] in officio. — *omnibus semper una* etc.] quae personas non distinguerent, neque plus faverent potenti, quam inopi. — *his auctoribus*] ducibus, regibus, quorum sequeretur auctoritatem. — *tum ipsa propter sese* etc.] si quis iustus esse studeret non ipsius iustitiae et honestatis amore, sed ad gloriam, divitias unice referret omnia, is minime iustus esset. — *collocandae*] occupandae foenore, sc. praediis emendis aut mercibus. 3. de usuris, 33. *Si bene collocatae sint pecuniae.* — *quae perpetuos sumtus supp.*] quae sufficiat per omnem vitam non modo ad usus necessitatum naturalium, sed ad honestam liberalitatem, ad donandum bene meritis. — *ratione*] prudenter. — *si quis id ag.* etc.] Horat. I. ep. 16.

Tu recte vivis, si curas esse, quod audis.

Vera gloria rad. agit] robur et firmitatem acquirit crescitque et derivatur in posteros. — *mortui numerum obtinent*] habebuntur pro merito interfectis. *Numerus* saepe est conditio, status. Coel. 19: *cum tibi parentis numero fuisset.*

C. 13. *iustitiae fung. offic.*] sit iustus. — *si quis ab in.*

aet. etc.] si quis a prima adolescentia notus et in ore omnium est, illustrem sc. patrem nactus. — *aliquo casu*] Ut Servius Tullius: infantem innoxius ardor capitis illustravit et Scipionem praetextatum pater servatus. De aliis vide Valer. Max. III. 1. — *propter humilitatem*] generis. — *eo firmiore animo*] eo constantius. — *pariter cum rep. cecidit*] quae laus ut parum tibi prodesset, factum est clade partium. — *haec oratio - non de te est*] non de officio tuo, sed de omni ratione officiis (sic.) *). — *maiora sunt*] difficiliora. — *in suos benevolentia*] si amat fratres, sorores, necessarios. — *P. Rutilii adolesc.*] P. Rutilius consecutus est opinionem, famam integritatis et iurisprudentiae, quod quotidie Mutium audivit. — *non aliunde mutuatus est*] non ab aliorum commercio. — *illa accusatione*] cum accusavit et damnavit C. Carbonem hominem disertissimum et consularem, qui vitam veneno finivit ob eventum huius accusationis. Valer. Max. III, 7. et VI, 5. 6. — *qui exercentur*] in declamando. — *quod etiam tum pot. domi* etc.] in quo poterat domi se exercere cum laude; in quo se exercere satis laudis habet.

C. 14. *deliniant*] comiter sibi concilient. — *univers. excitat*] convertit in se. — *sapere plus q. c.*] prudentiores (sic). — *si vero inest in orat.* etc.] si verecundiam et severitatem prae se fert. — *M. Antonius*] Triumviri avus, Cretici pater. — *P. Sulpicii*] II. de div. 20. 21 — *duo Luculli*] M. et L. Lucullus fratres. — *pro Siculis*] in Verrinis. — *reip. tribuat hoc muneris* etc.] reos eligat maxime nocentes et quos intersit reip. puniri. — *sordidum ad famam*] maculam famae et existimationis inurit. — *committere*] dare occasionem. — *iud. capitis arcessas*] capitis iudicio accuses. — *item habend. est relig.*] similiter fugiendum vel cavendum est. I. de divin. 35. *Nec eam rem habuit religioni.* In orat. 2: *Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus.* — *nocentem aliquando*] qui non sit innocens. — *verum sequi*] ius aequum. — *patroni, nonnunquam* etc.] patrono sufficit esse aliquid, quod pro excusando reo aut minuendo delicto probabiliter dici potest. — *opib. circumveniri* etc.] qui valeat quidem causâ, sed aequo iure certare non possit ob factionem adversarii.

C. 15. *benigne fit*] benefici sumus erga illos, qui nostra opera indigent. Pro Planc. 21: *ut iis, qui praeteriti essent, benigne factum a populo videretur.* Plaut. Stich. IV, 11. 59. — *lautior ac splend.*] maior et illustrior ad gratiam conciliandam. — *gratificandi lib. vol.*] utraque fit vero animo, munificentia, non ambitione. Sallust. Iug. 103. —

*) Scribere volebat: *de omnis rationis officiis.* Rr. (F. *officii.* Fr.)

plures ad benigne fac. etc.] plures sibi obligabunt et demerebuntur, per quos deinde alios iuvare possint. — *paratiores*] promtiores. — *praebitorem*] largitorem. — *Fit enim deterior*] Tac. III. Hist. c. ult. — *idoneis hominib.*] dignis. — *diligenter*] cum dilectu, cum discretione, ut barbari vulgo. — *moderate*] modo adhibito. — *inconsulte*] temere, promiscue. — *isque referatur ad fac.*] definiendus est ex copia et amplitudine patrimonii cuiusque. — *largition. fund. non hab.*] non habere, ubi desinat; non exsatiare homines.

C. 16. *visceration ibus*] Suet. Iul. 38. 39. — *aes alienum suscip. amic.*] debita expungunt amicorum, ut Athenis ἐρανισταὶ, de quibus v. Casaub. ad Theophr. Charact. p. 280. et Salmas. ad Ius Atticum p. 4. — *in filiarum collocat.*] Plin. VI. ep. 37. Adde leg. 5. §. 10. A. de iure dotium. — *sextarium*] Sextarius continebat 10 cyathos, cyathus 4 ligulos seu cochlearia *). *iacturis*] sumtibus. — *memoria - moriatur*] extinguatur. — *iudicio certo*] ratione. — *functus est aedilitio* etc.] splendidissimum et sumtuosissimum spectaculum, cum aedilis fuit. Plin. VIII, 16.

C. 17. *moderatissimo*] modestissimo, qui modum tenebat. — *C. Claudius*] in cuius aedilitate pugnarunt primum elephanti. Plin. VIII. 7. — *Luculli*] Id. ibid. Luculli fratres simul aediles fuerunt. — *P. Lentulus*] Spinther. Vid. Plin. 34, 7. — *nostri Pompeii munera*] 600 iubatos leones dedit. Plin VIII, 10. In secundo consulatu pugnarunt elephanti 20. Pantheras 150 emisit. — *decumae*] Decimam rerum suarum, quas possidebat, in prandium dedit, cui licebat omnibus interesse. — *modius*] Modius habet 16 sextarios, sextarius continet 12 cyathos, cyathus 4 ligulos. Non fuit magna mensura. Hinc modius tritici veniit tribus sestertiis teste Cic. — *nostro quidem anno*] quo per leges licebat petere illum magistratum. — *tanq. in manum datur*] quod statim et quidem privatis quasi fruendum datur. — *verecundius reprehendo*] non prorsus damno. Tribuendum id videtur honori Pompeii, qui theatrum exstruxit. — *temporibus necessaria*] Si in illis temporibus sit natus et in illa rep., ubi his muneribus est fungendum. — *ad facultates accommodanda*] Hactenus impendendum esse, ut saltem patrimonio sufficere possimus sumtibus, iudicabant prudentes. — *mediocritate moderanda est*] modus non excedendus.

C. 18. *qui res meliores quaerit*] qui petit provehi ad altiora, qui incrementa secundis rebus quaerit. — *restri-*

*) Addita haec: centum drachmis, 10 scutatis. Rr.

cti] parci. III. Fam. 8. *cum et natura saepe ad largiendum de alieno fuerim restrictior. — iudicium et diligentiam adhibere*] Si modo adsit iudicium et dilectus, si quis non temere sua proiiciat indignis. Contrarium est *temeritas. — benef. male locata*] beneficia in indignos collata. — *ex ipso fructus est*] cum se gratum praebet. — *bonitas com. perfugium*] quod omnes boni hominis opem implorant. — *in deterrenda liberalitate*] in efficiendo, ut homines minus sint liberales. *Deterrere rem* est aliquem abducere a re illa facienda. Vere P. Syrus:

Ingratus unus miseris omnibus nocet.

largitioni munerum] pecuniae, quae in spectacula impenditur. — *multitudinis levitatem* etc.] Vulgus brevi quasi et inani voluptate afficientium. — *exigendo*] recipiendo. — *acerbum*] importunum. — *vicinitatibus et confin.*] in vicinos et qui conterminos nobis agros habent. — *dilabi*] II. Phil. 17. *Male parta male dilabuntur — non spoliantem se patrim.*] ut res familiaris non sentiat. — *curiales Laciadae*] *δῆμος λα* - (sic) *δημόται λαχία.*

C. 19. *iure cavere*] cautionem praescribere consultori et consilium dare in causa forensi, formulam praescribere paciscendi, contrahendi etc., ne rem deteriorem facias. VIII. fam. 6. — *in possessione sua princip.*] quae scientia fuit penes proceres. — *scientiae splendor deletus est*] quia nunc valent arma. — *cum is esset*] Servius Sulpitius. — *gravior facultas*] difficilior. — *ornatior*] splendidior. — *in toga dignitatis principatus*] togati per hanc ad summum dignitatis gradum perveniebant. — *gratuito defend.*] lege Cincia. — *late patent*] multis prosunt. — *intermissionem eloq.*] neglectum studium eloquentiae post bella civilia. — *quam in paucis spes* etc.] quam pauci hac doctrina sint praediti. — *beneficia pet.*] magistratus. — *commendantem iudicib.* etc.] Solebant reos laudare et eorum merita in remp. recensere. Cic. I. ad Fam. 9. — *latiss. eor. manat industria*] plurimis prosunt, plurimos sibi obstringunt. — *Utendum et - est excusatione*] Si defendendo clientem eius adversarium offenderis, factum est excusandum. Patronis enim clientes sunt instar filiorum habendi et tuendi. Vid. Gell. VI, 13. — *quod violatum est*] Si in illa re peccatum est. I. ad Att. 17. *quae violata sunt, expiabantur.*

C. 20. *mores hominum, non fortunam sequi*] merita aestimare, non potentiam. — *honesta oratio est*] praeclare dictum est. — *animadv. - quae natura rerum sit*] videndum est, non quid fiat pravo hominum iudicio, sed quid sana mens fieri praecipiat. — *habere (gratiam) certe potest*] grato animo et voluntate esse. — *qui reddiderit*] Pro Planc. 18.

Vid. Gell. I. 4. — *mortis instar put.*] Pompeius apud Caes. III. de B. C. 18. — *se spectatum, non fortunam putet* etc.] quicquid in se confertur officii ob benevolentiam erga ipsum, non ob spem maiora recipiendi datum intelligat. — *a quibus exspectat*] a quibus beneficium aliquando se accipere posse putat. — *auget suum munus*] ornat; Terent. Eunuch. VI. 8. *addito verborum pondere.* Iust. — *si quo forte fungitur*] si quod forte beneficium reddere poterit. — *opulentum*] potentem. — *fortunatumque*] ditem. — *in liberis eius manet gratia*] gratos se praebebunt. — *humiles*] tenues. Omnes tenuiores patres familias sperant eundem se posse patronum habere. — *ut omni generi satisfacere poss.*] ut cuicunque hominum sorti, quantum licet, serviamus. — *in contentionem veniet*] si dubium sit, utri inter duos diversi generis potissimum commodemus. — *Themistocles est auctor adhib.*] imitemur Themistoclem. — *consuleretur*] interrogaretur. — *minus probato*] parum integrae famae. — *corrupti mores* etc.] qui quidem sit dives, sed improbus, hebes, stupidus, qui nesciat artem fruendi divitiis, qui nil est nisi Cecropides, aut de quo dici possit illud Phaedri:

O pulchra species, si cerebrum haberet *).

quarum magnitudo quid etc.] Nostrum vulgus: *is hy reich, laet hem sich daervon dienen.* — *illum fort. adiuvat*] illi prodest. — *ne id quidem semper*] quia plerumque adest avaritia hominem ipsum fraudans fructu rerum suarum. — *utentior sane sit*] lautius et copiosius vivat, plus impendat, pluribus utatur. Eleganter *uti*, est alere se, vivere. — *modo ne adiuvent*] ne propter solas divitias ei serviamus, neglectis pauperioribus. — *ne quid contra aequitatem* etc.] ne in causa iniusta iuves amicum. Vid. Gell. I. 3. — *ne quid per iniuriam*] *Contendere per iniuriam* num ferri possit et quid denotet Latinis, videant peritiores. Longe alius **) in Langii editione legitur *pro iniuria*; contendere contra aequitatem pro iniusta causa. *Pro iniuria*, h. e. pro iniusta causa contra ius et fas et aequitatem.

C. 21. *C. Gracchi frumentaria magna l.*] ut plebi semisses et trientes in frumentum modios detur. Plut. — *modica M. Octavii*] Qualis Octavii lex fuerit ignoratur. — *neque de bonis privatorum publice diminutio fiat*] ne de divitum bonis largitio fiat in pauperes. — *antiquari*] suffragiis improbari et reiici. — *qui rem haberent*] certum censum et statum. — *Capitalis oratio*] pestilens et reip. noxia.

*) Sic perperam pro illis Phaedri: *O quanta species! inquit: cerebrum non habet.* I, 7. Rr.

**) F. *melius.* Fr.

Philipp. IV. 1: *Capitalis et pestifer reditus. — ad aequationem bonor. pertin.*] denudans arcana omni modo tegenda, quae possit excitare populum ad divisionem agrorum petendam et aequanda patrimonia. Iust. III, 3. et XVI, 4. Quint. decl. 16. — *ut sua tenerent*] ut unusquisque certus esset suarum rerum possessor nec pateret rapinae aliorum. — *congregabantur homines*] coibant in societatem civilem. — *tributum sit conferendum*] Liv. IV. 60. — *erit providendum*] comperiendo et quotannis aliquid seponendo tanquam in aerarium sanctius. — *huius muneris*] oneris. — *necessitati esse parendum*] faciendum esse quod necessitas exigit. — *Caput autem est* etc.] Primum et potissimum in omni administratione hoc curandum est. I. de orat. 19. et II. 52. — *facile patior*] non aegre fero. XIII. ad Attic. 20. — *Nondum centum et decem anni sunt*] lata est anno 604. — *nulla antea cum fuisset*] Fuit tamen lex Portia Catonis Censorii, sed ea nondum hanc quaestionem ordinariam fecit. Iudicia publica ordinaria sunt constituta anno 604. — *tot leges* etc.] graviores poenas in noxios et damnatos sancientes. — *tantum Italicum bellum*] Ex multis causis unam sumit tanquam solam et praecipuam. Nam in legibus Liviis fuerat, ut causam dicere cogerentur, qui suspecti essent de corruptione munerum. Quod autem senatus illis legibus resisteret, Italicum seu sociale bellum est excitatum. — *sublatis legibus et iudic.*] cessantibus per Italicum et mox Marianum bellum. — *imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus*] Stemus, non quod ipsi virtute nostra et fide sociorum simus succincti, sed quod nemo est tam potens, ut nos aggredi audeat; si quis esset, statim ad eum socii a nobis deficerent.

C. 22. *non hominis est solum* etc.] Hoc tum temporis in illo non fuit eximium, quia tum omnes Romani tales erant. — *praeda finem attulerit* etc.] Usque ad tempora Caesarum nulla pependerunt tributa. — *memoriam nom. sempit.*] immortale nomen. — *copiosior*] opulentior. — *taetrius*] foedius. — *habere enim quaestui* etc.] depeculari, depraedari remp. Caes. III. bell. civ. 60. *Illos secreto castigavit, quod equitatum quaestui haberent.* — *quam abstinentia et cont.*] si abstinent a pecunia et alienorum direptione; cum comprimunt suas cupiditates et libidines. — *agrariam rem tentant*] rogationes ferendo de agro publico dividendo inter pauperes, aut vindicando a divitibus, qui eum invaserant fraude, ut Gracchi fratres. — *debitoribus condonandas*] promulgando novas tabulas. — *ut sit libera* etc.] quod quisque recte acquisivit, ut secure et palam sine metu raptoris aut invasoris tenere atque eo frui queat. —

dissimulat se accipere vol.] ne fateatur suum pudorem. — *prae se fert dolor*] palam queritur. — *Non enim numero haec iudic.*] Ad gratiam et gloriam in rep. non tam confert copia, quam gravitas et auctoritas benevolorum.

C. 23. *Lysandrum*] Non Lysandrum Aristaeliti, qui vicit ad Aegospotamum, sed Lysandrum Lybios ap. Plut. in Agide. — *tyranni*] Machanidas et Nabis. Liv. et Polyb. — *optimates exterminar.*] ephori occiderentur a Cleomene rege. Plut. in Cleomene. — *reliq. Graeciam evertis*] Cum se immiscuissent Achaei rebus Lacedaemoniis nec iubentibus Romanis abstinerent, illis parere vellent. — *quinquaginta ann. possess.*] qui tot annos possederant, turbare et cogere ut decederent possessis. — *sine iniuria*] iustissimis acquirendi titulis. — *ad eam rem constit.*] ad hoc negotium feliciter expediendum. III Vir R. P. C. — *causamque docuisset*] Proprie dicitur de litigantibus, qui patronum instruunt vel causidicum de lite. Cic. VII. fam. 21. — *cum quibus causas cognov.*] audivit disceptantes et iura sua utrimque allegantes. — *aestimandis possessionib.*] taxando pretia fundorum et praediorum. — *sine querela disced.*] acquiescerent et praeclare secum actum putarent. — *hastam in foro ponere* etc.] confiscare bona innocentium civium et in publica auctione vendere. — *omnibus consulend.*] non exulibus modo, sed et iis, qui in urbe manserant. — *summa ratio et sap.*] caput et cardo consiliorum. — *commoda civium non divellere*] eo temperamento agere, ut nihil feras aut facias pro uno ordine, quod alteri displiceat. — *aequit. eadem continere*] salvam remp. servare ac tueri. — *quid habent argumenti*] quid continent. — *mea pecunia*] 2. Catil. 9.

C. 24. *Quod reipub. noceat*] quod civitatem foenore mergat immodico atque atterat. — *vehement. act. est*] a Catilina et eius sociis. — *ut hoc tant. mal. de rep. toll.*] ut nemo relinqueretur, qui auderet, novas tabulas petere aut sperare, se salvum fore, nisi solveret debita. — *tum quidem victus*] in Catilina et sociis, quibuscum conspirasse videbatur. Suet. Iul. 17. — *quae cogitarat*] Caesar, de novis tabulis per vim ferendis. — *ea perfecit*] per aestimationem possessionum, per quas quarta circiter parte creditores sunt fraudati. Suet. Iul. 42. — *cum eius iam nihil interesset*] cum iam ipse spoliata Gallia liberatus esset aere alieno, quo maxime laborarat. Suet. 18. — *ab hoc ig. genere largit.*] hoc genus largitionis vitabunt. II. Heren. — *absit invidia* etc.] *se planum facturum eum ab eo maleficio non abesse.* — *vectigalibus*] reditibus. — *persequuntur*] observant. — *Antipater Tyrius*] dicitur et Sidonius et Tarsen-

sis, quem III. de off. acutissimum hominem fuisse dicit, et Seneca inter magnos huius sectae auctores laudat ep. 90. — *praetermittendis volupt.*] modice et temperanter utendo voluptatibus.

C. 25. *vectigalia urbana rust.*] praedia urbana, quia fructuosiora sunt et certiora, minus multis casibus obnoxia. — *Bene pascere*] Rem pecuariam quam amplissimam habere magnosque pecoris greges et lecta iumentorum armenta. — *Satis bene pascere*] Mediocriter, vel minus, quam omnino bene. Cato de R. R. 137. — *male pascere*] Quomodocunque male curatum pecus habere. Colum. — *quibusd. opt. viris ad medium Ianum sedentib.*] locupletibus foeneratoribus, qui pecuniam foenori locant. Vocantur *optimi viri*, quod illorum maxime intererat sentire cum bonis viris, h. e. optimatibus etc. Iani erant transitiones perviae. Duo Iani erant Romae in foro, ubi celebris erat mercatorum et foeneratorum statio. Locus inter duos Ianos dicebatur medius. Ovid.

Qui puteos Ianumque timent celeresque Kalendas:

debitores, qui foenus singulis Kalendis pendunt foeneratoribus ad medium Ianum sedentibus.

XIX.

Caroli Ludovici Struvii Lectiones Lucianeae. Part. I. *).

Ut caput in magnis ubi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes:
Sic nos nunc, inopes laudis conscendere currum,
Pauperibus sacris villa tura damus.

Praemonenda.

Habent sua fata libelli. Initio a. 1814, cum adhuc Dorpati ageremus, a V. Ill. et Doct., Uvarofio, evocabamur, ut Symbolas conferremus, inserendas ephemeridibus philologicis propediem vulgandis. Statim itaque et iuvenili ardore libellum scripsimus, observationes in Lucianum, quo scriptore semper mirifice delectatus sum, quemque non semel, ut res docebit, perlegeram, complectentem.

---

*) Has lectiones Lucianeas ab auctore Clariss. qui tum Dorpatum ornabat, iam mense Martio anni 1814 nobis benevole communicatas esse, vel hic repetendum existimamus, iterum atque iterum et ab Auctore amicissimo et a Lectoribus eruditis veniam tam serae editionis petentes. Graefe.

subsidiis nullis, tum uti poteram, praeter Bip. ed., quae tamen, ut notum est, indice Reitziano caret, atque versiones Wielandii et Belini. Opusculum iam mense Martio eiusdem anni absolutum Petropolin miseram; curam sylloges edendae susceperat amicissimus Graefius, cuius de litteris Graecis merita nemini ignota sunt. Sed eodem iam vere sedem meam Dorpato Regiomontum transtuli. Hic quoque in primo statim programmate scholastico de nonnullis aliis locis Luciani disseruimus, in cuius scripti initio de sylloge illa, Petropoli edenda, lectores certiores fecimus. Atque in hoc libello melius iam a libris instructi eramus; carebamus quidem versione Belini; sed praeter antiquiores nonnullas editiones, quas bibliotheca regia suministravit, ad manus quoque erat Reitziana, sed et huius exemplar ultimo tomo, qui indicem complectitur, carebat, quod eam ob causam hic monendum ducimus, ne quis locos e Luciano excitatos indicis ope a nobis corrasos existumet.

Interim quid de lectionibus Lucianeis, Petropolin missis, factum sit, nesciebamus. Tandem Graefius sub finem a. 1815 edidit *epistolam criticam in bucolicos Graecos*, ubi p. 126. 127 de toto hoc negotio haec verba fecit: „cum adhuc Struvius noster Dorpati esset, commisit nobis primam observationum Lucianearum particulam, inserendam Collectaneis philologicis, propediem, ut sperabamus, Petropoli edendis. Quae res, per typographi rationes pessime protracta, etsi hucusque eventum non habuit, nunc tamen eo perveninus, ut ineunte novo anno cum ipsis his observationibus imprimendi initium sine dubio facturi simus." — Hactenus ille. Expectabam itaque quotidie plagulas, urgebam saepius Graefium, praesertim cum interea Iacobsii, V. D., emendationes Lucianeae publici iuris factae essent, quem cum in nonnullis mecum consentire reperissem, non tam inventi laudem mihi praereptam dolui, quam quod ab iis, qui me non nossent, credi possit, me summi huius critici scrinia compilasse. Quamquam, si res tanti esset, unius saltem emendationis verissimae meritum semper mihi arrogare possim, iam anno 1804 cum viris doctis in dissertatione communicatam, cuius titulum hic apponere piget, ne quod aeternae oblivioni traditum velim opusculum, quisquam in manus sumat. Sed laudavit hinc iam istam emendationem Heynius in ephem. Gött. eiusd. a., parcus ille criseos coniecturalis fautor.

Tandem, exeunte fere a. 1816, accepi omnes plagulas, satis nitide typis expressas, ut, si quid additum mutatumve velim, hoc Graefio meo significarem. Feci hoc statim; sed ab eo inde tempore de toto negotio altum silentium est. Collectanea ista in lucem non prodierunt, nec meae quidem scriptionis ullum exemplar quisquam nancisci potuit. Interim, cum ipse nonnunquam in opusculis scholasticis harum observationum mentionem fecissem, cumque Lobeckius quoque meus in not. ad Phrynich. bis aut ter eas laudasset, factum est, ut per librarios exemplaria expeterentur. Sed ipse ea suggerere non poteram, et, si Lehmanni verba in praefatione novae editionis Luciani recte mihi intellecta sunt, omnis opera irrita fuit Petropoli ea nanciscendi. Propterea, cum doct. Seebode pro amicitia, qua me amplectitur, me quoque symbolas rogaret, inserendas miscellaneis criticis, quae Hildesiae prodeunt, facile a me impetravi, ut Lucianeas has observationes cum viro amicissimo communicarem. Sed nec tempus nec animus ferebat, opusculum de integro expolire. Quamquam itaque post novem annorum decursum multa in eo inesse videbam, quae nunc non scriberem, sive falsa sive levia, tamen nihil

in eo immutavi, addens tantum nonnulla, quae obiter addere poteram, quaeque his signis [ ] inserta visuntur.

Scrib. Regiomonti m. Ian. a. 1823.

Struve.

I. IN SOMNIUM.

C. 1. p. 4. *) ὁ δὲ πατὴρ ἐσκοπεῖτο, ὅ τι καὶ διδάξαιτό με. Schol. *διδάσκομαί τινα, εἰς διδάσκαλον πέμπω μαθησόμενον.* Discrimen hoc vocis activae et mediae, a recentioribus quoque Grammaticis agnitum, (*Bud. comm. l. Gr.* p. 938. 939. *Buttm. Gr. Gr.* §. 122. *Matth. Gr. Gr.* §. 492.) non semper a Graecis observatum est. Sic *Luciani rhetor. praec.* c. 21. T. 2. p. 295. Rhetor *διδάξεταί σε. Chronos.* c. 12. T. 2. p. 519. *ἐγώ, ἦ δ' ὅς, διδάξομαί σε κατὰ ἀρξάμενος, ἐδίδασκε.* cf. *Heind. ad Plat. Protag.* c. 41.

C. 2. p. 4. *ὡς ἕκαστος γνώμης ἢ ἐμπειρίας εἶχεν.* Notissimum hunc Graecismum pluribus exemplis illustrare, foret otio abutentis. cf. *Matth.* §. 315, qui praeterea observat, *ἥκειν* similiter adhiberi, idque duobus exemplis, altero ex *Herodoto*, altero ex *Euripide*, probat. Addo tertium apud *Lucian., Imagin.* c. 11. T. 2. p. 9. *εὖ ἥκειν τῆς μορφῆς.* [*Adamant. Physiogn.* 2, 26. p. 426. *μεγαλονοίας καὶ ἀνδρείας εὖ ἥκει.*] Sed rarissimum est, quod in opusculo *de dea Syria* c. 17. T. 2. p. 564. legitur: *ἤδη δὲ ἐρέω καὶ τοῦ νηοῦ πέρι, θέσιός τε ὅκως ἐγένετο, καὶ ὅστις μιν ἐποιήσατο.* Moneo vero praeterea, etiam dativum in hoc loquendi genere mihi se obtulisse apud *Lycurg. c. Leocr.* c. 12. p. 135. *Hauptm. οὐχ ὁμοίως ἔχουσιν ἅπαντες ταῖς εὐνοίαις*, ubi non *τῆς εὐνοίας* rescribendum esse, patet ex eiusdem orationis c. 18. p. 155. *πῶς ἔχει ταῖς διανοίαις.*

C. 7. p. 6. *οὔποτε ἅπει ἐπὶ τὴν ἀλλοδαπήν.* H. l. *ἅπει* pro *ἀπελεύσῃ* positum et propterea futuris *θρίψῃ, ἕξεις, ἔσῃ* iunctum tetigit Hemsterhusius. Exempla abunde collegit *Fischer anim. ad W.* T. 2. p. 503 sq. Recte vero monuit *Buttm. Gr. Gr.* p. 291, usum hunc non solis Atticis proprium fuisse, verum Ionibus etiam, ut *Herodoto* (3, 72). Addo *Hippocratem*, qui *de Diaet. III.* c. 13. T. 1. p. 248. *Lind.* habet *ἐπὶ ταῦτα δὴ τὰ εἴδεα ἐπέξειμι, καὶ δείξω κ. τ. λ.* Buttmannus praeterea in Atticis nullum exemplum inveniri contendit, ubi *εἶμι* alia atque futuri significatione occurrat, seriores vero ab eo usu non abstinuisse. His serioribus annumerandus quoque

*) Paginas et capita citamus editionis *Schmiederi.*

Lucianus noster, qui hac in re ut in nonnullis aliis a norma atticismi nonnunquam recedit. *Asin.* c. 18. T. 2. p. 72. *ὀπίσω οὖν ἀπῄειν καὶ εἴσειμι αὖθις εἰς τὴν ἔπαυλιν.* *Philops.* c. 31. T. 2. p. 321. *ἔωθεν δὲ ... προελθὼν ἀπροσδόκητος ἅπασι πρόσειμι τῷ Εὐβατίδῃ, εὐαγγελιζόμενος αὐτῷ.* *de morte Peregrin.* c. 36. T. 2. p. 494. *ἐπειδὴ ἡ Σελήνη ἀνέτειλεν ... πρόεισιν ἐκεῖνος κ. τ. λ.* [*Necyom.* c. 16. T. 1. p. 201. *πένης καὶ ταπεινὸς περίεισιν*, ut a Schmiedero editum est pro *περιέρχεται* e tribus codd. *Demosth. encom.* c. 16. T. 2. p. 588. *γελᾶν ἔπεισί μοι.*] — Ceterum quemadmodum *εἶμι* pro *ἐλεύσομαι* veteres usurparunt, sic *ᾔειν* pro *ἠρχόμην*, quo imperfecto, ne cum altero ab *ἄρχομαι* confunderetur, fere abstinuerunt. Illud *ἐλεύσομαι* satis frequenter occurrit. Ex *Odyssea*, *Herodoto* et *Sophocle* habet exempla *Fischer ad W.* T. 3, 1. p. 93. *Ἠρχόμην* vero ita rarum est, ut ne Fischer quidem ullum eius exemplum attulerit; quapropter haec adscribam loca: *Hippocr. popul.* VII. 19. T. 1. p. 844. *τούτοισι τρυπουμένοισιν ἐξ αὐτοῦ τοῦ ὀστέου ἀνήρχετο ἰχὼρ λεπτός.* *Heliod. Aeth.* 1, 1. *τὴν θάλατταν ὀφθαλμοῖς ἐπήρχοντο.* [Imperfecti *ἠρχόμην* multo plura exempla nunc afferre possum, sed nullum e probatis scriptoribus, qualia desiderasset Phrynichus aut alius Atticista. Hippocrati iam laudato comitem addo *Galen.* T. 2. p. 15. *B. ed. Ald.* *προσήρχοντο*; et qui iisdem fere temporibus vixit, *Sextum Emp.* VII, 166. *διεξήρχετο.* *id.* IX, 157. *διήρχετο.* E serioribus poëtis accedet *Quint. Smyrn.* 9, 160. *ἐπέρχετο.* *Nicet. Eugen.* 3, 136. *διηρχόμην.* Praecipue vero Scholiastae frequentia exempla suppeditant: *ἤρχετο* *Schol. Ap. Rhod. Par.* 1, 516. *διήρχετο, ἐξήρχετο, περιήρχετο* *Schol. Theocr.* 2, 90. 7, 6. 7, 74. *ἤρχετο, διήρχοντο, περιηρχόμεθα, ἀνήρχοντο, κατήρχετο, ἐπήρχοντο* *Schol. Odyss. Buttm.* 1, 330. 3, 496. 9, 153. 10, 101. 146. 160. 11, 233. *περιήρχετο* *Phavorin. s. v. Δηώ.* *διήρχοντο* *Alemann. ad Procop. anecd.* p. 73.]

C. 8. p. 6. *πῶς μὲν οὐ κλεινὸς αὐτὸς παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις γένοιο;* Soloeca haec est oratio; lege *πῶς μὲν ἂν οὐ κλεινός κ. τ. λ.* — Haec et similia in lectionibus his Lucianeis digito tantum monstrabo, uberiorem eius rei explanationem alio tempore daturus. Nam quod *Hermannus* (*de praecept. quibusdam Atticistarum* p. 15) de vocula *ἦν* in Luciano habet „(sed de hac re sic demum recte disputari poterit, si quis omnia huius constructionis exempla ex hoc scriptore, cuius sermo omnino accuratiore pervestigatione dignus est, collegerit, et inter ipsos comparaverit)“ id non solum in vocula *ἦν*, sed in omnibus similibus, *ἐπάν*, *ἐπειδάν*, *ὅταν*, tum in omnibus

reliquis particulis et relativis, praesertim cum ἂν iunctis, iam antequam Hermannus haec scriberet, feceram, neque id in solo Luciano, sed in omnibus scriptoribus Graecis, quos per hos annos perlegi. [Intacta haec reliqui, alio tempore uberiorem huius rei explanationem daturus, in quibusdam saltem scriptoribus, quorum usum cognitum habeo. Nam haec quaestio confici nequit uno aut altero loco allato, quem quocumque modo explicare coneris, sed accurata *omnium locorum* comparatione].

ibid. *ταῦτα καὶ ἔτι τούτων πλείονα διαπταίουσα καὶ βαρβαρίζουσα πάντοθεν εἶπεν ἡ Τέχνη, μάλα δὴ σπουδῇ συνείρουσα, καὶ πείθειν με πειρωμένη.* In hoc loco verba *σπουδῇ συνείρουσα* ab interpretibus varie accepta sunt. Latina versio habet: ***perquam sane sedulo composita.*** Wielandius noster, quo nemo melius genium Luciani perspexit, hic ut in permultis aliis locis, difficultatem magis evitavit, quam superavit. Belinus V. D. latina versione vituperata aliam substituit, (parloit avec vivacité), quam, venia Viri doctissimi dixerim, nunc ipse damnabit. Quid sit *συνείρειν τοὺς λόγους* iam optime ***Budaeus*** explicavit, in ***commentariis linguae Graecae*** p. 667. „continuare sermonem, oratione continua uti, orationem perpetuam exordiri. Dicitur de iis, qui facunde et expedite loquuntur.“ Hactenus Budaeus. *Lucian. Prom.* c. 5. T. 1. p. 69. *Οἰκοῖν* (Prometheus dixit Vulcano et Mercurio) *σὺ μὲν περὶ τῆς κλοπῆς ἤδη σύνειρε, ὁ Ἑρμῆς δὲ καὶ τὴν ἀνθρωποποιίαν καὶ τὴν κρεανομίαν αἰτιάσεται.* *Iupit. trag.* c. 27. T. 2. p. 127. 128. *ἐν πλήθει δὲ εἰπεῖν ἀτολμότατός ἐστι, καὶ τὴν φωνὴν ἰδιώτης καὶ μιξοβάρβαρος, ὥστε γέλωτα ὀφλισπάνειν διὰ τοῦτο ἐν ταῖς συνουσίαις, οὐ συνείρων, ἀλλὰ βατταρίζων καὶ ταραττόμενος.* ***Rhet. praec.*** c. 18. T. 2. p. 298. *πλὴν ἀλλ' ἔπειγε καὶ σύνειρε καὶ μὴ σιώπα μόνον.* ***Pseudol.*** c. 6. T. 2. p. 379. *ἦν δὲ τὸ ἐπὶ τούτῳ ὁ μὲν πάνυ ἀπίθανος ἐν τῇ ὑποκρίσει, συνείρων οἷον εἰκὸς ἐκ πολλοῦ ἐσκεμμένα καὶ μεμελετημένα.* ***Lapith.*** c. 4. T. 2. p. 537. *καί μοι δοκεῖς, εἰ ἀπορήσειας τῶν ἀκουσομένων, κἂν πρός τινα ἢ πρὸς ἀνδριάντα ἡδέως ἂν προσελθὼν ἐκχέαι πάντα συνείρων ἀμυστί.* [***Somn. s. Gall.*** c. 11. T. 2. p. 156. *καὶ τοιαῦτα πολλὰ οὐδὲν δεομένῳ προσφιλοσοφῶν συνείρει*, ubi *συνεῖρε* legendum videtur.] Ex quibus omnibus patet, *συνείρειν* sive *συνείρειν λόγον* dici de iis, qui in continuo sermone flumine quodam orationis gaudent, neque unquam offendunt. Neque quicquam ad locum nostrum aptius. Ironiam Luciani quis non agnoscit?

C. 9. p. 7. *οὔτε φίλοις ἐπιδικάσιμος (ἔσῃ), οὔτε ἐχθροῖς φοβερός*, verba sunt *Παιδείας* ad Lucianum, in quibus vox

ἐπιδικάσιμος varie accepta fuit. Stephan. in Thes. *qui propensus est ad adiudicandum sua sententia amicis, quod petunt;* Micyllus, *neque amicis expetibilis;* Benedictus, *nec amicis in foro auxiliaris;* Gronovius, Hemsterhusius, *amicis advocatus.* Hi tres scholiastae explicationem secuti sunt, *ὁ τοῖς φίλοις ἐν τῷ δικάζεσθαι συνηγορῶν, καὶ πόνους βοηθῶν ἐν ταῖς δίκαις.* Wielandius, propriam vocis significationem non tangens, *unvermögend dich deinen Freunden nützlich zu machen;* Belinus, propius accedens ad scholiastae explicationem, *tu ne saurois pas au besoin parler en public pour la défense de tes amis;* Schneider tandem in Lexico, *um den die Freunde sich reissen.* Ad hanc sententiarum diversitatem componendam accuratius in vocem ἐπιδικάσιμος inquiramus. Notissimus est locus *Terentii prolog. Phorm.* v. 24.

apporto novam,
Epidicazomenon quam vocant comoediam
Graece, Latine hic Phormionem nominat.

ubi Donatus: „*Epidicazomenon,* hic manifeste errat Terentius. Nam haec fabula, quam transtulit, *Epidicazomene* dicta est a puella, de qua iudicium est; cum sit alia Epidicazomenos eiusdem Apollodori: debuit ergo dicere *Epidicazomenen* Graece.“ — „Quid agetur?“ *verba iam sunt Bentleii,* „nec falli hic potuit Donatus, sive alius, unde habuit; nec Terentius nescire potuit nomen fabulae, quam ipse Latine vertit. Id miror, maluisse Donatum manifesti erroris arguere auctorem, quam occulti errati suum, quo utebatur, exemplar. Repone hic, *Epidicazomenen quam vocant Comoediam.*“ Bentleio adstipulatur Ruhnkenius. Igitur in Terentio non minus quam in Luciano turbatur.

Lex erat Athenis, *ut virgini orbae, quae nullum patrimonium haberet, is cognatorum, qui genere proximus esset, nisi eam ducere maluisset, dotem daret; quod si neque dotem dare, neque eam ducere vellet, ab Archonte ad alterutrum cogendus erat.* cf. *Köpkium, über die Gesetzgebung der Griechen* p. 509. *Bud. comm. l. gr.* p. 115. Talis virgo ἐπίκληρος vocabatur. — Erat praeterea alia lex Athenis, *ut, si qua virgo dives, patre aut fratribus amissis, orba remansisset, haec ei nuberet, qui proxime cognatus esset.* cf. *Köpk. l. c.* p. 497. *Bud. l. c.* p. 114. Et haec virgo ἐπίκληρος vocabatur, ita ut haec vox duobus modis accipienda sit; si pauper est virgo, ἐπίκληρος ea vocatur, quam proxime cognatus ducere aut dote data alii collocare cogitur; sin vero dives, ea, quae proxime cognato nubere cogitur. Facile vero apparet, puellam

divitem multos sibi cupiisse. Iam vero si plures essent qui se proxime cognatos profiterentur, causa coram iudicibus agebatur, qui pronunciarent, quis vere proximus cognatus esset, in cuius manum puella de iure veniret. Quatenus itaque haec puella ἐπίκληρος dives obiectum litis, ut vulgo loquuntur, erat, ἐπίδικος vocabatur, i. e. de qua in iudicio vel coram iudicibus lis disceptatur. *Etym. M.* p. 78. ἐπίδικος, ἡ ἀμφισβητουμένη ἐπίκληρος, τίνι χρὴ γαμηθῆναι. *Zonar.* p. 801. Quemadmodum vero divitem plures facile ambierunt, ita pauperem non minus facile quivis aspernabatur, alium quemdam, non se, proximum cognatum esse affirmans. Iterum causa ad iudices deferenda erat, qui, quemadmodum in divite inter plures, qui se proxime cognatos simulabant, uni eam adiudicabant, ita in paupere, inter omnes, qui hanc cognationem dissimulabant, unum puellae adiudicabant, qui vel duceret vel dotem daret. Iam quid vetat, quo minus eodem modo virgo ἐπίκληρος pauper, ubi de ea in iudicio disceptabatur, etiam ἐπίδικος vocata sit? Verisimillimum saltem est, et ad locum Terentii explicandum utique necessarium, quod Bentleius etiam sensit, quamvis hic virginem orbam divitem et pauperem confudit. At vero, cum Bentleius ita pergat „ἐπίδικος igitur virgo, de qua adhuc lis est, ἐπιδικαζομένη, de qua iudicium factum est, ut hic Phanium“ facile apparebit eum errasse. Nam si ἐπιδικάζεσθαι hanc significationem habuisset, vocata saltem fuisset ἐπιδεδικασμένη sive ἐπιδικασθεῖσα. Verum ἐπιδικάζεσθαι dicitur is, qui in iudicio aliquid petit, vel lege agit, quod iam Budaeus p. 113. 114. multis confirmavit. In puella divite igitur is est ἐπιδικαζόμενος, qui in iudicio contendit, puellam divitem aut sibi ipsi aut alii, cuius nomine causam agit, nubere debere; in paupere vero is, qui contendit, hunc vel illum esse puellae pauperi proxime cognatum; hunc itaque ipsam ducere debere. Propterea Apollodorus comoediam suam ἐπιδικαζόμενον vocabat, quod cum breviter Terentius Latine dicere non potuisset, *Phormionem* eam appellavit, qui Phormio ipse ὁ ἐπιδικαζόμενος est. Hinc mihi patere videtur, in Terentio nihil mutandum esse, quamvis, qua ratione Donatus in errorem inciderit, explicare nequeam. Verum ἐπιδικάζεσθαι verbum forense erat, non solum in actione de puellis orbis usurpatum, verum etiam in aliis actionibus, ut, cum ambigeretur, cuinam hereditas aliqua iure obveniret. *Zonar.* p. 825. ἐπεδικάσαντο, ἔπεισαν τοὺς δικαστὰς ἑαυτοῖς προσνεῖμαι τὸν κλῆρον. Dicit ἑαυτοῖς, ubi οἱ ἐπιδικαζόμενοι sibi ipsis petunt; sed possunt etiam aliis heredi-

item petere, quorum causam coram iudicibus agunt. Iam t *βιώσιμος* is est, qui potest *βιοῦν*, ita *ἐπιδικάσιμος* is vobatur, *ὃς ἐπιδικάζεσθαι δύναται*, qui coram iudicibus ibi aut aliis aliquid, de quo lis est, expetere potest: *φίμις ἐπιδικάσιμος* in *Luciano* itaque is est, qui amicorum ausam in iudicio strenue gerere, iisque aliquid expetere otest; quod non multum abhorret ab explicatione scholiae eorumque, qui hunc secuti sunt.

C. 9. p. 7. *ἀλλ' αὐτὸ μόνον ἐργάτης, καὶ τῶν ἐκ τοῦ πολλοῦ δήμου εἰς, ἀεὶ τὸν προὔχοντα ὑποπτήσσων.* Duo codd. *καὶ τῶν ἐκ τοῦ πολλοῦ δήμου, εἰςαεὶ τὸν* etc. Quod praefero, nam *εἷς* hic prorsus abundat, quamvis etiam sic additum reperiatur. cf. *Matth. Gr. Gr.* §. 355. Sed *εἰςαεὶ* significantius, quam *ἀεὶ*; *) ex quo arti statuariae operam deleris, ex eo tempore *in omne futurum tempus* etc.

C. 13. p. 8. *ἀφεὶς δὲ αὐτοὺς τηλικούτους καὶ τοιούτους ἄνδρας*, inserendus est articulus *αὐτοὺς τοὺς τηλικούτους* etc. quem proxime praecedens pronominis syllaba absorbuit. Nihil hoc erratorum genere frequentius. Statim c. 18. p. 9. *κἀγὼ τοῦτον ὄνειρον* l. *τοῦτον τὸν ὄνειρον*. *Catapl.* c. 5. T. 1. p. 281. *ἰδοὺ πάλιν οὗτοι δυεῖν δέοντες τετρακόσιοι.* l. *οὗτοι οἱ δυεῖν*, ut antea in eodem capite dixerat *ἰδοὺ δὴ σοι τὸν ἀριθμὸν οὗτοι οἱ τριακόσιοι.* *Imagin.* c. 14. T. 2. p. 11. *οἵαν εἰκὸς εἶναι τὴν διὰ τοιούτων χειλῶν, δι' ἐκείνων δὲ τῶν ὀδόντων ἐξιοῦσαν.* l. *τοιούτων τῶν χειλῶν*, quod Lucianum dedisse monstrat *ἐκείνων τῶν*. Sed non omnibus locis haec medicina adhibenda est. *Ver. hist.* I. 16. T. 1. p. 445. *πλησίον δὲ αὐτῶν οἱ Κυνοβάλανοι ἔστησαν, οὓς ἔπεμψεν αὐτῷ οἱ τὸν Σείριον κατοικοῦντες, πενταχισχίλιοι, καὶ οὗτοι ἄνδρες κυνοπρόσωποι, ἐπὶ βαλάνων πτερωτῶν μαχόμενοι.* Hic interpunctio tantum mutanda est, *πενταχισχίλιοι καὶ οὗτοι, ἄνδρες* etc. ut antea in eodem capite exstat, *ὄνεις καὶ οἵτοι ἀμφὶ τὰς πέντε μυριάδας.*

ibid. *ὅπως τὰ ἔργα εὔρυθμα καὶ εὐσχήμονα ἔσται σοι προσώπων, ὅπως δὲ αὐτὸς εὔρυθμός τε καὶ κοσμιος εἴη ἥκιστα πεφροντικώς.* Notissima est regula, quam Davesius primus proposuit, *ὅπως* et *οὐ μὴ* nunquam regere coniunctivum aoristi primi activi et medii. Ex quo hanc legem doctissimus Anglus tulit, cupide accepta est ab editoribus, et multi loci secundum eam emendati sunt. Dubitare tandem de eius certitudine inter nostrates inceperunt Hermannus, Buttmannus, et in primis Heindorf; is enim, qui cum Lysidem, et Charmidem ederet, nonnulla adhuc loca ad eam normam correxit, (ut *Lysid.* c. 7. c. 19.

*) Differunt ut nostra *für immer*, et *immer*.

Charm. c. 10.) nunc sententiam prorsus retractavit, ad *Phaedon.* c. 29. *Protag.* c. 12., monstrans, plurima esse loca, in quibus non adeo facilis mutatio foret. Nam ut ἐπιδείξηται (*Lucian. de mort. Peregr.* c. 25. T. 2. p. 490) facile in ἐπιδείξεται, atque αἰτιάσωνται, τιμήσουσι, φιλήσουσι (*Epist. Saturn.* c. 33. T. 2. p. 531.) in αἰτιάσονται, τιμήσουσι, φιλήσουσι transeat, quis tamen ausit apud *Lucian. deor. dial.* 20, 2. T. 1. p. 103. pro χαλεπήνητε substituere χαλεπανεῖτε? cui similem locum *Xenoph. Anab.* 4, 8, 13. laudat Heindorf. l. c. ubi μείνῃ in μενεῖ non mutet quisquam. Quis porro apud *Lucian. de merc. cond.* c. 41. ἀπολέσωσι exigat, et ἀπολοῖσι in sedem reducat? cui simile exemplum idem Heind. eod. loc. affert, ubi ἀπολέσῃ in ἀπολεῖ mutandum esset. Tandem quis in *Prometh.* c. 5. T. 1. p. 69. ὅπως μου ὡς δεινότατα κατηγορήσῃς μηδὲ καθυφῇς τι τῶν δικαίων τοῦ πατρός, vel κατηγορήσεις et καθυφήσεις rescribat, vel καθυφῇς non tangens in una eademque periodo coniunctivum indicativo iungat? Quapropter mihi quoque, codicibus non addicentibus, ab omni eiusmodi correctione abstinendum videtur. Et supersunt in scriptoribus Graecis multi etiamnum loci, qui aor. 1. sine ulla manuscriptorum varietate tnentur. Est tamen, ubi necessitas indicativum futuri rescribendum exigat, tum, quando coniunctivus, quem editiones et codices exhibent, non Graecus est. Quis ferat in *Luciani apol. pro merc. conduct.* c. 3. T. 1. p. 325. ὅπως ἀκούσηται pro ἀκούσεται; vel in *Anach.* c. 17. T. 2. p. 265. ὅπως προσέξῃς pro προσέξεις; [Sed hoc προσέξῃς Schmieder demum male sedulus in textum invexit, cum antea recte προσέξῃς legeretur. Similiter idem in *apolog. pro imag.* c. 18. T. 2. p. 23. ὅπως ὑπερθαυμάσηται καὶ ζηλωτὸν ἀποφάνῃ ex uno cod. edidit, ubi vulgata ὑπερθαυμάσεται et ἀποφανεῖ non mutanda erant.] Quis in *Hippocr. de arte* c. 22. T. 1. p. 13. ὅπως τεκμαρῆται pro τεκμαρεῖται, vel in *eiusd. de medicina* c. 3. ὅπως συνοίσῃ pro συνοίσει; *Demosth. de pace* c. 3. ὅπως προαξώμεθα pro προαξόμεθα, quanquam illa forma aoristi etiam in atticis non prorsus improbanda sit. Cf. quoque postea ad Catap. c. 3. ubi de verbo διδράσκω locuturi sumus. Sed illos aoristos Graeci non noverunt. Similiter *Buttm. in Plat. Alcib. sec.* c. 1. barbarum λήσῃ iam mutavit in λήσει. Neque negari potest, scribas proclives fuisse, ut indicativum futuri in eiusmodi coniunctivos mutarent, quos Graeci non agnoscerent. Sic *Lucian. Toxar.* c. 35. T. 2. p. 47. pro ἐρεῖς in uno cod. reperitur ἐρῇς. *Pseudosoph.* c. 9. T. 2. p. 629. pro πείσεται (a πάσχω) plurimi praebent πείσηται. *Demosth. de cor.* c.

62. pro *γενήσεται* in uno cod. extat barbarum *γενήσηται*. Itaque in longe plurimis exemplis quin futurum scripserint Graeci, mihi non dubium est; verum, ut e praecedentibus patet, non in omnibus. [Quae olim scripseram, nunc retractare nolui. Plura hic addi possent, sed quae diligentiorem curam desiderarent. Interim cf. *Lobeck. ad Phryn.* p. 716 sqq.]

II. IN CATAPLUM.

C. 1. T. 1. p. 277. *ἡμεῖς δὲ οὐδ' ὀβολὸν ἐμπεπολήκαμεν.* Notetur in hoc verbo sedes augmenti, quam Lucianus in decomposito *ἀπεμπολάω* alio transfert *ἀπημπόλησε Piscat.* c. 27. T. 1. p. 262. *ἀπημπόληκα, ἀπημπολῆσθαι de merc. cond.* c. 23, 24. T. 1. p. 313. [*ἀπημπολημένος Hesych. s. v. παλίμβολος.* T. 2. p. 843.].

ibid. ὁ δὲ καλὸς ἡμῖν κἀγαθὸς νεκροπομπὸς, ὥσπερ τις ἄλλος καὶ αὐτὸς ἄνω τὸ τῆς Λήθης ὕδωρ πεπωκὼς ἀνασεύσαι πρὸς ἡμᾶς ἐπιλέλησται. „Haud facile, quid haec verba sibi velint, expedies. Mosellanus interpres ad umbras refert. Ego ad vespillones et huiusmodi homunculos referri malim, quos verisimile fit largiter bibere solitos, cum mortuos efferrent. Id enim *νεκροπομπὸς*, quod praecessit, suadere omnino videtur. Sed ne sic quidem satis concinna oratio videtur.“ Verba sunt Solani. Equidem leni mutatione locum sic refingo: *ὥσπερ τις ἄλλος κάτω, αὐτὸς ἄνω* etc. Queritur Charon, nondum Mercurium cum umbris venisse; cuius rei causam in socordiam huius *νεκροπομποῦ* transfert, qui, quasi Lethen bibisset, venire oblitus sit. Ut alii vero Lethen *κάτω*, in inferis, bibunt, quo τῶν *ἄνω* obliviscantur, ita Mercurius, qui *κατελθεῖν* oblitus erat, eam *ἄνω* in coelo, vel in terra bibit. Simile vitium emendandum est in *dial. deor.* 5, 2. T. 1. p. 82. ubi Iuno, Ganymedem odio habens, postquam amores mulierum Iovi exprobravit, in haec verba erumpit: *πλὴν ἀλλ' ἐκεῖναι μέν σοι κἂν ἐν γῇ μένουσι· τὸ δ' Ἰδαῖον τουτὶ παιδίον ἁρπάσας ἀνέπτης κ. τ. λ.* ubi quid *κἄν* sibi velit, nemo facile dixerit; lege *κάτω ἐν γῇ*. Opponitur *τῷ κάτω μένειν* mox *ἀναπέτεσθαι*. Dici fere nequit, quot locis *καὶ* corruptum exstet. Sic *Lucian. Contempl.* c. 14. T. 1. p. 216. *εὖγε, ὦ Κλωθοῖ, γεννικῶς καὶ αὐτούς, οἱ βελτίστη, καὶ τὰς κεφαλὰς ἀπότεμνε, καὶ ἀνασ, λόπιζε, ὡς εἰδῶσιν ἄνθρωποι ὄντες.* Lege sine dubio, accentu tantum mutato et apostropho apposito, *καῖ' αὐτούς*. Respicit *καίειν* ad Croesum, ut τ. κεφ. ἀποτ. ad Cyrum, et ἀνασκολόπ. ad Polycratem, de quibus tribus hic sermo est. Nihil vero fre-

quentius, quam permutatio τοῦ καὶ cum articulo, cuius postea exempla dabimus.

C. 2. p. 278. *τί δὲ οἶδας, ὦ Χάρων, εἴ τις ἀσχολία προσέπεσεν αὐτῷ, τοῦ Διὸς ἐπὶ πλέον δεηθέντος ἀποχρήσασθαι πρὸς τὰ ἄνω πράγματα;* Vix credo, Lucianum *οἶδας* pro *οἶσθα* scripsisse; *οἶδας* enim, ab omnibus atticistis proscriptum, non nisi in poetis epicis me legere memini; *Od. α*, 337, quod solum huius formae exemplum Fischer et Matthiae afferunt, *Quint. Smyrn.* 9, 496. *Nonn. Dionys.* 11, 315. [Formam *οἶδας* apud Lucianum nunc non damno, et, ni fallor, alibi quoque apud eundem occurrit, qua de re iam dixi in libro de *fragmentis Dionysii, a Maio editis* p. 44. cf. quoque *Ignat. Epist.* p. 214. *Clem. Alex.* p. 71. *Schol. Hom. Od.* 1, 10. etc. et quae larga manu affert *Lobeck. ad Phryn.* p. 236. 237, huius unius loci tantum apud Lucianum memor.] Notetur quoque in h. l. *ἀποχρήσασθαι*, quae vox plerumque *utendo conficere, consumere,* sonat, hic vero nove pro simplici *χρήσασθαι* posita est; cuius significationis ex probatis scriptoribus nullum exemplum novi; habet vero quoque *Heliod. Aeth.* 1. c. 21. p. 35. *ed. Cor. εἰ μὲν γὰρ ἔδει τῷ τῆς ἀρχῆς ἀποχρήσασθαι νόμῳ, πάντως ἐξήρκει μοι τὸ βούλεσθαι.* i. e. *si* lege imperii uti vellem, sola voluntas mea sufficeret. [id. 5, 13. p. 190. *εἰ μὴ τῇ προφάσει τῆς θυσίας εἰς τὰς ὑπὲρ Θεαγενοῦς εὐχὰς ἀποχρήσασθαι διενοήθη. Clem. Alex. Paedag.* I, p. 127. *τὸ ἐν τῷ ἀποστόλῳ ἅγιον πνεῦμα, τῇ τοῦ κυρίου ἀποχρώμενον φωνῇ. Ignat. ep.* 10. p. 212. *ἔπρεπε γὰρ τῷ δημιουργῷ μὴ τῇ συνήθει ἀποχρήσασθαι γεννήσει. Eunom. confess. fid. apud Care hist. liter.* p. 141. *οὔτε οὖν τῇ ἑαυτοῦ οὐσίᾳ ἀπεχρήσατο, ἀλλὰ τῇ βουλήσει μόνῃ.*]

C. 3. p. 278. *καὶ ἄλλον γελῶντα ὁρῶ, ἕνα δέ τινα καὶ πήραν ἐξημμένον.* Fortasse coniiciat aliquis *ἐνημμένον.* Sic *νεβρίδας ἐνημμέναι, Lucian. Bacch.* c. 1. T. 2. p. 330. *διφθέραν ἐνῆπται, Hercul.* c. 1. T. 2. p. 335. *διφθέραν ἐναψάμενος, Tim.* c. 6. T. 1. p. 38. *λεοντῆν ἐνημμένος, Aristoph. Ran.* 433. Cave tamen obsequaris. Differunt enim. *Ἐνημμένος τι* dicitur is, qui pallio, vel pelli amicitur, ita ut haec vestimenta maximam corporis partem tegant involvantque; *ἐξημμένος* vero, qui manticam aut eiusmodi sarcinam fert, quae loro de humeris dependet. Itaque *πήραν ἐξημμένον* legitur quoque *Fugitiv.* c. 27. T. 2. p. 508. Idem dicitur *πήραν ἐξηρτημένος*, quod legitur *Vitar. auct.* c. 7. T. 1. p. 233. *Fugitiv.* c. 14. T. 2. p. 503. et *Long. past.* II. 3. p. 140. *ed. Bod.* Ceterum in omnibus his exemplis *ἐνημμένος, ἐξημμένος* non perfectum passivi est, sed medii, quod patet ex loco Luciani, quem supra ad-

scripsimus, ubi ἐναψάμενος legitur, non ἐναφθείς. Moneo hoc, quia *Matthiae Gr. Gr.* §. 421, ubi ex *Herodoto* 7, 89. παρδαλέας καὶ λεοντέας ἐναμμένοι et ex *Aristoph. Nub.* 92. διφθέραν ἐνημμένος laudat, haec pro participiis verbi passivi habuit.

ibid. p. 279. τουτονὶ τὸν ἁλιτήριον ἀποδράντα μεταδιώκων etc. In hoc loco ἀποδράντα pro ἀποδράσαντα e tribus codd. Schmieder recepit. Tribuunt vulgo verbo διδράσκω duplicem aoristum ἔδρασα et ἔδραν. Sed Buttmannus priorem respuit. Omnia fere exempla, quae laudant, sunt aut tertiae personae pluralis indicativi ἔδρασαν aut participii. Ita ἔδρασαν Matthiae affert e *Xenoph. Cyr.* 5, 2, 15. Fischer vero e *Thucyd.* 2, 49 (sed erravit vir doctus, nam ibi est a δράω , facio). Addo *Lucian. Toxar.* c. 33. T. 2. p. 47. *Heliod. Aeth.* 2, 19. p. 77. Sed ἔδρασαν pertinet ad ἔδραν, ut ἔστησαν ad ἔστην. Altera forma tertiae personae pluralis ἔδραν Syncopen passa est, ut ἔσταν, ἔφυν pro ἔστησαν, ἔφυσαν. Afferuntur vero etiam exempla participii, ἀποδράσασα ex *Andocide*, ἀποδράσας ex *Lysia*, quibus addo συναποδράσαντος, *Lucian. Asin.* c. 27. T. 2. p. 78. διαδράσας, *Heliod.* 2, 12. p. 67. διαδράσασα, *Heliod.* 8, 15. p. 341.; ubi facile rescribas ἀποδρᾶσα, ἀποδρᾶς, συναποδράντος, διαδρᾶς, διαδρᾶσα; nullum errorem facilius librarius committere potuit, et, ut in nostro loco vidimus, sunt quoque codices, in quibus vera scriptura servatur. Affertur vero coniunctivus quoque ἀποδράσῃ e *Xenoph. Cyrop.* 1, 4, 13. Sed ibi ἀποδρᾷ dat optimus cod. Guelf. quod nondum receptum miror, cum in eodem capite ἀποδρῶ non ἀποδράσω occurrat. [recepit nunc Schneider in novissima editione.] *Herodot.* 3, 135. ὅκως τε μὴ διαδρήσηται, quod vel invitis codd. in futurum διαδρήσεται mutandum fuisset; et futurum iam e cod. Askew. Schäfer recepit. Nam forma aoristi media in hoc verbo prorsus barbara, et eis adnumeranda est, de quibus *ad Somn.* c. 13. verba feci. Futurum vero nusquam nisi forma media occurrit; nam quae Futuri attici Fischer exempla affert, ἀποδρῶ et ἀποδρῶσι, ea ipsius sunt coniunctivi huius aor. secundi. Et quod tertium addit ἀποδρᾷν ex *Herodiano* (1, 30. *ed. Oxon.*), ibi sine dubio scribendum est ἀποδρᾶναι. Sed sunt exempla, quae non ita facilem correctionem admittant, *Eurip. Iph. Taur.* 193. 194. ἀλλάξας δ' ἐξέδρασ' ἱερὸν ὅμμ' αὐγᾶς ἅλιος, ubi num ἐξέδρα propter hiatum ferri possit, Hermanno et Seidlero diiudicandum relinquo; *Heliod.* 7, 24. p. 297. διαδράσεις, ubi quis διαδραίη sine codd. rescribere audeat? [cf. nunc *Lobeck. ad Phryn.* p. 737. 738. ἀπέδρασαν *Aelian. V. H.*

10, 15. *Theodoret. therapeut.* p. 136. 142. *ἀποδράσωμεν id.* p. 40. *ἀποδράσαντες id.* p. 135. *ἀποδράσαντος Orac. Sibyll.* p. 522. *Gall. ἀποδράσας Schol. Odyss.* 8, 351. *ἀποδράσατε Cod. Pseudep. V. T.* p. 691. 736. In loco *Georg. Pis. Hex.* v. 380, quem Lobeck. l. c. affert, codex Morelli habet *διαδρᾶναι* pro *διαδρᾶσαι.*]

C. 4. p. 279. *ἐγὼ δέ, ὥςπερ εἰκὸς, οὐκ ἀνίειν* etc. *ἀνίην* emendavit Guyetus, et praebet nunc cod. Paris. 2954, a Belino collatus. Et praefert Lucianus aliis locis hanc formam: sic *συνίην Dial. deor.* 6, 2. T. 1. p. 84. *Philopseud.* c. 39. T. 2. p. 325. *Pseudolog.* c. 8. T. 2. p. 380. Sed et altera illa forma, multo rarior, proba est. Habet eam *Plato Euthyd.* c. 51. et *Hom. Od.* 9, 88; 10, 100; 12, 9. ubi *προΐειν* Wolfius in postrema editione e cod. Harleiano, qui hanc formam in omnibus tribus locis praebuit, recepit.

C. 5. p. 281. *τί γάρ με δεῖ πράγματα ἔχειν, τὰ πρὸ Εὐκλείδου πῶς νῦν ἐξετάζουσαν;* in voc:la *πῶς* neminem offendisse miror; conieceram dudum *ἕως.* Nunc video e duob. codd. et optima editione principe: hanc vocem prorsus abesse, quod melius etiam videtur. Iocatur Clotho, se in senes nunc non inquisituram esse, quippe qui iam ante amnestiam, Euclide archonte Athenis datam, vixerint. — Mox pro *οὗτοι δυεῖν* legendum esse *οἵτοι οἱ δυεῖν* iam antea *ad somn.* c. 13. monuimus. — Tum quae sequuntur verba *νὴ Δι' ἐπεὶ ἀσταφίδες γε πάντες ἤδη εἰσί,* male in editionibus Clotho tribuuntur. Sunt sine dubio Charontis, facetias sectantis, qui senes mortuos *ἀσταφίδας*, uvas passas, vocat, ut antea infantes *ὀμφακίας*, uvas immaturas, vocarat. A verbis *τοὺς τραυματίας* demum Clotho incipit loqui.

C. 6. p. 282. *Πάρεισιν οἵδε οἱ τραυματίαι, οὓς ὁρᾷς· τὰς δὲ γυναῖκας ἅμα βούλει παραγάγω;* Mercurius adest, omnes mortuos secum ducens; tenet Clotho indices, ad quos eos exigat, praesertim, quo mortis genere obierint. (c. 5.) Sed infantes et senes inexploratos navi imponit, illos, quia nihil respondere possint, hos, quia negotium sibi facessere non vult rebus ante Euclidem gestis denuo explorandis. Tum vero eos, qui vulneribus obierint, arcessi iubet, quos in suas classes pro vario mortis genere dispertitur, qui bello cecíderint, qui ob amorem sibi ipsi mortem consciverint, qui de regno disceptantes alter alterius manu occiderint, qui ab adultero et uxore caesus sit, qui capitis damnati poenas dederint, tandem qui a latronibus confossi sint. Iam respondet Mercurius ea verba, quae huic notae praeposuimus, adesse eos omnes, qui

vulneribus obierint; atque tum deam interrogat, an simul *mulieres* mortuas adduci velit. Quis haec non miretur? Quo tandem mortis genere obierunt hae? num omnes eodem? nam mortis genus hic intactum relinqui nequit, ut ex sequentibus etiam patet. Respondet enim Clotho, *μάλιστα, καὶ τοὺς ἀπὸ ναυαγίων γε.* Non placent ita mulieres interiectae inter eos, qui a praedonibus occisi fuerunt, et eos, qui naufragio perierunt. Sic mox quoque eos vocat, qui febri mortui sint. In omnibus his genus mortis commemoratur; et mirum foret, ni inter eos, qui febri perierint, mulieres etiam fuissent. Voces *τὰς γυναῖκας* itaque corruptae videntur; quod magis etiam apparebit ex iis verbis, quibus Clotho pergit, postquam eos, qui naufragium passi fuerint, adduci iussit; *ἅμα γὰρ τεθνᾶσι καὶ τὸν ὅμοιον τρόπον.* Haec verba omnes interpretes, quotquot vidi, ita explicant, eos, qui in undis naufragio vitam amiserint, simul et eodem modo periisse. En sententiam Luciano dignam! naufragos omnes eodem mortis genere periisse! omnes scilicet naufragio! De *ἅμα* postea videbimus; sed dixit Lucianus *τὸν ὅμοιον τρόπον,* non, ut isti volunt, *τὸν αὐτὸν τρόπον.* Voluit Lucianus sine dubio, eos, qui naufragium passi sint, simili modo periisse, atque eos, quos modo Mercurius nominaverat. Unde luce clarius patet, mulieres nullum hic locum habere, sed desiderari vocem, quae mortuos aliquo violento mortis genere exprimat, quod naufragio simile sit. Quam vocem nondum reperi, neque facile reperiam, sedem corruptelae monstrasse contentus. — Ceterum acute Schmieder coniecit legendum *μάλιστα, καὶ τοὺς ἀπὸ ναυαγίων γε ἅμα· καὶ γὰρ τεθνᾶσι τὸν ὅμοιον τρόπον.* Saltem *ἅμα* ad praecedentia retrahendum est; sic antea dixerat Mercurius *τὰς δὲ γυναῖκας ἅμα βούλει παραγάγω;* sic mox Clotho ita pergit *καὶ τοὺς ἀπὸ τοῦ πυρετοῦ δέ, καὶ τούτους ἅμα· καὶ τὸν ἰατρὸν Ἀγαθοκλέα μετ' αὐτῶν,* ubi postremum *μετ' αὐτῶν* idem quod *ἅμα* valet. Verum praeterea nescio, quid *γε* post *ναυαγίων* sibi velit, et cum *γὰρ* ante *τεθνᾶσι* in cod. Gorl. desit, totum locum sic constituo *μάλιστα, καὶ τοὺς ἀπὸ ναυαγίων ἅμα· τεθνᾶσι γὰρ τὸν ὅμοιον τρόπον.* Nam *γὰρ* et *καὶ* quoties confusa sint, neminem fugit. Certe turbatum fuisse iam olim in hoc loco, monstrat lectio cod. Gorl. *ἀπὸ ναυσίων, οἵ γε ἅμα τεθνᾶσι,* e quibus aliquis me acutior probabiliorem forsan lectionem eliciet. In *γε* forsan nota quaedam numeri latet; sic antea *οἱ δ' ὑπὸ λῃστῶν ἀποθανόντες ἑκκαίδεκα.* Sed satis est ariolationum in loco deplorato. *)

*) Equidem pace Auctoris Clariss. hariolarer: *τοὺς δὲ πυγμα-*

C. 8. p. 283. *εἶτά σοι αὐτόμολος ἥξω, καλοῦντος μηδενός.* Pro *αὐτόμολος* cod. Par. 3011 praebet *αὐτόματος*, quod Belinus praefert; *αὐτόμολος* enim significare tantum *transfugam*. Sed *αὐτόματος* glossa est rarioris *αὐτόμολος*, quae vox plerumque quidem *transfugam* sonat, hic vero, prima significatione, *eum qui sponte venit*. Sic *Lucian. de merc. cond.* c. 5. T. 1. p. 303. *ἡ πρὸς τὸν βίον τοῦτον αὐτομολία*, de iis, qui sponte vitae genus aliquod eligunt. Quod praeterea Belinus addit, verba *μηδενὸς καλοῦντος*, videri sibi glossam *τοῦ αὐτόματος*, id nollem Viro Doct. excidisset. Nam epexegetice addita sunt, ut saepissime. Sic mox c. 9. *ἄκουσον, ἃ σοι ἰδίᾳ μηδενός ἀκούοντος εἰπεῖν βούλομαι.* [*Liv.* 6, 16. *postulante nullo, largitor voluntarius senatus.*]

Ibid. μίαν με ἔασον μεῖναι τήνδε ἡμέραν, ἄχρις ἄν τι ἐπισκήψω τῇ γυναικὶ περὶ τῶν χρημάτων. Verba sunt tyranni, misere in vitam redire cupientis. Sed cum iam sit in inferis, non potest dicere: „permitte me *manere*." Nam si manet, manebit in inferis. Pro *MEINAI* rescribendum videtur *ANIENAI*, totidem fere ductibus literarum. Sic paulo ante eadem pag. *ἀλλά με πρὸς ὀλίγον ἔασον ἀνελθεῖν.* et mox c. 13. p. 287. *ἀναβιῶναί με ἔασον μόνον.*

C. 9. p. 284. *ἀποδράναι* accentu peccat; debet esse *ἀποδρᾶναι*. Sed in his et similibus sexcenties etiamnum in optimis editionibus peccatur. Sic scriptum exstat *ἀποδράναι Plat. Protag.* c. 21. p. 491. *Heind.* id. *Phaed.* c. 109. *διαδράναι Lucian. ver. hist.* 2, 26. T. 1. p. 468. *Heliod. aeth.* 2, 19. p. 77. *ἐκδράναι Dio Cass.* 37, 47. — Mox in sequentibus pro *ἀτελὲς μένει τὸ τεῖχος* malim *μενεῖ* scribere, ut sit futurum. Sic in *Timon.* c. 4. T. 1. p. 37. pro *ἀποφαίνουσι* scribo *ἀποφανοῦσι*, et in *Plat. Phaed.* c. 15. p. 25. *Heind. θαυμαστὸν ἴσως σοι φανεῖται*, pro *φαίνεται*, quae mutatio initium capitis respicienti p. 24. se probabit.

Ibid. μέχρις ἂν —— μνῆμα ἑαυτῷ παμμέγεθες ἀναστήσας ἐπιγράψω etc. Lege *ἐμαυτῷ*, Solanus inquit; adstipulantur Reitz et Schmieder, sed abstinendum est ab omni mutatione. Sexcenties enim, ut *Heind.* ait ad *Plat. Phaedon.* c. 91. p. 155. atticis pronomen hoc de altera persona usurpatum est, rarius de prima; cuius exemplum affert Soph. Oed. T. 138. secundae personae exempla ex eodem Sophocle affert *Brunck. ad Gnom.* p. 344. De poëtis itaque nullum dubium; verum, quod Buttm. mo-

---

χους ἅμα βούλει παραγάγω; Κλ. μάλιστα· καὶ τοὺς ἀπὸ ναυαγίων, οἱ τ' ἐν ἀλὶ τεθνᾶσι τὸν ὅμοιον τρόπον. GRAEFE.

net §. 114, longe plurima loca in soluta oratione crisin adhuc admittere, id eo ni fallor spectat, quod facili negotio emendari possunt, et hic illic in codd. etiam prima vel secunda persona reperitur. Quapropter ex iis nullum certum praesidium peti posse videtur. Sed quis in *Heliod.* 2, 17. p. 73. pro *καθ' ἑαυτούς* ausit reponere *καθ' ἡμᾶς αὐτούς*, vel *ibid.* p. 74. pro *ἐφ' ἑαυτῶν*, *ἐφ' ἡμῶν αὐτῶν*. Sic quoque *id.* 2, 19. p. 76. *ἑαυτοὺς* de prima persona usurpavit; et 7, 28. p. 307. *ἑαυτοῦ* et l. 10, c. 29. p 430. *ἑαυτῆς* de eadem persona. Praeivit iam *Demosth. de cor.* c. 52. p. 364. *Harl. καὶ εἰ μὴ προεξανέστημεν μικρὸν, οὐδ' ἂν ἀναλαβεῖν αὐτοὺς ἂν ἠδυνήθημεν*, cf. quoque *Iulian. in Constant.* p. 6. *Schaef.* Sic in *Lucian. Asin.* c. 13. T. 2. p. 70. *ἑαυτὸν ἑώρων ὄνον ibid.* c. 26. p. 77. *ἐγὼ δὲ ἀνέστενον αὐτόν.* Aliis in locis codd. hanc primam personam praebent; Sic in *eod. lib.* c. 13. T. 2. p. 69. pro *ἐμαυτῆς* in optimo cod. Gorl. est *ἑαυτῆς*, et c. 33. p. 82. pro *ἐμαυτὸν* in eodem libro *ἑαυτόν*, et *Pseudol.* c. 2. T. 2. p. 377. pro *ἐμαυτὸν* rursus *ἑαυτόν*. cf. quoque *Cor. ad Heliod.* T. 2. p. 45.

C. 11. p. 285. *ἡ θυγάτηρ δέ σοι ταῖς παλλακίσι τοῦ νυνὶ τυραννοῦντος ἐγκαταλεχθήσεται.* Bene *σοὶ* pro *σοῦ* e trib. codd. Schmieder recepit. Sic paulo ante *τὴν μὲν γυναῖκά σοι Μίδας ὁ δοῦλος ἕξει*, et c. 20. p. 292. *τῶν νεογνῶν μοι παιδίων*, ut ibi Schmied. e duobus codd. recepit. Pro *ἐγκαταλεχθήσεται* Schol. habet *ἐγκαταλογήσεται*, unde recipiendum fuit *ἐγκαταλεγήσεται*, quod nunc quoque cod. Par. 2954 exhibuit. Nam *λεχθήσομαι* pertinet ad *λέγω*, *dico*, *λεγήσομαι* vero ad *λέγω colligo.*

Ibid. τῶν φίλων δὲ οὐδεὶς ἀγανακτεῖ τοῖς δρωμένοις. Dativum vel nudum vel adiuncto *ἐπί* post *ἀγανακτεῖν, στέργειν* et similia illustravit *Matth. Gr. Gr.* §. 403, c. — Exempla e solo Luciano valde augeri possunt: ut, *στέργειν τινί*, *Bis accus.* c. 4. T. 2. p. 204. *ἀγαπᾶν τινι*, *Apol. pro imag.* c. 15. T. 2. p. 21. *ἄχθεσθαί τινι* et *ἐπί τινι*, *Dial. marin.* 14, 3. T. 1. p. 135. Accusativum nonnullis horum verborum additum firmat idem V. D. l. c. not. 1. Genitivum vero inveniat forsan aliquis in ipso hoc dialogo *Luciani* c. 26. p. 396. *οἱ δὲ υἱέων πρὸς ὕβριν ἀπαγομένων ἀγανακτήσαντες.* Sed *υἱέων ἀπαγ.* ibi sunt genitivi absoluti, et supple *τούτῳ*, vel *τούτοις ἀγανακτήσαντες.*

Ibid. μεγάλῃ τῇ φωνῇ ἐπιύχοντό μοι πολλὰ καὶ ἀγαθά, προαποθανεῖν ἕκαστος αἱτῶν ἕτοιμος, εἰ οἷόν τε εἶναι. Pone comma post *οἷόν τε*, nam *εἶναι* pendet ab omisso *λέγοντες*, vel *ὑπισχνούμενοι*, quod intelligendum est in *ἐπιύχοντο.* Ordo est *ἐπιυχ. μ. π. κ. ἀγ. λέγοντες ἑκ. ἑτ. εἶναι προαποθα-*

νεῖν, εἰ οἱόντε. Vix hoc monuissem, nisi vidissem Reitzium, interpunctione deceptum, contendisse, *εἰ* h. l. cum Infinitivo iungi. Quam constructionem ut assereret, affert exemplum ex vulgatis Aesopi exemplaribus, ubi in fabula, quae inscribitur *ἀλιεὺς καὶ σμαρίς*, haec verba leguntur: *ἀλλ' ἔγωγε ἄνους ἂν εἴην, εἰ τὸ ἐν χερσὶ παρεὶς κέρδος, κἂν σμικρὸν ᾖ, τὸ προσδοκώμενον, κἂν μέγα ὑπάρχῃ, ἐλπίζειν.* Sic in omnibus quidem, quas contuli, editionibus collectionis Planudeae legitur (Bas. 1524 et 1541. Antv. 1574. Genev. 1605. et Lundae 1787.) Sed soloecam orationem esse et mancam quisque facile videt. Occurrit eadem fabula, longe elegantius narrata, in collectione quam Schneider. V. D. e cod. Aug. edidit (Vratisl. 1812), ubi brevius locus hic sic effertur: *ἀλλ' ἔγωγε εὐηθέστατος ἂν εἴην, εἰ τὸ παρὸν κέρδος ἀφεὶς ἄδηλον ἐλπίδα διώκοιμι.* Ex hoc Aesopi loco itaque nullum patrocinium peti potest *τῷ εἰ* cum infinitivo constructo. Diversa prorsus ratio est in oratione obliqua, ubi non solum apodosis, ut in lingua Latina, sed etiam protasis, quae per relativum vel coniunctionem incipit, oblique effertur. Idem tamen rarissimum est in coniunctione *εἰ*, quapropter duo hic loca adscribam; alterum nostri *Luciani de merc. cond.* c. 33. T. 1. p. 319. *καὶ εἴγε μὴ πολλὰ δεηθῆναι αὐτοῦ, καὶ τὸν κεκρύφαλον ἔχοντα ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἂν συγκαθέζεσθαι.* alterum *Heliod.* 5, 21. p. 203. *καὶ γὰρ εἰ μηδέπω τῆς ὥρας εἶναι τὰ πλοῖμα, ἀλλ' ὑπάρχειν κ. τ. λ.* Eiusdem constructionis post relativum memorabile exemplum dabimus ex *Hippocr. de vet. Medic.* c. 21. T. 1. p. 25. *οὗ φημι δὴ διὰ τοῦτο δεῖν τὴν τέχνην, ὡς οὐκ ἐοῦσαν οὐδὲ καλῶς ζητεομένην τὴν ἀρχαίην ἀποβαλέσθαι, εἰ μὴ ἔχει περὶ πάντα ἀκριβίην· ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ ἀτρεκεστάτου ὁμοῦ δύνασθαι ἥκειν λογισμῷ ἐκ πολλῆς ἀγνωσίας, θαυμάζειν τὰ ἐξευρημένα.* Pro *ὁμοῦ* lege *ὅπου*, vel potius *ὅποι;* et *δύνασθαι* est pro *δύναιτο* vel *ἠδύνατο.* — Moneo tandem in fine capitis etiam interpunctionem falsam esse, *πολλά με ἀνακρίνεις. ἐμβῆναι δέον.* Pone comma post *ἀνακρίνεις*, nam sequitur *δέον*, non *δεῖ*.

C. 13. p. 287. *ΕΡΜ. ἔπου νῦν δραπέτα· δέχου τοῦτον σὺ πορθμεῦ, καὶ τὸν δεῖνα· καὶ ὅπως ἀσφαλῶς —. ΧΑΡ. ἀμέλει, πρὸς τὸν ἱστὸν δεδήσεται.* Haec verba, prius uni Mercurio adscripta, sic recte e Solani coniectura et tribus codd. distinxit Schmieder. Charon orationem Mercurii interrumpit. Sed quid sibi volunt verba *καὶ τὸν δεῖνα*? Audiamus *Herm. ad Vig.* p. 704. „Primum *ὁ δεῖνα* vocatur, cuius nomen non novimus. (iam laudat H. nostrum locum). Intelligitur sane certa persona, Cyniscus, sed

Mercurius huius nomen aeque ignorat, atque Megapenthis: id, quod patet e cap. 3 et 4." Hanc explicationem non admittendam censeo; nam quamvis prius utriusque nomen ignoravit Mercurius, tamen postea iam ea audierat, Cynisci quidem cap. 7. et Megapenthis c. 8. Praeterea de Cynisco non invito intrante haud *δέχου* dicere potuit Mercurius. Verba sine dubio corrupta sunt; multa licet hariolari, fortasse *δέχου τοῦτον σὺ, πορθμεῦ, κἆτα δεῖ αὐτίκα, ὅπως ἀσφαλῶς.* — Quae mox sequuntur verba *εἰτ' οὐ δικαίως* etc. cum Solano Cynisco sunt tribuenda. Praeterea pro *πικρὰν δ' οὖν τὴν τυραννίδα ἔξεις* legendum videtur *πικρὰν γοῦν. τ. τ. ἔξ.*

C. 15. p. 289. *μηδὲ ῥιγοῦν τοῦ χειμῶνος.* Atticum fuisset *ῥιγῶν* cf. *Buttm. Gr. Gr.* p. 259. Exemplis ab eo laudatis adde *ῥιγῶντα Eudoc. Villois. anecd.* T. 1. p. 202. *ῥιγώη Hippocr. de salubr. diaet.* c. 1. T. 1. p. 627. Idem apud Scriptores Ionicos in verbo *ἰδρόω* locum habere, observat V. D. eodem loco. Sic *ἐφιδρῶσι Hippocr. praedict.* I. 20. T. 1. p. 484. *ἰδρῶντες Hippocr. popular.* III, 3. p. 725, *ἀφιδρώοντες* id. *popular.* VII, 31. p. 855. ubi scribe *ἀφιδρῶντες.* id. *coac. praenot.* c. 1. T. 1. p. 534. *ἐφιδρώοντες* lege *ἐφιδρῶντες.* — In sequentibus pro *μηθ' ὑπὸ* bene e Ms. Oxon. Solanus reducere voluit *μηθ' ὑπὸ*, cui editores non obtemperarunt. Quae contra monuit Reitzius, merae nugae sunt.

C. 16. p. 289. 290. *ἔτι δὲ καὶ ἡ κνίσσα ἡ τῶν σκευαζομένων ἐς τὸ δεῖπνον ἀπέκναιέ με.* Alter schol. explicat *ἐφόνευέ με.* Lat. interpr. *enecabat me.* Videntur legisse *ἀπέκαινέ με.* Voces hae saepius confusae sunt, sed vulgata praestat. *Nigrin.* c. 8. T. 1. p. 18. *ὡς οὐ μετρίως με ἀποκναίεις περιάγων. Dial. mort.* 23, 1. T. 1. p. 179. *ὁ οὖν ἔρως τῆς γυναικὸς οὐ μετρίως ἀποκναίει με.* — In praecedentibus post *ἐμαχάριζον* comma ponendum erat, nam qui sequuntur accusativi non ab hoc verbo pendent, sed a praegresso *ὁρῶν*, quod et Latinus interpres secutus est. — In seqq. verba *ἑαυτὸν ἐξιππιάζων* recte schol. explicare videtur per *γαυριῶν, ὑπερηφάνως περιπατῶν.* Aliis tamen locis idem valet, quod delicatulus, remissus, qui solutam vitam amat. Sic *Herodian.* 3, 20. *ὡς δὲ ἀπηγγέλη τῷ Ἀλβίνῳ μὴ μέλλοιν ὁ Σεβῆρος, ἀλλ' ἤδη παρεσόμενος ὑπτιάζοντι καὶ τρυφῶντι. Iuvenal.* 1, 66. *et multum referens de Maecenate supino.*

C. 18. p. 291. *πλῆρες ἤδη τὸ σκάφος· αὐτοῦ περίμενε ἐς αὔριον· ἔωθέν σε διαπορθμεύσομεν.* Malim distinguere: *αὐτοῦ περίμενε ἐς αὔριον. ἔωθεν κ. τ. λ.* Nam in vulgata interpunctione praepositio *ἐς* nullum locum habere videtur.

— In fine huius capitis Micyllus, qui nando flumen traiicere studet, in scapham non receptus, *καὶ μὴν*, ait, *ἴσως ὑμῶν καὶ προκαταχθήσομαι;* ad quem locum Solanus haec: „Diu me vox haec torsit. Video tandem, quid significet. *Κατάγομαι* est *diversari, hospitio excipi;* uterque interpres aliter et intellexit et vertit.“ Imo *κατάγεσθαι* est de navibus, quae ad terram appellunt: *προκαταχθήσομαι ὑμῶν, ante vos adveniam in altera ripa.*

C. 19. p. 291. *μέμψῃ δὲ οὐδέν, ἢν εὐῆρες καὶ καρτερόν μοι ἐρετμὸν δῷς μόνον.* — Homericum epitheton *εὐῆρες ἐρετμόν.* Od. 11, 124. 128. Originem vocis quaerunt in *ἐρέσσειν*, ut sit proprie, quod ad remigandum aptum est. Sed videtur ab *ἄρειν, ἀραρίσκειν,* deduci posse, quod aptum et habile est tractanti, ut *ἀρηρὼς* et similia. Inde *Hippocr. de medic.* c. 3. T. 1. p. 46. (de instrumentis chirurgicis) *τὰ δ' ὄργανα πάντα εὐήρη πρὸς τὴν χρείαν ὑπάρχειν δεῖ τῷ* (F. *καὶ*) *μεγέθει καὶ βάρει καὶ λεπτότητι.*

C. 20. *in fine* p. 292. Micyllus sutor postquam hortante Mercurio suam quoque vicem comicis lamentationibus deplorasset, his verbis tandem cessat: *ἱκανῶς τεθρήνηται· σχεδὸν δὲ ἤδη καὶ καταπεπλεύκαμεν.* Verum aut omnia me fallunt, aut haec verba Mercurio tribuenda sunt, qui, ut incipere, ita desinere eum iubet.

C. 21. p. 293. *παίζεις, ὦ Χάρων, ἢ καθ' ὕδατός, φασιν, ἤδη γράφεις, παρὰ Μικύλλου ἤδη τινὰ ὀβολὸν προσδοκῶν.* In hoc loco *ἤδη* non solum repetitum offendit, verum neutrubi aptum est. Dudum iam suspicionem foveram, hoc *ἤδη* alicubi excidisse, et margini codicis allitum varias sedes occupasse; at quamnam divinare non poteram. Nunc video optimum codicem Gorl. in Charontis responsione (*ὦ καλῆς ναυτιλίας καὶ ἐπικερδοῦς τήμερον· ἀποβαίνετε δ' ὅμως· ἐγὼ δὲ ἵππους καὶ βοῦς καὶ κύνας καὶ τὰ λοιπὰ ζῶια μέτειμι διαπλεῦσαι γὰρ κἀκεῖνα δεῖ*) tertium *ἤδη* post *διαπλεῦσαι γὰρ* insercre. Delendum itaque videtur in duobus prioribus locis, quos male occupavit; et post *γὰρ* e Cod. Gorl. restituendum; ibi enim vim loci egregie auget.

C. 23. p. 294. *ὦ Ῥαδάμανθυ, πρὸς τοῦ πατρὸς, ἐμὲ πρῶτον ἐπίσκεψαι παραγαγών.* Rhadamanthus, qui iudex sedet, non *παράγει* eos, de quibus iudicium ferendum est. Hoc potius foret Mercurii. Forsan scribas *παραλαβών.*

C. 24. p. 295. *ποῦ γὰρ ἐγὼ στιγματίας ἐγενόμην;* Scribe *ποῦ γὰρ ἂν ἐγὼ κ. τ. λ.* Nam *ποῦ ἐγενόμην,* est, *ubi factus sum, ποῦ ἂν ἐγενόμην, ubi factus essem.* Illud est concedentis, hoc vero negantis. Negare vero Cyniscum, sibi notas inustas fuisse, monstrat ipsa particula *γὰρ,* quam notissimum est in respondendo sic elliptice poni, ut is,

qui respondet, aliquid taceat, cuius tamen causam addit. Sic h. l. cum Rhadamanthus Cyniscum exui iussisset, et nudum adstare, quo notas ei inustas inspiceret, Cyniscus respondet: nescio, quas tu notas inspicere vis; *nam* ubi eae mihi inustae essent? — Explicat iam Rhadamanthus, quas intelligat notas *ὁπόσα ἄν τις ὑμῶν πονηρὰ ἐργάσηται παρὰ τὸν βίον, καθ' ἕκαστον αὐτῶν ἀφανῆ στίγματα ἐπὶ τῆς ψυχῆς περιφέρει*, ubi quaenam vocat *ἀφανῆ στίγματα*? Quodcunque facinus aliquis patrat, in animo relinquit *στίγμα* sive notam inustam; sed id *στίγμα* non est *ἀφανές*, visum effugiens; *φαίνεται* semper, sed in leviori peccato *ἀμαυρόν ἐστι καὶ ἀσαφές* (quae voces mox de eodem occurrunt) in atrociori vero nota prorsus caerulea et livida apparet. (cf. c. 28.) Talem *ψυχὴν Plato in Gorg.* c. 61. e quo fonte Lucianum hoc figmentum hausisse interpretes iam annotarunt, *διαμεμαστιγωμένην καὶ οὐλῶν μεστὴν* vocat. Quid, quod ipse noster Cyniscus, antequam philosophiam amplecteretur, *πονηρὸς* et propterea multa nactus *στίγματα*, mox philosophiae ope ea omnia paulatim ex animo eluit, sed tamen ita, ut Rhadamanthus adspiceret *ἴχνη καὶ σημεῖα τῶν ἐγκαυμάτων ἐξαληλιμμένα ἢ μᾶλλον ἐκκεκομμένα*. Haec sane *ἐγκαύματα* sive *στίγματα* neutiquam *ἀφανῆ* initio fuisse credenda sunt. Vox sine dubio corrupta videtur; quod neminem interpretum animadvertisse miror, ni forsan excipias Wielandium, qui uno vocabulo addito, vertit *eine fast unmerkliche Brandnarbe*, quod tamen et ipsum nondum satisfacit. Varia conieci, ut *αἰθαλῆ στίγματα*, sed nihil mihi placet; locum aliis felicioribus emendandum relinquo *). — In verbis proxime sequentibus *ὥστε ἀναζήτει ταῦτα, ἅπερ σὺ φῂς τὰ στίγματα*, posses interpungere *ταῦτα, ἅπερ σὺ φῂς, τὰ στίγματα*, ut *ταῦτα τὰ στίγματα* coniungantur, non *ἅπερ τὰ στίγματα*. Sed bene se habet relativum, addito articulo, quamvis rariuscule eiusmodi nexus verborum reperiatur. *Soph. Antig.* v. 403.

ταύτην γ' ἰδὼν θάπτουσαν, ὃν σὺ τὸν νεκρὸν
ἀπεῖπας.

ubi, quod Bothius edidit, *οὗ σὺ τὸν νεκρὸν*, et ego olim conieceram, sed nunc nihil muto. **) „Amant Graeci cum pronomine relativo iungere nomen, quod in altero membro poni debebat. Vid. *Herm. ad Vig.* p. 712, 35. *Heind. ad Plat. Gorg.* p. 121. *Matth. Gr. Gr.* §. 474." Verba sunt *Erfurdtii in ed. sec. huius dramatis*. Sed haec non

*) An διαφανῆ vel οὐκ ἀφανῆ, ut negatio saepe excidit?
GRAEFF.

**) Mire quoque dictum foret, sepelio *eum*, *cuius cadaver* sepelire interdictum est.

prorsus huc pertinent. Nam quin pro *οὗτός ἐστιν ὁ ἀνὴρ, ὃν εἶδον* saepissime dicatur, *οὗτός ἐστιν, ὃν εἶδον ἄνδρα*, nemo dubitabit; verum quaeritur, utrum quoque dici possit *ὃν εἶδον τὸν ἄνδρα*. ***Herm. ad Vig.*** l. l. nullum eiusmodi exemplum laudat, nec ***Fisch. ad Well.*** T. 3, 1. p. 340, quem Herm. citat. Matthiae l. l. nostrum Sophoclis locum affert et e Platone duos, *Polit.* p. 29. *Rep.* I. p. 61., qui non sunt ad manus. Sed ne quis dubitet, multa ex solo Platone congessit ***Heind.*** l. c. atque attulit iam Schol. Sophocl. locum Cratini:

ὃν περ Φιλοκλέης τὸν λόγον διέφθορεν.

et praeter locum Luciani nunc allatum vide quoque ***Lucian. de merc. cond.*** c. 25. T. 1. p. 314. *ὧν μὲν γὰρ ἕνεκα τῶν μαθημάτων ἐπιθυμεῖν φήσας παρείληφέ σε.* ***Hermotim.*** c. 20. T. 1. p. 352. *πῶς οὖν οἷόν τέ σοι ἦν, ἀφ' ὧν ἔφησθα ἐκείνων τῶν γνωρισμάτων διορᾶν τὸν ὀρθῶς φιλοσοφοῦντα ἢ μή;*

ibid. *οὐκ οἶδα δὲ ὅπως ἐξαλήλειπται.* ***Piscat.*** c. 36. T. 1. p. 266. *καὶ τὰ βιβλία ἐξαλήλειπται.* Sed utroque loco rescribendum est *ἐξαλήλιπται*, quae sola proba est huius perfecti forma; ut *Lucian. Alex.* c. 30. T. 1. p. 533. *ἀλῆλιμμένον* ***Apol. pro imagin.*** c. 26. T. 2. p. 27. *ἐξαλήλιφθω*, ubi in uno codice idem vitium *ἐξαλήλειφθω* reperitur. Reduplicatione attica abiecta *Theodorus Prod.* ultimae Graecitatis auctor, p. 242. habet *ἐξηλειμμένους*. [Plura dabit *Lobeck. ad Phryn.* p. 32. 33., unde patet, recentiores a forma *ἤλειμμαι* non abstinuisse. Cf. *Galen. de potest. Simpl.* l. 2. p. 26, 8. *ed. Bas.* (alium locum e libro primo laudat Lobeck, quem ex alia editione citatum nunc conferre non vacat) praeterea *Vers. LXX. Numer.* 3, 3. *Lact.* 4, 7, 7. ubi ipse codex Regiomontanus vitiosam scripturam *ἠλιμμένος*, pluribus exemplis a Lobeckio adstructam. praebet. Alio modo corruptum est, quod habet *Schol. Luc. Iov. trag.* c. 36. T. 2. p. 134. *συναλιμμένον*, ubi bene Cod. G. *συναληλιμμένον*.]

ibid. *ἀγαθῷ γε, οὗτος, καὶ ἀνυσιμωτάτῳ χρησάμενος τῷ φαρμάκῳ·* — Exclamationem *οὗτος* hic nullum locum habere, facile largietur, quisquis usum eius perspexit; lego ex duobus codd. *οὕτως* sc. *ὅτι φιλοσοφεῖν ἤρξω.*

C. 25. p. 296. *Μεγαπένθης ὁ Λακύδου ἡκέτω.* Articulum addidit Schmieder e duobus codd. Male. Nam in foro et negotiis civilibus articulus ante genitivum nominis patris omitti solet. Cf. *Herm. ad Vig.* p. 701. ***Matth. Gr. Gr.*** §. 273.

C. 26. p. 296. *ἐπεὶ δὲ τοὺς θρασυτάτους κ. τ. λ.* Legendum *ἐπειδὴ δὲ* etc. quod nulla probatione eget. [Mini-

me necessarium est.] — Mox in verbis *ῥᾴδιον γοῦν ἄν τις τὸν ἥλιον ἢ τοῦτον ἀσκαρδαμυκτὶ προσέβλεψεν* sine dubio rescribendum est *ῥᾷον*. Idem vitium in eadem voce commissum Platoni abstersit *Heind. ad Phaed.* c. 41.

C. 27. p. 297. *πλὴν ἀλλὰ ἐθεασάμην γε πολλὰ καὶ ἄῤῥητα καὶ πᾶσαν ὕβριν ὑπερπεπαικότα.* Pro postrema voce in nonnullis codd. *ὑπερβεβηκότα* legitur, quod ex rarioris vocis interpretatione natum esse, iam Reitzius vidit; qui addit, *Stephanum in Thesauro* hoc verbum *ὑπερπαίειν* duabus aliis auctoritatibus probare. Stephanum evolvere non licet: verum cf. *Lucian. abdicat.* c. 15. T. 1. p. 496. *μάλιστα εἰ τηλικαύτη τις ἡ εὐεργεσία τυγχάνοι, ὡς πάντα ὑπερπαίειν τὰ μετὰ ταῦτα*, ubi *ὑπερβαίνειν* in uno cod. *Imagin.* c. 9. T. 2. p. 8. *μέγα τι θαῦμα καὶ θέαμα, πᾶσαν τὴν ἀνθρωπίνην εὐμορφίαν ὑπερπεπαικός. Heliod.* 7, 9. p. 269. *τότε δὲ πλέον ὑπὸ θεᾶς ἀμάχου τῆς Θεαγένους καὶ τὰς ποτε εἰς πεῖραν ἐλθούσας ὄψεις ὑπερπαιούσης ἀνακαόμενον.* Ceterum obiter moneo, in *eodem cap. imagin.* paulo ante male legi, *ὑπεφαίνοντο (οἱ ὀδόντες) γοῦν αὐτὸ δὴ τῷ τοῦ Ὁμήρου ἐλέφαντι τῷ πριστῷ ὅμοιοι*, lege *ὑπεφαίνοντο γοῦν, αὐτὸ δὴ τὸ τοῦ Ὁμήρου, ἐλέφαντι τῷ* (haec vox forsan eiicienda) *πριστῷ ὅμοιοι.* cf. Matth. Gr. Gr. §. 283. *Luc. Nigrin.* c. 6. T. 1. p. 18.

C. 28. p. 297. *τίνα ἂν κολασθείη τρόπον.* Sic pro *τίνα οὖν κολ.* bene Schmieder e duob. codd. Nam hoc sine *ἄν* soloecum est; verum praestat forsan *τίνα οὖν ἄν.* Contrarium vitium insidet *Nigrin.* c. 10. T. 1. p. 19. ubi in verbis *οὐδὲν ἄν οὖν αὐτῶν ἔτι σοι δεῖ πρὸς ἐμὲ* sine dubio vocula *ἄν* delenda est. At in *Hippocr. de glandul.* c. 14. T. 1. p. 416. pro *ὥςτε ὅτι οὖν ἀποκερδάνουσιν ἀπὸ τῶν ὀχετῶν, τοῦτο ἔλκουσι πρὸς σφέας*, leg. *ὅ, τι ἂν ἀποκ.* — Mox pro *εἰ θέλοις* ex uno cod. et editione pr. scribendum est *εἰ θέλεις.* Nam ubi haec verba urbanitatis causa ita interponuntur, Graeci semper indicativo usi sunt, *εἰ θέλεις, εἰ βούλει*, non optativo, *εἰ θέλοις* sive *βούλοιο.* — In fine tandem huius dialogi pro *κατὰ τὸν βίον* scribam cum cod. Par. *παρὰ τὸν βίον* ut cap. 23 et 24.

III. IN VARIOS LUCIANI LOCOS.

Ad eum qui dixerat, etc. c. 1. T. 1. p. 11. *καὶ τοῦτο ἐκ τοῦ Προμηθέως ἂν εἴη, πλὴν εἰ μὴ διαλλάττοιτε, ὅτι μηδ' ἐκ πηλοῦ πλάττετε, ἀλλὰ χρυσᾶ ὑμῖν τοῖς πολλοῖς τὰ πλάσματα.* „Scribo *ὅτι μὴ ἐκ πηλοῦ*, nihil enim iuvat otiosum illud *δ'*." *Hemsterh. Μηδὲ* hic non tolerari posse, certum est. Sed scribam potius *ὅτι μηδὲν πηλοῦ πλάττετε.* Vulgata originem debet indocto librario, qui genitivum in *πηλοῦ πλάττειν* non intellexit. Sic *Luc. Nigrin.* c. 2. T. 1. p.

16. 17. σφαῖρα καλάμου πεποιημένη, ubi mire turbant interpretes. Matth. Gr. Gr. §. 375, 2. — Mox in fine cap sec. pro καὶ μικρόν τις λίθον ἐμβαλὼν συντρίψειεν ἅπαντα necessario legendum est κἂν μικρόν etc. Hoc ἄν pertinet ad συντρίψειεν, et ἐμβαλών pro εἰ ἐμβάλοι positum est. Saepissime ita in libris veterum turbatum est, praecipue quoque in Luciano. Sic statim in. cap. seq. scribe καίτοι φαίη ἄν (quae vox in editis deest) τις παραμυθούμενος, οὐ ταῦτα εἰκάσαι τῷ Προμηθεῖ, ἀλλὰ τὸ καινουργὸν τοῦτο ἐπαινῶν, καὶ μὴ πρός τι ἄλλο ἀρχέτυπον μεμιμημένον; in quo loco nunc demum video id, quod margini editionis meae alleveram, ἐπαινεῖν iam a Benedicto occupatum fuisse; coniecturam non absurdam vocat Hemsterh.; ipse tamen duas alias proponit, οὐ ταῦτα εἴκασέ σε, aut τοῦτο ἐπαινεῖ, quarum neutra applausum facile feret. Sed nulla mutatione opus est, cum ἐπαινῶν bene se habeat. Constructio aliquantulum impeditior est, at vere attica: καίτοι φαίη ἄν τις παραμ., οὐ ταῦτα (in his) εἰκάσαι τῷ Προμ. ἀλλὰ διὰ τοῦ καινουργοῦ; pro hoc, constructione paullulum variata, est, ἀλλὰ ἐπαινῶν τὸ καινουργόν. Vertas forsan lingua vernacula: allein es könnte jemand noch zu meiner Beruhigung behaupten, nicht hierin mich dem Prometheus verglichen zu haben, sondern weil er die Neuheit der Erfindung lobe etc. Volunt forsan Hemsterhus. εἴκασά σε, quod tamen et ipsum vulgatae non praeferam. — Ceterum ut in viam redeamus, nos h. l. ἄν recte inseruisse, monstrant quae statim sequuntur verba ὃ μὲν ταῦτα ἂν εἴποι, quae verba repetitionem continent eorum, quae initio capitis dixerat, καίτοι φαίη ἄν τις. — Paulo ante leguntur verba ὥςπερ ἐκεῖνος (sc. Prometheus) οὐκ ὄντων ἀνθρώπων, τέως ἐννοήσας αὐτοὺς ἀνέπλασε· eandem interpunctionem in ed. Bip. reperi; dudum est, quod οὐκ ὄντων ἀνθρώπων τέως iungendum censui. Nunc aut omnia me fallunt, aut eadem Hemsterhusii fuit sententia, cui, quantum ex ed. Bip. auguror, cum Amstel. non ad manum sit, operae non paruerunt. — Cap. 5. p. 13. οἱ δὲ ἄνθρωποι τὸν χαλινὸν ἔτι αὐτῆς θαυμάζωσι, καὶ τὴν ἁλουργίδα. Lego τὸν χαλινὸν ἐπ' αὐτῆς θαυμάζωσι. Saltem quid ἔτι sibi velit nescio, in antecedentibus erat quoque ἁλουργίδι ἐπέστρωτο.

Nigrin. c. 11. T. 1. p. 19. 20. καὶ ταῦτα μέν, ἃ σὺ διῆλθες, ἐβουλόμην ἂν εἰρῆσθαί μοι· κἀκεῖνα δέ, ὅτι γε οὐχ ἑξῆς οὐδὲ ὡς ἐκεῖνος ἔλεγε, ῥῄσίν τινα περὶ πάντων ἐρῶ, (πάνυ γὰρ τοῦθ' ἡμῖν ἀδύνατον) οὐδ' αὖ ἐκείνῳ πειθεὶς τοὺς λόγους, μὴ καὶ κατ' ἄλλο τι γένωμαι τοῖς ὑποκριταῖς ἐκείνοις ὅμοιος, οἳ πολλάκις ἢ Ἀγαμέμνονος, ἢ Κρέοντος ἢ καὶ Ἡρακλέους αὐτοῦ πρόσωπον ἀνειληφότες κ. τ. λ. In his verbis vide ne una vocula amplius dederit Lucianus μὴ καὶ κατ' ἄλλο τι

ἔτι γέγωμαι etc. Illud ἔτι, ***praeterea***, eo refertur, quod iam c. 9. p. 19. se ὑποκριτῇ et ἀγγέλῳ τραγικῷ simlem dixerat. [nisi hoc ἔτι in καὶ iam latere suspiceris.] Nullum vero vitiorum genus frequentius est in scriptis veterum, quam ubi propter similitudinem vocis vel praecedentis vel sequentis aliquid a librariis omissum est, ut hic ἔτι propter praecedens τί; cuiusmodi loca quaedam hic addere libet. ***Lucian. de merc. cond.*** c. 17. T. 1. p. 309. 310. εὐθὺς οὖν καὶ τοιοῦτός τις περὶ σοῦ λόγος ἐν αὐτοῖς· Τοῦτο ἡμῖν πρὸς τοῖς ἄλλοις δεινοῖς ἐλείπετο, καὶ τῶν ἄρτι ἐξεληλυθότων ἐς τὴν οἰκίαν δευτέρους εἶναι. Noli dubitare, quin legendum sit, ἐλείπετο τὸ καὶ τῶν etc. τὸ δευτέρους εἶναι est appositio vocis τοῦτο. ***Scyth.*** c. 7. T. 1. p. 407. 408. καὶ ὅπερ σοι ἔφην μικρὸν ἔμπροσθεν, ὦ Ἀνάχαρσι, πάντα ἑώρακας ἤδη Σόλωνα ἰδών· τοῦτο αἱ Ἀθῆναι· τοῦτο ἡ Ἑλλάς· οὐκ ἔτι ξένος, σύμπαντές σε ἴσασι, πάντες σε φιλοῦσι. Lege: οὐκ ἔτι ξένος σύ· σύμπαντές σε ἴσασι, vel, quod magis etiam placet, propter sequens πάντες, scribe ξένος σύ, πάντες etc. ***Ver. hist.*** 2, 27. T. 1. p. 469. ὁ δὲ ἔφασκεν ἀφίξεσθαι μὲν ἐς τὴν πατρίδα· lege: ἀφίξεσθαι μέν με etc. μὲ non potest deesse; nam ἔφασκεν ἀφίξεσθαι est ***spopondit, se venturum.*** — ***Asin.*** c. 30. T. 2. p. 80. εἰ δέ ποτε οἷα κάμνων καὶ ἀχθοφορῶν καταπέσοιμι, τότε δὴ τὸ δεινὸν ἀφόρητον ἦν· οὐ γὰρ ἦν καταβὰς τοῦ χεῖρά μοι ἐπιδοῦναι, κἀμὲ χαμόθεν ἐπεγείρειν, καὶ τὸ φορτίον ἀφελεῖν. In loco hoc corrupto quid alii moliti sint, longum foret enarrare. Mihi corrigendum videtur, οὐ γὰρ παρῆν καταβὰς τοῦ χεῖρά μοι ἐπιδοῦναι etc. ***Non enim adfuit mihi descendens, ut manu me allevaret.*** Genitivus τοῦ ἐπιδοῦναι positus est ut apud ***Demosth. de coron.*** c. 31. p. 280. ***Harl.*** ἄραγε μικρὰ βοηθῆσαι τοῖς πένησιν ὑμῶν δοκῶ; ἢ μικρὰ ἀναλῶσαι ἄν, τοῦ μὴ τὰ δίκαια ποιεῖν, οἱ πλούσιοι; Ceterum quae statim in eodem Luc. loco (***asin.*** c. 30.) sequuntur, corrupta et interpolata videntur. — ***De morte Peregr.*** c. 3. T. 2. p. 482. ἐγὼ δ' ἐπεὶ τάχιστα εἰς τὴν Ἦλιν ἀφικόμην διὰ τοῦ γυμνασίου αὐτῶν, ἐπήκουον ἅμα Κυνικοῦ τινος etc. lege διὰ τοῦ γυμνασίου αὐτῶν ἰών, ἐπήκουον etc. ***Xenoph. Hellen.*** 2, 3, 10. τῶν δὲ φρουρῶν τούτου ξυμπέμποντος αὐτοῖς. Credo Xenophontem dedisse ἀεὶ αὐτοῖς. ***Hippocr. de morb.*** 1, 4. T. 2. p. 5. ὁ μέντοι καιρός ἐστιν, ἐπὴν πάθῃ τούτων ὁ ἄνθρωπος ὅ, τι ἦν τις πρὸ τοῦ τὴν ψυχὴν μεθιέναι ὠφεληθῇ. Hippocrates scripsit ὅ, τι ἂν ᾖ, ἤν τις etc. id. ***de humor.*** c. 3. T. 1. p. 318. ἰδρὼς ἐκ φυμάτων, ἐκ τραυμάτων, ἐξανθημάτων, lege ἐξ ἐξανθημάτων. ***Heliod. Aeth.*** 1, 9. p. 15. κἀγὼ προσῆμην, τῶν μὲν ὄντων οὐδὲν ὑποπτεύων, ὅτι δὲ μητρῴαν ἐπιδείκνυται περὶ ἐμὲ θαυμάζων διάθεσιν. Vix dubito, Helio-

dorum dedisse ὅτι δὲ μητρυιὰ μητρῴαν ἐπιδείκνυται etc. cf. *eund.* c. 14. p. 24. ἐπήνουν, εἰ μητρὸς ἡ μητρυιὰ πάθος ἐπιδείκνυται — *idem* 1, 29. p. 46. οὐ γὰρ ἐπὶ ῥητοῖς ποτε λῃστρικὸς ἔληξε πόλεμος, οὐδὲ ἔνσπονδον ἔσχε τὴν τελευτὴν, ἀλλ' ἢ περιεῖναι κρατοῦντας ἢ τεθνάναι τοὺς ἁλόντας ἀναγκαῖον. lege ἢ τεθνάναι αὐτοὺς ἁλόντας ἀναγκαῖον. Primam in αὐτοὺς ultima in τεθνάναι absorpsit. *Id.* 6, 3. p. 228. ταῦτα μὲν ἐκείνη, ἔφη, χλεύην ἐμὲ συνήθως καὶ τὰ ἐμὰ πεποίηται, rectius videtur ἔφη, ἢ χλεύην etc. — Graviori vulnere alius *Heliodori* locus laborat 1, 10. p. 16. ὁ θαυμαστός, φησι, καὶ εἰς ἐμὲ νεανίας· lego καὶ ἀεὶ σεμνὸς νεανίας, ubi α a praecedenti καὶ, et νος compendio scriptum a prima litera vocis νεανίας absorptum est. Ceterum ut ad locum Nigrini redeamus, unde oratio deflexit, verba ea, quae in fine leguntur, οἱ πολλάκις ἢ Ἀγαμέμνονες ἢ Κρέοντος ἢ καὶ Ἡρακλέους αὐτοῦ πρόσωπον ἀνειληφότες etc. monstrant medicinam, quae alii Luc. loco adhibenda est. *Piscat.* c. 33. T. 1. p. 265. εἴ τις (sic quoque pro ἤν τις rescribendum) ὑποκριτὴς Ἀθηνᾶν ἢ Ποσειδῶνα ἢ τὸν Δία ὑποδεδυκὼς μὴ καλῶς ὑποκρίνοιτο; ubi quis non miretur articulum? scribe ἢ καὶ Δία. Hoc καὶ **adeo** auget, propterea ante Herculis et Iovis nomen adiectum est. [Imo pro ἢ τὸν Δία scribendum est ἢ αὐτὸν τὸν Δία. Sic *apol. pro merc. cond.* c. 5. T. 1. p. 326. οἳ ἐπὶ μὲν τῆς σκηνῆς Ἀγαμέμνων ἕκαστος αὐτῶν ἢ Κρέων ἢ αὐτὸς Ἡρακλῆς εἰσιν, ubi Schäfer mel. crit. p. 37 malit αὐτοηρακλῆς. Sed in ipso nostro loco ἢ καὶ Ἡρακλέους αὐτοῦ nihil aliud est, quam ἢ αὐτοῦ Ἡρακλέους.]

Nigrin. c. 37. T. 1. p. 29. ὅστις δὲ ἀγαθὸς τοξότης, καὶ τούτῳ ὅμοιος, πρῶτον μὲν ἀκριβῶς ὄψεται τὸν σκοπόν etc. Narraverat antea c. 35. Lucianus, quomodo finita Nigrini oratione affectus fuisset: non summam cutem eum strinxisse, sed altius penetrantem letale vulnus inflixisse animo. Hinc occasione arrepta, pulcerrimam comparationem c. 36. instituit oratorum cum τοξόταις, quibus animus humanus scopus sit. Duo horum τοξοτῶν sive iaculatorum genera in eodem cap. recenset, quae ambo improbanda sint, quia partim nervos nimis intendant, partim nimis laxo arcu utantur. Iam c. 37. tertium genus bonorum iaculatorum subiungit, quorum officia recenset, incipiens iis verbis, quae supra apposuimus, in quibus de voce τούτῳ suspicio mihi oborta est. Referunt omnes ad Nigrinum, cuius tamen mentio nimis longo intervallo praecessit, quapropter omnes, quos consulere licuit interpretes, aut vocem immutarunt vertendo, aut aliquid addiderunt: interpr. Lat. *atque huic nostro similis.* Belinus, *tel que mon philosophe,* Wielandius, *wie der un-*

srige, qui omnes ita vertentes tacite confessi sunt, voci τουτῳ aliquid ad integritatem sententiae deesse. Sed ni fallor longe alia Luciani manus fuit. Scribo enim ὅστις δὲ ἀγαθὸς τοξότης καὶ Τεύκρῳ ὅμοιος etc. Ad eum enim Lucianum respexisse monstrat versus *Iliad.* 8, 282. qui statim citatur,

βάλλ' οὕτως, αἴ κέν τι φόως Ἀνδρεσσι γένηαι,

monstrant porro verba ἀκριβῶς ὄψεται τὸν σκοπόν, in quibus ad vocem παπτήνας *Iliad.* 8, 269 alludit; quid quod iam c. 6. p. 18. in verbis τοῦτο γάρ τοι, τὸ τοῦ Ὁμήρου, σπεύδοντα καὶ αὐτὸν παρακαλεῖς eundem Il. locum v. 292 in animo habuit? Ad coniecturam nostram firmandam nonnihil quoque valet *Hermot.* c. 28. T. 1. p. 357. οὐθ' αἱτιασαίμεθ' ἂν εὐλόγως τὴν τύχην, εἰ τοξεύουσα καὶ ἀκοντίζουσα μὴ πάντως ἔτυχε τοῦ ἀληθοῦς, ἑνὸς ὄντος ἐν μυρίοις τοῖς ψεύδεσιν, ὅπερ οὐδὲ τῷ Ὁμηρικῷ τοξότῃ ὑπῆρξεν· ὃς δέον τὴν πειλιάδα κατατοξεῦσαι, ὁ δὲ τὴν μήρινθον ἔτεμεν, ὁ Τεῦκρος οἶμαι. Vides iterum Teucrum ut bonum iaculatorem ad partes vocatum, quamvis ibi ad *Hom. Iliad.* 23, 850-882 respicit.

Iudic. vocal. c. 2. T. 1. p. 31. τοῖς γὰρ προπεπραγμένοις ἀεί τι μεῖζον προστιθὲν ἄρθην με τῆς οἰκείας ἀποθλίψει χώρας, ὡς ὀλίγου δεῖν ἡσυχίαν ἀγαγόντα μηδὲ ἐν γράμμασιν ἀριθμεῖσθαι, ἐν ἴσῳ δὲ κεῖσθαι τοῦ φόβου. Loquitur litera Σ de *T* querens. Ultimas duas voces corruptas facile quivis cum Solano et Hemsterh. agnoscet. Correctiones eorum non probo. Timet litera Σ, ne mox prorsus a *T* expulsa ne literis quidem amplius annumeretur, i. e. e literarum numero prorsus exulet. Iam forsan scribendum ἐν ἴσῳ δὲ κεῖσθαι τῷ F. Timet, ne digammatis sortem experiatur, quod et ipsum quam antiquitus inter literas habuit sedem amisit. Hoc digamma cum a nonnullis per φ, ab aliis per β, ab aliis rursus per ου exprimeretur, ut notissimum est, ex his literis tandem iunctis librarii φόβου effecerunt. Simillimum est, quod in mscr. quodam *Typhonis* φουάναξ, et φουέλενα legitur, conflata scriptura ex φάναξ et οὐάναξ, atque φέλενα et οὐέλενα, qua ratione librarii: *Φάναξ* et *Φέλενα* repraesentarunt. cf. *the british Critic. for June* 1806. p. 661.

Tim. c. 8. T. 1. p. 39. οἱ δὲ τὰ ὀστᾶ γυμνώσαντες ἀκριβῶς καὶ περιτραγόντες, εἴ τις καὶ μυελὸς ἐνῆν, ἐκμυζήσαντες καὶ τοῦτον εὖ μάλα ἐπιμελῶς, ᾤχοντο etc. Levem absterge maculam, legendo εἰ δέ τις, quod Graeca consuetudo omnino postulare videtur. — Mox cap. 12. p. 41. in verbis ἠγαπάτωσαν ἄθλιοι τέτταρας ὀβολοὺς ἀποφέροντες, οἱ δεκαταλάντους δωρεὰς ἀμελητὶ προϊέμενοι legendum videtur προει-

μένοι vel προέμενοι; nam ii, qui *antea* divites magnas opes temere profuderunt, nunc contenti sunto quatuor obolis acceptis. Sic in *Demosth. de cor.* c. 21. p. 176. Harl. pro προϊέμενον legendum videtur προειμένον, vel προέμενον.

Ibid. c. 15. T. 1. p. 42. τούς τε αὖ κατάκλειστον ἐν θύραις καὶ σκότῳ φυλάττοντας, ὅπως αὐτοῖς παχύτερος γενοίμην καὶ πιμελὴς καὶ ὑπέρογκος ἐπιμελουμένους, οὔτε προσαπτομένους αὐτοὺς οὔτε ἐς τὸ φῶς προάγοντας, ὡς μηδὲ ὀφθείην πρός τινος, ἀνοήτους ἐνόμιζον εἶναι καὶ ὑβριστὰς, καὶ οὐδὲν ἀδικοῦντά με ὑπὸ τοσούτοις δεσμοῖς κατασήποντας. Particulam καὶ ante οὐδὲν ἀδικοῦντα pessime Schmieder ex uno cod. in textum recepit, quae aut prorsus deesse debet, aut, quod malim, in τὸν mutanda est, de qua confusione articuli cum καὶ iam bis exempla protulimus. De articulo hoc in appositione cf. Matth. Gr. Gr. §. 274.

Halcyon. c. 7. T. 1. p. 65. Σοὶ μὲν οὖν καὶ ἐμοὶ καὶ ἄλλοις πολλοῖς τοιούτοις οὖσι, πόλλ' ἄττ' ἀδύνατα τῶν ἑτέροις πάνυ ῥᾳδίων. ἐπεὶ καὶ αὐλῆσαι τοῖς ἀναύλοις, καὶ ἀναγνῶσαι ἢ γράψαι τοῖς ἀγραμμάτοις γραμματικὸν τρόπον, ἀδυνατώτερόν ἐστι τέως, ἕως ἂν ὦσιν ἀνεπιστήμονες, τοῦ ποιῆσαι γυναῖκας ἐξ ὀρνίθων ἢ ὄρνιθας ἐκ γυναικῶν. In h. l. pro ἀναγνῶσαι legendum esse ἀναγνῶναι, iam, ut video, Hemsterhusius occupavit. Sed videamus praeterea sententiam totius ῥήσεως. Multa, inquit Socrates, sibi videri ἀδύνατα sive impossibilia, quae ab aliis perfacilia habeantur. Sic tibiis canere, legere aut scribere, *impossibilia* sunt iis, qui id non didicerunt; *aeque impossibilia*, ac feminas ex avibus, aut aves ex feminis facere. Si ita procederet oratio, nemo offenderet. Verum non dixit illa tria, canere, legere, et scribere imperitis *aeque* impossibilia esse, ac feminas ex avibus facere, sed *magis etiam* impossibilia, quod quo sensu dictum sit, haud assequor. Lego οὐ δυνατώτερον, *non magis possibile* i. e. *aeque impossibile*. — Sensit hoc vitium solus noster Wielandius, in scriptorem tamen ipsum culpam transferens, non in librarium. [Haec, quae olim commentatus sum, verissima esse, negari nequit. Atque facilis sane in codicibus permutatio est syllabarum ου et α. Sed tamen nunc fere Wielandio assentiri velim. Nam, aut multum fallor, aut similes locos alibi quoque legi, quos tamen in schedis iam frustra quaesivi. Facile enim fieri potuit, ut, cum ἀδύνατον sit idem quod οὐ δυνατόν, ἀδυνατώτερον quoque diceretur pro οὐ δυνατώτερον, magno quamvis discrimine intercedente. In ἀδυνατώτερον enim Comparativus maiorem impossibilitatis gradum significat; in οὐ δυνατώτερον negat tantum, maiorem possibilitatis (liceat barbare hic loqui) gradum inesse. Sic quae

res ***non certior*** alia est, multum tamen abest, ut sit ***incertior.*** Tamen rem ***non certam*** et rem ***incertam*** promiscue dicimus.]

Prometh. c. 1. T. 1. p. 67. *ἐκπεταθεὶς τοὐ χεῖρε.* lege *ἐκπετασθεὶς*, nam illa forma ne Graeca quidem est.

Dialog. Deor. 5, 3. T. 1. p. 82. *οὐκέτι μέμψῃ μοι, ποτιμότερον τοῦ νέκταρος οἰομένοι τὸ φίλημα εἶναι.* Scriptum antea erat *προτιμότερον*; ex uno vero cod. et Wyttenbachii coniectura *ποτιμότερον* editum. Debebat saltem esse *ποτιμώτερον*, cuiusmodi vitia etiamnum plurima editiones veterum obsident. cf. ***Schaef. melet. crit.*** p. 9. Sic male scriptum est *ἀφθονοτέραν* apud nostr. ***in Lapith.*** c. 13. T. 2. p. 541, et *ἱρώτατον* ***de D. Syr.*** c. 54. T. 2. p. 578, quamvis in eod. libr. c. 10. p. 560. *ἱροτέρη* recte scriptum occurrat. ***Hippocr. de princip.*** 5. T. 1. p. 114. et ***de natur. puer.*** c. 15. T. 1. p. 144. *πιώτατον*, quamvis melior scriptura saepius inveniatur, ut p. 125, 147 etc.

Ibid. 6, 5. T. 1. p. 86. *πόνον ἄπαυστον ἔξει δίκην δεδοὺς οὐ τοῦ ἔρωτος (οὐ γὰρ δεῖ δεινὸν τοὐτόγε) ἀλλὰ τῆς μεγαλαυχίας.* Sic optime ex uno cod. Paris. edita sunt haec verba, de quibus sanandis Hemsterhusius desperasse videtur. Unum illud *δεῖ* ante *δεινὸν* male me habet, quod delendum videtur. *Τοὐπόγε* refertur ad *ἐρᾶν*, quod non *δεινὸν* a Iove dicitur, i. e. quod nullam per se poenam mereatur. Nam *δεινὸν* adhiberi de delictis, quae puienda sint, notissimum est. ***Prometh.*** c. 3. T. 1. p. 67. *οἷα πέπονθα ὁ κακοδαίμων, οὐδὲν δεινὸν εἰργασμένος.* — Ceterum hoc *δεῖ* male iteratum est ex prima sequentis vocis *δεινὸν* syllaba, quod satis frequens in libris veterum est vitium. Sic ***Amor.*** c. 19. T. 1. p. 619. *ἐπεὶ δ' ἦν ἄπορον ἐξ ἑνός τι γεννᾶσθαι, διπλῆν ἐν ἑκάστῳ φύσιν ἐμηχανήσατο. τοῖς μὲν γὰρ ἄρρεσιν ἰδίας καταβολὰς σπερμάτων χαρισαμένη, τὸ θῆλυ δ' ὥσπερ γονῆς τι δοχεῖον ἀποφήνασα.* Ipsa orationis structura monstrat, punctum post *ἐμηχανήσατο* et particulam *γὰρ* esse delenda; hoc *γὰρ* e prima syllaba vocis *ἄρρεσιν* ortum est. ***Philops.*** c. 5. T. 2. p. 307. *ἐπώμνυτο τοῖς πλείστους*, lege *ἐπώμνυ τοῖς πλείστοις.* Duae literae *TO* male bis scriptae fuerunt, prorsus ut apud ***Polyaen.*** I. p. 47. ***Casaub.*** ubi pro *ὅταν αἴρητο τὸ σημεῖον*, lege *ὅταν αἴρῃ τὸ σημεῖον.* ***Plat. Phaedon.*** c. 20. p. 33. ***Heind.*** *ὡς καὶ δὶς δώσων, ἐὰν δὲ δέῃ, καὶ τρίς.* Bene *δὲ* ante *δέῃ* omittit cod. Aug. Recte *δὲ* haberet, si Criton solum *καὶ δίς* dixisset antea; sed iam ille dixerat *καὶ δὶς καὶ τρίς.*

Ibid. 7, 4. T. 1. p. 88. *τοιγαροῦν ἀπέδωκέ σοι τὸν μισθὸν τὴν πυράγραν.* Haec verba nihil aliud significare possunt, quam „proinde reddidit tibi mercedem forcipem“,

quod quomodo de forcipe furto sublato dici possit, non intelligo; et vereor, ne tum quoque scribendum fuerit *ἀπέδωκέ σοι μισθὸν*, deleto articulo. Verum mutata interpunctione scribo *τοιγαροῦν ἀπέδωκέ σοι τὸν μισθόν, τὴν πυράγραν*... addere voluit *κλέψας*, sed orationem interrumpit Vulcanus *εὖγε ὑπέμνησας* etc. Sic omnia plana sunt.

ibid. 11, 2. T. 1. p. 93. *ἀναπνέει τὸ ἀμβρόσιον ἐκεῖνο ἄσθμα.* Num *ἀναπνεῖ*? Sed in his disyllabis verbis contractionem hanc in *ει* nonnunquam in scriptoribus atticis neglectam inveni, forsan ob similitudinem reliquarum personarum, quae nunquam contrahuntur, *πλέομεν, πλέοιτε* etc. [cf. *Lobeck. ad Phryn.* p. 220–222. *nos in fasc.* 16. *observatt. grammat. et criticc. p.* 16. *Genes.* 25, 21, 28, 18. *Cod. Pseudep. V. T.* 715. 942. *Ignat. ep.* p. 158. *Schol. Odyss.* 4, 214. 438. 5, 51. 6, 321. 12, 411. etc. Sed de his alio loco dicendum erit, ubi de quaestione agetur, quantam labem recentiores exemplarium descriptores ex suo loquendi usu in veterum exemplaria intulerint.]

Ibid. 17, 1. T. 1. p. 100. *ἔπειτα δὲ συνεὶς ἐν ἀφύκτῳ ἐχόμενον ἑαυτὸν, ἱκέτευε.* Lege *συνεὶς ἐν ἀφύκτῳ ἐχόμενος, αὑτὸν ἱκετευε.* — *συνεὶς ἐχόμενος* e notissimo Graecismo *sentiens se teneri.* Sic *dial. deor.* 2, 1. p. 77. *οὐδὲ συνῆκα ἡδὺς γεγενημένος. dial. meretr.* 12, 1. T. 2. p. 470. *ἐγὼ δ' ἐπὶ τούτοις δακρύω, καὶ συνίημι ὑβρισμένη. Heliod.* 8, 17. p. 345. *καὶ Χαρίκλεια συνιεῖ μὲν λοιπὸν ὑπὸ τῶν εἱμαρμένων χειραγωγουμένη. Quint. Smyr.* 6, 388. *οὐδ' ἐνόησας ἀμείνονος ἀντίος ἐλθών.* Sed haec vulgata sunt. cf. ***Matth. Gr. Gr.*** §. 548, 4.

Ibid. 25, 2. T. 1. p. 117. *νῦν μὲν οὖν συγγνώμην ἀπονέμω σοι. ἐς δὲ τὸ λοιπὸν, ἤν τι ὅμοιον παρανομήσῃς, ἤ τινα τοιοῦτον σεαυτοῦ διάδοχον ἐκπέμψῃς, αὐτίκα εἴσῃ, ὁπόσον τοῦ σοῦ πυρὸς ὁ κεραυνὸς πυρωδέστερος.* Leve est, sed corrigendum videtur *ἤν τινα.* Nam id ipsum, *τοιοῦτον* (qualis Phaëthon erat) *διάδοχον ἐκπέμψαι* est, quod antea vocat *ὅμοιόν τι παρανομεῖν*; verum *ἤ* res diversas seiungit. Sed repetito *ἤν* alterum comma in alterius explicationem additum est.

Dial. deor. marin. 14, 3. T. 1. p. 135. *ὡς καταπιούμενον τὴν Ἀνδρομέδαν.* Recipiendum erat, quod duo Belini codd. praebent, *καταπιόμενον.* Nam formam futuri *πιοῦμαι*, omnibus atticistis damnatam, Lucianus non admisit, cf. *dial. deor.* 4, 3. T. 1. p. 80. *νέκταρ πίῃ. dial. mort.* 17, 2. p. 171. *πίεται. contempl.* c. 22. p. 220. *πιομένους. de merc. cond.* c. 7. p. 304. *πίεσθαι. ver. hist.* 2, 7. p. 461. *πιόμενον. de saltat.* c. 27. p. 554. *καταπιόμενος. Lexiph.* c. 20. p. 583. *πίομαι. Asin.* c. 47. T. 2. p. 90.

πέται. *dial. mer.* 9, 5. p. 464. πίεσθε. *fugitiv.* c. 11. p. 502. πομένους. Satis exemplorum attulimus ad usum Lucianeum adstruendum. — Mox in eodem hoc dial. c. 4. p. 136. leguntur verba μηκέτι μεμνήμεθα, pro quo graecus sermo postulat μεμνώμεθα, quam lectionem ab uno cod. Par. oblatam Schmieder adeo sprevit, ut eius non meminerit, at corruptum μεμφώμεθα ex alio cod. attulerit!

Ibid. 15, 3. T. 1. p. 137. παραπετώμενοι. „Magno consensu sic edd. quae quidem scribendi ratio apud alios etiam rarius invenitur, sed nunquam fere, quin vel exarati manu libri vel vulgati discrepent; nam longe est usitatius πετόμενος, quam πετώμενος, πέτεσθαι quam πετᾶσθαι." Hemsterhusii sunt verba. Usus Lucianeus requirit παραπτόμενοι. cf. *Tim.* c. 21. T. 1. p. 45. προσπετομένην. *Halc.* c. 1. p. 63. περιπέτεσθαι. *contemplant.* c. 15. p. 216. περιπετόμενος. *ibid.* c. 22. p. 220. περιπετομένας. *quom. hist. sit conscr.* c. 1. p. 412. περιπετομένου. *ibid.* c. 50. p. 434. μεταπετέσθω. *ver. hist.* 1, 11. p. 442. περιπετομένοις. *ibid.* 1, 34. p. 454. εἰσπετόμενα. *ibid.* 2, 14. p. 463. ὑπερπετόμενα. *ibid.* 2, 45. p. 477. παρεπέτετο. *Asin.* c. 4. T. 2. p. 64. πετόμενον. *ibid.* c. 12. p. 69. πέτεσθαι. *Gall.* c. 6. p. 152. πετόμενος. *Icaromen.* 11. p. 183. ἐπετόμην. *ibid.* c. 22. p. 192. πετόμενος. *bis accus.* c. 1. p. 202. πετόμενον. *rhet. praec.* c. 6. p. 292. ἐκπετόμενοι. *philops.* c. 13. p. 311. πετόμενον. *Hercul.* c. 8. p. 337. παραπετέσθω. *Musc. encom.* c. 2. p. 341. πέτεσθαι. *ibid.* c. 4. p. 342. πέτεται. *ibid.* c. 6. p. 343. ἐκπέτονται. *ibid.* c. 7. πέτεσθαι. *de Dipsad.* c. 3. p. 417. ἐπιπετόμενα., ubi antea male legebatur ἐπιπετώμενα. *navigat.* c. 42. p. 441. πέτεσθαι. *ibid.* c. 44. p. 442. ἐπιπετόμενος. *dial. meretr.* 1, 2. p. 446. πέτεσθαι. *de mort. Peregr.* c. 40. p. 496. πέτεσθαι. — Non itaque dubium est, quin nostro quoque loco haec forma rescribenda sit.

Dial. mort. 6, 4. T. 1. p. 147. Εὖγε, ὦ Θοίνκριτε, ζώης ἐπιμήκιστον, et mox in fine huius capitis ζώης ἐπιμήκιστον, ὦ Θοίνκριτε. — Utroque loco ζώης leviter corruptum est; non tam propterea, quod ipsum verbum ζώω non probandum sit in soluta oratione (nam simillimum locum excitavit Hemsterhus.) quam quod Optativus, non Coniunctivus, requiratur. Posteriori loco iam unus codd. Parisiensium praebet ζώοις, ut in loco Aristaeneti, quem Hemsterh. laudavit. Sed, ni fallor, leniorem etiam medicinam locus admittit, transposito iota, ζῴης i. e. ζαοίης. Sic iam scriptum exstat *dial. meretr.* 6, 3. T. 2. p. 456. ἀλλ' οὐδέν, ὦ φίλη Ἀδράστεια, φημι, ζῴης μόνον.

Ibid. 11, 3. T. 1. p. 157. οὔτε οἶμαι σὺ, ὦ Κράτης, ἐπεθύμησας κληρονομεῖν ἀποθανόντος ἐμοῦ τὰ κτήματα, καὶ τὸν

πίθον καὶ τὴν πήραν χοίνικας δὶο θέρμων ἔχουσαν. Dele particulam καὶ ante τὸν πίθον, nam ὁ πίθος et ἡ πήρα ipsa sunt Diogenis κτήματα.

Ibid. 14, 3. p. 165. οὐδὲ προδοσίαις ὠνούμενος τὰς νίκας. Notetur Dativus pretii, loco Genitivi verbo ὠνεῖσθαι iunctus. Sic *Tyrannic.* c. 14. T. 1. p. 484. καὶ τῷ οἰκείῳ θανάτῳ τὴν τῶν πολλῶν σωτηρίαν ὠνησομένην. [*Eurip. Iph. Aul.* 1155. τἄχθιστα τοῖσι φιλτάτοις ὠνούμεθα. *Phil. Iud.* p. 294. θανάτῳ φιλτάτων ὠνεῖσθαι τιμήν. cf. *Matth. ad Pseudosoph. Clytaemn.* v. 200.]

Ibid. 16, 4. p. 169. οὐκ, ὦ μάταιε· ὁ γὰρ αὐτὸς ἄμφω ἦμεν. „Cum hic dixisset, quicquid in se fuisset Amphitryonis, obiisse; quidquid Iovis, vivere et apud superos frui sempiterna beatitate; ille vero reposuisset, duos igitur Hercules esse natos ex Alcmena gemellos, alterum Amphitryonis, alterum Iovis filium, respondit Hercules, οὐκ, ὦ μάταιε, ὁ γὰρ αὐτὸς ἄμφω ἦμεν. Ratio loquendi et sententiae requirit, ut legas ἤμην, et vertas, *nequaquam, fatue, solus enim ambo eram.* Ego Hercules solus eram ambo, filius Iovis et Amphitryonis. Αὐτὸς est saepe μόνος. Aristoph. αὐτοὶ γάρ ἐσμεν; *soli enim sumus*, et superius in dialogo Mercurii et Solis, αὐτοι γὰρ ἡμεῖς ἐσμεν, soli enim nos sumus. Αὐτὸς ἤμην ἄμφω est ut apud Phaedrum, *Aesopus cum solus esset familia.*“ Haec Graevius de h. l. Verum, quod ait, rationem loquendi et sententiae hanc emendationem requirere, in eo fallitur. Nam ut αὐτὸς nonnunquam pro *solus* adhibetur, ita nunquam ὁ αὐτὸς, quod semper valet *idem*. Ordo est ἄμφω ἦμεν ὁ αὐτὸς, *nos* ambo, et Amphitryonis et Iovis filius, *eramus idem*, non alter ab altero diversus, sed in unam naturam coniuneti. Similiter iam cap. 3. dixerat ἢ εἷς μὲν ἦτε παρὰ τὸν βίον, et statim in responsione Diogenis, ὥςπερ ἱπποκένταυρός τις ἦτε. Sic *Sext. Empir.* p. 321. Fabr. et *piscat.* c. 20. T. 1. p. 259. ὡς τὸ μὴ διαιρεῖ τῷ τέχνα· μία γάρ ἐστον, δὺ εἶναι δοκοῦσαι. [*Sext. Empir. adv. Geom.* 3, 61. καὶ εἰ μὲν μία αἱ δύο γραμμαὶ γίνονται, ... τῶν δὲ δυοῖν γραμμῶν μιᾶς ἅμα (l. ἄρα) γινομένων, γενήσονται καὶ αἱ δύο ἐπιφάνειαι μία ἐπιφάνεια κ. τ. λ.]

Vitar. auct. c. 13. T. 1. p. 237. ὁ δέ τινα ἔοικε πενθεῖν. Bene codd. praebent πενθῶν. cf. *Schaef. ad Dionys. Hal. de comp. verb.* p. 212.

Ibid. c. 19. p. 240. τὸν Ἐπικούρειον σὲ ἤδη καλῶ. Cum nusquam discipulos philosophorum Mercurius vendat, sed ipsos philosophos sectae auctores, legendum videtur τὸν Ἐπίκουρον.

De merc. cond. c. 26. T. 1. p. 315. Σὺ δ' ἄθλιος, τὰ μὲν παραδραμὼν – – ἵδρωκάς τε καὶ πνευστιᾷς. Lege Σὺ δ' ὁ

ωθλιος. Articulo hic carere non possumus. cf. ***dial. mort.*** 8. T. 1. p. 149. κληρονόμον ἀκούσιος καταλέλοιπα, κατασοφισθεὶς ὁ ἄθλιος.

Apolog. pro de merc. cond. c. 3. T. 1. p. 325. Πάλαι μέν, ὦ φιλότης, ὡς εἰκὸς, εὐδοκίμηταί σοι τουτὶ τὸ σύγγραμμα, καὶ ἐν πολλῷ πλήθει δειχθὲν, ὧν οἱ τότε ἀκροασάμενοι διηγοῦντο, καὶ ἰδίᾳ παρὰ τοῖς πεπαιδευμένοις, ὁπόσοι ὁμιλεῖν αὐτῷ καὶ διὰ χειρὸς ἔχειν ἠξίωσαν. ἥτε γὰρ τῶν λόγων παρασκευὴ οὐ μεμπτή, καὶ ἡ ἱστορία πολλὴ καὶ ἡ ἐμπειρία τῶν πραγμάτων καὶ ὅτι ἕκαστα σαφῶς ἐλέγετο· καὶ τὸ μέγιστον, ὅτι χρήσιμα πᾶσιν ἦν, καὶ μάλιστα τοῖς πεπαιδευμένοις, εἰς μὴ ὑπ' ἀγνοίας σφᾶς αὐτοὺς εἰς δουλείαν ὑπάγοιεν. ἐπεὶ δέ σοι μεταδοξε βελτίω ταῦτ' εἶναι, καὶ τὴν μὲν ἐλευθερίαν μακρὰ χαίρειν εἰᾶν, ζηλῶσαι δὲ τὸ ἀγεννέστατον ἐκεῖνο ἰαμβεῖον,

ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν δουλευτέον,

ὅρα ὅπως μηδεὶς ἔτι ἀκούσεταί σου ἀναγινώσκοντος αὐτό. — Scripto libro ***de mercede conductis*** Lucianus ipse munus publicum in Aegypto acceperat, unde in nonnullorum reprehensionem incurrit, quibus in hac apologia se defendit. Iam in his verbis, quae modo descripsimus, primum ipsius liber ab amico quodam laudatur tum ex aliis causis, tum quod utilis fuerit, ne quis inscitia duram servitutem subiret. Iam pergit Luciani amicus ἐπεὶ δέ σοι μεταδοξε βελτίω ταῦτ' εἶναι, ***verum cum mutata sententia haec meliora iudicasti,*** ubi quo refertur ταῦτα? non ad δουλείαν, sive δουλεύειν; multo minus ad ea, quae praeterea praecesserant. Legendum videtur τἀναντί' εἶναι. ***ea, quae iis, quae scripto docuisti, prorsus contraria sunt.***

Pro lapsu in salut. c. 2. T. 1. p. 334. ὡς ὁ τοῦ Εὐριπίδου Πολυνείκης ἤδη τελευτῶν τὸν βίον, καὶ

Χαίρετ', ἤδη γάρ με περιβάλλει σκότος.

male καὶ a versu avulsum est; nam in Euripid. Phoen. 1467. exstat Καὶ χαίρετ' etc.

Ceterum male Fabricius in Bibl. Gr. ex h. l. inter deperdita Euripidis dramata Polynicem recenset, non correctus ab Harlesio.

Hermotim. c. 4. T. 1. p. 342. 343. πλὴν ἀλλὰ τίνα σοι ἐλπίδα ὑποφαίνει ὡς δήποτε ἀναβησομένῳ; „interea quam tibi spem ostendit, quando futurum sit, ut enitaris" ita bene vers. Lat. Verum hoc est ὡς δὴ πότε — Particulas interrogandi etiam in oratione pendente et ante participia a Graecis poni notissimum est: sic c. 27. p. 355. τίσι λέγεις; τοῖς κατὰ ποίαν ὁδὸν ἐλθοῦσιν; ἢ τίνι τῶν ἡγεμόνων ἐκολοι θήσασιν; — Pergit iam nostro loco sic iocari ἐς νέωτα εἴκαζεν ἐπὶ τὸ ἄκρον ἕξεσθαί σε, οἷον μετὰ τὰ μυστήρια

τὰ ἄλλα, ἢ Παναθήναια; ubi quaenam intelligit μυστήρια τ ἄλλα. *Lat. interp.* „post mysteria altera," quod non magis intelligo. *Wieland.* „die nächsten Mysterien." *Belinus* „les mystères," omittens τὰ ἄλλα prorsus in versione. Corruptum locum fortasse sanabis legendo τὰ μεγάλα.

Ibid. c. 13. T. 1. p. 348. σὺ δέ, ἤν τι βούλῃ, ἐρώτα μεταξὺ καὶ ἀντίλεγε· ῥᾷον γὰρ οὕτω μάθῃς. Coniunctivus hic prorsus soloecus est. Belinus ῥᾷον γὰρ ἂν οὕτω μάθοις, bene ad Graeci sermonis indolem. Faciliori tamen correctione scribas ῥᾷον γὰρ οὕτω μαθήσῃ. Graeci enim μαθήσομαι dixerunt, non μαθήσω, quapropter Belinus in *Hermot.* c. 84. T. 1. p. 390. μεταμαθήσῃ non debebat immutare in μεταμαθήσεις.

Ibid. c. 17. T. 1. p. 350. οἴει Μαργίτῃ διαλέγεσθαί τινι, ὡς πιστεῦσαι ὅτι Ἑρμότιμος, ἀνὴρ συνετὸς, ἔτη τότε γεγονὼς τεσσαράκοντα, περὶ φιλοσοφίας καὶ φιλοσόφων ἀνδρῶν τοῖς ἰδιώταις ἐπίστευσε, καὶ κατὰ τὰ ὑπ' ἐκείνων λεγόμενα ἐποιεῖτο τὴν αἵρεσιν καὶ τῶν κρειττόνων ἀξιῶν. Ultima quatuor verba nemini nisi Guyeto suspecta fuerunt, qui ἀξίαν corrigit. Corrupta ea esse monstrat constructio, verum ex interpretibus nihil proficies. Lego ἀξίωσιν. — Nam τὰ κρείττω vocat, quae antea c. 15. τὰ βελτίω vocaverat, i. e. eam philosophorum sectam, quae praeferri mereatur. Iam ἀξίωσις τῶν κρειττόνων est iudicium de hac secta, cui adhaereat; sive, ut eod. c. 15. dixit τῷ σὺ πιστεύσας τοὺς μὲν ἄλλους εἴας, ἐξ ἁπάντων δὲ προελόμενος, ἅπερ προῄρησαι, ἀξιοῖς κατὰ ταῦτα φιλοσοφεῖν; sensus itaque est: Hermotimum, virum prudentem, annos tunc natum XL, de philosophia et philosophis fidem habuisse idiotis, et secundum illorum dicta fecisse electionem et iudicium optimae sectae.

Ibid. c. 36. T. 1. p. 362. ἄχρι δ' ἂν αὐτοῦ τούτου πέρι διαμάχωνται, πάντων ὁμοίως ἀκουστέον, ἢ εἰδέναι, ὅτι πρὸς χάριν δικάζειν δόξομεν. Unde pendet infinitivus εἰδέναι? miror neminem in eo offendisse. Verum, quamvis primo adspectu nihil adsit unde regatur, tamen eum non proscribo. Agnosco enim constructionem, quam *ad sensum* vocare solent, quamquam simile exemplum praeter hoc mihi non sit in promtu. Scripsit auctor εἰδέναι, quasi praecessisset ἀκούειν δεῖ, cuius loco ἀκουστέον posuerat. [Sic sumus homines. Huius constructionis exempla, quae, cum haec scriberem, desiderabam, non pauca adsunt, et vel in ipso hoc dialogo c. 23. T. 1. p. 353. πάντων μάλιστα ἐπὶ τούτῳ σπουδαστέον, τῶνδ' ἄλλων ἀμελητέον, καὶ μήτε πατρίδος --- πολὺν ποιεῖσθαι λόγον, μήτε παίδων ἢ γονέων --- ἐπικλᾶσθαι, ἀλλὰ μάλιστα μὲν κἀκείνους παρακαλεῖν κ. τ. λ. *Ibid.* c. 52. p. 571. ἐγὼ γὰρ οὐχ ὡσοὺ φι-

λοσοφητέον φημὶ, ἀλλ', ἐπείπερ φιλοσοφητέον, --- ἀκριβῆ ποιήσασθαι τὴν διαίρεσιν. cf. *Heind. ad Plat. Gorg.* 104. p. 155. et *Buttm. ad Plat. Crit.* 12. p. 99. His exemplis iam olim, in programmate paschali a 1816, allatis addo nunc haec: *Hippocr. de victu acut.* c. 6. T. 2. p. 273. *Lind.* τῷ μὲν ῥοφήματι ἐς τὸ πρωῒ χρηστέον, ἐς ὀψὲ δὲ ἐς σιτία μεταβάλλειν. *Heliod. Aeth.* 7, 17. T. 1. p. 285. ἀποῤῥιπτέον ὑμῖν τοὺς ληρώδεις --- θρήνους· ὁρᾶν δὲ καὶ ῥυθμίζειν ἑαυτοὺς, εἴκειν τε καὶ ὑπηρετεῖσθαι κ. τ. λ. *Schol. Soph. Aiac.* v. 240. p. 224. ὁ χορὸς --- διαπορεῖται, τί πρακτέον αὐτῷ· πότερον ἐγκαλυψαμένους φεύγειν· ὅποι ποτ' οὖν, ἢ ἀποπλεῖν ἐπιβάντας ἐπὶ τῶν νεῶν. Ex ed. Ald. Galeni in schedis hos praeterea locos excitatos video, quos, cum hoc exemplari nunc caream, conferre non possum: T. 1. p. 100. B. lin. 2. *ibid.* lin. 5. p. 103. lin. 31. p. 104. B. lin. 37.] — Ceterum illud εἰδέναι cum emphasi positum est, quam optime Wielandius expressit, vertens, *so müssen alle gleich angehört werden, oder wir werden den Vorwurf hören müssen, dass wir Gunst vor Recht gehen lassen.*

Ibid. c. 43. T. 1. p. 366. τί δαί, εἰ ἐξιλόντες ἀτάκτως πέντε γράμματα ἐξ ἁπάντων, τὸ Χ καὶ τὸ Σ καὶ τὸ Ζ καὶ τὸ Θ, τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τέτταρα διπλᾶ ἐπὶ τῶν κλήρων τῶν ὀκτὼ γράψομεν, τὸ δὲ Ζ μόνον ἐπὶ τοῦ ἐνάτου, ὃ δὴ καὶ θεῶν ἔμελλεν ἡμῖν τὸν ἕβδομον, τί ποιήσεις πρῶτον εὑρὼν τὸ Ζ, τῷ διαγνώσῃ ἕβδομον ὄντα τὸν ἔχοντα αὐτὸ, ἢν μὴ ἐπὶ πάντας ἐλθὼν εὕρῃς οὐδὲν αὐτῷ συμφονοῦν; — Pluribus vitiis hic locus laborat, aliis levioribus, et ex incuria novissimi editoris profectis, duobus vero gravioribus. Leviora sunt, quod τῳ sine accentu hic ut sexcentis aliis locis scripsit, quamquam sit interrogativum, et quod sphalma ed. Bip. συμφονοῦν pro συμφωνοῦν non correxit. Graviora sunt, quod εἰ cum coniunctivo iunctum reperitur, quae constructio nusquam in orationis solutae scriptoribus locum habet, [Num haec inconsideratius scripserim, alio loco disputabitur.] et quod illud γὰρ post μὲν prorsus abundat. Sed pro εἰ—γράφωμεν, cuius loco nonnulli codd. γράφομεν habent, scribe εἰ—γράφοιμεν ut statim initio cap. seq. p. 367. τί γὰρ εἰ μηδὲ γράμματα γράφοιμεν ἐπὶ τῶν κλήρων etc. Tum importunum illud γὰρ vel invitis libris reiiciendum erat; nunc vero video in codice Solani etiam defuisse. Neque quemquam moretur Reitzii nota, hoc γὰρ defendentis. Is enim hic, ut saepissime aliis locis, egregie nugatur.

Ibid. c. 74. d. 385. κἀκείνη γὰρ (sc. Geometria) τοὺς ἐν ἀρχῇ ἀλλόκοτά τινα αἰτήματα αἰτήσασα καὶ συγχωρηθῆναι παρ' αὐτῇ ἀξιώσασα, οὐδὲ συστῆναι δυνάμενα, σημεῖά τινα ἀμερῆ

καὶ γραμμὰς ἀπλατεῖς καὶ τὰ τοιαῦτα, ἐπὶ σαθροῖς τοῖς θεμελίοις τούτοις οἰκοδομεῖ τὰ τοιαῦτα etc. Ultimum hoc (τὰ τοιαῦτα) corruptum esse vidit Iensius, et male e praecedentibus iteratum censet. Sed legam eius loco τὰ λοιπά. Geometria, falsis postulatis et principiis innixa, putribus his fundamentis *reliqua* inaedificat. [Affero hic locum *Sexti Emp. adv. rhet.* 3, 10. p. 312. qui mirum quantum ad locum Lucianeum explicandum facit: κἂν γὰρ μυριάκις αὐτὸ ὑποτιθώμεθα σαθροῖς ὡς φασι θεμελίοις, οὐκ ἀκολουθήσει τὸ συμπέρασμα τῆς ζητήσεως ἐξ ἀνυπάρκτων ὁρμωμένης ἀρχῶν.]

Herodot. sive Aet. c. 1. T. 1. p. 392. ἃ δὲ ἐποίησαν (Herodotus) ἐπὶ τοῖς συγγράμμασι, καὶ ὡς πολλαχῶς τοῖς Ἕλλησι γνώριμος ἐν βραχεῖ κατέστη, καὶ ἐγὼ καὶ σὺ καὶ ἄλλος ἂν μιμησαίμεθα. Vox πολλαχῶς nullum idoneum sensum praebuit. Non enim *multiplici ratione*, vel, ut vers. Lat. habet, *multis in locis* innotescere Graecis voluit, sed, uti ex sequentibus patet, quam celerrime et minimo labore *omnibus* Graecis. Scribo ὡς πολλοῖς οὖσι τοῖς Ἕλλησι etc. Quod egregie firmatur his verbis, quae statim sequuntur: ἐπεβούλευε δὲ, εἰ δυνατὸν εἴη, ἀθρόους που λαβεῖν τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας. Mox cap. 2. p. 393. exstat πάνδημόν τινα κοινὴν ψῆφον, ubi vel κοινὴν delendum est, vel καὶ κοινὴν scribendum. Posterius praefero. Vitii originem v. in not. ad Nigrin. c. 11.

Harmonid. c. 1. T. 1. p. 401. ἐπεὶ τόγε αὐλεῖν αὐτὸ (non *ipsum* sed *solum*) ἄνευ τοῦ ἔνδοξον εἶναι δι' αὐτὸ οὐκ ἂν δεξαίμην. Leges grammaticae postulare videntur ἄνευ τοῦ ἔνδοξος εἶναι. Sed ἔνδοξον quodam modo excusari posse, video. Contrarium vero vitium sine dubio tollendum *Phalar. alt.* c. 5. T. 1. p. 515. ἐπεὶ πάντων ἂν εἴη τοῦτ' ἀτοπώτατον, πέμψαντά τινα μεγαλοπρεπὲς οὕτω δῶρον θεῷ, τὴν καταδικάζουσαν ἐκ τοῦ ἱεροῦ ψῆφον λαβεῖν, καὶ μισθὸν κομίσασθαι τῆς εὐσεβείας τὸ κεκρῖσθαι μηδὲ τοῦ ἀνατιθέναι ἄξιος. ubi lege ἄξιον. *Asin.* c. 29. T. 2. p. 79. πρῶτον μὲν ὑψηλὸν ὄρος ἀναβαίνειν ἔδει, ὁρθὴν δεινῶς ὁδὸν, εἶτα καὶ ἀνυπόδητος ὄρει ἐν λιθίνῳ, ubi lege ἀνυπόδητον. Eandem confusionem agnovit iam Reitzius in *Anachars.* c. 30. T. 2. p. 274. οἶδα γὰρ ὡς αὐτίκα ἕλοιο ἂν ἐκ πρώτης προσόψεως... συνεστηκὼς καὶ συγκεκροτημένος εἶναι μᾶλλον ἢ θρύπτεσθαι καὶ διαῤῥεῖν καὶ λευκὸν εἶναι etc. ubi optime correxit λευκὸς εἶναι. [Correctio in his et similibus, ubi de permutatione literarum *N* et *Σ* agitur, facilis sane est. Sed necessariam eam esse, nunc non contendam. Etenim „nonnunquam fit, praesertim in longiori orationis complexu, ut scriptoris animo sola relatio ad subiectum obversetur,

sed immemor eius, quod subiectum ipsum in accusativo praecesserit, usitatiorem loquendi modum inferat, nominativum ponens.“ Sic iam in programmate paschali a. 1816 de similibus nominativis, qui anacoluthiae speciem prae se ferunt, locuti sumus, exemplis appositis, altero *Herodoti* 2, 118. altero *Plat. Lachet.* p. 245. *F. G.* Adde *Herodot.* 1, 2. *in fine: λέγουσι Πέρσαι ... τοὺς δὲ (τοὺς Ἕλληνας) ὑποχρίνασθαι, ὡς οὐδὲ ἐκεῖνοι Ἰοῦς τῆς Ἀργείης ἔδοσαν σφι δίκας τῆς ἁρπαγῆς, οὐδὲ ὧν αὐτοὶ δώσειν ἐκείνοισι.* cf. *Schweigh.* ad *Herodot.* 1, 27. 1, 63. Et sic quoque, collato Platonis loco, explicandum censeo notissimum locum *Soph. Philoct.* 54 - 64. Sed omnia haec exempla sunt nominativi pro accusativo; utrum vero accusativus etiam poni possit, ubi nominativum expectes, nunc non definio.] Nihil frequentius permutatione literarum Σ et N in scriptis Graecorum. Exempla iam olim dedimus *Observ. in Prop.* p. 73. Similiter in *Isocr. Paneg.* c. 8. *οὐδεὶς γὰρ ἂν δύναιτο δωρεᾶς τοσαύτης τὸ μέγεθος εὑρεῖν, ἥτις ἴση τοῖς πεπραγμένοις ἐστίν*, optime emendavit iam Wolfius *δωρεὰν τοσαύτην*. *Noster quom. hist. s. conscr.* c. 33. T. 1. p. 428. *ὥς τε οἰκοδομεῖ τι ἤδη καὶ αὐτὸς, ὡς δείξῃς οὐκ ἀνατρέψαι μόνον τὰ τῶν ἄλλων γεννάδας ὢν ἀλλά τι καὶ αὐτὸς ἐπινοῆσαι δεξιὸν* etc. ut nunc verba leguntur, iungendum est *δεξιόν τι*: sed malo scribere *δεξιός*; iunge *ὡς δείξῃς οὐ μόνον γεννάδας ὢν, ἀλλὰ καὶ δεξιὸς ὤν*. —Mox *cap. sec.* p. 402. articulus *τοῦ* excidisse videtur in verbis *ἐρᾷς μὲν, ἔφη, εὖ ἴσθι, οὐ μικροῦ πράγματος, ἐπαίνου καὶ δόξης, καὶ (τοῦ) ἐπίσημος εἶναι καὶ γιγνώσκεσθαι πρὸς τῶν πολλῶν.* Articulus, quem addidimus, prorsus necessarius est; sed forsan *καὶ* delendum est, *ἐπαίνου καὶ δόξης, τοῦ ἐπίσημος εἶναι καὶ γιγνώσκεσθαι* etc. ita ut duo hi infinitivi explicandi causa ad duo illa substantiva adiecta sint.

Scyth. c. 2. T. 1. p. 405. *Κατὰ τὸν λοιμὸν τὸν μέγαν ἔδοξεν ἡ Ἀρχιτέλους γυνὴ, Ἀρεοπαγίτου ἀνδρὸς, ἐπιστάντα οἱ τὸν Σκύθην κελεῦσαι εἰπεῖν Ἀθηναίοις, ὅτι παύσονται τῷ λοιμῷ ἐχόμενοι, ἢν τοὺς στενωποὺς οἴνῳ πολλῷ ῥάνωσι. τοῦτο συχνάκις γενόμενον, οὐ γὰρ ἠμέλησαν οἱ Ἀθηναῖοι ἀκούσαντες, ἔπαυσε μηκέτι λοιμώττειν αὐτούς· εἴτε ἀτμούς τινας πονηροὺς ὁ οἶνος σβέσας τῇ ὀδμῇ, εἴτε ἄλλο τι πλέον εἰδὼς ὁ ἥρως ὁ Τόξαρις, ἅτε ἰατρικὸς ὤν, συνεβούλευσεν.* Pro *ἔπαυσε · μηκέτι λοιμώττειν αὐτοὺς* alii habent *ἐποίησε μ. λ. α.*, cuius mutationis duae causae fuisse videntur; altera quod offenderent in infinitivo loco participii. Sed *παύειν* cum infin. satis exemplis fulserunt *Reitz.* ad h. l. *Matth. Gr. Gr.* §. 550. not. 3. Alteram vero causam suspicor fuisse in *μηκέτι*, quae negatio ex nostro sensu prorsus abundat, cf. *Heind.*

ad Plat. Lysid. c. 4. *Phaedon* c. 153. *Soph.* c. 43. *Mu-gr. ad Soph. Antig.* 263. Sic *Lucian. adv. indoct.* c. 3. T. 2. p. 347. *ἄφες ἐν τῷ παρόντι τὸ μὴ σύμπαντα σαφῶς εἰ-πεῖν. Prometh.* c. 6. T. 1. p. 69. *εἰ μὲν οὖν ἔξαρνος εἰ μὴ εἰργάσθαι αὐτά*, etc. *Lapith.* c. 32. T. 2. p. 549. *ἀλλ' ἐκεῖνο οὐκ ἂν ἔξαρνος γένοιο μὴ οὐχὶ φάρμακον ἀποδόσθαι* etc. (ubi cave *ἐκείνου* corrigas. Sic et *Plat. Lys.* c. 4. p. 8. *Heind. τὸ ἐρᾶν ἔξαρνος εἶ.*) *Demosth. de coron.* c. 51. p. 348. *Harl. ἀπειπεῖν τοῖς Ἀμφισσεῦσι τοῦ λοιποῦ μὴ ἐπιβαίνειν. Plat. Charm.* c. 35. *τὰ δ' ἀπιστεῖται σφόδρα μήποτ' ἂν τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν πρὸς ἑαυτὰ σχεῖν. Palaeph. praef. ἀπιστοῦσι τὸ παράπαν μηδὲν γίνεσθαι τούτων. id.* c. 32. *ὁπότε δὲ ἐπηρνοῦντο* (*ἀπηρνοῦντο*) *μὴ ἔχειν.* Haec exempla propterea addidi, quo appareret, iterari hoc *μὴ* ante solum fere Infinitivum. Nam quae aliorum modorum exempla afferuntur, ea vel aliam explicationem admittunt, vel dubia etiamnum sunt. Hinc patet, cur, *μηκέτι* addens Lucianus, participio non uti potuerit, quod Solanus sensisse sed non explicare potuisse videtur. — Moneo vero praeterea, in ultimis verbis notabile *ἀνακόλουθον* esse; nam *ὁ οἶνος σβέσας* cum reliqua oratione non coniunctus est. Melius procederet oratio, si Lucianus scripsisset *ἔσβεσε*. Sed scripsit *σβέσας*, quia ex antecedentibus adhuc *ἔπαυσε τὸν λοιμὸν* in animo habuit; mox vero mutata constructione transiit in modum finitum, *ὁ Τόξαρις συνεβούλευσεν.* Non dissimile est, quod legitur *Philops.* c. 4. T. 2. p. 306. ubi pro *ἀποφαίνονται* exspectes *ἀποφαινόμενοι.*

Ver. hist. lib. I. c. 20. T. 1. p. 447. *κατὰ τάδε συνθήκας ἐποιήσαντο οἱ Ἠλιῶται καὶ οἱ σύμμαχοι πρὸς Σεληνίτας καὶ τοὺς συμμάχους --- συμμαχεῖν δὲ τῇ ἀλλήλων, ἤν τις ἐπίῃ.* Sine dubio rescribendum *ἢ ἄν τις ἐπίῃ.* [Lucianus expressit *Thucyd.* 1, 44. *ἐπιμαχίαν δὲ ἐποιήσαντο τῇ ἀλλήλων βοηθεῖν, ἤν τις ἐπὶ Κέρκυραν ἴῃ ἢ Ἀθήνας ἢ τοὺς τούτων ξυμμάχους.* Ita ut de correctione iam dubitem, sed differunt tamen inter se hi duo loci; nam apud Thucydidem regionis mentio fit, ubi socii auxilio sint, quam Lucianus non addidit.]

Ibid. c. 24. T. 1. p. 449. *ἕντερον δὲ ἐν αὐτῇ οὐδὲ ἡπαρ φαίνεται.* Correxeram olim *ἔντερον δὲ οὐδὲν ἐν αὐτῇ*, fere ut l. 2. c. 30. p. 470. dixit *δένδρον δὲ οὐδὲν οὐδὲ ὕδωρ ἐπῆν.* Sed vulgata bene se habet. *Parasit.* c. 53. T. 2. p. 254. *ἡ ὀργὴ αὐτοῦ χαλεπὸν μὲν οὐδὲ σκυθρωπὸν οὐδὲν ἀπεργάζεται. Saturnal.* c. 2. T. 2. p. 513. *ἐν αὐταῖς δὲ ταῖς ἑπτὰ σπουδαῖον μὲν οὐδὲ ἀγοραῖον διοικήσασθαί μοι συγκεχώρηται*, quem locum male sollicitarunt. *Hippocrat. popul.* l. III. §. 63. T. 1. p. 724. *οὖρα πολλὰ λεπτὰ κρίσιμον οὐδὲ χρηστὸν οὐδὲν ἔχοντα.* cf. *Beck. ad Demosth. de pac.* c. 1. p. 43. 44.

Καὶ οὐ δεῖ ἐν τῷ μέσῳ τοῦτο ἐπιζητεῖν ἐπὶ τοῦ ἐλάττονος ὅρου, ἐπεὶ καὶ ἐπὶ τοῦ μείζονος ἐπιζητεῖται· οὐδὲ γὰρ ἐνταῦθα ἐν τῷ μέσῳ ἐστὶν ὁ μείζων ὅρος, ἀλλ' ἐγγύτερον τοῦ ἐλάττονος· ἐπεὶ καὶ ἐν τῷ μείζονι συλλογισμῷ ἐγγύτερον τοῦ ἐλάττονος ὅρου ἐστὶν ὁ μέσος, ὥστε καὶ ἐν τούτῳ ἐπιζητεῖται τὸ ἐγγύτερον τοῦ ἐλάττονος εἶναι τὸν μέσον, καὶ οὐκ ἐπιζητεῖται.

Ἐν δὲ τῷ τρίτῳ σχήματι ἐπὶ μὲν τοῦ καθόλου συμπεράσματος οὐκ ἔστιν ἐπιζητεῖν· ἐν γὰρ τούτῳ μόνῳ τῶν τριῶν σχημάτων ἐν τῷ πρώτῳ ἐστὶν ὁ μέσος ὅρος· ἐπὶ δὲ τοῦ μὴ καθόλου ἐπιζητεῖται· ἐν γὰρ τῷ τρίτῳ σχήματι ἐν τῷ μέσῳ ἐστὶν ὁ μέσος ὅρος, ὥστε καὶ ἐν τούτῳ ἐπιζητεῖται τὸ ἐγγύτερον τοῦ ἐλάττονος εἶναι τὸν μέσον, καὶ οὐκ ἐπιζητεῖται.

Ἐν δὲ τῷ τετάρτῳ σχήματι ἐπὶ μὲν τοῦ καθόλου συμπεράσματος οὐκ ἔστιν ἐπιζητεῖν· ἐν γὰρ τούτῳ μόνῳ τῶν τριῶν σχημάτων ἐν τῷ πρώτῳ ἐστὶν ὁ μέσος ὅρος· ἐπὶ δὲ τοῦ μὴ καθόλου ἐπιζητεῖται· ἐν γὰρ τῷ τρίτῳ σχήματι ἐν τῷ μέσῳ ἐστὶν ὁ μέσος ὅρος, ὥστε καὶ ἐν τούτῳ ἐπιζητεῖται τὸ ἐγγύτερον τοῦ ἐλάττονος εἶναι τὸν μέσον, καὶ οὐκ ἐπιζητεῖται.

Ἐν δὲ τῷ πρώτῳ σχήματι ἐπὶ μὲν τοῦ καθόλου συμπεράσματος οὐκ ἔστιν ἐπιζητεῖν· ἐν γὰρ τούτῳ μόνῳ τῶν τριῶν σχημάτων ἐν τῷ πρώτῳ ἐστὶν ὁ μέσος ὅρος· ἐπὶ δὲ τοῦ μὴ καθόλου ἐπιζητεῖται· ἐν γὰρ τῷ τρίτῳ σχήματι ἐν τῷ μέσῳ ἐστὶν ὁ μέσος ὅρ

χίαν ἦγον, articulus e nostro sensu abundat. Et sic sine articulo legitur *iud. vocal.* c. 2. T. 1. p. 31. ἡσυχίαν ἀγαγόντα. *dial. marin.* c. 3. T. 1. p. 137. ἡσυχίαν ἄγοντες. *ver. hist.* 2, 20. p. 466. σχολὴν ἄγοντα. *Hippocr. de aërib. aq. et loc.* c. 51. T. 1. p. 357. ἡσυχίην ἔχουσι. *idem popular.* 7, 10. T. 1. p. 836. ἡσυχίην ἔσχεν. *Herodot.* 1, 11. ἡσυχίην εἶχεν. 2, 45. ἡσυχίην ἔχειν. *Plut. Phoc.* c. 34. ἡσυχίαν ἦγεν. *Demosth. de cor.* c. 12. ἐὰν ἔχῃθ' ἡσυχίαν. *Isocr. Areop.* c. 20. ἡσυχίαν εἶχον — εἰρήνην ἦγον. *Diodor.* 2, 19. ἡσυχίαν ἔσχεν. *Long. Past.* 3, 2. σχολὴν ἄγων. *Aristoph. ran.* 324. ἡσυχίαν ἄγειν. *Dio Cass.* 36, 1. ἡσυχίαν ἦγε *id.* 37, 15. ἡσυχίαν ἦγεν. *id.* 37, 52. ἡσυχίαν ἔχειν. *Plat. Phaedon.* c. 154. p. 263. *Heind.* ἡσυχίαν ἄγετε. *id. Protag.* c. 113. p. 629. ἡσυχίαν ἔχειν. cf. quoque *Demosth. de cor.* c. 20. 96. 97. *Iulian. in Constant.* p. 15. *Schaef.* ἄγειν εἰρήνην. Sed nihil propterea mutandum est. *Lucian. dial. deor.* 15, 3. T. 1. p. 98. τὴν ἡσυχίαν ἄγει. *Piscat.* c. 27. T. 1. p. 262. τὴν ἡσυχίαν ἄγειν. *Isocr. Paneg.* c. 48. τὴν ἡσυχίαν ἄγειν. *Dio Cass.* 36, 7. τὴν ἡσυχίαν ἦγον. *id.* 36, 9. τὴν ἡσυχίαν ἄγειν. *id.* 36, 13. τὴν ἡσυχίαν ἤγαγεν. *id.* 38, 12. τὴν ἡσυχίαν ἦγε. *id.* 38. 14. τὴν ἡσυχίαν ἀγαγόντος. *Demosth. de cor.* c. 14. ἤγετε τὴν εἰρήνην — ἦγον τὴν εἰρήνην. *Iulian. in Constant.* p. 4. *Schaef.* ἦγον τὴν ἡσυχίαν. *id.* p. 21. τὴν εἰρήνην ἄγειν. Hoc aliquantulum uberius persecuti sumus, ut monstremus, quam caute in his procedendum sit. Similiter in *Ver. hist.* 2, 1. p. 458. ubi nunc legitur ἡμέρας μὲν ἑπτὰ καὶ νύκτας ἴσας expectares νύκτας τὰς ἴσας, ut scriptum est 1, 10. p. 442. ἑπτὰ δὲ ἡμέρας καὶ τὰς ἴσας νύκτας. *Aristoph. ran.* 648. σὺ καὶ σὺ τύπτει τὰς ἴσας πληγὰς ἐμοί; sed cf. *Nostr. Ver. hist.* 2, 35. p. 473. ἡμέρας μὲν οὖν τοσαύτας καὶ ἴσας νύκτας. *Apollod. bibl.* 1, 7, 1. ἐφ' ἡμέρας ἐννέα καὶ νύκτας ἴσας.

Tyrannic. c. 5. T. 1. p. 481. ἐκεῖνος (sc. iunior Tyrannus, filius senioris) ἦν ὁ τοὺς δορυφόρους συνέχων, ὁ τὴν φρουρὰν κοατύνων, ὁ τοὺς ἐπιβουλεύοντας φοβῶν, ἐκεῖνος ὁ τοὺς ἐφήβους ἀναστῶν, ὁ ἐνυβρίζων τοῖς γάμοις· ἐκείνῳ αἱ παρθένοι ἀνήγοντο καὶ εἴ τινες σφαγαὶ καὶ εἴ τινες φυγαὶ καὶ χρημάτων ἀφαιρέσεις καὶ βάσανοι καὶ ὕβρεις, πάντα ταῦτα τολμήματα ἦν νεανικά, ὁ γέρων δ' ἐκεῖνος ἠκολούθει καὶ συνηδίκει etc. Vides, ter illud ἐκεῖνος ad filium referri; quapropter in verbis postremis scribo ὁ γέρων δ' ἐκείνῳ ἠκολούθει etc. — Mox c. 10. p. 483. in verbis εἰ γάρ τίς ἐστι τῶν πρὸ ἐμοῦ τιμᾶσθαι δίκαιος articulum τῶν corruptum esse, iam Gesner vidit. Scribo τούτων. *Si quis horum* (coronam audientium significat) *mihi praeferri meretur.*

Abdicat. c. 6. T. 1. p. 492. ὅπερ καὶ αὐτὸ τοῦτο τὸν

πονήρως καὶ ἀνημέστως ἔχειν ἐστὶ τεκμήριον. legendum videtur ὅπερ καὶ αὐτοῦ ταὐτόν, τοῦ etc. Reitzii ad h. l. ineptias nil moror; mox pro οἰκτειρον ἀξίαν οὖσαν, quod ambigue dictum interpretes exercuit, lego ὠκτειρον ἀναξίαν οὖσαν, quod stabilitur verbis statim sequentibus καὶ παρὰ τὸ προσῆκον δυστυχοῦσαν.

Phalar. alt. c. 8. T. 1. p. 516. χρὴ γὰρ ταληθῆ πρός γε ἡμᾶς αὐτοὺς λέγειν, καὶ, τὸ λεγόμενον ὑπὸ τῶν ποιητῶν, ἄσπαρτα ἡμῖν καὶ ἀνήροτα φύεται τὰ πάντα. — Respexit Lucianus *Hom. Od.* 9, 109. ἀλλὰ τάχ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύεται. Quapropter sine dubio rescribendus est singularis τοῦ ποιητοῦ; poëtam κατ' ἐξοχὴν Homerum dici notissimum est. Sicque, *Parasit.* c. 24. T. 2. p. 242. ὅτι δὴ μέγας κατὰ τὸν σοφὸν Ὅμηρον οὔτε φυτεύει χερσὶ φυτὸν, οὔτε ἀροῖ, ἀλλὰ τὰ ἄσπαρτα καὶ τὰ ἀνήροτα πάντα νέμεται, ubi lege: ἀλλ' αὐτὰ ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα etc. [vel potius ἀλλὰ τά γ' ἄσπαρτα πάντα κ. τ. λ. secundum τὰ enim sine dubio corruptum est.]

Alex. c. 8. T. 1. p. 523. ῥᾳδίως κατενόησαν τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ὑπὸ δυεῖν τούτοιν μεγίστοιν τυραννούμενον, ἐλπίδος καὶ φόβου, καὶ ὅτι ὁ τούτων ἑκατέρῳ ἓς δέον χρήσασθαι δυνάμενος τάχιστα πλουτήσειεν ἄν· ἐν ἀμφοτέροις γάρ, τῷ τε δεδιότι καὶ τῷ ἐλπίζοντι, ἑώρων τὴν πρόγνωσιν ἀναγκαιοτάτην τε καὶ ποθεινοτάτην etc. *Lat. interpr.* „in utroque enim horum, quoties vel metueretur aliquid vel speraretur, videbant futuri scientian et maxime necessariam et inprimis desiderabilem esse.“ Sed τὸ δεδιὸς est id, quod metuit, τὸ ἐλπίζον id, quod sperat; et propterea Graecismo non infrequenti illud δέος, hoc ἐλπίδα significat; hac ratione interpretatio Latina ita fere refingi posset, „in utroque enim et metu et spe“ etc. Sed malim voculam ἐν prorsus delere, ut e praecedenti ἄν ortam; ut sensus sit, ambobus enim, et ei, qui metuit, et ei, qui sperat, maxime necessariam esse hanc futuri scientiam. Nam ad homines Lucianum hoc retulisse, monstrant quae sequuntur statim verba, τῶν ἀθρώπων ἀεί etc. — Exempla vitiosae lectionis ex iterata proxima syllaba ortae iam *ad dial. deor.* 6, 5. dedimus. Addo nunc *Hippocr. de venis* c. 14. T. 1. p. 302. ἡ δὲ ἡπατῖτις ἐν ὀσφύϊ μέχρι τοῦ μεγάλου σπονδύλου, κάτωθεν δὲ σπονδύλοισι προσδιδοῖεν, ἐντεῦθεν μετέωρος δι' ἥπατος καὶ διὰ φρενῶν ἐς καρδίην. lege προσδιδοῖ.

Ibid. c. 22. T. 1. p. 529. μάλιστα δὲ εὐδοκίμουν παρ' αὐτῷ αἱ κυτρίδες, ἀκόπου τι ὄνομα πεπλασμένου, ἐκ λίπους αἰγείου συντεθειμένον. — Nomen huius remedii non est συντεθειμένον, sed ipsum remedium. Quapropter lege συντε-

Ἀπόλλων, Ἀπόλλωνος, ὁ, Apollo, Lat. Apollo, Gen. Apollonis, Dat. Apollini, Acc. Apollinem, Voc. Apollo, Abl. Apolline. Ἀπόλλωνος πόλις, ἡ, Apollonia, Lat. Apollonia, Gen. Apolloniæ, Dat. Apolloniæ, Acc. Apolloniam, Voc. Apollonia, Abl. Apollonia

ποίησε καὶ ἀναβάσεις ἔχειν ἐπὶ τοσαύτας ὑπερβολάς. ἔτεροι δὲ τὸν ἐπὶ τοσοῦτον ἐπὶ τὸν ἐπὶ τοσοῦτον ἐπὶ τὸν ἐπὶ τοσοῦτον ἐπὶ

Scholien. Parallel-Stellen gegenwärtiger Redensart, s. Wetstein. Kypke. Raphel. Elsner.

Anm. 2. Tit. 3, 10. ἀνθρωπον αἱρετικὸν μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ, ἐιδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος. Ein Irrlehrer, der nach einer und zweyten Ermahnung nicht Besserung annimmt, ist verkehrt, sündiget, und verdammet sich selbst, d. i. verdammet sich selbst durch sein Urtheil, indem er dadurch, daß er nach einer und zweyten Ermahnung keine Besserung annimmt, offenbar genug zu erkennen giebt, daß er seine irrige Lehre für wahr halte, und also sich selbst durch sein Urtheil verdammet. Vergl. Wetstein. Elsner. Kypke. Raphel.

Anm. 3. Tit. 3, 14. καὶ οἱ ἡμέτεροι μανθανέτωσαν καλῶν ἔργων προΐστασθαι εἰς τὰς ἀναγκαίους χρείας, ἵνα μὴ ὦσιν ἄκαρποι. Und unsere müssen sich befleißigen, gute Werke zu treiben, wo es nöthig ist, damit sie nicht unfruchtbar seyn. Vergl. Wetstein. Elsner. Kypke. Raphel.

Anm. 4. Tit. 3, 15. ἀσπάζονται σε οἱ μετ' ἐμοῦ πάντες. Es grüßen dich alle, die bey mir sind. Vergl. Wetstein. Elsner. Kypke. Raphel.

Anm. 5. Tit. 3, 15. ἀσπάζου τοὺς φιλοῦντας ἡμᾶς ἐν πίστει. Grüße alle, die uns lieben, und in der Religion mit uns übereinstimmen. Vergl. Wetstein. Elsner. Kypke. Raphel.

Anm. 6. Tit. 3, 15. ἡ χάρις μετὰ πάντων ὑμῶν. Die Gnade sey mit euch allen. Vergl. Wetstein. Elsner. Kypke. Raphel.

Anm. 7. Philem. 1, 1. Παῦλος δέσμιος Χριστοῦ Ἰησοῦ καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς Φιλήμονι τῷ ἀγαπητῷ καὶ συνεργῷ ἡμῶν. Paulus, ein Gefangener Jesu Christi, und Timotheus, unser Bruder, an den geliebten Philemon, unsern Gehülfen. Vergl. Wetstein. Elsner. Kypke. Raphel.

Anm. 8. Philem. 1, 2. καὶ τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ. Und der Gemeine, die in deinem Hause versammlet ist. Vergl. Wetstein. Elsner. Kypke. Raphel.

Anm. 9. Philem. 1, 3. χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Gnade und Friede von Gott unserm Vater und dem Herrn Jesu Christo. Vergl. Wetstein. Elsner. Kypke. Raphel.

Anm. 10. Philem. 1, 4. εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου πάντοτε μνείαν σου ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου. Ich danke meinem Gott allezeit, indem ich deiner gedenke in meinem Gebete. Vergl. Wetstein. Elsner. Kypke. Raphel.

Anm. 11. Philem. 1, 5. ἀκούων σου τὴν ἀγάπην καὶ τὴν πίστιν, ἣν ἔχεις πρὸς τὸν κύριον Ἰησοῦν καὶ εἰς πάντας τοὺς ἁγίους. Indem ich von deiner Liebe und Treue gegen den Herrn Jesum und gegen alle Heiligen höre. Vergl. Wetstein. Elsner. Kypke. Raphel.

Anm. 12. Philem. 1, 6. ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου ἐνεργὴς γένηται ἐν ἐπιγνώσει παντὸς ἀγαθοῦ τοῦ ἐν ἡμῖν εἰς Χριστόν. Damit deine Gemeinschaft im Glauben kräftig werde durch die Erkenntniß alles Guten, das unter uns ist, zu Christo. Vergl. Wetstein. Elsner. Kypke. Raphel.

Anm. 13. Philem. 1, 7. χαρὰν γὰρ πολλὴν ἔσχον καὶ παράκλησιν ἐπὶ τῇ ἀγάπῃ σου, ὅτι τὰ σπλάγχνα τῶν ἁγίων ἀναπέπαυται διὰ σοῦ, ἀδελφέ. Denn ich habe große Freude und Trost an deiner Liebe gehabt, daß durch dich, mein Bruder, die Herzen der Heiligen erquicket sind. Vergl. Wetstein. Elsner. Kypke. Raphel.

Anm. 14. Philem. 1, 8. διὸ πολλὴν ἐν Χριστῷ παρρησίαν ἔχων ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον, διὰ τὴν ἀγάπην μᾶλλον παρακαλῶ, τοιοῦτος ὢν ὡς Παῦλος πρεσβύτης, νυνὶ δὲ καὶ δέσμιος Χριστοῦ Ἰησοῦ. Ob ich gleich in Christo eine große Freyheit habe, dir zu befehlen, was sich gebühret, so will ich doch um der Liebe willen lieber bitten, weil ich ein solcher bin, als Paulus, ein alter Mann, nun aber auch ein Gefangener Jesu Christi.

Anm. 15. Philem. 1, 9. παρακαλῶ περὶ τοῦ ἐμοῦ τέκνου, ὃν ἐγέννησα ἐν τοῖς δεσμοῖς Ὀνήσιμον. Ich bitte dich für meinen Sohn, den ich gezeuget habe in meinen Banden, Onesimum.

perrime *Matth. Gr. Gr.* p. 266. *Buttm. Gr. Gr.* p. 281. *Heind. ad Plat. Phaedon.* c. 58. Adde *nostr. Harmonid.* c. 3. T. 1. p. 403. *εἰ τοῖς ἀπανταχόθεν ἀνθρώποις ἐπιδεικνύμην τοὺς λογους*, ubi, quod cod. un. Par. habet *ἐπιδεικνύοιμεν* (et hoc vitiose pro *ἐπιδεικνυοίμην*), ex interpretatione rarioris formae fluxit; interpolatum hunc codicem reliqua in hoc loco lectionis varietas monstrat. *Nicol. Damasc.* in *Creuzeri fragm. hist. Gr.* p. 208. (ipsa enim Nicolai excerpta non sunt ad manum) *καὶ ὁ παῖς εἰς οὐρανὸν τὰς χεῖρας ἀνασχὼν, ὦναξ Ἄπολλον καὶ θεοὶ πάντες, ἔφη, οὕστινας ὁ πατὴρ ἐτίμησεν, ἔλθετε νῦνγε ἡμῖν βοηθοὶ, καὶ μὴ συναπόλλυται Κροίσοι πᾶσα ἀνθρώπων εὐσέβεια*, ubi *συναπόλλυται* pro *συναπολλύηται*. Sed *καὶ μὴ* praeterea vitiosum est; legendum videtur *ἵνα μή*. *Hippocr. de morb.* l. I. c. 7. T. 2. p. 9. *καὶ λεχοῖ ἐπὶ γαστρὸς ὀδύνη ἦν δοίη* (leg. *δοίη*) *τι ὁ ἰητρὸς, καὶ κακῶς σχῇ ἢ καὶ ἀπόλλυται, ὁ ἰητρὸς αἴτιος.* [*Galen.* T. 2. p. 6, 8. *εἰ ἐξετάζοιτο – – – εἰ δὲ καὶ μὴ μίγνυτό ποτε.*]

Amor. c. 31. T. 1. p. 625. *πλὴν ἐπεὶ τοῦτ' ἀμήχανον, – ξένοι τε ἐπ' ἀλλοτρίας γῆς ἀπειλείμμεθα.* Ultimam vocem, quod mireris, Latinus interpres ab *ἀπολείπω* derivavit. Lege *ἀπειλήμμεθα*, „*ἀπολαμβάνειν* quoniam omnino significat *intercludere, intercipere*, de vento quoque a proposito itinere excludente proprium est vocabulum. V. *Dorvill. ad Char.* III, 3. p. 363. *ed. Lips.* et *conf. Wessel. ad Herod.* 2, 115.“ Sic de hoc verbo *Heind. ad Phaedon.* c. 3.

Imagin. c. 19. T. 2. p. 13. *εἰκάσθω οὖν καὶ αὐτὴ Θεανώ τε ἐκείνη* etc. Verba *καὶ αὐτὴ*, ut accuratius totum locum legenti statim patebit, hic nullum locum habent. Nam significarent, alias iam foeminas cum Theano etc. collatas fuisse, quod a sententia prorsus abhorret. Lego *καθ' αὑτὰ* sc. *τὸ ἤμερον καὶ τὸ προσηνές*, quae praecedunt.

Apol. pro imagin. c. 12. T. 2. p. 19. 20. *ταῦτα μὲν ἔλεγεν ἐκείνη. σὺ δὲ σκόπει, ὦ Λυκῖνε, ὅπως μετακοσμήσῃς τὸ βιβλίον, καὶ ἀφαιρήσῃς τὰ τοιαῦτα μηδὲ σφαλῇς πρὸς τὸ θεῖον, ὡς ἐκείνη πάνυγε αὐτὰ ἐδυσχέραινε, καὶ ὑπέφριττε μεταξὺ ἀναγινωσκομένων, καὶ παρῃτεῖτο τὰς θεὰς ἵλεως εἶναι αὐτῇ, καὶ συγγνώμη εἰ γυναικεῖόν τι ἔπαθε. καίτοι, εἰ χρὴ τἀληθὲς εἰπεῖν, καὶ αὐτῷ ἐμοὶ τοιοῦτόν τι εἰπεῖν ἔδοξε· τὸ μὲν γὰρ πρῶτον ἐποίουν, οὐδὲν ἐπλημμέλησα, ἐνορῶν τοῖς γεγραμμένοις· ἐπεὶ δὲ κείνη ἐπεσημήνατο, καὶ αὐτὸς ἄρχομαι τὰ ὅμοια γιγνώσκειν περὶ αὐτῶν·* etc. Verba haec nonnullis vitiis inquinata sunt; pro *συγγνώμη* legendum vel *συγγνώμην*, vel, quod magis placet, *συγγνῶναι*. [Causam mutationis nunc nullam video.] Tum *τοιοῦτόν τι εἰπεῖν* sensu idoneo prorsus caret, quod

iam Solanus vidit. Desideraveram olim pro *εἰπεῖν*, *συμβῆναι* vel tale quid. Cod. unus praebet *παθεῖν*, sed tum deberet esse *αὐτὸς ἐγὼ — ἔδοξα*. Nunc iam simplicissimum videtur rescribere *τοιοῦτόν τι εἶναι*. — *εἶναι* sc. *ἐν τῷ βιβλίῳ*, *τοιοῦτόν τι*, sc. *οἷον ἡ Πανθέα εἶπεν*. — Mox recte iam ab aliis emendatum est *οὐδὲν πλημμέλημα ἐνεώρων*.

Iup. Confut. c. 7. T. 2. p. 98. *εἰ βούλοιντο ἐκκρεμαννυμένους κατασπᾶν βιάζεσθαι*. Iam Reitzius vidit nominativum hic requiri *ἐκκρεμαννύμενοι*, ultimum *σ* forsan indicio est, scripsisse Lucianum *ἐκκρεμαννύμενοί σε κατασπᾶν*.

Ibid. c. 14. T. 2. p. 104. *ἐχρῆν μὲν μηδὲ ὀργίζεσθαι, θεὸν ὄντα. πλὴν ἀλλὰ καὶ τὸ ἐξαπατηθῆναι τῷ Λυδῷ ὑπὸ τοῦ χρησμοῦ ἐπέπρωτο, οἶμαι. καὶ ἄλλως τὸ μὴ σαφῶς ἀκοῦσαι τὰ μέλλοντα ἡ Εἱμαρμένη ἐπέκλωσεν*. Quid sibi h. l. vult *ἄλλως*? Lege *ἄλλοις*. Croeso fatale fuit ab oraculo decipi: aliis vero fatale fuit, non dilucide futura intelligere. — Possis quoque *καὶ ὅλως*, sed prior correctio praestare videtur.

Icaromenipp. c. 19. T. 2. p. 191. *ἐπειδὴ δ' οὖν πάντα ἱκανῶς ἑωρᾶτο καὶ κατεγεγέλαστό μοι, διασείσας ἐμαυτὸν ἀνεπτώμην*. Lege *ἑώρατο* accentu mutato,*) et *ἀνεπτόμην*, hoc e codd.: — Mox c. 27. p. 197. pro *ἀνηνεγμένον*, quod augmento peccat, lege *ἀνενηνεγμένον*. — *ibid.* c. 29. legitur *τὴν μὲν αἰτίαν τοῦ ξυναγαγεῖν ὑμᾶς ὁ χθιζὸς οὗτος ξένος παρέσχηται*, ubi Belinus voluit *παρέχει*, et mihi *παρέσχηκε* melius videbatur. Sed nunc nihil muto. *Hippocr. de morb.* I, 2. T. 2. p. 2. *τὰς δὲ νούσους παρέχεται τὰς μὲν ἀπὸ αἰτίων* etc. Sed non sic defendo, quod legitur *Hesiod. Theog.* 746.

τῶν πρόσθ' Ἰαπετοῖο πάϊς ἔχει οὐρανὸν εὐρύν,

ubi, si quid video, corrigendum est *ἔχει*. [Medium *παρέχεσθαι* solemne est in his et similibus. cf. *Heind ad Plat. Phaedon.* 82. p. 136. *Lucian. apol. pro de merc. cond.* c. 8. T. 1. p. 328. *ἐν οὕτως ἀμφιλαφεῖ τῇ ὑποθέσει καὶ μυρίας τὰς ἀφορμὰς παρεχομένῃ. id. Somn. s. Gall.* c. 13. T. 2. p. 158. *ὅσας μὲν χρείας παρέχεται ὁ χρυσός. id. Anachars.* c. 26. T. 2. p. 273. *καὶ ἀκαμάτους ἐπὶ πλεῖστον παρέχεται. Heliod. Aeth.* 8, 6. p. 320. *ἐπιδείξεως ἀφορμὴν--- παρεσχημένη*.]

bis accusat. c. 10. T. 2. p. 208. *αὕτη τοι διηγήσεται τὰ πάντα· ἐγὼ δὲ ἐπὶ τὴν ἀκρόπολιν καὶ τὸ κήρυγμα*. Lege *ἐγὼ δὲ εἶμι ἐπὶ τὴν* etc. Nam cum nihil ejusmodi praecesserit, *ἀπὸ τοῦ κοινοῦ* intelligi nequit.

---

*) Eodem modo peccatum est in *Xenoph. memor.* I. 2, 64. ubi pro *ἡτιᾶτο* legendum est *ἡτίατο*, ut praecedens *ἐγέγραπτο* monstrat.

Parasit. c. 8. T. 2. p. 236. *ΠΑΡ. -- φέρε γὰρ, εἰ ἐπιτρέψας σὺ σεαυτῷ ναῦν ἐν θαλάττῃ καὶ χειμῶνι, μὴ ἐπιστάμενος κυβερνᾶν, σωθείης ἄν; ΤΥΧ. οὐχ οὕτω. ΠΑΡ. τί δήποτε, ἢ τῷ μὴ ἔχειν τέχνην, δι' ἧς δυνήσεαι σώζειν ἑαυτόν; —* Omnes codd. habent *δυνήσεται*; quod nunc legitur, e correctione Gesneri est, unde male Ionica forma scriptori nostro infertur. Praeterea quid sibi vult *εἰ* cum participio *ἐπιτρέψας*? Sed lege *εἰ ἐπιτρέψαι τις ἑαυτῷ - - - σωθείη ἄν;* ubi *ἐπιτρέψαι* ex nostra correctione est, reliqua praebuit optimus cod. Gorl. Iam *δυνήσεται* bene se habet.

Ibid. c. 37. T. 2. p. 245. *φιλοσόφους μὲν οὖν, ὥσπερ ἦν, παρασιτίᾳ σπουδάσαντας ἔδειξα.* Gesner. *ὥσπερ ἦν*, vertit ***sicut dicebam,*** quod, quicquid in notis dicat, Graecae linguae consuetudo non fert. Idem tamen confitetur, posse quoque verti, ***quantum licuit.*** Bene sic quidem. Sed malim *οὕσπερ ἦν*, ***quos licuit, quoscunque potui.***

Rhetor. praec. c. 1. T. 2. p. 289. *ἐρωτᾷς, ὦ μειράκιον, ὅπως ἂν ῥήτωρ γένοιο, καὶ τὸ σεμνότατον τοῦτο καὶ πάνδημον ὄνομα, σοφιστὴς αὐτὸς εἶναι δόξῃς.* Pro ultima voce *δόξαις* legendum esse, quivis videt. Plures praeterea codd. et editt. habent *πάντιμον*, quod cum Graevio et Solano praefero. Etiam Gronovius vitium vulgatae lectionis sensit, sed cum nostram lectionem non novisset, coniecit *πάνδεινον*, quod saltem *τῷ πάνδημον* praeferendum est. Ratio vero illa, quam Gesner et Reitzius defendendae vulgatae afferunt, scriptorem c. 25. per Venerem *πάνδημον* iurare, ne quid durius dicam, nihil valet; *ὄνομα πάνδημον* non potest esse, ***omnium ore celebratum nomen,*** ut isti vertunt, sed est ***nomen, quod toti populo convenit***, quod hic nullo modo tolerari potest.

Ibid. c. 6. T. 2. p. 292. *ὡς γαμήσειάς τε αὐτήν.* Notetur h. l. forma *ἐγάμησα*, quam Buttm. prorsus praeteriit, et Matthiae in solo novo Test. reperiri contendit; neque Fischer alia exempla attulit. Simile est futurum *γαμήσω*, quod aliquoties in Luciano occurrit, ut statim c. 8 et 9. ***de domo.*** c. 22. T. 2. p. 401. ***Dial. meretr.*** 7, 2. T. 2. p. 458. Usus quoque eo est ***Long. Past.*** 4, 20. p. 476. ***Bod.***

Ibid. c. 9. T. 2. p. 293. *εἶτά σε κελεύσει ζηλοῦν ἐκείνους τοὺς ἀρχαίους ἄνδρας, ἕωλα παραδείγματα παρατιθεὶς τῶν λόγων, οὐ ῥᾴδια μιμεῖσθαι, οἷα τὰ τῆς παλαιᾶς ἐργασίας ἐστὶ, Ἡγησίου καὶ τῶν ἀμφὶ Κράτητα καὶ Νησιώτην, ἀπεφθιγμένα καὶ νευρώδη καὶ σκληρὰ καὶ ἀκριβῶς ἀποτεταμένα ταῖς γραμμαῖς.* Magnae hic sunt controversiae. *Hegesiam* intelligit Graevius Magnetem illum, qui primus Asiaticum dicendi genus invexit. ***Cic. orat.*** 67, 69. *Cratetem*

fuisse quidem rhetorem Trallianum, ex Isocratis schola profectum, *Diog. Laert.* 4, 269, sed minus illum nobilem, quam ut hic intelligi possit; legendum esse ex uno Ms. *Κριτίαν*, intelligendumque de celebri illo Socratis discipulo, unoque ex XXX tyrannis, quem *Cic. de orat.* 2, 20. bonum oratorem laudat. — *Nesiotem* sive insulanum esse Gorgiam Leontinum; Siciliam enim *κατ' ἐξοχήν* insulam dici; quo trahere possis verba *Quintil.* 3, 1, 8. „*Vir eiusdem insulae, Gorgias Leontinus*" ut ad cognomen *Νησιώτου* respiceretur eo loco. — Verum in omnibus his erraverunt et Graevius, et qui eum secuti sunt. Nam *Hegesias* orator nullo modo hic intelligi potest, nam is primus masculam illam et Atticam eloquentiam corrupit: „*ut verbis enim et sententiis ineptus fuit, sic maxime orationis structura.*" Scripsit quoque historiam Alexandri magni, e qua frigide dictum recte vituperat *Plutarch. Alex.* c. 3. cf. egregie de hoc rhetore disputantem *Ruhnk. ad Rutil. Lup.* p. 25 - 27. 2) Si *Νησιώτης* de Gorgia Leontino intelligi deberet, scribendum esset *τὸν Νησιώτην*. Sic *ὁ ποιητής* est Homerus etc. Praeterea vero nusquam sic simpliciter nominatur Gorgias, ut hoc appellativum vices nominis proprii sustinere possit. — Rectius igitur alii agere visi sunt, qui non rhetores h. l. sed sculptores intellexerant, quo verba sequentia quoque nos ducunt. Iam pro Cratete Critiam reponendum esse, nullum est dubium. Et sic in uno cod. Paris. et cod. Gorl. reperitur. Iam Belinus bene subministravit locum Plin. *H. N.* 34, 8, *sect.* 19. „*Phidias floruit Olympiade LXXXIV, circiter CCC nostrae urbis anno; quo eodem tempore aemuli eius fuere Alcamenes, Critias, Nestocles, Hegias.*" Vides Critiam Phidiae aequalem et aemulum, quod optime nostro loco convenit; nam de priscis illis et bonis statuariis agitur. Emendat itaque Belinus nostrum locum ita: *Ἡγίου καὶ τῶν ἀμφὶ Κριτίαν καὶ Νεστοκλέα*, quod cum loco Plinii comparatum speciosius quam verius est. Nam Nestoclem istum Plinii nemo praeterea novit. In eo quoque Belinus erravit, quod Solani notam inspicere neglexit, qui iam verum vidit, Critiam et Nesiotem eundem artificem esse. cf. *nostr. Philops.* c. 18. T. 2. p. 314. *ἐν οἷς καὶ τὰ Κριτίου τοῦ Νησιώτου πλάσματα ἕστηκεν, οἱ τυραννοκτόνοι.* Sed quod Solanus solo *καὶ* extruso huic loco se mederi posse credit, fallitur; pro *καὶ* necessario legendum est *τὸν*, quod vitium, e compendio scripturae natum, saepius iam nobis se obtulit. Verisimilius itaque est, in Plinio pro *Nestocles* legendum esse *Nesiotes*, commate post *Critias* deleto. Re-

stat nunc unus *Hegesias*, pro quo Belinus *Hegiam* substituit. Pro uno eodemque habere videtur Ruhnkenius. Sed diversi fuerunt. cf. *Harduini not. ad Plin.* l. c. p. 648. *Hegesiae* sculptoris antiquissimi meminit quoque *Quintil.* 12, 10. quapropter nihil in hoc nomine mutandum est.

Ibid. c. 13. T. 2. p. 296. *ὑποπεπτηχότων.* Lege e cod. Oxon. *ὑπεπτηχότων*, quod iam *Dorvillius* monuit, ad *Charit.* 6, 8. p. 553. *Lips.* Legitima forma exstat apud *nostr. musc. encom.* c. 4. T. 2. p. 342. et c. 12. p. 345.

Dial. meretr. 13, 2. T. 2. p. 474. *οἱ μὲν οὖν ἄλλοι κατεπεπλήγεσαν οἱ λοχαγοὶ καὶ οἱ ταξίαρχοι, καὶ ὁ ἡγεμὼν αὐτὸς, καὶ τοι οὐκ ἀγεννὴς ἄνθρωπος ὤν. Ἀρίσταιχμος γὰρ ἡγεμὼν ἡγεῖτο Αἰτωλός.* Vox *ἡγεμὼν* ante *ἡγεῖτο* iure suspecta fuit Belino, qui eam vel delendam vel in *ὁ Ἡγεμῶνος* mutandam censet. Sed ipse vir doctissimus nunc mihi adstipulabitur, legenti *ἡμῶν ἡγεῖτο.* Simile fere vitium unius syllabae in media voce abundantis insidet *Heliod. aeth.* 2, 9. p. 63. *ᾧ καὶ δεύτερον εἰς τὴν Αἴγυπτον συνέπλευσα.* lege *ᾧ καὶ δεῦρο εἰς* etc.

De morte Peregrin. c. 43. T. 2. p. 496. *καὶ ὡς ἐπιταραχθείη μὲν τῆς νυκτὸς, ἐν μέσῳ τῷ Αἰγαίῳ γνόφου καταβάντος καὶ κῦμα παμμέγεθες ἐγείραντος, ἐκώκυε μετὰ τῶν γυναικῶν* etc. lege *ὡς ἐπιταραχθεὶς*, quod participium pertinet ad *ἐκώκυε.* In codicibus *H* saepe cum *Σ* et *N* confusum est. *Nost. Lapith.* c. 2. T. 2. p. 536. *ἧς οὐκ οἶδ' ἄν τις ἡδίων ἔμοιγε.* lege *οὐκ οἶδα ἥτις ἡδίων* etc. *Plat. Lysid.* c. 27. p. 32. *Heind. ὃ δὲ μὴ ἀγαπᾷη, οὐδ' ἂν φιλοῖ;* lege cum Schleiermachero *ὁ δὲ μὴ ἀγαπῶν* ut semper in praecedentibus. Alias esset *ὃς δὲ* etc. (Caeterum obiter moneo, in fine eiusdem capitis pro *ἄλληλα φθόνου* legendum videri *ἀλληλοφθονίας.*) *H* post *N* excidit in *deor. concil.* c. 16. T. 2. p. 610. *μήτε τὸν Ἀπόλλω τοσαῦτα μόνον ποιεῖν, ἀλλ' ἕν τι ἐπιλεξάμενον, μάντιν ἢ κιθαρῳδὸν ἢ ἰατρὸν εἶναι.* Lege *ἢ μάντιν ἢ κιθ.* etc. *H* post *Σ* excidit in *Heliod. aeth.* 9, 5. p. 356. *καὶ οὔπω τῆς τῶν Περσῶν γνώμης συνιέντες δύο πού τινας καὶ πλείους διαπείρουσιν.* lege *ᾗ καὶ πλείους.* *H* ante *N* excidit *Lucian. dial. deor.* 6, 5. T. 1. p. 86. *οὔτε γὰρ ἡ νεφέλη ποτὲ Ἥρα γένοιτ' ἄν, οὔτε σὺ νεφέλη.* lege *οὔτε σὺ ἡ νεφέλη.* Non enim sensus est *tu, Iuno, numquam fies nubes*, sed *tu, Iuno, numquam fies haec nubes*, quam pro te Ixioni subiecturi sumus. *H* post *N* exidit in *Hippocr. de humor.* c. 11. p. 327. *τὰ παρὰ τὸ οὖς, ὅσοισιν ἂν ἀμφὶ κρίσιν γενόμενα, ἢν μὴ ἐκπυήσῃ* etc. lege *ὅσοισιν ἂν ᾖ ἀμφὶ* etc. Memorabile exemplum confusorum *N* et *Σ* exstat apud *Archimed.* p. 123. l. 45.

ubi pro ἢ τέτρωκον τὸ μόριον δακτύλου leg. ἢ τετρακοστομόριον δακτύλου. Doricam formam τετρώκοντα ex tabulis Heracleensibus in Lexicon recepit Schneider. Adde ordinale τετρώκοστος *Archimed.* p. 126. l. 10. l. 21 et 23 (duobus postremis locis male τετράκοστος legitur) et τετρακοστομόριον ex *Archimed.* p. 123. l. 48. p. 124. l. 46.

XX.

Variae Lectt. e Cod. Cizensi *Ciceronis Epp. ad Div.* enotatae a *Dähne.*

(Miscell. Crit. Vol. I. P. I. p. 162 sqq.)

Cic. Ep. ad Divers. Lib. II. ep. 1. In margine codicis *) scriptum legitur: Nota hanc epistolam, quae bona est et principatum tenet in aliis. — te desiderare — prae te fers — impiger in scribendo — ad summum — ego eodem — abfuisset (A) — et doleo (A) — praecipere tibi — confirmatus (A) fient (A) n. 1) — conquiescat tua (A).

Ep. 2. ante videret prius — (e vita A — Vetustus liber Manutii habet: *vita decederet*) — sed me certe — (cui carus A) — periucundus (A) — (Vale A).

Ep. 3. *Rupae*] nuper — Equidem in ea re quid sentiam — ne ad eam (A) — *meditere*] Uncis inclusum est — *et ut*] desunt (A) — curamque (A) n. 2) — *istam tu-*

---

*) Codex chartaceus est et seculi decimi quarti videtur esse.

Ep. 1. n. 1.) *fient*] Haec scriptura, quam etiam Cl. Lünem. restituit, et urbanitate orationis, qua epistola excellit, commendatur et latinitate comprobatur. Obtinet enim Indicativus in pronominibus et particulis *quantuscunque, quisquis, qualiscumque, quoquomodo, cuicuimodo, quotquot, utut, sive - sive* aliisque his similibus, ubi res per se ut certa et vera neque aliunde pendens cogitatur. In quibus eo facilius error committitur, quo magis ratio sermonis vernaculi discedit. Cic. ad Att. X, 4, 1: Quoquomodo se res *habebit*, ubi recte Ernesti *habebit* restituendum censuit; ad Div. 1, 5. de quo loco in Miscell. critt. V. I. P. I. p. 164. diximus. Cf. Heind. ad Hor. Sat. I, 10, 88. p. 225. Zumpt. Gr. §. 76, 2.

Ep. 3. n. 2.) *Equidem — meam dicam*] Scribimus: *Equidem quid sentiam aut scribam ad te postea pluribus, aut, ne ad ea meditere, imparatum te offendam coramque contra* etc. Ut ita legeremus, effecit cum auctoritas nostri codicis, Ald. aliorumque, qui fere omnes in posterioribus verbis conveniunt, tum id quod Cic. vult dicere. Haec est enim Cic. sententia: *Equidem quid de hac re iudicem aut postea ad te copiosius scribam, aut, ne habeas quod ante*

am] desunt (A). — ***rationem meam dicam***] Vetus Man. liber: *rationem edisseram* — ad meam sententiam — *animum tuum*] animum — (in repbl. amplissima A) — si aliter — quia ingrediar — disputationem — hanc omnem — (in expectatione te — profecto cognosces — Vale A).

Ep. 4. illud unum — ***res ipsa***] supra scriptum legitur: *modus epistolarum* — in huius generis summa literas a me profecto non expectas (expectas A) — ***domesticos***] d. (domesticarum enim rerum tuarum habes A). In variis scripturis editioni Ald. sub finem additis Paul. Manutius correxit: expectas: domesticos — ***deceat***] liceat — mea causa, ut — quae non sentio velim scribere — (nunc sentio velim scribere A) — mihi nullum (A) — gravis tibi — hae laudes — in his — *Vale*] d.

Ep. 5. audeo tibi. Etsi — ***antea***] ante — vel quia excelso — sita sit (A) — se me mehercule — in eo cive — vendicaturus — (Vale A).

Ep. 6. (*Servilium*] Sextum Iulium. Vetustus lib. Manut. Servilium A) — familiarem his — putaretur — rei magnitudo — (ad te quam primum A) — officia non solum — ***est homini prudenti***] In margine cod. est *homini pudenti* — *(beneficia*] d. A) omnium est — *merita*] d. — non possum — tua in me vel innumerabilia beneficia non A) — quam vel non — (meus accipiendo vel remunerando A) — (possit A) — *omnem in Mil.*] Schol. ut consul fiat — fuisse curae — ***conciliatum***] consiliatum — (suffragiis propter A) — fortasse gratiosam — si memorem — *quod tum*] qui tum — a te ipso peto — ut huic meae laudi — *prope*] proprie — (benevolentiae A) — ***ad te***] in te — Eam autem tuo unius studio A. n. 3. — Vale A).

---

cogitatum mihi opponas, praeparatusque ad me venias, tecum nondum de mea ratione edocto colloquar coramque contra istam etcc. Ich will, ohne dass du vorbereitet bist, dich sprechen und dir persönlich meine Gründe gegen die Deinigen sagen. Scrupulum videtur movisse *offendam*, quod h. l. significat *conveniam, adibo* colloquendi causa et dicitur in re fortuita, quae quando fiat adhuc incerta est et praeter opinionem accidit. Aliud huic simile exemplum invenire non potuimus, sed non dubitamus, quin id, quod volumus, significare possit, cum a Graecis ἐντυγχάνειν eodem modo usurpetur. Plato Apol. Socr. c. 32. Ἐπεὶ ἴσως καὶ αὐτῷ θαυμαστὴ ἂν εἴη ἡ διατριβὴ αὕτη δοκῶ, ὁπότε ἐντύχοιμι Παλαμήδει καὶ Αἴαντι. Cf. Sturz. Lex. Xen. s. ἐντυγχ. n. 2. Cic. locum Platonis Tusc. Disp. I, 41, 98. ita interpretatur: *quanta delectatione autem afficerer, quum Palamedem, quum Aiacem — iudicio iniquorum circumventos convenirem!*

Ep. 6. *n.* 3. *tuo unius studio*] i. e. studio, quod unus Curio Ciceroni significaret, ita ut in pron. *tuo* vis agendi insit, quae h. l. requiritur. Quam ob rem, quod Aldus edidit praeferendum est vulg.

Ep. 7. (Sed et tibi A) — ut moderer — qui tibi (A) — esse recta non novi — *initio*] d. — et te adhibe — Alter, qui consilium melius dare — cur non absum — Tametsi hoc (A) — ex mea sententia (A) — rempbl. gessimus (A) n. 4.) — unius literis — adhibuerimus — in te item — mihi quidquam (A) — *itemque*] itaque — *Saepius*] saepe — *et ab adolescente gerat*] tum adolescente et gravissimo (et adolescente A) — non tribuno plebis Lentulo et a Curione, non ut decernatur aliquid — Et ut (A) — Vale (A).

Ep. 8. *meo iudicio*] meo studio — *πολιτ.*] d. relicto spatio — perferes et ipse memor — *quivis*] quis — *complures*] plures — non possunt — Pompeium esse — *ut ne*] ne (A) — (*quod*] quid A) — quomodo (A) — (Vale A)

Ep. 9. (*Primum*] plurimum A) Vetus lib. Manut. *S. P. D. primum*) — laetorque tum insperata dignitate, serius — (in iis enim A) — (ita factum sit — quem semper A) Vetus lib. Man. *ad me quod* — scis quem dico n. 5.

---

ubi inepte legitur *tui unius studio*, i. e. studio, quod Curio ipse sibi significaret. Liv. VI, 23. Camillus, quae bella *suo unius studio* gesta sunt, memorat. Cic. in Pis. 6. Iuravi rempbl. *mea unius opera* esse salvam. In Vatin. 3. fin. Quid optabilius ad immortalitatem gloriae — quam omnes hoc cives meos iudicare, civitatis salutem cum *mea unius salute* esse coniunctam. Hunc postremum cum nostro locum attulit Budaeus in libro aureo: Comment. Ling. Gr. Bas. 1556. p. 35. Sed patrocinatur alteri scripturae nunc ex melioribus cod. emendandae.

Ep. 7. *n.* 4.) *rempbl. gessimus*] Intelligit Cic. res, quas in Cilicia atque Amano monte gesserat, multis castellis atque oppido Pindenisso longa obsidione captis. Vid. ep. 10. et lib. XV, 4; ad Att. V. 20. Has igitur res ad Senatum, ut videret, quid ad dignitatem, salutem et maiestatem imperii R. defendendam atque augendam fecisset, erat perscripturus, cogitans de triumpho ad quem, qualescunque erant res, quas gesserat, pro gloriae cupiditate adspirabat (Cf. Wiel. P. III. p. 501 sqq.) Qua in re ad Senatus decretum spectante optime dicit *rempublicam* in quo omnes libri a Benedicto collati conveniunt idque iure Benedict. et Matthiae revocarunt. Liv. XL, 36, 12. Et supplicationes decretae, quod is prospere *rempbl.* gessisset. XXXIX, 4. init. Petiit a patribus, ut aequum censerent, ob rempbl. bene ac *feliciter gestam* — sibi triumphum decernere. Quae loca debemus copiae Drakb. ad Liv. II, 46, 5. congestae, ubi etiam videre licet quam saepe interpretes perperam corrigentes *rempbl.* mutaverint.

Ep. 9. *n.* 5. *Scis, quem dicam*] Non spernendum est, quod in nostro cod. Dresd. 3. 4. 5. Torg. atque Asc. 1. invenitur: *scis quem dico*, ubi res ut certa atque in facto posita a Cic. cogitatur, ita ut oratio sit definita. Pari modo Cic. Tusc. Disp. IV, 36, 77. *Nosti, quae sequuntur.* Atque haud scio an lib. III, 19, 45. legendum sit: *scitis, quae sequuntur.* Sed de his eo cautius est iudicandum, quo lectior et subtilior saepe ratio est, qua scriptor rem cogitaverit. Ex-

— (iactitabat A) — contemplas — quod quia (A) — facta obiicitur (A) — hominibus laetitiis. In quo (omnibus laetitiis. In quo A) — voluptatem hominis — nactus otii — *mi Rufe*] mirifice — (Vale A).

Ep. 10. Tu vide quam timide, quam ad me literae non perferuntur non possum adduci — (*ob rem*] desunt A) — postquam tu aedilis effectus (Aedilis factus es A) — gratulationes A) — gratulationis de te, quia quidem sperabam — *de Hillo*] de nihilo (de illo A) — *balbus*] Balbus — Atque sic — accepisse epistolam — quum me laetitia, in meas literas (A) n. 6.) — Satis Parthos — et quadam auctoritate (A) — urbem — quae Senatus nosti — cetera quum — mihi voluptati fuit — *apud Issum quo*] ipsum montemque quo — *Clitarchus*] Dicharcus — *Darium*] clarum — et iam vices. — *operibus*] opibus (A) n. 7. — *in praesente*] praesentia — assequi quod optasses — *Rufe*] ruffe — *Spissius*] serius — ex tuis literis (A). — Vale (A).

Ep. 11. atque inprimis satietas provinciae — *viribus nostris*] viribus meis — (in repbl. onera — et possimus et soleamus, A) n. 8) — *in Cariam*] in cassuram — (sed quid plane esset, nesciebamus A) — mehercule est curae magnae edilitas tua — ipsa res — (ipsa dies A) — Megalensibus ipsis — cognovero (A) — Vale (A).

---

empla, quae Wopk. Lect. Tull. p. 144 collegit, diligentius sunt examinanda.

Ep. 10. *n.* 6. *in meas literas*] Gesnerus in thes. s. v. *evenire* haec verba ita explicat: *vel in mearum literarum perniciem, ne videlicet negligentia tabellariorum tibi meae non reddantur, quemadmodum nec tuae mihi sint redditae.* Elegantius quidem Cic. dixit *evenire in aliquid*, ut significaret literas casu et fortuitu in via perire posse. Ovid. Heroid. XX (al. XIX), 127. *In* caput haec nostrum dominae periuria quaeso — *eveniant.*

n. 7. *opibus*] Cum iam *opera* in aggeribus insint vineis ac turribus antea commemoratis, sequimur Cod. nostrum et retinemus *opibus* quod a Lünem. restitutum ab omnibus Bened. libris praeter Torgav. confirmatur. — Complectitur Cic. omnia, quae in oppido oppugnando necessaria erant atque in iis summam dicit collatam fuisse operam; de quibus latius scripsit in ep. ad Caton. (XV, 4.) ubi commemoratis oppugnationis operibus dicit *magno labore meo — rem confeci* i. e. tantis opibus tantoque negotio. Simili modo coniungit Tusc. III, 11. fin. omnibus *opibus atque viribus.*

Ep. 11. *n.* 8. *viribus nostris* etcc.] Singularis personarum variatio: *videmur* — viribus *nostris*, qui *possim* et *soleam* — *videmur* — *decedemus.* Non rara quidem est in scriptis Cic. personarum variatio, sed nostro loco, ubi pron. relat. arctius possessivo iungitur, durior videtur, quare cum Ald. scribimus: *viribus nostris, qui — et possimus et soleamus* etcc.

Ep. 12. Quinquatris (Quinquatribus A) — *citeriora*] certiora — redirem tecum — nihil ad me adhuc—(quum tu haec A) — mihi obviae — tuae literae — (nemo potest A) — Pessimunte (A) — Iter habebat ad Deiotarum regem quamquam omnia nec benigna nec copiosa cognorant (A) — *Urbem; urbem*] urbem — (omnis enim peregrinatio A) — quod ab adoleseente — *est iis*] his — et in sententia — quam ex conservata — *Spes*] spem — triumpharem (A) — *(nec essem*] si non essem A) — *mitte*] emitte — (Vale A).

Ep. 13. Raras quidem tuas literas — et quam officii — constitueramus mihi — locutus sum (A) — in me honorificus — et studiorum — (tute es A) — (*cui iam*] quoniam A) — quum ut opinor accidit Phania et mehercule — (*κοινὸς μάρτυς*, ut opinor, accidit, et mehercule A) — praesertim mecum — Subdubitare, qua essem (A) — Te credo — forte suspicati sunt — veteranus civitatis — Caesarem non defendit — qui hoc putaret — ita in vita — quum iurisdictionem — locupletas in publicanis etiam lustris. Reliqua — (locupletaram A) — conservata in privatis — Maii, et (A). n. 9. — (primum A) — decedere (A) — Senatus consulto cupio — Vale (A).

Ep. 14. *M.*] d. — (eius ingenium A) — opera vestra — in huuc hominem — excipio — *propter hiemis*] per hiemis — Vale (A).

Ep. 15. quam ut est actum — ex sententia mea est (est ex mea sententia A) — (Mehercule A) — gaudeo a te plurimum — te prudentia — (epistolae tuae A) — (multum in eo A) — quae me valde — *honestum esse*] honestissime — *repbl.*] respbl. — tu valde te — amicus est — puerum inquis (A) — aut quaestorem — *Pomptinius*] Pompeius (Pontinius A) — (ex provincia — fortasse et illud A) — non sollicitus — *duorum*] d. — (*duorum*] virorum A) — omnes] communes — *nobilem*] neminem — Occlla — (plane ad me A) — *in actis*] iactis — *M. Atranio*] matrimonio — quid ad me — (Vale A).

Ep. 16. *ipsa*] d. — suspicare — in illis fuit — (animum meum A) — haberent n. 10) — existimares me —

Ep. 13. *n.* 9. *Mihi erat in animo — proficisci in Ciliciam — et — decedere*] Wielandus vertit: So denke ich — nach Cilicien abzugehen und — aus der Provinz abzuziehen. Sequitur igitur vulg. scripturam, in qua cod. noster atque Ald. consentiunt. Recte, nam partic. copulat. *et* habet vim colligendi, ut non opus sit partic. consecut. *ut*.

Ep. 16. *n.* 10. *haberent*] Respexit Cic. tempora non querelam

initio] supra scriptum legitur *que* — enim igitur — non tomachi modo — *lictorum*] licitorum — honore — *laurus*] laus — (sed iam etiam A) — sum facile submoveo — non vellem — tu facile — T. Ampii — *Vidisti*] tuum ridisti — (celavi. Sed nonne tum providisti? A) — *quod*] l. — me exiturum — *ergo*] igitur — *existimari*] existimare — (existimare, ex his miseriis nihil aliud me quaerere A) — *non arbitror*] arbitror — terrerent — fidissime (A) — *quam quidem*] quod quidem — *ulla*] illa — in memoria — haec tantum oblectabar A) — quaeras dum fuit — mihi ipsi (A) — *adolescente me. Eos ego fortasse*] adulescentes eos fortasse — sed tamen togam (A) — *noster dibaphum*] in dibaphum — (Haec adspersi A) — Dolabellam (de Dolabella A) — (si res tua A) — scripsit — Vale (A).

Ep. 17. Sallustio (A) — Proconsule — *Binas*] d. (A) — *a. d.*] ad (A) — Tarsii — certum est (A) — de referendis rationibus — nullam (A) — esse censeo — transierunt — *Itaque*] ita — (tamen] tum (A) n. 11. — *id est populum Romanum*] Haec desunt. n. 12.) pecuniae reipbl. — ut mihi — sine vectura (A) n. 13. — (curetur A)

---

hinc dixit *haberent*, quam nostri cod. scripturam etiam Lünemannus recepit. Saepe in his scribae a vera aberrarunt scriptura, ut Caes. B. C. III. 62, 2. ad eam partem munitionum ducit, quae *pertinebant* ad mare, longissimeque a maximis castris Caesaris *aberant*. Male in ed. Stradae legitur *pertinebat* — *aberat*; quod posterius Leid. sec. prius Palat. habet.

Ep. 17. *n.* 11. *nec tum erant confectae*] Iure Mart. Lag. et Lünem. revocarunt *tum*, qua particula significatur tempus, quo Cic. haec scribebat. Dass ich dir die Rechnungen — schicken soll, kannst du billiger Weise nicht erwarten; auch sind sie jetzt noch nicht fertig. Utimur praesenti tempore in rebus, quae, literis redditis, mutari possunt, Latini contra Imperfecto, cui part. *tum* respondet. Cf. ad Att. IV, 5. ne qua mihi liceret labi ad illos, qui *etiam tum*, quum misereri mei debent, non desinunt invidere. Quo loco usus est Cic. Praes. tempore, sed in re quam scribens mutationi non subiectam cogitabat. Idem fit in rebus historicis, quas scriptor ita exponit, ut ipse rebus, dum gerebantur interfuisse videatur. Liv. IV, 45. Lavicos legati missi, quum responsa inde retulissent dubia, quibus *nec tum* (jetzt noch nicht) bellum parari. Caes. B. G. 1, 50, 2. ubi *ne tum quidem* hostes prodire intellexit — exercitum in castra reduxit. Cf. Walch. emendd. Liv. p. 138.

n. 12. *id est pop. R.*] Haec verba Cod. noster reddit suspecta, ut putemus esse ab aliena manu adiecta. —

n. 13. *sine vectura*] Cic. pecuniam ex praeda Laodiceae deposuit, sed, ne detrimentum illi fieret, praedes accepit, qui perscriptionibus usi nomine suo de pecunia populo Romano caverent eoque effecit, ut non opus esset pecuniam publ. maris periculo committere; hinc dicit *sine vecturae periculo* i. e. ita, ut vectura non exposita sit maris periculo, atque ita cautum de pecunia —. Retinemus igi-

— vecturae non sunt — *tandem*] tarde (A) n. 14.) — Petis a me (A) n. 15.) — ea deest — sed perpeti — Bibulo amicissimus — (Sin a me A) — quas literas Bib. misit (quas Bib. literas misit A) — commune sibi soli (A) — uti negarem — frumenti — ieiunii — (*quia*] quem A) — Aribarginis — perdeteriores — accepis — facias — Vale (A).

Ep. 18. quod Aristoni nostro — quod etiam quaestor — tres (A) — (praesertim iure A) — tempora enim — reprehensione legatis quaestoris possis anteferre — (reprehensione legatis quaestorem possis anteferre A) — dignum maioribus — Vale (A).

Ep. 19. C. Imp. Celio Lucii filio cons. s. d. p. — *mihi quaestorem obt., eo iucundiorem*] Haec desunt. — mecum in provincia — (Postquam mihi nihil — ne id ita A) — quod nunc vereor — (*a. d.*] ad A) — neque quo die datae essent, neque unde, neque a quo tempore te expectarent (*nec quo tempore*] aut quo tempore essent A) — faciendum esse (esse faciendum A) — *mihi*] d. — et ut scis maxime mihi — *C. Virgilius*] Consul Virgilius Virginius A) — tuus propinquus familiaris — nemo potest — (id iam facilius A) — Vale (A).

---

tur quod scriptum legitur in Cod. atque Ald. *cautum sit sine vecturae periculo* et cogitando supplemus *de pecunia*, quae, cum pecuniae publ. proxime praecesserint, Cic. omisit. Hoc modo omnis quam Ernest. de hac forma dicendi movit tollitur dubitatio. Wieland: Ich bin gesonnen die ganze Summe, die ich für die Schatzkammer in den Händen habe, zu Laodicea versichern zu lassen, damit weder ich, noch das Volk Gefahr laufe, es der See anvertrauen zu müssen.

n. 14. *tarde*] Confirmat Cod. noster cum Ald. *tarde* quod M. Laguna et Lünem. probarunt idque tuentur quae proxime sequuntur: *ut cum legionibus iret.*

n. 15. *petis a me*] Restituit Lünem. *a me*, quae voces a Gebhardo aliisque deletae in omnibus leguntur libris, nec cur deleantur iusta est causa.

XXI.

C. A. Lobeckii diss. de *mysteriorum Eleusiniorum gradibus.* P. I.

(Regiomonti, a. 1822. pp. 22. 4to.)

Veritatis mysterium protoplastis traditum tum ad alias gentes tum ad Graecos pervenisse, quia iam dudum ere-

di desitum erat, idcirco hodie creditur, pertinetque ad res memorabiles olim deperditas, iam denuo inventas, de quibus scripsit Guido Pancirollus. Auctores huius novantiquae sententiae proferuntur quidem nulli, non quia nulli sunt, sed quia non satis speciosi. Cabbalistae videlicet, sicut pleraque graecanicae Theologiae capita, ita etiam gravissima Pythagoricae Platonicaeque disciplinae eademque vetustorum mysteriarcharum decreta, de mundo intellectuali, de migratione animorum, de saeculorum decursibus et rerum omnium regeneratione, non ab his, quibus vulgo inscribuntur, inventa sed ab archangelis cum Adamo communicata et ab hoc in posteros derivata fuisse demonstrant, quos singulos recensendo totum angelicae disciplinae progressum usque ad Heberum et Hebraeorum Patriarchas continuatum nobis ante oculos ponunt. a) Magnanimis Cabbalistis in vicem succedit vegeta Antiquariorum manus, qui dum docere conantur, qua via illius, quam vocant, divinae et perennis traditionis fama ad alias atque alias gentes pervenerit, quasi harpastum ludentes, ut ille comicus iuvenis (Athen. I. 15. A.)

Σφαῖραν λαβών
τῷ μὲν δίδους ἔχαιρε, τὸν δ' ἴφιν' ἅμα,
τὸν δ' ἐξέχουσι, τῷ δ' ἀνίστησιν πάλιν
κλαγκταῖσι φωναῖς —

ita illorum alter alteri praereptam et extortam pilam modo Aegyptum versus, nunc ad Indos, mox ultra Thulen, denique quocunque et quandocunque visum est, propellunt. Hinc qua ratione ad Graecos defluxerit, maxima opinionum varietate certatur. Sed ad popularem plausum longe uberrima est Ioannis Fabbronii, Itali, nova et recens sententia, qui ex nomine dialecti Pehlvicae et urbis Palesino in Taprobane sitae, coniecturam ducit, gentem fuisse quandam indicam quae quum diu per totam Asiam peregrinata et cum plerisque antiqui orbis populis conflictata esset, postremo translatis in Graeciam, hinc in Italiam sedibus nomen Pelasgorum acceperit, ex indico Pel et celtico Osc, quod peregrinatorem significat, compositum; unde etiam deam Palem et pallam et pallium appellari, acute, ut omnia, suspicatur. Eamque sententiam nostri homines, qui in hoc genere literarum reguare dicuntur, ita vehementer adamarunt, ut a se inventam et procusam putent, quum praesertim nonnulla de suo adiecerint: Pfahl, Baal, et quae alia Huebnieri

a) Le Moyne ad Var. Sacr. p. 849.

Lexicon nominum in easdem extremas literas exeuntium quaerentibus suppeditat.

Sed sive Indorum sapientes sive Aegyptii sive Phoenices huius coelestis muneris sequestres fuerunt, illud certe praeclare fecisse existimandi sunt, quod, quum Graecas gentes aliqua rerum divinarum notitia imbuere constituissent, non circitorum modo mercem praestantissimam per itinera viasque publicas divulgarunt, sed tanquam rem arcanae catastae paucis spectandam in mysteriis praebuerunt tum aliis tum maxime Eleusiniis. Vidimus enim

Vidimus in somnis, Cives, nisi fallor, et istud,

mysteria Eleusinia non ut caetera popularia sacra cuilibet uni patuisse, sed tantummodo magnatibus et lectissimis civium. Sic enim statui necesse est, quia, si mysteriorum antistites doctrinam religionis emendatiorem, a vulgi erroribus seiunctam, proposuisse credimus, nullo prorsus modo intelligi potest, quo pacto res tanti momenti, tam difficilis intellectus, tam contraria publicis moribus et religionibus, coram promiscuo hominum coetu proponi et explicari potuerit.

Quid igitur sibi vult, quod veteres scriptores Eleusinia maxima hominum frequentia tum in propria huius sacri sede, Eleusine, tum in amplissimo Eleusinio celebrata fuisse narrant? quod Herodotus in specie divina Demarato oblata triginta millia hominum, Iacchum ducentium, in Thriasio apparuisse tradit? quod omnes qui, quum possent initiari, non initiati essent, pro impiis et deorum contemtoribus habebantur? b) Sunt molesta testimonia; sed illud molestius quo affirmant omnibus Graecis liberum ad haec sacra fuisse aditum. Quod cla-

---

b) Lucian. Demon. XI. 237. καί τινες ἐπ' αὐτῷ συνίστησαν Ἄνυτοι καὶ Μέλιτοι τὰ αὐτὰ κατηγοροῦντες, ὥσπερ κἀκεῖνοι τότε, ὅτι οὔτε θύων ὤφθη πώποτε οὔτε ἐμυήθη μόνος ἁπάντων ταῖς Ἐλευσινίαις (intell. θεαῖς, non quod Guyetus supplet, τελεταῖς.) Et hoc loco utuntur ad comprobandum, Socratem initiatum non fuisse et quaerunt (quod quaerere ineptum est) cur non fuerit initiatus, et, quia nemo respondet, pro se ipsi respondent, Socratem de rebus divinis omnia eadem sensisse quae mysteriorum antistites, et propterea noluisse nomen suum apud eos profiteri, ne prohiberetur ea palam populo docere, quae illi paucis (hoc est multis millibus) nota esse vellent. Belle! Sed Socratem sacrorum Eleusiniorum expertem fuisse Lucianus non magis dicit quam quisquam eorum, qui hanc nobilissimam causam attigerunt, qui multi sunt. Hoc dicit: Quia Demonax neque sacra fecit publice neque initiari voluit, idem ei criminis conflatum quod Socrati, hoc est, ἀσεβείας: cuius signa et indicia permulta sunt, neque in omnibus eadem.

rissime apparet ex ipsa sacri edicti formula, quae solos barbaros a communione sacrorum removebat: *Εὐμολπίδαι καὶ Κήρυκες ἐν τῇ τελετῇ τῶν μυστηρίων τοῖς βαρβάροις εἴργεσθαι τῶν ἱερῶν ὥσπερ τοῖς ἀνθροφόνοις προαγορεύουσι.* c) Isocr. Paneg. c. 42. omnibus vero Graece loquentibus, nullo census, ordinis, generis discrimine, aditum dabat; *οὗτοι γὰρ* (mystagogi) *τά τ' ἄλλα καθαροῖς εἶναι τοῖς μύσταις ἐν κοινῷ προαγορεύουσιν, οἷον τὰς χεῖρας, τὴν ψυχὴν, τὴν φωνὴν Ἕλληνας εἶναι.* Liban. Or. Corinth. p. 356. T. IV. Cuius praeconii clausula paullum mutatis verbis a Celso refertur ap. Orig. L. III. p. 147. Spenc. c. 59. 436. Ruae. *οἱ μὲν εἰς τὰς ἄλλας τελετὰς καλοῦντες προκηρύττουσι τάδε, Ὅστις χεῖρας καθαρὸς καὶ φωνὴν συνετὸς καὶ αὖθις ἑτέρα Ὅστις ἁγνὸς ἀπὸ παντὸς μύσους καὶ ὅτῳ ἡ ψυχὴ οὐδὲν συνοἶδε κακὸν, καὶ, Ὅτῳ εὖ καὶ δικαίως βεβίωται,* quo loco *φωνὴν συνετὸς*, quod pessime lingua s. voce sapiens reddunt, nihil aliud significat, quam *τὴν φωνὴν Ἕλλην* d)

---

c) Quod Isocrates hoc et aliis locis, idem Demosthenes p. 530. et multi praeterea alii testificantur, popularibus suis a natura intimum adversus barbaros et inexpiabile odium insitum esse. Mirum vero, Graecos, qui, ut nuper accepimus, de generis sui primordiis tam accurate meminissent, ut quovis loco indica persicave nomina, symbola, instituta interserèrent, in hac una re tam obliviosos fuisse ut eos, quos parentum et consanguineorum loco colere ac venerari deberent, a quibus Periegetae nobilissimarum in Graecia familiarum ortum et omnium artium originem repeterent, hos igitur ut sacris interdicerent et in numero impiorum ac sceleratorum haberent, neque id privatis et plebeiis suffragiis sed de ipsorum Eumolpidarum sententia, quos tamen majorum suorum memorias omnisque vetustatis monumenta literis Indicis Aegyptiisque consignata in scrinio sacro asservasse hodie *lippis et tonsoribus* notum est.

d) Aristides in Or. Plat. III 317. his verbis *ἤ τι γὰρ ἡμῖν φωνὴ ψυχὴ κώλυμα τὸ μηδὲν ἂν τῶν ἐκείνου* (Platonis) *δέξασθαι δύνασθαι (οὐδέ τις ἡμᾶς ἀπειλαύνει πρόρρησις εἰ καὶ μυστηρίων) καὶ τὸν βίον ἐν πανταπασιν ἀπάδειν φασὶ τῆς ἐκείνου γνώμης οἱ πεπιεσμένοι,* neque sermonis neque morum inelegantia a colendis Platonicae doctrinae sacris se prohiberi dicit, translata a mysteriis imagine, quibus lingua barbari, moribus impuri interdicebantur. Cuius loci elegantiam omnem infuscavit interpres: *Nam nec eloquentiae studium vetat nos ab ipso quidquam accipere nec ullum nos oraculum a mysteriis abigit* etc. neque Canterus percepit pro *εἰ καὶ* corrigens *ἐκάς*. Scribendum est *ἤ καὶ* i. e. *οὐ δέ τις τοιαύτη ἀπειλαύνει ἡμᾶς πρόρρησις ἢ καὶ μυστηρίων τοὺς φωνὴν ἀσυνέτους* Quod Casaubonus affirmat praeconem sacrum in Eleusiniis clamasse *Ἐκὰς ἐκὰς ὅστις ἀλιτρὸς*, et hanc fuisse prioribus temporibus *τῆς προρρήσεως* formulam postea autem aliam substitutam *Εἴ τις ἄθεος* etc. (ad Capitol. p. 78.) id centies a mysteriographis repetitum, re ipsa falsum est. — Illud Eleusinium interdictum tum ad alia mysteria iisdem fere verbis translatum esse,

i. e. sermonis Graeci intelligens, germanus Graecus. Ceterum apparet hanc formulam tum conceptam fuisse, quum Athenienses cum ceteris Graecis in unam nominis et sacrorum societatem coaluissent, neque alii, quam qui nullo cum Graecis linguae commercio coniuncti essent, pro alienigenis haberentur. Deinde vero, quum Graecia barbariae servire coepisset, modo vetus edicendi ritus retentus est, sententiâ mutatâ, et illud ἀγνετός ad animi intelligentiam et sermonis facultatem translatum; modo in hanc formam redactus: ut nemo ingrederetur, nisi qui se innocentem nosset (Lamprid. Sever. c. 18.) qua praeconis voce impii et scelerati initiatione submoverentur. (Suet. Ner. c. 34.) Itaque praeter homicidas et publicos hostes, omnibus, qui hoc beneficio uti vellent, ipsorum antistitum concessu aditus ad haec augustissima vetustissimaque sacra patefactus est.

Hac vero in communicandis mysteriis liberalitate si quis metuit ne res ab intelligentia sensuque imperitorum longissime disiunctae tam multorum auribus non satis tuto commissae fuerint, scitula est ratio Erasmi Muelleri, Theologi Dani, nulli eorum, qui post Meursium de his rebus scripserunt, postferendi, qui in libro de Hierarchia in sacris et mysteriis inscripto, tum alia Philologis inausa tum etiam hoc sibi licere putavit, ut computatione haud improbabili numerum mystarum quodammodo definiret. „Constat nimirum, inquit, servos a mysteriis fuisse exclusos; ex reliqua Graecia non nisi ditiores, atque igitur numero pauciores accessisse, quippe qui soli sumtus itineri necessarios impendere possent. Feminarum aut nullae aut paucae e matronis nobilioribus affuisse videntur.“ p. 142. e) Ac de servorum

---

Celsi testimonio constat, tum etiam recentiores Pythagorei, qui magistrum suum mystagogorum veterum quam simillimum videri cuperent, inter caetera commenta etiam hoc ab eo sancitum esse voluerunt: φωνῇ χρῆσθαι τῇ πατρίῳ ἑκάστους ὅσοι τῶν Ἑλλήνων προσῆλθον πρὸς τὴν κοινωνίαν ταύτην. τὸ γὰρ ξενίζειν οὐκ ἐδοκίμαζον. Iamblich. V. Pyth. p. 194. Ergo, quod omnes omni tempore facere soliti sunt, ut sua quisque et vernacula dialecto in vita quotidiana uteretur, quodque etiam mulierculae illae sibi eripi non patiebantur (Δωρίζειν δ' ἔξεστι, δοκῶ, τοῖς Δωριεῦσι) id nisi conceptis verbis facere iuberentur, non permissum sibi putabant Pythagorei?

e) Commemoratio Melissarum ab illa causa alienissima memoriam refert loci Aristoph. Ranm. 1273 εὐφημεῖτε μελισσονόμοι, quas Melissas interpretantur. Scholiastae Glossa οἱ διανέμοντες τὰ τῆς πόλεως, ducit nos ad veram lectionem: πολισσονόμοι, quo vocabulo Aeschylus etiam aliis servatarum fabularum locis usus est.

nidem exclusione non Isaeo, quem sine loci indicio citat, sed Sancruzio, quem non citat, credidisse videtur, Sancruzius autem Spanhemio credidit, (ad Callim. H. in Apoll. v. 2.) qui si rem intentis oculis contemplatus fusset, Isaeum (p. 148. Reisk.) non de Eleusiniis loqui sed de Thesmophoriis animadvertisset. Illis servos exclusos non fuisse affirmari licet tum Theophilo auctore in Schol. ad Dionys. Gramm. p. 724. *οὐδὲ τοὺς οἰκέτας ἀπεστέρουν οἱ χαίροντες τῆς τοιαύτης παιδεύσεως. ὁ γοῦν παρὰ τῷ Θεοφίλῳ τῷ κωμικῷ θεράπων ἐν τοῖς Ἀποδήμοις λέγει,*

καίτοι τί φημι καὶ τί δρᾷν βουλεύομαι;
προδοὺς ἀπιέναι τὸν ἀγαπητὸν δεσπότην,
τὸν τροφέα, τὸν σωτῆρα, δι' ὃν εἶδον νόμους
Ἕλληνας, ἔμαθον γράμματ', ἐμυήθην θεοῖς. f)

ὥσπερ γὰρ τῶν ἱερῶν μεταδιδόασι τοῖς οἰκέταις καὶ τῶν νόμων, οὕτω κ. τ. λ. tum ex eo, quod Pythonicus, Alcibiadis accusator, convivio illi flagitiosissimo servum affuisse dicit ὃς *ἀμύητος ὢν ἐρεῖ τὰ μυστήρια* ap. Andocid. de Myst. p. 6. inutili et inepta admonitione, si nullus unquam servorum mysteria spectasset.

Feminae an affuerint Eleusiniis, perobscura Muellero videtur quaestio, sed quia res tales et tantas, quantas in mysteriis tractatas fuisse pro certo habet, suspecta huius generis fide periclitari nolebat, suum ille decretum interponit; affuisse negat; testes, qui contra veniunt, ingulat; clarissimum Aristidis in oratione Eleusinia locum: *ὅσα μὲν δὴ θέας ἐχόμενα, εἶδον γενεαὶ παμπληθεῖς εὐδαιμόνων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν* p. 256. T. I. non de Eleusiniis accipi

---

Et quia semel huc defleximus, addam etiam illud, versus 1431. 1432. *οὐ χρὴ λέοντα — τοῖς τρόφοις ὑπηρετεῖν*, a Pericle ad Aeschylum translatos esse. Valer. Max. VII, 2. 6. *Aristophanes, qui in comoedia introduxit remissum ab inferis Atheniensem Periclem vaticinantem non oportere in urbe nutriri leonem: sin autem sit alitus, obsequi ei convenire*; quo loco alii Valerium somniculose Periclem pro Aeschylo nominasse, alii librarios errasse putant. Quaeritur annon ex ea fabula sit, quam Aristides significat Or. Pl. II. 228. *τῶν κωμικῶν τις ἐποίησε τέτταρας τῶν προστατῶν ἀνεστῶτας, ἐν οἷς δύο τούτων* (quatuorvirum, Cimonis, Periclis etc.) *ἐπίσιν*.

f) Non dissimili oratione Iason coniugi barbarae emolumenta Graeciae exprobrat ap. Eur. Med. 542.

πρῶτον μὲν Ἑλλάδ' ἀντὶ βαρβάρου χθονὸς
γαῖαν κατοικεῖς καὶ δίκην ἐπίστασαι
νόμοις τε χρῆσθαι.

Quam multa huic graeculo reponere potuisset femina solaris, Lucerum et Brachmanarum cognata, si scivisset scilicet, quae nos scimus.

vult, de quibus tota oratio scripta est, sed de Thesmophoriis, quibus nihil cum spectaculis, nihil cum virili sexu commercii erat. Quid tu istiusmodi interprete facias? Si mystarum chorum in Aristophanis Ranis mixto virorum mulierumque grege constare hemichoriorum ratione probes, id poëtica licentia fictum esse causabitur; si Metaniram provoces meretriculam a Lysia Athenas ad visenda mysteria invitatam, id contra legem et consuetudinem factum dicet ille *οὔτε σιδήρῳ οὔτε λόγῳ τρωτός*, cuius ne meminissem quidem, nisi huius novissimae in interpretanda antiquitate, rationis specimen aliquod extare voluissem. „Multa enim sunt eiusmodi, ut, etiamsi in homine ipso, de quo agitur, negligenda sint, tamen in imitatione et in exemplo extimescenda videantur.“ Cic. p. L. Flacc. p. 151. A.

Sed hoc iam dimisso nobismet ipsi subveniamus minuendaeque mystarum multitudini remedia quaeramus. Iulianus igitur, tum cynicae sectae maximus fautor, tum divinarum cerimoniarum observantissimus, quum magistrum suum a crimine contemtarum religionum liberare studet, haec affert, quae maxime ad praesentem causam pertinent: *σὺ δὲ ὅπως ἡμῖν μὴ τὸν Διογένη προβαλὼν ὥσπερ τι μορμολυκεῖον ἐκφοβήσῃς. Οὐ γὰρ ἐμυήθη, φησὶν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸν προτρεπόμενον μυηθῆναι, γελοῖον, εἶπεν, ὦ νεανίσκε, εἰ τοὺς τελώνας οἴει ταύτης ἕνεκα τῆς τελετῆς κοινώσειν* (leg. κοινωνήσειν) *τοῖς θεοῖς τῶν ἐν ᾅδου καλῶν, Ἀγησίλαον δὲ καὶ Ἐπαμεινώνδαν ἐν βορβόρῳ κεῖσθαι. Τοῦτο δεόμενον ἐξηγήσεως. — Φαίνεται γὰρ ὁ Διογένης, οὐχ, ὥσπερ ὑμεῖς ἀξιοῦτε, δυσσεβής, ἀλλὰ συνεὶς ὅτι τὸν μυούμενον ἐχρῆν πολιτογραφῆναι* (leg. πολιτογραφηθῆναι) *πρότερον καὶ Ἀθηναῖον εἰ καὶ μὴ φύσει, τῷ νόμῳ δὲ γενέσθαι. Τοῦτο ἔφυγεν, οὐ τὸ μυηθῆναι, νομίζων αὐτὸν εἶναι τοῦ κόσμου πολίτην.* Orat. VII, 238. Hanc eandem rem narrat Diog. Laertius VI, 39. *ἀξιούντων τῶν Ἀθηναίων μυεῖσθαι αὐτὸν, λεγόντων ὡς ἐν ᾅδου προεδρίας τυγχάνουσιν οἱ μεμυημένοι, γελοῖον, ἔφη, εἰ Ἀγησίλαος καὶ Ἐπαμινώνδας ἐν τῷ βορβόρῳ διάξουσιν, εὐτελεῖς δέ τινες τῶν μεμυημένων ἐν μακάρων νήσοις διάξονται.* Atque horum verborum sententia tam clara, tamque a Iuliani interpretatione diversa et seiuncta est, ut appareat eum istam defensionis rationem dicis causa, ne nihil respondisse videretur, expromsisse. Quisquamne sibi persuadere potest, Athenienses largiendae civitatis quantumlibet prodigos (v. Spanhem. Orb. Rom. I, 16, 124) eo processisse vecordiae, ut omnes illos qui quotannis e cuncta Graecia ad concelebranda Eleusinia confluerent, in aequum suum ius reci-

perent? Sed quid quaero, quid cuique probabile videri possit, quasi non constaret plurimos Romanorum Eleusiniis sacris initiatos fuisse, qui aliquam civitatem adsciscere non poterant, quin romanam amitterent. v. Interpr. ad Nepot. Attic. c. III. Et quis tandem eorum qui Athenis ipsis peregrinitatis rei facti sunt, quos multos legimus, pro argumento fore putavit, si initiatum se diceret? Sed Iulianum, utut Platonicum, hoc est, pessimum antiquitatis interpretem, tamen non finxisse illam adsciscendae civitatis necessitatem, sed ex nonnullis veterum temporum exemplis duxisse arbitror. Herculem enim priusquam initiaretur, a Pylio, Dioscuros ab Aphidno adoptatos esse narrant (Plut. Thes. c., 33.) quae sunt sane ficta rerum commentitiarum exempla sed ficta ab iis, qui ab Eleusiniis perinde, ut aliis sacris quae pro salute populi fierent, exteros, ne deorum gentiliciorum favorem interverterent, antiquitus semotos et disclusos fuisse meminissent.

Itaque incassum laboramus haeretque, qui antea, scrupulus de multitudine mystarum. Nam si quilibet unus liberum ad haec sacra aditum habuit, si cives, exteri, viri, feminae, noti, ignoti, principes vulgusque ad omnia intima mysteriorum arcana admissi sunt, quid, quaeso, aliud sequitur, quam aut nihil omnino initiatis traditum esse, aut certe nihil eiusmodi, quod communes receptasque de deorum numine opiniones infirmaret et convelleret? Quorum neutrum sine gravi hominum florentissimorum offensione dici potest, qui quidvis perpeti malint, quam de argumentis mysticae doctrinae non omnia summa suspicentur. Verum res est in vado. Ratio inita est, quemadmodum neque quisquam a communitate sacrorum se exterminatum doleret, neque initiati plus acciperent, quam quantum quisque concoquere posset; illa incondita hominum turba in vestibulo constitit, pompae spectatrix, secreti ignara et expers; caput coenae, et quidquid non plebeii saporis esset, probatissimis quibusque reservatum, qui omnes iam gradus a capite ad calcem, quod dicitur, permensi essent. Hi veritatem in clara luce collocatam, illi similitudines quasdam et umbras quasi per rimam adspexere. Arbitrium autem intromittendi quem vellent penes sacerdotes fuit, qui electos diuturna probatione explorarent, exploratos ab uno gradu ad alterum promoverent. O rem praeclaram omniumque quae ab antiquariis noctu diuque excogitata sunt, multo saluberrimam! Qua una re quis non intelligit tum istum scrupulum exemtum tum etiam hoc perfectum esse longe maximum et

δημοτικώτατον, ut de mysteriorum vi et indole deque doctrinae arcanae causis et argumentis quicumque velit quod velit quomodo velit statuere et decernere possit, et id quidem septus undique et munitus, dummodo, quaecunque sibi opponantur contraria testimonia, ab iis profecta dicat auctoribus, qui in infimo initiatorum gradu constituti neque omnium rerum participes fuerint.

Si igitur Eumolpidae patronorum more turbam suam segregarunt et alios in secretum receperunt, alios cum pluribus, alios cum universis, consequens est, ut in ipso limine sanctuarii scrutatores dispositos fuisse credamus, qui introëuntes diligenter excuterent, ne quis profanus simulata conscientia surreperet, et ii ipsi, qui iam initiati sed nondum consummati essent, ne qua altius penetrarent, quam fas esset. Id qua ratione cautum fuerit, hi, qui de mysteriis scripsere, non nesciunt; Tesseras et symbola narrant, solis initiatis nota, quibus se invicem agnoscerent. Neque abest testium auctoritas. Iul. Firmicus de Err. p. 36. „Habent enim propria signa, propria responsa, quae illis in istis sacrilegiorum coetibus diaboli tradidit disciplina. In quodam templo ut in interiores partes homo moriturus possit admitti, dicit de tympano manducavi, de cymbalo bibi et religionis sacra perdidici. Quod graeco sermone dicitur ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικός." Quod ille in quodam templo factitatum narrat, nostri homines sua fiducia ad Eleusinium pertinere spondent et causae suae ita confidunt, ut Clementem Alexandrinum quem ad testimonium vocant, ne adspicere quidem sustineant.

Quid is narrat? Δηοῦς, inquit, μυστήρια καὶ (leg. αἱ) Διὸς πρὸς μητέρα Δήμητραν ἀφροδίσιαι συμπλοκαὶ καὶ μῆνις τῆς Δηοῦς, ἧς δὴ χάριν βριμοὶ προσαγορευθῆναι λέγεται, ἱκετηρίαι Διὸς, καὶ πόμα χολῆς καὶ καρδιουλκίαι καὶ ἀρρητουργίαι. Ταῦτα τελίσκουσιν οἱ Φρύγες Ἄττιδι καὶ Κυβέλῃ καὶ Κορύβασιν. — τὰ σύμβολα τῆς μυήσεως ταύτης, Ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα, ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον. Cohort. I, 2, 13. Ergo hoc in Sacris Deae Magnae, neque Graecanico sed Gallico ritu usurpari dicit. Sed aliam formulam Eleusiniis adscribit p. 18. ubi quum Baubus, Dysaulis, Triptolemi mentionem fecisset, impurumque Orphei carmen Ὡς εἰποῦσα πέπλους ἀνεσύρατο etc. in opprobrium graeciensis superstitionis produxisset, haec adiungit, quae cum instituto nostro inprimis coniuncta sunt: κἄστι τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων, Ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ

κίστης, ἐμβασάμενος (leg. ἐγγευσάμενος) ἀπεθέμην εἰς κάλαθον καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην. Id pro tessera fuisse initiatis, qua in templum introituri conscientiae suae fidem facerent, omnino non dicit Clemens, et si diceret, a Livio refelleretur qui nullam initiatorum notam fuisse aperte significat quum belli inter Philippum et Athenienses exorti causam referens haec scribit: „Acarnanes duo iuvenes per initiorum dies non initiati templum Cereris imprudentes religionis cum cetera turba ingressi sunt. Facile eos sermo prodidit absurde quaedam percunctantes; deductique ad antistites templi, quum palam esset, per errorem ingressos, tanquam ob infandum scelus interfecti sunt." L. XXXI 14. Cui non in oculos incurrit, atque ita quidem, ut manu tenere possit, cum cetera turba intromissum qui vellet; qui sibi caveret, tutum fuisse; de tesseris interrogatum neminem? Plus non quaerimus. Sed de Clemente ipso multa in mentem veniunt, quae eius fidem suspectam reddere possint. Primum res a nullo alio memoriae prodita, deinde non verisimilis, deinde ipsi auctori non comperta, sed vel ab aliis audita vel lecta alicubi vel ex eo, quod in similibus fieri soleret, coniectata. Apologetis autem non hoc propositum erat, ut, quid cuique generi ceremoniarum proprium esset exacte ad subtilitatem antiquariorum exponerent, sed ut multa ubique stulte, temere flagitioseque et credi et fieri demonstrarent. Quam ad rem satis videbatur, si quae in ore et oculis omnium versabantur, quae poëtarum et historicorum lectio unicuique suggerebat, quae ipsi subauscultando exceperant, ea omnia si summatim perstringerent; neque intererat minima quaeque rerum discrimina sollicite observari. Nam si vel maxime in loco, in homine, in tempore errasse deprehenderentur, tamen de summa accusationis nihil, quod quidem momentum faceret, detrahebatur. Ita tum reliqui Apologetae modo Eleusinia cum Thesmophoriis, Bacchica cum Dionysiis, modo ficta cum veris, vetera cum novis confundunt, tum Clemens hoc ipso loco de Eleusiniis Orpheum sequitur auctorem, quasi omnia, quae poëtarum aliquis de cuiusque dei rebus gestis lusisset, haec eius dei cultu populari et solemnibus ritibus fuissent adumbrata. Sed quam intuta sit in hac causa christianorum scriptorum fides, uno exemplo ex re ipsa sumto apertius faciam. Scholiasta Platonis p. 123. Ruhnk. Eleusinia mysteria nominatim memorans de his ea narrat, quae apud Clementem de sacris Magnae Matris relata legerat: ἐν οἷς (Ἐλευσ. μυστηρ.) πολλὰ μὲν ἐπράττετο αἰσχρὰ, ἐλέγετο δὲ πρὸς τῶν μυουμένων

ταῦτα, Ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα (κέρνος δὲ τὸ λίκνον ἤγουν τὸ πτύον ἐστὶν) ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον, καὶ τὰ ἑξῆς. Hic nisi suo se indicio Christianum esse proderet, nisi Clementis locus nobis ante oculos esset, haud facile quisquam tam expresso testimonio resisteret. Quamquam ipsa thalami, cymbali, tympani et maxime τοῦ κέρνους i. e. cribri, incerniculi (a verbo κρίνειν, cernere) mentio cogitationem ab Eleusiniis ad sacra deae Phrygiae traducit, quibus nomina multa, Corybantia, Bacchica, Sabazia, argumenta cum Adonidiis et Cotyttiis fere communia, infamia eadem, cultus autem in Attica nullus nisi privatus ab hominibus superstitiosis et vulgo vilissimo erat. Sed, quod dicere institui, κέρνος erat lanx ampla, marginata, multis intus cavernulis, in quibus pro re nata modo lucernae modo patellae insererentur. Schol. Nicand. Alex. 217. Κερνοφόρος ἡ τοὺς κρατῆρας φέρουσα ἱέρεια. κέρνους φασὶ τοὺς μυστικοὺς κρατῆρας, ἐφ' ὧν λύχνους τιθέασι. Ammonius ap. Athen. XI, 477. F. interpretatur ἄγγος κεραμεοῦν ἔχον ἐν αὐτῷ κοτυλίσκους πολλούς, ἐν οἷς εἰσι μήκωνες, πυροὶ, κριθαὶ, φακοί etc. ὁ δὲ βαστάσας αὐτὸ οἷον λικνοφορήσας τούτων γεύεται, unde nobis illa venit suspicio in Clementis loco pro ἐργασάμενος, quod sensu caret, legendum esse ἐγγευσάμενος. Eadem omnia, dicit Polemo in libro περὶ τοῦ Διοσκωδίου ibid. p. 478. c. sed hoc auctiora: Μετὰ δὲ ταῦτα τὴν τελετὴν ποιεῖ καὶ αἴρεῖται ἐκ τῆς θαλάμης (non vellera sacra, ut Schweighaeuserus putat, sed legumina ista, ut ratio docet) καὶ νέμει ὅσοι ἂν ὦσι περιενηνοχότες. Huius autem cerimoniae proprium in sacris Phrygiis fuisse locum praeter Nicandrum l. c. et Hesychium s. Κέρνεα (et κερνοφόρος) etiam Alexandri Aetoli in Alcmanem Epigramma II. docet T. I. p. 204.

Σάρδιες, ἀρχαῖος πατέρων νόμος, εἰ μὲν ἐν ὑμῖν
ἐτρεφόμαν, κέρνας ἦν τις ἂν ἢ βυκίλας,
χρυσοφόρος ῥήσσων καλὰ τύμπανα.

κέρνας s. κερνᾶς, pro quo Iacobsius V. Cl. contra Cod. Vaticani auctoritatem χέρνας substituit, rem, a Cybelae sacris alienam, nihil aliud significat quam κερνοφόρος s. κερνίτης, contractione dorica effectum ut βαχχᾶς pro βακχευτής, βησσᾶς pro βηχίας g) Onesas, Dosas, v. Rei-

---

g) Proverb. Vatic. 1, 26. Βησᾶς ἴστησας, οἷον ἀχαιὴς, παταγώδης, καὶ ὑπόμωρος. Scribendum est βησσᾶς i. e. βηχώδης, βηχικὸς, tussiculosus, gravedinosus, quod ut κορυζῶν, μυξώδης, βλιμώδης ad stuporem refertur, neque est nomen proprium viri ignoti (immo notus est Besa Martyr. v. Casaub. ad Spartian. p. 29.) sed epitheton stupidi. παταγώδης vero, quod lexicis deest, non to-

nes. Epp. ad Hofm. p. 461. de quo genere contractionum multa nobis dicta sunt ad Phryn. p. 434 sq. In Atticam immigrasse cum ceteris istius generis et regionis superstitionibus hunc cerni circumferendi usum tum per se probabile videtur, tum etiam ex eo colligi licet, quod a Polemone in commentario *περὶ Διοσκωδίου* enarratus est, et ex eodem libro Hesychius refert hoc *Διοσκώδιον* in sacris lustrationum substratum esse iis, qui expiandi essent. Sacra autem Magnae Matris ad piacula solvenda omnium potentissima habebantur.

Si igitur non admodum ineptire, neque nostro periculo quidquid unquam de ullo genere mysteriorum proditum est, id propter nominis societatem ad Eleusinia transferre volumus, tota illa tesserarum et symbolorum inventiuncula explodenda potiusque sic statuendum est, adytum Eleusinium sua magis religione quam custodiis et excubiis circitorum tutum fuisse. Et quae tandem causa erat, cur quis clam et furtim surriperet periculumque adiret minime necessarium, quum unus quisque, ut demonstravimus, sacra illa suscipere posset tempore et modo legitimo? quum peregrini ipsi ab hospitibus suis nemine prohibente introducerentur et initiarentur? Credo id insperatum accidere iis, qui nescio quos Theologiae caelestis thesauros sub istis claustris delituisse sibi persuadent. Sed res, si quae alia, testata est. Lysias amicam suam Athenas venire iubet ad visenda mysteria et ipse promittit *μυήσειν*. Demosth. c. Neaer. p. 1351. cf. Taylor Vit. Lys. p. 151. T. VI. Andocides vero qui Cerycum familiam cognatione attingebat, plures initiavit: *Τρία μὲν ἔτη ἐπιδημιῶν καὶ ἤκων ἐκ Κύπρου οὐκ ἀσεβεῖν ἐδόκουν αὐτοῖς, μυῶν μὲν τὸν ἀδελφὸν ἔτι δὲ ἄλλους ξένους ἐμαυτοῦ καὶ εἰσιὼν εἰς τὸ Ἐλευσίνιον* de Myst. p. 64. M. Aurelius in Epistola ad Herodem Atticum Philostr. v. Soph. II. 12. *ηὐξάμην — μυηθῆναι; εἴη δὲ καὶ σοῦ μυσταγωγοῦντος*, ubi Olearius nimis liberaliter facit Herodi hierophantae personam imponens, ad quem scilicet unum hoc initiandi munus pertinuisse vulgo creditur, contra Platonis auctoritatem, qui mystagogiam illam inter vulgaria hospitalitatis officia numerat Epist. VII. 333. E. *ὕστερον δὲ κατιὼν οἴκαδε Δίων ἀδελφὼ δύο προσλαμβάνει Ἀθήνηθεν, οὐκ ἐκ φιλοσοφίας γεγονότε φίλω, ἀλλ' ἐκ τῆς περιτρεχούσης ἑταιρείας ταύτης τῆς τῶν πλείστων φίλων, ἣν ἐκ τοῦ ξενίζειν τε καὶ μυ-*

---

nitru perculsum significat sed tussiculosum, quod cum gravedine coniunctum et a verbo eiusdem significationis *tundo* derivatum est. Ἡ βηχία e lexicis exterminandum.

εἶν καὶ ἐποπτεύειν πραγματεύονται. Quo testimonio quid clarius esse potest? Itaque etiam Aristides Panath. p. 182. Athenienses universim tanquam omnis sapientiae et elegantiae magistros praedicat: τῇ μὲν γὰρ Ἐλευσινίων τελετῇ τοῖς εἰσαφικνουμένοις ἐξηγηταὶ τῶν ἱερῶν καὶ μυσταγωγοὶ ἡμῖν κέκλησθε διὰ παντός. Quid? quod mystagogi iidem dicebantur qui periegetae? quorum ductu advenae curiosi quidquid in urbe aut vetustate inclytum aut magnificentia adspectabile esset, loca publica, religiosa lustrabant et circumspiciebant. Testem dabo in hanc rem gravissimum. Cicero Verr. IV. 59. Hi qui hospites ad ea quae visenda sunt, ducere solent et unumquidque ostendere; quos illi mystagogos vocant. Quid ex his sequitur? Hoc, opinor: eos qui in Atticam deverterent, cum ceteris regionis nobilissimae spectaculis et monimentis etiam Eleusinia adiisse, non doctrinae augendae causa, sed communis famae et opinionis aura ductos, tum etiam antiquitatis honore, et, qua nos omnes natura duce impellimur, divinitatis seu verae seu creditae reverentia. Sed, ut multa de mysteriis scripta sunt, quae homines festiviores ridere non desinant, ita Sancrucio in opinionem venit, initiatos in introitu omnes breviter interrogatos respondisse ea quae nisi ab initiatis responderi non possent; verbi causa hoc interrogatos: Sind Sie Meister? responsi loco dixisse: Ich kenne die Acacie (Signatst. I, 67 sq.) Est hoc exempli instar a me positum sed prorsus ex praescripto Sancrucii, qui formulam quaestionum responsionumque in Eleusiniis eandem fuisse putat, quae nunc in Latomorum conventibus obtinet contineturque in Catechismis eorum nomine inscriptis. i) Lepidum videtur. Sed o! qui omnium mysteriorum claves tenetis, numquod huius tam singularis rei testimonium extat aut significatio quaedam usquam prodita, aut alia quamlibet obscura nota? Coniectura est,

---

h) Quod Moschopulus praescribit Sched. p. 140. Μύστης ὁ μαθητής, μυσταγωγὸς ὁ διδάσκαλος non semper servatur discrimen. Hesych. (ante Μυχμόν) Μύστης ὁ εἰσηγητής. Zonar. p. 1375. Μύστης ὁ τῶν μυστηρίων ἐξηγητής. Sic Himer. Or. VII, 512. μύστις pro mystagogo posuit. Μυσταγωγὸς καὶ μύστις Synes. Insomn. p. 147. A.

i) V. Recherch. V. 2. Hermann Feste von Hellas 1. 386. Eleusis oder über den Ursprung und die Zwecke der alten Mysterien Goth. 1819. p. 166. et ceteros. Nam qui in hunc mysteriographorum coetum inciderit, in porticum heptaphonon sibi ingressus videbitur, quam Plinius scribit hinc nominatam, „quoniam septies eadem vox redditur.“

inquiunt, ingenio nostro reperta, quales multae nobis erectioris animi antiquariis inter scribendum nascuntur. Satis est; nihil amplius requiro. At, bona fide! numne tota illa de gradibus mysteriorum narratio ex eodem vestro genere coniecturarum est? Non, sed dicimus hoc testibus, ut in iure praescriptum est, superstitibus praesentibus.

Ante alios prodeat Tertullianus, quem non solum hi de circo librario arioli, sed illi prisci et cordati literatores antestantur. Is in exordio dicacissimi adversus Valentinianos libelli hos et ceteros arcanorum simulatores nihil aliud, quod celent, habere dicit, nisi hoc ipsum nihil; in quo totam constare mysticae disciplinae sapientiam. „Valentiniani, inquit, nihil magis curant, quam occultare quod praedicant; si tamen praedicant, qui occultant. Custodiae officium conscientiae officium est. Confusio k) praedicatur, dum religio asseveratur. Nam et illa Eleusinia (haeresis et ipsa Atticae superstitionis) quod tacent, pudor est. Idcirco et aditum prius cruciant; diutius initiant quam consignant, quum epoptas ante quinquennium instituunt, ut opinionem suspendio cognitionis aedificent atque ita tantam maiestatem adhibere videantur, quantam praestruxerunt cupiditatem. Sequitur iam silentii officium; attente custoditur, quod tarde invenitur. Ceterum tota in adytis divinitas, tota suspiria epoptarum, totum signaculum linguae, simulacrum membri virilis revelatur. Sed naturae venerandum nomen allegorica dispositio (i. e. *διάθεσις*) praetendens, patrocinio coactae figurae sacrilegium obscurat et convicium falsi simulacris excusat.“ p. 289.

Abstrusa Septimii oratio multos veterum Criticorum exercuit, quorum in numero l) iidem, qui ubique, eminent, I. Scaliger De Em. Temp. L. V. p. 393 sq. et Salmasius ad Spartian. Adrian. p. 33 sq. Ille certissima emendatione *epoptas* et *epoptarum* pro *portas* et *portarum* substituit. Salmasius primum *aditu cruciant*, tum

---

k) Id est turpitudo, flagitia. Hieron. Comm. in Isai c. II. p. 27 et iisdem verbis ad Amos c. IV. p. 1397. Og, qui appellatus est rex Basan et interpretatur *αἰσχύνη*, id est ignominia, quam si *confusionem* transferre volumus, magis *σύγχυσιν* significat.

l) Guther. de Iur. pontif. L. 1. c. 25. P. Halloix Notat. ad Vit. Quadrati c. IV. p. 695 - 697. Van Dale Dissert. Agon. p. 608. Petit. ad Legg. Att. p. 99. Wess. Croius Specim. Observ. d. 15. in Grab. Iren. *Valentini collegium* corrigens, qui quanquam nihil novi consilii, quod idem salutare esset, attulerunt, tamen, quae attulerunt, Semlero nota esse debebant.

os signant scribendum putat pro quo Rigaltius ob sequens: *linguae signaculum* edidit *linguam consignant*, quorum omnium nihil summe necessarium videtur. Tertullianus per contemtum Valentinianos Eleusiniorum mysteriorum praefectis assimilat; utrosque doctrinae suae multa umbracula et involucra obducentes discipulis suis rerum maximarum spem ostendere; diurna expectatione desideria hominum incendere; ad extremum symbolorum interpretamenta et allegoricas quasdam nugas hiantibus infulcire. *Aditum cruciant* h. e. cruciabilem, molestum et difficilem reddunt; *diutius initiant quam consignant* h. e. *πλείονα χρόνον μυοῦσι ἢ τελοῦσι*, plus temporis in praeparando quam in docendo et consummando conterunt; consignare est *ἐπισφραγίζεσθαι, τὸ κῦρος ἐπιτίθεσθαι*, proprieque de pactis conventis dicitur, quae signo impresso rata firma fixa esse iubemus, et per consequentiam *sancire, consummare, τελειοῦν. Quum epoptas ante quinquennium instituunt* i. e. quando eos qui epoptae fieri cupiunt (quos per prolepsin epoptas vocat) quinque ante consignationem annis in disciplinam recipiunt. Verum hoc quinquennium maximas Criticorum turbas excitavit. Primum hinc Scaligeri error natus est, mysteria magna anno quoque quinto celebrata fuisse Coniect. in Tibull. L. III. p. 169 - 171. ubi tempora ita distribuit: „Initiandi per totum quadriennium *Μύσται* dicebantur; in quo praeceptis superstitionis Eleusiniae informabantur ipso mense Anthesterione minusculis mysteriis; quinto autem anno ad ipsa sacra admissi dicebantur *ἐπόπται*. Ob expectationem Tertullianus dicit mysteriorum suspiria." Sed quum Petavius interim certissimis argumentis magna Eleusinia annua fuisse demonstrasset, hanc observationem seu secutus seu (ut Petavio placet) furatus Salmasius aliam interpretandi viam ingrediendam putavit. „Parva, inquit, et magna mysteria intra eundem annum et quotannis; parva Anthesterione, magna Boëdromione. Qui parva accipiebat, non fiebat epopta in magnis, sed illis tantum initiabatur; deinde anno post *ἐπώπτευε* in iisdem mysteriis Sic magna mysteria erant tam *μυστικὰ* quam *ἐποπτικά*; nam necesse erat iis primum initiari, deinde interiecto anno, ut minimum, in sacrarium admitti et *ἐποπτεύειν* licebat. Parva erant tantum praeparatio. Inter *μύησιν* et *ἐποπτείαν*, quae utraque in magnis mysteriis, non minus quam annus intererat, sed multorum expectatio longioribus lineis suspendebatur et plerique totum annum instituebantur epoptae. Quod autem putant quinquennium interfuisse, male intelligunt Tertullianum: aditu

prius cruciant et diutius initiant, quam os signant (sic emendat veterem lectionem: quam consignant) quum epoptas ante quinquennium instituunt. Initiatio et institutio est *προκάθαρσις* in parvis mysteriis, inter quae et magna intererat quinquennium; oris signatio (*μύσις τοῦ στόματος*) *μύησις τῶν μεγάλων*. Ab initiatione seu a parvis Myst. ad oris signationem seu *μύησιν* in magnis quinquennium totum; ab signatione oris vero (silentii officio) ad *ἐποπτείαν* tantum annus. Sic diutius initiant, quam os signant" l. c. Non poterat vitiosam lectionem callidius interpretari. Statuit, eos qui in numerum initiandorum recepti fuissent parvis mysteriis, non ad magna eiusdem anni admissos sed quinto demum anno in his *μύστας*, denique altero anno post *ἐπόπτας* factos esse. Itaque et quinquennium Tertulliani tuitus neque testes gravissimos, qui mysteria annua fuisse tradunt, laedere coactus est, ternis gradibus constitutis, quos in mysteriis servari oporteret, primo *προκαθάρσει* quadam in parvis Myst. suscepta, secundo oris signatione, tertio *ἐποπτείᾳ*. Sed illa oris signatio res commenticia est, extrinsecus in textum illata. Neque ferri potest, quod his verbis: sequitur iam silentii officium, certum quendam initiamentorum gradum significari affirmat et quidem eundem in quo os signatum putat contra apertam Tertulliani sententiam, qui sacerdotes a signatione illa consecrationem auspicari facit, quum ante quinquennium epoptas instituunt; quo expleto sequitur iam silentii officium, hoc est, ii, qui omnibus cerimoniis perfuncti et in conscientiam sacrorum adsciti sunt, silentii religione in perpetuum adstricti tenentur, quum ante hoc tempus ne haberent quidem, quod aliis proderent, quippe nullius rei conscii facti. Quam interpretationem tum quae proxime sequuntur confirmant, attente custoditur, quod tarde invenitur, tum ipsa Eleusiniorum et Gnosticorum comparatio non aliunde ducta est, quam quod utrique discipulorum diuturnam expectationem misere frustrantur.

Reiecta autem Salmasii explicatione ipsius Tertulliani causa in discrimen venit. Nanque ista per quinque annos continuata institutio tum a Graecorum ingenio morae impatientissimo abhorrens, tum a nullo veterum auctorum memoriae prodita, tum testimoniis notis et illustribus contraria est. Cicero, qui de Eleusiniis sacris plus semel loquitur et ita loquitur ut initiatum appareat, semel sex menses Athenis commoratus est studiorum causa et firmandae valetudinis (a. u. 674.) et multis annis post

(702) quum pro consule in Ciliciam iret, decem dies in hac urbe fuit; paullo diutius in reditu, apud Aristonem diversatus. Octaviamum Dio refert sacra Cereris suscepisse tempore illo brevissimo et occupatissimo, quod post victoriam Actiacam constituendis Graeciae rebus impendit, non ante huc reversus, quam firmato iam imperio in Orientem tenderet, unde reducem Zarmarus Indus sequutus est Athenas; is vivus rogum ascensurus impetravit ut antea Deabus initiaretur, *καίτερ ἐν οὐ καθηκοντι χρόνῳ* (erat enim ver novum, quum Augustus Samum relinqueret) quod Dio narrat Augusti honori tributum esse. Itaque Zarmarus qui tunc primum Athenas venit, sine mora receptus est; similiterque Apollonius, qui peragrato Oriente sub ipsum auctumnum A. LI. p. Chr. (nisi quid Damis mentitur) urbem ingressus est non prius visam, statim ab hierophanta petiit ut sibi sacris interesse liceret, Philostr. IV, 18. quo tergiversante quarto anno post ab eius successore sacra se accepturum divinitus praedixit. Neque cum Adriani rebus gestis, qui anno sexto imperii exeunte (v. Dallaeus de Libr. Supp. Dionys. et Ignat. I, 13. p. 83.) quum Athenis hiemem transigeret, Cereris sacra visitavit, neque cum M. Aurelii, qui compressa Cassii seditione ex Oriente redux iisdem se religionibus obstrinxit, illa quinquennii ratio conciliari potest. Ad summam, si quid omnino de ordine sacrorum legibus praescriptum fuisse putamus, Plutarcho potius et veteri Aristophanis interpreti assentiemur, quorum ille *μύησιν* et *ἐποπτείαν*, quum minimum, anni, hic, abrupte, anni interiectione distincta fuisse tradit, quam presbytero Carthaginiensi credamus de rebus fando auditis narranti, quum praesertim id actum et quaesitum esse appareat, ut Valentinianos Eleusiniorum quam simillimos esse demonstraret. Quam ad rem, quum Pythagorae sectatores quinque annos in disciplina mansisse crederentur, eundemque morem etiam Gnosticorum nonnullae observarent familiae, appositissimum videbatur, si id quod de mysteriorum cerimoniis per intervalla consummatis acceperat, in quinquennium converteret acumine quodam rhetorico vel errore excusabili certe ob summam Eleusiniae et Pythagoricae disciplinae similitudinem. Ac si isto modo scripsit Tertullianus ut a Rigaltio editum est, *linguam consignant,* aperta inest Pythagoricae *ἐχεμυθίας* significatio, qua et Gnosticorum aliqui catechumenos torsisse dicuntur, ut Basilides *πενταετῆ σιωπὴν* suis imposuit *πυθαγορικῶς*. Euseb. Hist. Eccl. IV, 7. 148. Sin aliter est, signaculum linguae nihil aliud significat

quam silentii officium, quo non initiandi sed iam initiati obligabantur, ne quid eorum, quae fidei suae commissa essent, in vulgus efferre auderent.

Non alienum putavi locum difficilem paullo uberius enarrare, quem mysteriographi unus ab altero mutuati rursum versum traliunt, neque unquam secum reputant, quid momenti ad causam suam afferat. Num Tertullianus delectum quendam initiatorum fuisse dicit? num gradus pro dignitate competitorum distinctos? num alios probatos, alios reiectos, alios in limine retentos, alios in ipsum quasi sacrae doctrinae meditullium introductos memorat?

Veniamus ad alium testem. Theo Smyrn. Mathem. C. I. p. 18. Ed. Bull. *καὶ γὰρ αὐτὴν φιλοσοφίαν μύησιν φαίη τις ἂν ἀληθοῦς τελετῆς καὶ τῶν ὄντων ὡς ἀληθῶς μυστηρίων παράδοσιν. Μυήσεως δὲ μέρη πέντε. τὸ μὲν προηγούμενον καθαρμός, οὐδὲ γὰρ ἅπασι τοῖς βουλομένοις μετουσία τῶν μυστηρίων ἐστίν, ἀλλ' εἰσὶν οὓς αὐτῶν εἴργεσθαι προαγορεύεται οἷον (τοὺς) τὰς (del.) χεῖρας μὴ καθαροὺς (f. καθαρὰς) καὶ φωνὴν ἀξύνετον ἔχοντας, καὶ αὐτοὺς τοὺς μὴ εἰργομένους ἀνάγκη καθαρμοῦ τινος πρότερον τυχεῖν. Μετὰ δὲ τὴν κάθαρσιν δευτέρα ἐστὶν ἡ τῆς τελετῆς παράδοσις. Τρίτη δὲ ἡ ἐπονομαζομένη ἐποπτεία. Τετάρτη δέ, ὃ δὴ καὶ τέλος τῆς ἐποπτείας, ἀνάδεσις καὶ στεμμάτων ἐπίθεσις, ὥστε καὶ ἑτέροις, ἅς τις παρέλαβε τελετὰς παραδοῦναι δύνασθαι δαδουχίας τυχόντα ἢ ἱεροφαντίας ἤ τινος ἄλλης ἱερωσύνης. Ἡ δὲ πέμπτη ἡ ἐξ αὐτῶν περιγινομένη κατὰ τὸ θεοφιλὲς καὶ θεοῖς συνδίαιτον εὐδαιμονία.* Hoc igitur loco probare volunt, Hierophantas Eleusinios quibus vellent quem vellent gradum assignasse. Quo iure? qua ratione? De Eleusiniis sermonem esse, quum Theo ipse nullo verbo significet, sic demum credi posset, si illorum sacrorum quaedam propriae notae et domesticae occurrerent. Quod non est ita. Nam impios et sceleratos aditu excludi, rite adeuntes lustrari, communi sacrorum lege sancitum erat. Quae autem quarto loco commemoratur coronae impositio coniuncta cum inauguratione sacerdotali, ea vero gravissimum praebet argumentum, Theonis locum non de Eleusiniis, sed de privatis (Mithriacis puto) esse mysteriis, quorum ritus et administrationem antistites tradere possent, quibuscunque commodum videretur; qualia innumera ista in superstitionem et mysteriosophiam praeceps aetas coluit. Ac si vel maxime de Eleusiniis scripsisset ista Theo, quaererem tamen eadem quae supra; unde intelligi potest, ex initiatorum turba duntaxat aliquos secretorum omnium conscios factos esse, reliquos in secundis tertiisque con-

stitisse? Gradatim sacra percipi dicit et ex intervallo. Quid ad rem? Nemo non eo, quo intendit, per gradus pervenit. Hoc enimvero quaeritur, utrum vulgus initiatorum et quicunque diviniori doctrinae inhabiles reperti essent, rudimentis quibusdam leviter imbuti circa initia substiterint an (quod etiam atque etiam affirmo) omnino omnibus, qui quidem nihil gravius commisissent, haud grayate sapientiae istius penetralia reserata et quidquid sub symbolorum et cerimoniarum involucris lateret (si quid lateret) detectum et revelatum fuerit. Id nisi probaverint mysteriorum admiratores, quod omnino probari non potest, cum paucis expertae virtutis et prudentiae viris arcana illa communicata fuisse, totam istam doctrinae mysticae iactationem in vanum recidere necesse est.

Cum tertio teste breviter transigemus. Is Olympiodorus est, cuius locum primus Casaubonus in notitiam publicam pertulit, post Forsterus et Fischerus in commentariis ad Phaedon. c. XIII. repetiverunt et nuper nescio quis pro inedito edidit. Testis ipse non admodum luculentus, ut qui diu post Eleusiniorum interitum vixerit, testimonium huiusmodi est: *Ἐν τοῖς ἱεροῖς ἡγοῦντο μὲν αἱ πάνδημοι καθάρσεις, εἶτα ἐπὶ ταύταις αἱ ἀποῤῥητότεραι, μετὰ ταύτας, συστάσεις, καὶ ἐπὶ ταύταις μήσεις, ἐν τέλει δ', ἐποπτεῖαι. Ἀναλογοῦσιν αἱ ἠθικαί τε καὶ πολιτικαὶ ἀρεταὶ τοῖς ἐμφανέσι καθαρμοῖς, αἱ δὲ καθαρτικαὶ, ὅσαι ἀποσκευάζονται πάντα τὰ ἐκτός, τοῖς ἀποῤῥητοτέροις*, et cetera in eundem modum. De Eleusiniis Olympiodorus verbum dicit nullum; quae dicit, non eam vim habent, ut o multis paucos et cunctanter in numerum initiatorum cooptatos fuisse intelligamus; quod de *καθάρσει πανδήμῳ* memorat, plerisque sacris magno hominum concursu celebratis et iisdem mercatus, ludorum, comitiorum ergo institutis (ut v. c. Panaetoliis, Olympiis etc.) commune fuit, ut non omnis multitudo sacrificiis omnibus interesset, nedum templi angustiis sese intruderet, sed praecipue ii qui deos praesentes venerari aut ignotum sibi genus sacri noscere cuperent; ceteri, lustratione peracta, in varias partes dispalati suas quisque res agebant; quemadmodum hodieque in solemnibus maioribus, quum undique ad templa concurritur, paucissimi sacellum ingressi auditioni operem dant, non quia non licet omnibus sed quia nolunt.

Postremo ne hoc quidem praetermittendum est, plerosque mysteriorum duas partes facere *μύησιν* et *ἐποπτείαν*, aliquos tertiam addere *προκάθαρσιν*, a quibus abeuntes Theonem et Olympiodorum de numero inter se congru-

ere, in descriptione discordare, illum *κάθαρσιν*, *παράδοσιν*, *ἐποπτείαν*, *ἀνάδεσιν*, et quintum quiddam, quod cum Platonicorum Anagoge coniunctum est, hunc *κάθαρσιν* duplicem, *σύστασιν*, *μύησιν*, *ἐποπτείαν* enumerare, utrumque autem philosophiam quasi quandam initiationem esse velle et accommodate ad hanc comparationem pares utrique partes tribuere. At quis est, qui in eiusmodi similitudinibus arte quaesitis omnia ad vitae veritatem referri velit, neque concedat pro necessitate scribentis modo plures paucioresve, quam vulgo habentur, partes, gradus, ordines, constitui, modo totidem sed non eosdem? Quid? Aristophanes, quum poëtam gubernatori compararet et hunc diceret:

ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι, πρὶν παιδαλίοις ἐπιχειρεῖν,
κἄπειτ' ἐντεῦθεν πρωρατεύσαι καὶ τοὺς ἀείμους διαθρῆσαι,
κἄπειτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ —

num testimonium praebuit, Graecos tres constituisse poëticae consequendae gradus? Atqui huiusmodi sunt illa testimonia et quae his similia e Platonicorum recentiorum scriptis afferri possunt. Quibus omnibus destructis et confossis, causae afflictissimae patronis nihil, quo refugere possint, relinquitur, nisi aut sententiae suae firmamenta in libris deperditis fuisse dicant, aut ad Hamleti rationem se recipiant, qui multa inter coelum et terram fieri affirmat, de quibus nihil in libros relatum sit.

At fortasse res ita comparata est, ut etiamsi nullo idoneo auctore confirmari possit, tamen per se aliquam habeat probabilitatis speciem? Primum miserum est in tanta tamque testata Eleusiniorum memoria rei tam memorabilis auctorem extare nullum. Deinde omnem fidem excedit, Athenienses paucis sacerdotibus et iis nonnunquam (quod alio loco demonstrabitur) flagitiosis et levibus tantum potestatis fecisse, ut quasi morum et ingeniorum censuram agentes deorum immortalium augustissima munera in commune tradita arbitratu suo impertirent quibus vellent; cum his separatos a caeteris civibus congressus celebrarent; hos sacramento quodam sodalitii iuris obstringerent; quod nescio an nusquam, Athenis certe, in suspicacissima et aequissima civitate, nullo modo fieri poterat, quin ea res plerisque ad factiones et paucorum dominationem spectare, omnibus a communi humanitatis iure abhorrere videretur.

XXII.

G. Hermanni diss. de *praeceptis quibusdam Atticistarum.*

(Lips. 1810. pp. XX. 4to.)

Linguarum cognitio, quae pars est historiae, duos, ut omnino historia, fontes habet: unum, qui monumentorum testiumque auctoritate continetur; alterum, qui in ratione est atque intelligentia positus. Nam etsi, quid usitatum sit, quid non sit usitatum, non potest aliunde, quam ex monumentis ac testibus cognosci: tamen, quoniam et monumenta saepenumero corrupta sunt, et testes, grammaticos dico, sic demum aliquid probant, si probabilia dicant, praecipua quaedam cura in eo ponenda est, ut ex cuiusque rei ratione cognoscatur, genuina an depravata sit scriptura, grammaticique recte an secus praecipiant. Qua cautione in his maxime utendum est, quae ab his grammaticis, qui Atticistae vocantur, tradita sunt. Qui quum neque ab antiquitate, neque a subtilitate multum commendationis habeant, tum eo quoque saepe suspecti sunt, quod praecepta sua nunc ex parum diligenti veterum scriptorum lectione, nunc e vitiosis codicibus videntur hausisse. Omninoque hoc illi agebant, ut, quae plurimum ab Atticis usurpata viderent, tamquam exempla Graece scribentibus proponerent, rariora autem, ut negligentius scripta, vitari iuberent. Quamquam vero usus in omnibus linguis satis licenter dominari solet, non est tamen, quod quidquam in hoc genere tam temere fieri existimemus, ut non ad sensum aliquid intersit, sic an aliter loquare. Quae discrimina investigare atque explanare, hoc philologi officium est. Aliter enim dubia semper atque incerta maneret linguarum cognitio, neque in tanta veterum librorum corruptione sciri posset, utrum, quae rara sunt, scriptoribus, an librariis imputari deberent: quodque summum est, corrigendis genuinis, probandis corruptis interpretatio a vero sensu saepenumero aberraret. Quare in iudicandis istorum grammaticorum praeceptis ita procedendum est, ut, si vera sunt, ratio [IV] reddatur, quare sint vera; si falsa sunt, ostendatur, vera esse non posse; si veris falsa admixta habent, utraque diiudicentur accurateque distinguantur. Ex singulis generibus exempla quaedam afferam.

I.

Atque ut ab his ordiar, quae vera quidem sunt, sed

nisi ratio idonea reddatur, pro veris haberi neque- [IV]
unt, huius generis insigne exemplum praebent ea, quae de constructione particulae μὴ in vetando praecipiuntur: vide, ut alios praeteream, Koen. et Schaef. ad Greg. Cor. p. 15. ss. Nam cui tandem non mirum videatur, Graecos, maximeque Atticos, in vetando particulam istam cum imperativo praesentis aut coniunctivo aoristi, non etiam, nisi rarissime, cum aoristi imperativo, nunquam autem cum praesentis coniunctivo construere? Rationem huius usus qui reddiderit, ego quidem neminem novi. Quamquam nuper, certe inter praesens atque aoristum, Buttmannus aliquid discriminis statuit. Nam quum ego in censura grammaticae ab ipso editae (in Diar. litt. Lips. 1806. m. Mart. n. 39. p. 617.) Graecos ostendissem imperativum praesentis de eo, quod aliquamdiu duraret, aoristi de eo, quod cito perficeretur, usurpare, probavit ille hanc distinctionem in quarta quintaque editione, sed, quod factum nollem, sic simpliciter etiam ad vetandi formulas transtulit. Nam sane quidem μὴ βάλλε dicendum erit, quum vetabis aliquem crebris ictibus ferire; μὴ βάλῃς autem, quum uno ictu: sed est in hoc genere etiam aliud discrimen, quum, qui vetat, aut iubeat aliquem ab eo, quod facit, abstinere, aut moneat, ne faciat, quod velle facere videatur. Ac non potest obscurum esse, utra vetandi formula utri rei conveniat. Quod ap. Soph. est in Ai. 1154.

ἄνθρωπε, μὴ δρᾶ τοὺς τεθνηκότας κακῶς,

sic est dictum, ut significetur, *desine mortuos iniuria afficere.* Si dixisset,

ἄνθρωπε, τὸν θανόντα μὴ δράσῃς κακῶς,

moneretur Menelaus, ne vellet iniquus in Aiacem esse. Ita Odyss. o. 263.

εἰπέ μοι εἰρομένῳ νημερτέα, μηδ' ἐπικεύσῃς, [V]

noli celare, de quo interrogavero. Sed π. 168.

ἤδη νῦν σῷ παιδὶ ἔπος φάο, μηδ' ἐπίκευθε,

nunc, qui sis, filio tuo indica, neque amplius cela. Sic etiam ϑ. 548.

τῷ νῦν μηδὲ σὺ κεῖθε νοήμασι κερδαλέοισιν,
ὅττι κέ σ' εἴρωμαι,

desine celare. Spectant enim haec ad η. 237 ss. Sic praesentis imperativo usus est Homerus Iliad. α. 32. 131. 210. 275. 277. 295. 545. 550. β. 247. γ. 64. 82. 414. δ. 184. 404. ε. 218. 249. 252. 440. 827. 830. 889. ζ. 264. 360. 486. η. 111. 235. 279. ϑ. 244. (ο. 376.) ι. 600. 612. κ. 85. 145. 249. 447. ξ. 342. ο. 93. ρ. 31. σ. 126. 295. τ. 155. 396. υ. 376. 431. φ. 95. 99. 288. χ. 38. 85. 261. 345. ψ. 443.

[v] 492. 735. ω. 65. 218. 549. 553. 560. Od. α. 315. δ. 543. 594. 825. (h. Ven. 194.) ε. 160. 215. η. 303. ϑ. 350. ϰ. 457. 489. 548. λ. 486. 488. ξ. 168. 387. ϱ. 46. 393. 401. σ. 20. 62. 178. 416. (υ. 324.) τ. 293. 584. υ. 314. φ. 111. 310. χ. 349. ψ. 59. 209. 213. ω. 54. Quamquam non contenderim, tam necessario omissionem rei, quae nunc fiat, respici, ut imperativus praesentis non possit etiam de futuro dici: vide Iliad. α. 363. β. 165. (181.) 179. δ. 234. ϰ. 69. 249. ν. 230. ο. 426. σ. 74. υ. 354. φ. 340. χ. 185. ω. 171. Od. γ. 96. (δ. 326.) δ. 754. η. 31. 50. λ. 359. ο. 199. Ita imperativus tertiae personae quum aliquot locis de omittendo intelligi possit, ut Iliad. β. 354. ε. 345. ϰ. 383 ο. 196. τ. 29. Od. α. 369. β. 303. ε. 8. 160. ϰ. 505. ν. 362. 421. π. 436. υ. 308. φ. 318. tamen etiam de futuro usurpatur Iliad. β. 33. δ. 303. 305. η. 400. ϑ. 7. ϰ. 192. ϱ. 422. υ. 108. 121. φ. 338. χ. 243. ω. 148. 184. Od. ϑ. 43. π. 302. Infinitivus praesentis autem pro imperativo saepius de futuro intelligitur, ut Iliad. ε. 130. 606. ϰ. 237. ο. 159. π. 839. φ. 294. ψ. 83. ω. 592. Od. ϰ. 536. λ. 72. 441. π. 150. ϱ. 278. φ. 238. hymn. Merc. 92. rarius de omittendo, ut Od. σ. 106. Praevideo quidem fore, qui exempla, quae utramque interpretationem confirment, nihil probare dicant. His respondeo, primum, quae propria sit imperativi praesentis significatio, ex maiore tamen numero exemplorum colligi: ideoque exemplis usus sum unius scri-
[vi] ptoris, et quidem eius, quem caeteri fere sequi solent; deinde, quoniam, sive omissio sive non inceptio imperetur, futurum tempus respicitur, fieri non potuisse, quin tam exiguum discrimen saepe negligeretur.

Aoristi vero imperativus non iubet coepta omitti, sed fieri futura vetat. Iliad. σ. 134.

ἀλλὰ σὺ μὲν μήπω καταδύσεο μῶλον Ἄρηος.

V. Od. ω. 248. Aliud huius imperativi exemplum, Iliad. τ. 403. docte nuper sustulit censor Homeri ed. Wolf. in Diar. litt. Ienens. 1809. n. 248. p. 168. Quod si qui loci reperiuntur, in quibus aoristus ad omissionem trahendus videatur, habent illi tamen idoneam excusationem, quippe quum sic debeant intelligi, ut quis vetetur aut iterum facere, quod modo fecerit, ut Iliad. δ. 410.

τῷ μή μοι πατέρας πόθ' ὁμοίη ἔνθεο τιμῇ,

(v. Aeschyl. Agam. 1343.) aut cavere, ne faciat, quod iam se facturum esse ostenderit, ut in Sophocl. Ai. 386. *μηδὲν μέγ' εἴπῃς*, et Electr. 830. *μηδὲν μέγ' αὐσης*, in qua formula alibi praesentis imperativus est: vide exempla ap. Lobeck. ad Aiacis locum, quibus adde Odyss. ψ. 59. Sed χ. 287. infinitivo aoristi utitur, non esse posthac glo-

riandum indicans. Atque infinitivum aoristi de re futura [VI] invenies etiam Iliad. *o.* 159. Od. *κ.* 297. *ν.* 308. et tertiae personae imperativum, quo etiam Attici saepe utuntur, *π.* 301. coniunctivum Iliad. *ε.* 684. *ι.* 33. 522. *κ.* 238. *ξ.* 111. *ο.* 115. *ψ.* 407. *ω.* 568. (nam *ὀρίνῃς* aoristus est) 778. Od. *λ.* 251. (cum quo loco comparandus h. Ven. 291. ubi imperativus praesentis est) *ν.* 229. ubi quidem optativum praetulit Wolfius.

Iam temporis discrimine constituto videndum est etiam de modo. Atque apertum est, coniunctivum particulae *μὴ* iunctum proprie non vetantis esse, sed metuentis et caventis. Quare non tantum de secunda, sed etiam de prima persona usurpatur, ut in Soph. Oed. Col. 174. *μὴ δῆθ' ἁθικηθῶ*, et de tertia, ut Iliad. *ρ.* 93.

μή τίς μοι Δαναῶν νεμεσήσεται, ὅς κεν ἴδηται.

V. *σ.* 8. *φ.* 563. s. Od. *ε.* 415. (ubi quod statim sequitur, *μελέη δέ μοι ἔσσεται ὁρμή*, non e particula *μὴ* pendet, sed [VII] solum per se constat) 467. (*ρ.* 24.) *ο.* 12. *σ.* 334. Ac prima coniunctivi persona saepe sic usurpatur, ut admonitio ad secundam spectet, ut Iliad. *α.* 26. *μή σε κιχείω*: vide *φ.* 475. Od. *φ.* 370. Et sic etiam tertia, ut in Pythagorae carmine v. 25.

μή τις μήτε λόγῳ σε παρείπῃ, μήτε τι ἔργῳ·

Ipsa secunda persona sic, ut aperte metus tantum indicetur, occurrit Od. *π.* 255.

μὴ πολύπικρα καὶ αἰνὰ βίας ἀποτίσεαι ἐλθών

In quo loquendi genere quum Buttmannus in quinta grammaticae ed. p. 536. ellipsin verbi metum significantis non magis necessariam aut superfluam videri dicit, quam verbi, quo optare aliquem, precari, iubere indicetur, in reliquis a particula *μὴ* incipientibus enunciationibus, id mihi fateor tam obscure dictum videri, ut neque quid ipse sentiat vir praestantissimus, neque quid alios sentire velit, intelligam. Ellipsis quidem, si usquam, hic maxime necessaria est: quamquam illud liberum est, quod verbum quoque in loco intelligas. Plena oratio est Od. *χ.* 367.

εἰπὲ δὲ πάτρῃ,
μή με περισθενέων δηλήσεται ὀξέϊ χαλκῷ·

v. h. Ven. 188 ss. Et num quis hoc Sophoclis in Oed. Col. 156. *ἀλλ' ἵνα τῷδ' ἐν ἀφθέγκτῳ μὴ προπίπτῃς νάπει*, aut quod paullo ante ex Pythagorae carmine allatum est exemplum, ellipsi carere dicet? Quod si *μὴ* vetantis coniunctivo sic iungitur, ut significetur, *vide ne facias*, apertum est, aoristi eum debuisse coniunctivum esse, quod is natura sua ad futurum tempus refertur: unde etiam ex eo ortum est futurum; non praesentis, quo qui uteretur,

[VII] non vetaret, ne quis facere aliquid aggrederetur, sed dubitare se indicaret, an aliquis iam nunc id faceret, quod ipse, qui vetaret, facere illum nollet. Atqui sic ille neque ut omitteret id facere, neque ne posthac faceret, moneretur. Rem per se planam planiorem reddam exemplo allato. Od. ε. 356.

ὤ μοι ἐγώ, μή τίς μοι ὑφαΐνῃσιν δόλον ἄλλον
ἀθανάτων.

[VIII] *Metuo,* inquit, *ne iam nunc insidias mihi struat aliquis deorum.* Quod exemplum eamdem comparationem ad illa habet, in quibus aoristi coniunctivus est, quam in iurando indicativus praesentis cum particula *μὴ* iunctus ad futurum. Iliad. ο. 41.

μὴ δὶ ἐμὴν ἰότητα Ποσειδάων ἐνοσίχθων
πημαίνει Τρῶάς τε καὶ Ἕκτορα, τοῖσι δ' ἀρήγει.

α. 330.

μὴ μὲν τοῖς ἵπποισιν ἀνὴρ ἐποχήσεται ἄλλος.

Quae quum ita sint, non videtur dubitari posse, quin emendatione indigeant loci, in quibus *μὴ* vetantis cum coniunctivo praesentis iunctum est: quam constructionem ne in illo quidem scriptore tulerim, cuius est poëma, quod Phocylidi vulgo adscribitur, v. 19. 91. ed. Brunck. quibus in locis optativum ille videtur posuisse, ut v. 30. 43. 114. 144. 170. 186. 193. (et Naumachius in praeceptis matrimonialibus v. 53. 55. 58.) quod contra coniunctivus restituendus videtur v. 80. 174. ex codice; 175. 194.

Iam igitur sic erit de omni ista vetandi ratione statuendum; *μὴ* cum imperativo praesentis proprie de omittendo eo, quod quis iam faciat, intelligi, sed saepius tamen etiam ad ea trahi, quae quis nondum facere aggressus sit: aoristi autem imperativum tantummodo de non incipiendo usurpari, in quo quidem genere coniunctivum aoristi Graecos praetulisse; idque Atticis maxime, ut dubitantius loqui amantibus, ita placuisse, ut apud hos rarissime imperativus aoristi inveniatur. Exempla eius v. ap. Koen. et Schaef. ad Greg. Cor. p. 15 ss.

II.

Sequatur nunc exemplum secundi generis. Nam quod Thomas M. p. 267. tradit, particulam *εἰ* non construi cum coniunctivo, nisi si verbum ex illis sit, quae *αὐθυπόταχτα* vocantur, id mea quidem sententia falsum est. Nactus est quidem Thomas defensorem F. I. Bastium, virum ita in his litteris versatum, ut maxima eius debeat auctoritas esse, qui in epist. crit. ad Boisson. p. 129 s. ed. Lips. ultra L locos Atticorum, qui istam re-

gulam confirment, ab se collectos scribit, eoque ille [VIII] exemplorum numero adduci se fatetur, ut vera dixisse [IX] Thomam putet. Quod etsi tam caute est circumspecteque factum, ut vix videatur temeritatis notam posse effugere, quem tanta exemplorum multitudo nihil moveat: est tamen una potissimum caussa, quae me quidem vel sola sic ab assentiendo revocet, ut facilius et illa L exempla, et si multo plura afferantur, corrupta, quam regulam istam veram esse credam. Neque enim credibile est, regulam ab Atticis observatam esse, cuius observandae nulla caussa reperiatur. Nihil est enim in verborum constructionibus, ut quarum omnis ratio multiplici cogitationum varietate determinetur, quod sine aliqua sententiae mutatione a communi usu deflectat. Quod si qua esset caussa, quare particula *εἰ* cum quorumdam verborum coniunctivis construi posset, ea neque in particula ista, neque in coniunctivi natura sita esset, quod sic *εἰ* cum omnium verborum coniunctivis construeretur; sed aut omnino in verbis, quae *αὐθυπότακτα* vocantur, aut in coniunctivis eorum esset quaerenda. Atqui num horum coniunctivus significatione ab aliorum coniunctivis verborum differt? Minime. Num optativo, num futuro carent? Ne hoc quidem. Num neque *ἐὰν* cum eorum coniunctivis, neque *εἰ* cum optativis et futuris construitur? Saepissime vero. Quid igitur reliquum est? Nihil video aliud, quam ut Atticos *εἰ* aut cum nullius verbi, aut cum omnium coniunctivis construxisse dicamus. Alterum aliis, aliis alterum probabile visum est. Et hi quidem, qui *εἰ* omnino posse cum coniunctivo construi existimant, eo utuntur argumento, quod quum istam constructionem non repugnare legibus Graecae linguae ex Homero et Pindaro intelligatur, ne Atticos quidem plane ab ea abstinuisse verisimile sit; quin haud pauca in eam rem exempla afferri posse. Qui vero negant Atticos ista constructione usos esse, has habent rationes, paucitatem exemplorum in tam infinita multitudine locorum, qui usitatis legibus conveniant; dissensionem codicum, in ingenti locorum numero et convenientem mori et repugnantem lectionem exhibentium; nisam hoc ipso librorum dissensu facilitatem emendandi; denique verisimilitudinem in tam frequenti scripturae perturbatione inveniendae aliquando in codicibus verae lectionis: quemadmodum in Soph. Oed. [X] R. 198. *ἦν*, quod Brunckius ex coniectura posuerat, nunc ab Erfurdtio e cod. Dresd. firmatum est. Et habent haec sane magnum pondus, praesertim quum sint in his locis, qui, etiamsi quis *εἰ* cum coniunctivo construi posse con-

[x] cedat, emendationem requirant. Vellem profecto communicasset Bastius cum lectoribus exempla, quae a se collecta scribit, quo singillatim de iis disputari posset. Nam quum et *εἰ* aliud sit quam *ἤν*, et coniunctivus aliam vim habeat quam optativus, non puto ubique, ubi libri utrumque praebent, idem esse, utrum *εἰ* an *ἤν*, optativum an coniunctivum praeferas: neque assentior, quum vir praestantissimus in duobus locis Alciphronis, quos solos affert, III, 21 et 31. nihil referre existimat, utrum ex Thomae praecepto *εἰ δὲ μάθῃ, εἰ πρόφασις γένηται*, an *εἰ δὲ μάθοι, εἰ πρόφασις γένοιτο* scribatur. Optativus enim, ut in priore horum locorum admitti potuerit, in altero certe non potuit. In priore epistola mulier scribit, absente marito, negligentia caprarii accidisse, ut lupus capellam raperet: tum addit: *πέπυσται· δὲ οὐδὲν τούτων ὁ ἀνήρ· εἰ δὲ μάθῃ, πρεμήσεται μὲν ἐκ τῆς πλησίον πίτνος ὁ μισθωτός· αὐτὸς δὲ οὐ πρότερον ἀνήσει πάντα μηχανώμενος, πρὶν τὰς παρὰ τοῦ λύκου δίκας εἰσπράξασθαι.* Mulier ista quum tantum absit, ut celare rem velit, ut magis maritum cupiat resciscere, proprie aut *εἰ μαθήσεται*, *si resciscet*, aut *ἤν μάθῃ*, vel etiam *εἰ μάθῃ*, *si resciverit*, dicere debebat. Quod si *εἰ μάθοι* scripsit, non potest hoc aliter intelligi quam sic: *si maritus, cui nunc in urbe degenti rem nunciatum iri non est verisimile, forte resciscat.* Quod quidem vereor ut maluerit dicere, quam illud, *si resciverit redux ab urbe.* In epistola 31. mulier urbis visendae cupida sic scribit: *εἰ οὖν σοι πρόφασις ὁδοῦ ἄσυνδε γένηται, ἧκε ἀπάξων νῦν χαμέ.* Hic vero quomodo optativus admitti possit, non video: quippe quum de re futura sermo sit, non de eo, quod prorsus incertum ac dubium esse indicetur. Nec latine quisquam dicet: *si tibi opportunitas adeundae urbis sit, duc me quoque istuc.* Quare hic *ἤν*, vel etiam *εἰ πρόφασις γένηται* scribi debuit, *si quem praetextum nactus fueris.* Non sum nescius, *εἰ* cum optativo saepius iunctum inveniri, ubi futurum, vel futurum exactum, quod per coniunctivum Graeci designant, exspectari possit: verum tales locos qui attentius consideraverit, facile intelliget, sensum [xi] alium esse, si optativus, alium, si futurum aut coniunctivus adhibeatur. Ut in Aesch. Sept. ad Theb. in.

εἰ μὲν γὰρ εὖ πράξαιμεν, αἰτία θεῶν·
εἰ δ' αὖθ', ὃ μὴ γένοιτο, συμφορὰ τύχοι,
Ἐτεοκλέης ἂν εἷς πολὺς καπὶ πτόλιν
ὑμνοῖθ' ὑπ' ἀστῶν φροιμίοις πολυῤῥόθοις.

Poterat dici, *ἤν μὲν εὖ πράξωμεν, ἤν δὲ συμφορὰ τύχῃ*, hoc sensu: *si bene rem gesserimus, diis hoc acceptum fere-*

tur; sin minus, ègo vituperabor. Nolebat tamen [XI] Eteocles sic de belli eventu loqui, ut etiam vinci posse Thebanos indicaret. Quare cautius ita haec profert: *si bene rem gereremus, diis hoc deberi crederetur: sin male, ego reprehenderer.* Ita utrumque, tamquam quod cogitari possit, enunciat; neutrum vero, tamquam quod exspectari debeat. Apud Dionys. Hal. de constr. verb. in ipso fine libri haec legumtur: *τοῦθ' ἕξεις δῶρον ἡμέτερον, ὦ Ῥοῦφε, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, εἰ βουληθείης ἐν ταῖς χερσὶν αὐτὰ συνεχῶς, ὥσπερ τι καὶ ἄλλο τῶν πάνυ χρησίμων, ἔχειν.* Hic modestiae caussa sic loquutus est. Alia exempla, in quibus recte se habet optativus, v. ap. Schaef. ad hunc Dionysii librum p. 213 s. Adde Erfurdtium ad Soph. Oed. R. 688. Reponendus optativus in eadem fabula v. 668.

ἀλλά μοι δυσμόρῳ γᾶ φθίνου-
σα τρύχει ψυχάν, καὶ τάδ' εἰ κακοῖς
κακὰ προσάψειε τοῖς πάλαι τὰ πρὸς σφῶν:

Eiusdem generis talia sunt, ut hoc Sophoclis in Philoct 849. *ἀλλ' ὅ τι δύναιο μάκιστον, κεῖνό μοι νῦν, κεῖνο λάθρᾳ ἐξώδου, ὅ τι πράξεις: quam tibi videaris posse longissime.*

Sed deducit nos haec disputatio ad aliam quaestionem. Sumamus enim, *εἰ* cum coniunctivo sive quorumcumque verborum, sive eorum tantum, quae *αὐθυπόταχτα* vocantur, recte construi. Utrumne in hac constructione *εἰ* pro *ἤν*, an coniunctivum pro futuro vel optativo poni putabimus? Multum enim interesse ex iis patet, quae modo dicta sunt. Igitur *εἰ μάθῃ* utrumne significabit idem, quod *ἢν μάθῃ, si didicerit,* an quod *εἰ μαθήσεται, si discet,* an denique quod *εἰ μάθοι, si discat, si disceret.* Hoc postremum fortasse placeat recordanti Homericorum versuum Iliad. *φ.* 462.

Ἐννοσίγαι', οὐκ ἄν με σαόφρονα μυθήσαιο [XII]
ἔμμεναι, εἰ δὴ σοίγε βροτῶν ἕνεκα πτολεμίζω.

At non videtur dubitari posse, quin hic altera lectio, *πτολεμίξω*, praeferenda sit, id ut sit futurum, non coniunctivus. Nam et prorsus eodem modo loquitur Iliad. *α.* 293.

ἦ γάρ κεν δειλός τε καὶ οἰτιδανὸς καλεοίμην,
εἰ δὴ σοὶ πᾶν ἔργον ὑπείξομαι, ὅττι κεν εἴπῃς,

et alibi, ubi *εἰ* coniunctivo iungit, non coniunctivus pro optativo, sed *εἰ* pro *ἤν* est, ut Od. *ε.* 221.

εἰ δ' αὖ τις ῥαίῃσι θεῶν ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ,
τλήσομαι, ἐν στήθεσσιν ἔχων ταλαπενθέα θυμόν.

Vide Iliad. *α.* 340. *ε.* 258. *μ.* 223. 239. *φ.* 576. *χ.* 68. Od. *η.* 204. *μ.* 348. Et sic etiam Pindarus, et si qui alii hac constructione utuntur. Ac sane ita conveniebat. Nam

[XII] coniunctivus atque optativus, quamdiu genuina Graecae orationis ratio floruit, significationes, quibus inter se differunt, integras conservarunt. Ac falleretur, qui in constructionibus particulae ἐάν, aliarumque particularum, quibus ἄν adhaeret, coniunctivum ab isto ἄν, non a particulis εἰ, ἐπεί, ὅτε, et quaecumque ἄν adsciscunt, regi arbitraretur. Id quod aliquando clare intelligetur, si inventus fuerit, qui de particularum usu apud Homerum, fontem omnis harum rerum rationis, plene accurateque explicuerit. Unum addo. Homerus εἰ, etiam ubi *an* significat, coniunctivo iunxit Od. ε. 471. ubi male μεθείη legitur; et alio modo Iliad. ο. 16.

οὐ μὰν οἶδ', εἰ αὖτε κακορραφίης ἀλεγεινῆς
πρώτη ἐπαύρηαι, καί σε πληγῆσιν ἰμάσσω,

coniunctivo hic quoque propriam vim conservante. Hoc enim dicit: *haud scio an fraudis tuae fructum ipsa debeas prima percipere, verberarique te a me conveniat.* Veni iam eo, quo volebam. Etenim ex Homero hoc cognoscimus, εἰ recte cum coniunctivo iungi, quum quidem id significatur, quod Attici per ἐὰν cum coniunctivo indicant. Quod si Homerus plerumque in ista constructione ἄν vel κέν addit, quo clarius indicet, incertum adhuc esse id, de quo sermo est: de Atticis ita erit statuendum, [XIII] praeferendum eos in hac constructione iudicasse particulam ἄν, quod ubique dubitantius et cum quadam moderatione loqui amant. Qui quidem an in hac re ita religiosi fuerint, ut εἰ solum numquam coniunctivo iungerent, non diiudicaverim. Illud vero iure mihi videor posse contendere, praeceptum Thomae M. inde manasse, quod quum is, qui istam regulam excogitavit, in uno alterove loco Attici scriptoris εἰ cum coniunctivo, sive ab ipso scriptore positum, sive ex librariorum errore natum reperisset, miratus rei insolentiam, quum casu verba in his locis αὐθυπότακτα essent, ita iudicavit, cum horum verborum, non cum aliorum coniunctivis Atticos istam particulam construere. Nam non pauca Atticistarum praecepta ex eo orta esse, quod isti, quae exiguo locorum numero comprobata vidissent, ubique observata credebant, iam ab aliis satis demonstratum est. Quod si haec probabiliter disputasse videbimur, aut his quoque locis, in quibus coniunctivi verborum αὐθυποτάκτων cum particula εἰ constructi reperiuntur, emendatio adhibenda erit, neque id improbare illi poterunt, qui aliorum coniunctivos verborum sic constructos, quorum vereor ne longe maior sit multitudo, corrigendos censent; aut, quod equidem, re nondum explorata, ut consideratius praetulerim,

ita erit statuendum, apud Atticos quoque, ubi [XIII] codices consentiant, nec sensus prohibeat, *εἰ* cum quorumcumque verborum coniunctivis tolerandum esse.

III.

Tertium genus illas complectitur regulas, in quibus et veri aliquid et falsi inest. Ita quod idem ille Thomas M. p. 161. praecipit, verbum *δύναμαι* non esse cum futuri infinitivo iungendum, habet sane idoneam rationem, quum quod quis posse facere dicitur, idem sit ac si dicatur cogitari id facere, quod nunc non facit. Nam etiam si dicas, ***possum facturus esse,*** id praesentis temporis significationem continet, neque aliud est, quam si dicas, ***possum in eo statu esse, ut velim facere.*** Quare Graeci ne hoc quidem per futuri infinitivum, qui, ut alio loco ostendi, natura sua aoristus est, sed per praesentis infinitivum verbi *μέλλειν* indicant. Nihilo minus recte dixisse Sophoclem puto in Philoct. 1393.

τί δῆτ' ἂν ἡμεῖς δρῶμεν, εἰ σέ γ' ἐν λόγοις [XIV]
πείσειν δυνησόμεσθα μηδὲν ὧν λέγω;

Nec debebat Schaef. in Melet crit. p. 99. Thomae praecepto moveri, ut de emendatione cogitaret. Usitatum est enim Graecis, ubi in principali verbo futuri significatio inest, etiam infinitivum futuri adiungere, ut quum *μέλλειν ποιήσειν* dicunt. Credibile est, hic illic lectionem, quae Atticistarum praeceptis repugnaret, ab recentioribus grammaticis librariisve mutatam esse. Ita in Soph. Oed. R. 272. vulgatam lectionem *φθερεῖσθαι*, quae verissima est, in uno Augustanorum codicum in *φθαρῆναι* mutatam reperi, adiecto scholio, Triclinii, opinor, quod etsi iam Erfurdtius adnotationibus suis inseruit, tamen, quoniam levis adhuc menda inhaeret, hic adscribendum putavi: *φθαρῆναι δεῖ γράφειν, οὐ φθερεῖσθαι. τὸ γὰρ εὔχομαι ἀντὶ τοῦ ὑπισχνοῦμαι τιθέμενον μέλλοντι συντάσσεται, ὡς τὸ, ηὔξατο τῷ Ἀσκληπιῷ τάλαντον δώσειν, παρὰ Λιβανίῳ, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις πᾶσιν· ἀντὶ δὲ τοῦ εὐχὴν καὶ δέησιν ποιοῦμαι εἰς ἐνεστῶτα παρωχημένον ἐκφέρεται, ὡς καὐτὸς οὗτος ἄνω προὔφη, ἐκρῖψαι καὶ παθεῖν λέγων*, (v. 248. 251.) *καὶ Πλάτων ἐν Ἀξιόχῳ, εὐξάμενοι τὸ κράτιστον αὐτοῖς γενέσθαι.* Idem praeceptum, quod neutram in partem verum esse aliquot Atticorum loci ostendunt, etiam ap. Thom. M. p. 166. et Favorin. in v. *εὔχομαι* invenitur.

Nonnumquam Atticistas vitiosis exemplaribus usos esse, iam supra dictum est, et monuerunt saepe de ea re docti homines. Accidit autem hoc non solum in his locis, unde isti regulas suas petierunt, sed interdum etiam

[XIV] in his, quos ut regulae repugnantes non esse imitandos dicunt: ut in illis locis, ex quibus Thomas M. p. 297 sq. ἦν cum optativo iunctum affert, quam constructionem Schaeferus, vir doctissimus, in Melet. p. 87. non prorsus improbandam iudicat. In qua re ille me quidem consentientem habet, quamquam quas rationes pro illa sententia affert, vereor ne id, quod vult, non efficiant. Sunt autem hae: una, multitudo exemplorum. At neminem fugit, multo maiorem illorum esse locorum copiam, in quibus codices meliorem lectionem suppeditaverint: ut in Hippocratis loco, qui ne afferri quidem debebat, quod [XV] ibi pridem vera lectio ἐπιχειρέῃ ex codd. adnotata erat. Ita vero quidni in plurimis aliis locis codicum approbationem praevertas? Altera haec ratio est, quod quidam loci omnem corrigendi conatum reiiciant. At de quatuor locis, quibus in hanc rem usus est, duo ad emendandum facillimi sunt, si παρεκβήῃς et λυθείης scribatur, quas formas saepissime oblitteratas ab librariis esse non fugiebat Schaeferum, qui eas ipse reponendas aliquot in locis esse iudicat in Addend. ad Eurip. Pors. p. 564. Maximi vero locum in carmine περὶ καταὸχῶν v. 346. si accuratius inspexisset vir doctissimus, facile vidisset ab hac disputatione esse alienissimum. Is locus ita scribendus est:

ἦν δὲ Νεμείηαο πέλῃ κατὰ ἄστρα λέοντος,
εἰ μὲν ἐπὶ πρώτῃ ἠοῖ δρόμον ἐντύνειεν,
λήσεται, οὐδέ μιν αὖτις ἐφέστιον οἶο ἄνακτος
ἀθρήσεις θεράποντα φυγόπτολιν· εἰ δέ γ' ἐπ' ἠοῖ
δευτατίῃ αἴροιτο φυγήν, οὐ πάντα τελέσσει
δρῆσμοσύνην.

Itaque quartus tantum superest locus, qui est eiusdem Maximi v. 422.

οὐδ' ἦν Ἰφίκλοιο δοώτερος αὐδάξοιο.

Huius vero loci lectio, bis etiam apud Tzetzam reperta, non potest, re ipsa indicante, dubia esse. Quare confitendum erit, ἦν etiam optativo, certe apud huius aetatis scriptores, iungi potuisse. At simul hic locus indicat, sic tantum id factum esse, ut ἦν pro εἰ, non ut optativus pro coniunctivo esset. Hoc vero afferri debebat, quo et probari posse utramque constructionem, et quo quaeque loco probanda esset, intelligeretur. Ac saepius fortasse ἦν optativo iunctum aliam aliis in locis excusationem habet. Homerus quidem ἐπεὶ ἄν et ἐπὴν Iliad ι. 304. τ. 208. et vero etiam, si quid video, Od. θ. 511. Aeschylus autem in Persis 450. ὅταν, et Homerus, si lectio, uti debet, Iliad. π. 63. corrigatur, ac Lucian. in Tim. c. 39. T. I. p. 151. ὁπόταν recte optativo iunxerunt: ut, si idem

Lucianus ἦν saepius ita construxisse reperiatur, sa- [XV]
ne id non ubique librariis videatur imputandum esse. Sed de hac re sic demum recte disputari poterit, si quis omnia huius constructionis exempla ex hoc scriptore, cuius sermo omnino accuratiore pervestigatione [XVI] dignus est, collegerit et inter ipsos comparaverit. At in Thucydidis loco, unde ἦν cum optativo profert Thomas M. p. 267. non minus ille, quam in duobus Luciani locis, vitiosos codices sequutus est. De isto Thucydidis loco, quod neque alii eum recte explicuerunt, et mihi ipsi coniectura, quam ad Vig. p. 787. proposui, retractanda est, paucis exponam. Verba Thucydidis III. 44. reposito ex codd. εἴτε, haec sunt: *ἦν τε γὰρ ἀποφήνω πάνυ ἀδικοῦντας αὐτούς, οὐ διὰ τοῦτο καὶ ἀποκτεῖναι κελεύσω, εἰ μὴ ξυμφέρον, εἴτε καὶ ἔχοντές τι ξυγγνώμης εἶεν, εἰ τῇ πόλει μὴ ἀγαθὸν φαίνοιτο.* Vim verbis attulerunt, qui deesse alteram apodosin existimarunt. Non deest, sed apodosis, quae est in medio, ad utrumque membrum pertinet. Latine haec vix ita interpretari quis poterit, ut verbum verbo reddatur: licebit tamen hoc modo: *nam neque si poena dignissimos ostendero, necari propterea iubebo, nisi utile sit; neque si quid excusationis habeant, civitati si damnosum putaverim.* Neminem, qui praestantissimi scriptoris verba, semper profundae mentis plena, ponderare sciat, latere poterit, cur et apodosin in medio posuerit, et in altero membro εἴτε εἶεν et εἰ φαίνοιτο, non ἦν ὦσιν et εἰ φανεῖται dixerit. Sed omnino duobus maxime modis praeclaros viros, qui in Thucydide explicando operam posuerunt, peccasse videmus, uno, quod, quae hic insolentius scripsit, ad communem loquendi usum compararunt iudicaruntque, quum non in verborum compositione, sed in conformatione sententiarum apud hunc scriptorem quaerenda sit insolentia: quare is demum bonus erit eius interpres, qui et iudicio ita polleat, ut quid ille et quomodo quidque senserit, videat, et Graecae linguae eam habeat peritiam, ut quid ea quoque in loco ferat, etiam si nulla usquam similia exempla inveniantur, usu quodam sensuque teneat: unde etiam alterum vitabit errorem, quem plerique eo commiserunt, quod, quum insolenter loqui solere Thucydidem crederent, quidvis potius tentandum, quam, quod omnium facillimum et lenissimum est, interpunctionem emendandam esse in animum induxerunt. Huius quoque erroris insigne exemplum afferam: venia enim erit, si quid in huiusmodi scriptione a proposito digrediar. Mirum in modum viros doctos locus in lib. I. c. 22. ubi de

suis historiarum libris sic scribit Thucydides, ex- [XVII] ercuit: *καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀτερπέστερον φανεῖται· ὅσοι δὲ βουλήσονται τῶν τε γενομένων τὸ σαφὲς σκοπεῖν, καὶ τῶν μελλόντων ποτὲ αὖθις, κατὰ τὸ ἀνθρώπειον, τοιούτων ὄντων καὶ παραπλησίων ἔσεσθαι, ὠφέλιμα κρίνειν αὐτά, ἀρκούντως ἕξει.* Cuius loci sensum quum Lucianus de conscrib. hist. c. 42. T. II. p. 55. optime his verbis declarasset: *κτῆμά τε γάρ φησι μᾶλλον ἐς αἰεὶ συγγράφειν, ἢ ἐς τὸ παρὸν ἀγώνισμα, καὶ μὴ τὸ μυθῶδες ἀποπάζεσθαι, ἀλλὰ τὴν ἀλήθειαν τῶν γεγενημένων ἀπολείπειν τοῖς ὕστερον· καὶ ἐπάγει τὸ χρήσιμον, καὶ ὃ τέλος ἄν τις εὖ φρονῶν ὑπόθοιτο ἱστορίας, ὡς εἴ ποτε καὶ αὖθις τὰ ὅμοια καταλάβοι, ἔχοιεν, φησί, πρὸς τὰ προγεγραμμένα ἀποβλέποντες, εὖ χρῆσθαι τοῖς ἐν ποσί:* nullus tamen Thucydidis interpretum animadvertit, mutata interpunctione difficultatem tolli omnem: *ὅσοι δὲ βουλήσονται τῶν τε γενομένων τὸ σαφὲς σκοπεῖν, καὶ τῶν μελλόντων ποτὲ αὖθις κατὰ τὸ ἀνθρώπειον τοιούτων ὄντων καὶ παραπλησίων; ἔσεσθαι ὠφέλιμα κρίνειν αὐτά, ἀρκούντως ἕξει*: i. e. *qui autem volent rerum gestarum veritatem considerare, et futura si quando rursus, ut sunt res humanae, eadem vel similia sint. utilem esse ad ea iudicanda hanc historiam, his factum erit satis.* Genitivis usus est, quum potuisset dicere, *ἢν τὰ μέλλοντά ποτε αὖθις τοιαῦτα ᾖ καὶ παραπλήσια.* Et sic Lucianum haec intellexisse apertum est.

Sed ut ad *ἤν* cum optativo redeam, quod paullo ante dicebam, *ἤν* in hac constructione pro *εἰ* poni, id nolim sic intelligi, ac si nihil inter *ἤν* et *εἰ* interesse putem. Nam ego hoc tantum volebam, primo verbi modum spectandum esse, quod in hoc cardo rei versatur. Quod si sensus optativum requirit, altera quaestio est, utrum ei *εἰ* adiungi debuerit, an potuerit addi *ἤν*, quae particula eo ab *εἰ* differt, quod *εἰ* est *si*, *ἤν* autem sive *ἐὰν*, sive *ἄν*, producta vocali, *si forte*: (productione enim hoc *ἄν*, ut ex *ἐὰν* contractum, a particula potentiali differt: quae res fraudem fecit Iacobsio in Addit. animadv. ad Athen. p. 24. 126. Nam exempla in contrariam partem corrupta sunt, ut Lollii Bassi epigr. 3, 9. in Brunck. Anal. T. II. p. 161. In Palladae epigr. 137, 4. p. 436. *ὅταν* ex cod. reponendum.) Homerus igitur, apud quem particula *κέν* atque etiam *ἄν* nihil ad verbi modum pertinet, saepissime *εἴ κεν* optativo iunxit: vide Iliad. *β*. 123. 597. *ε*. [XVIII] 273. *ζ*. 50. (*κ*. 381.) *η*. 387. *θ*. 196. 205. *ι*. 141. (283.) 445. *ν*. 288. *τ*. 322. *χ*. 220. 351. *ψ*. 346. 592. Od. *η*. 315. *θ*. 353. *ο*. 545. *τ*. 589. quorum locorum aliquos iam Schaef. in Melet. p. 50 *s*. attulit. Differunt ab his locis ii, in quibus coniunctivus est: qui futuri exacti significationem

habent: v. Iliad. β. 364. ι. 412. π. 32. ρ. 39. σ. 91. [XVIII] χ. 349. Od. ε. 417. ϑ. 355. φ. 383. quibus addendi videntur, coniunctivo restituto, Od. μ. 345. ρ. 556. atque ipsum etiam futurum invenies Iliad. β. 258. ο. 213. ρ. 558. Et sic etiam, ubi εἰ est *an*, hoc quidem discrimine, ut optativus posse aliquid fieri, coniunctivus simpliciter futurum esse indicet. Od. χ. 75.

ἐπὶ δ' αὐτῷ πάντες ἔχώμεν
ἀθρόοι, εἴ κέ μιν οὐδοῦ ἀπώσομεν ἠδὲ θυράων,
ἔλθωμεν δ' ἀνὰ ἄστυ, βοὴ δ' ὤκιστα γένοιτο·

an eum limine depulsuri, exitumque inventuri simus, et auxilium ferri possit. Sic optativi exempla habes Iliad. α. 60. Od. μ. 113 s. ξ. 120. coniunctivi Iliad. α. 207. ϑ. 532. ο. 403. (unde corrigendum λ. 792.) π. 861. χ. 244. (emendatum a Schaef. in add. ad Eurip. Pors. p. 564.) Od. χ. 7. (ubi nunc Wolfius τύχωμι dedit, unde corrigenda Iliad. ε. 279. η. 243.) Od. ρ. 51. (sed mox versu 60. ob tempus praeteritum requiritur τελέσσαι, non secus ac δ. 33. παύσαι: nam Eustathii interpretatio vereor ut admitti possit) ω. 217. ubi ἐπιγνοίη in coniunctivum mutari debet. Ipsum futurum reperies Od. γ. 216. ο. 524. π. 238. futurum et coniunctivum σ. 265. Sed cave Iliad. η. 41 s. optativum e particula ἦν pendere putes: nova enim ibi constructio incipit, hac sententia: *illi vero ipsi tum aliquem ad certamen missuri essent.* Quin etiam cum indicativo aoristi εἴ κεν iunctum invenitur, ut Od. ζ. 282. et aliis in locis apud Schaef. in Meletem. p. 51. quo clarius intelligi potest, Homericum εἴ κεν usu certe aliud esse quam ἤν, etsi idem est significatione. Hinc recte Schaef. his exemplis non est usus in Append. ad Bastii ep. crit. p. 26. ubi κἂν pro καὶ ἐὰν cum indicativo tueri studet, qua quidem de re non praeripiam, quae Erfurdtius meus admonebit. Homericum quidem sermonem qui non putant ad grammaticas leges exigendum esse, hoc velim meminerint, si quibusdam in rebus hic alias leges sequitur, eas non esse nullas, et, si eae leges etiamnum magnam [XIX] partem latent, id et ab recensionum varietate, et ab eo repetendum esse, quod hae res incredibilem quamdam sibi curam diligentiamque poscunt. Ut hoc utar exemplo, quis non fateatur soloecismi speciem habere hos versus;

ὁππότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν,
ὧδέ σφ' ἐγκέφαλος χαμαδις ῥέοι, ὡς ὅδε οἶνος.

Non potuit tamen quidquam rectius dici. Nam etsi metrum et πημανέουσιν et πημήνωσιν ferebat, neutrum tamen dici poterat, quod utroque modo indicaretur, fore, qui foedus violarent. Hoc vero, quod posuit, idem est ac si

[XIX] dixisset: *εἰ πότεροι πρότεροι ὑπὲρ ὅρκια πημήνειαν, utinam male pereant, si qui priores foedus violent.* Hinc non raro, ubi nihil vitii est, doctis viris orta est dubitatio: ut quum Schaef. in Melet. p. 109. in Hom. h. Cereris v. 274. verba *ὄργια ὑποθήσομαι, ὡς ἂν ἐμὸν νόον ἱλάσκοισθε*, soloecismo foedari putabat. Quo in loco optativus, quem codex habet, servatus est etiam a Wolfio, ob rationem illam, quam supra iam tetigi, quaeque satis ex tali loco, qualis hic est Od. *μ.* 156. perspici poterit:

ἀλλ' ἐρέω μὲν ἐγών, ἵνα εἰδότες ἤ κε θάνωμεν,
ἤ κεν ἀλευάμενοι θάνατον καὶ κῆρα φύγοιμεν.

Sic optativus recte positus est Iliad. *η.* 342. *ϑ.* 291. *κ.* 166. 171. *ρ.* 640. Od. *β.* 53 s. *κ.* 434. *π.* 257. *ω.* 532. Posset optativus etiam Od. *ι.* 356. *κ.* 341. defendi, ubi nuper coniunctivo cessit. Defendi posset etiam *ν.* 402. ubi tamen cum Schaef. ad Eurip. Pors. p. 564. coniunctivum praeferam, reponendum etiam Iliad. *γ.* 436. (fortasse etiam *ε.* 215. quamquam ibi defendi potest optativus, si locus sic intelligatur, ut Od. *π.* 103.) *ζ.* 432. *ι.* 245. 397. *ψ.* 487. Od. *ξ.* 183. 184. (de quo loco iam monuit Schaefer. ad Eurip. Pors. p. 564.) *ρ.* 250. Defendi poterit optativus etiam Iliad. *η.* 340. *κ.* 307. Od. *δ.* 600. *η.* 33. *ο.* 21. quamquam non ubique eodem modo. Defendendus videtur etiam Iliad *ψ.* 494. Od. *ζ.* 286. contra Schaef. in Melet. p. 122 s. ac necessario defendendus est Od. *α.* 47. quem locum ibidem sollicitavit Schaeferus. Contra con-
[XX] iunctivus recte post praeterita, certis quidem conditionibus usurpatur, ut Iliad. *δ.* 485. *ε.* 128. *κ.* 225. Od. *γ.* 320. Defendi potest Iliad. *π.* 100. sed praetulerim tamen cum aliis libris optativum. Hic, opinor, aliquando coniunctivum etiam ex his locis expellet: Iliad. *β.* 4. *δ.* 230. *ε.* 567. *ν.* 649. *ξ.* 522. *ο.* 23. 598. *π.* 650. *ω.* 581. Od. *γ.* 2. *ι.* 102. *κ.* 24. *π.* 369. quibus adde *ι.* 377. *σ.* 348. *υ.* 286. ex quibus locis, quorum emendationem occupatam video a censore Homeri ed. Wolf. in Diar. litt. Ien. 1809. n. 247. p. 154. rarior optativi forma, *δυίη, ἀναδυίη*, ut *φυίη*, quod alibi Theocrito a me vindicatum, nunc etiam Buttmann. in Gr. gr. p. 309 commemoravit, recipietur aliquando in verbi temporum modorumque enumerationem. Quod si quis me temerius sentire de constituenda Homeri lectione putabit, is si consideraverit, quantum in hoc genere vel duae postremae Wolfii editiones discrepent, mutabit spero sententiam. Quin his ipsis locis, quos modo dixi emendandos mihi videri, aliquot alios adiicere debuissem, nisi novissima editio occupasset, quae in schedis meis dudum reposita habebam.

XXIII.

Ge. Car. Theod. Franckii Ph. D. in Schol. Flensburg. prolegg. in Cicer. orr. Verrinas, *de provinciarum Romanarum forma atque administratione.*

Praefatio.

Constituti sunt a Rege nostro Augustissimo in Acad. Christiana Albertina Kiliensi aliquot iudices e professoribus electi, qui quatuor quotannis commentationum philologicarum argumenta iis proponant, qui de praemiis a beato Sam. Sciassio eam in rem legatis certare velint. Tria sunt praemia magnitudine diversa, quibus eorum, qui concertant, tres pro commentationis exhibitae indole, atque doctrina examine exploranda possunt ornari. Triennium iam est, cum eiusmodi inter alia argumentum est propositum, ut *excussis M. T. Ciceronis libris in Verrem scriptis provinciarum apud Romanos administrandarum forma et species adumbraretur, atque testimoniis et exemplis e Cicerone illustraretur.* Itaque, cum bis iam antea praemium ex hac concertatione retulissem, denuo experiendum esse videbatur, quid vires valerent. Delectabar enim egregie argumenti iucunditate, tum quod tota fere commentatio e Cicerone erat haurienda, tum quod in ea antiquitatis Romanae parte versabatur, quae luce adhuc maxime egere videbatur. Difficultate vero non minutus est, sed auctus etiam continuo, quo in hac re versabar, ardor. Magis enim, quo accuratius rem indagabam, intelligebam, quamvis eandem rem summi viri, quorum unum hic nominem Sigonium, tractassent, multa tamen adhuc ab iis, qui antea ad eam accessissent, mihi esse relicta, nova quae proferrem. Haud raro tamen de tenuitate virium mearum sum monitus, cum de quibusdam rebus certi nihil possem invenire. Iudices, exhibita disputatione, dignum me censuerunt, quem maximo praemio ornarent. Qua re, etsi magis humanitati iudicum, quam mihi hocce ornamentum esse acceptum referendum intelligerem, animo tamen egregie auctus sum, consiliumque adeo cepi commentationis, quam tunc iudicibus exhibueram, publico quoque aliquando iudicio subiiciendae. Quare aliquoties eam diligenter recognovi, multisque in locis vel auxi, vel correxi. Interea cum finitum esset ante haec quinque ferme semestria sodalitium philologicum, studiorumque academicorum cursus absolutus, desiderium me cepit, si quid vires valerent, obeundo munere scholastico patriae litterarumque reipublicae operam navandi. Haec dum ago, saepius me fautores sunt hortati, ut, quo facilius quod expetebam munus scholasticum adipiscerer, doctoris gradum consequi studerem. Initio hac de re desperavi propter iuventam, sed mox virorum summopere colendorum monitis commotus rem animo volutare incepi, et, ut verbo dicam, commentatione, quam typis excudendam reposueram, philosophorum ordini amplissimo oblata, examine habito et disputatione finita, utrumque quod optaram adeptus sum: honores academicos et munus scholasticum.

His praemissis paucis iam de ratione, qua argumentum tractaverim, est agendum. In ipsa commentatione id imprimis studui, ut accurate argumento proposito satisfacerem. Quare ne quid quaeratis, praeter illud, quod libri prae se fert inscriptio, obsecro. In tractatione igitur ipsa ita sum versatus, ut nihil magis studerem, quam ut perspicue, ut breviter, ut accurate, ne quid his dicerem, ne quid

afferrem, quod ad rem non pertinere, ne quid omitterem, quod pertinere videretur, ne quid satis firmis argumentis carere sinerem. Omnia fere ex ipso Cicerone ita eruere studui, ut eum quasi *excuterem:* quare eos locos, e quibus hoc vel illud effeceram, laudavi, et saepe, praesertim ubi argumentatione aut *exemplis* opus erat, descripsi. Deinde, cum *adumbranda* esset provinciarum facies, operam dedi, ut brevis essem. Itaque simpliciter omnia narravi, ea, quae ab aliis iam erant satis exposita, paucissimis verbis attigi, laudatis eius rei auctoribus, ut paullo copiosior essem in iis exponendis, quae nova et ab aliis non satis demonstrata esse viderentur, ne quid ex brevitate perspicuitas detrimenti caperet. Ad ea, quae primus mihi exposuisse videor, pertinent quae de provinciae nomine, de discrimine foederatarum atque liberarum civitatium, de mercatoribus, de proconsulum auspiciis, deque imperii atque potestatis discrimine dixi, et alia nonnulla. Ubicunque aliorum librorum ope adiutus sum, eos laudavi. Maximam utilitatem, ut alios nunc taceam, cepi e Garatonii, Icti summi atque philologorum in Italia, dum vixit, ducis, magno cum litterarum detrimento, etsi senis, praematura tamen morte iam defuncti, Verrinarum editione, cuius usum humanitati V. Cl. Twesteni debeo. Praeterea egregie mihi usui fuerunt Ferratii, magni illius Itali, epistolae de Ciceronis orationibus, quas humanissime mecum communicavit V. Ill. Cramerus. Denique gratiae agendae sunt amplissimae Kordesio V. Cl. bibl. publ. praef. et doctissimo et humanissimo, cuius me liberalitas egregie adiuvit. — Aliis et Ciceronis et aliorum scriptorum veterum libris non usus sum, nisi in explicandis Verrinarum locis obscurioribus, aut ubi alicuius rei, quae deesse in provinciarum descriptione non posset, nulla in Verrinis esset mentio. Illae enim orationes et fons mihi erant propositae, ex quo haurirem, et hortus, quem irrigarem, ita, ut, ubi satis aperte in iis rem Cicero exposuisset, eas solas sequerer, sin vero alicubi obscurius aliquanto locutus esset, alia Ciceronis scripta, aut, ubi id satius fore putarem, alios, si fieri posset, eiusdem temporis, posteriores autem non nisi magna cum cautione, scriptores consulerem. Etenim, si iis scriptoribus temere uti voluissem in provinciarum administratione exponenda, qui posteriore tempore vixerunt, facile in errorem adduci potuissem, cum ea mihi describenda esset provinciarum regendarum ratio, quae fuit postremis liberae reipublicae temporibus, quaeque postea prorsus est mutata. In re critica me ipse cohibui, ne quid afferrem, quod ad rem non necessario pertineret. Sicubi mihi dubitatio de aliqua re inhaereret, ingenue professus sum. Virorum doctorum opiniones a mea abhorrentes rarissime attuli, sed satis habui, si meam sententiam firmis argumentis comprobassem; quam quidem rationem et argumentum ipsum poscere videbatur, et ideo ego praestare arbitrabar, quod in editione, quam, siquidem Vos, Lectores, non prorsus inanem me in iis excutiendis operam consumsisse censueritis, bono cum Deo aliquando Vobis propositurus sum orationum Verrinarum, eiusmodi enumeratio deesse non posset: quare huic eam esse reservandam duxi.

Quoniam vero non una ratione commentationes omnes conficiuntur, ratio reddenda est, quare id, quo usus sum, tractationis genus delegerim. Tractari enim eiusmodi argumentum potest aut ita, ut in ipsa narratione testimonia veterum exhibeantur et argumenta, quibus res traditae comprobentur, denique ea addantur, quae ad illustrandos locos a nobis laudatos pertinere visa sint; aut ita, ut ea tantum continua oratione describantur, quae e scriptis veterum diligenter lectis et examinatis eruerimus, ea vero, quae ad argumenta

tionem pertineant, in annotationem reiiciantur; aut denique ita, ut ipsa quidem argumentatione in rerum expositionem recepta, ea tamen annotationi vel appendici reserventur, quae minus ad rem pertinere, neque tamen prorsus omitti posse videantur. Ego vero, postremam rationem sum secutus, quamquam pauca attuli, quae ad rem non necessario pertineant, totamque disputationem ita institui, ut omnia ex ipsis Ciceronis verbis eruerem, partim summorum hominum, Sigonii, Ruhnkenii, Ferratii, aliorumque multorum exemplum secutus, partim quod ipsa argumenti ratio id postulare videbatur; ea vero, quae ad rem criticam et locorum illustrationem pertinerent, si fieri posset, in annotatione adderem, ne turbaretur argumentationis series atque interrumperetur. Sed ne longiore argumentatione lectores morarer, et a commentatione perlegenda deterrerem, in capita eam distinxi, quo facilius rerum expositarum ordo et series cognosceretur. Denique, de libri inscriptione, prolegomena in Verrinas disputationem appellavi, ut a fausto omine inciperem, sicut F. A. Wolfius, V. S., suam de iure Attico disputationem, praefixam eam egregiae Demosth. in Lept. orat. ed., appellavit prolegomena in Leptineam, quamquam non ignoro, quantum distet iuvenilis hic labor ab egregio illo eruditionis omnis thesauro. — Habes igitur, L. B., haec qualiacunque prolegomena, quibus, si digna esse videantur, utere. Gaudebo equidem, si eam esse Tuam erga me et librum meum voluntatem intellexero, ut editionem quoque Verrinarum in lucem prodire iubere possim. Vale et mihi fave.

Scripsi Flenopoli Prid. Kal. Ian. cIↃIↃccCXXIII.

Cap. I. *Quid sit provincia.*

Quod in omnibus, quae in antiquitate illustranda versantur, commentationibus necessarium est, ut a rebus singulis accurate definiendis fiat initium, idem in provinciarum descriptione videtur esse faciendum. Itaque primum omnium verum provinciae vocabuli sensum quam possumus accuratissime investigemus. Recte igitur ut intelligamus, quid sibi voluerit apud Romanos *provinciae* vocabulum, tria imprimis spectanda sunt: etymologia, usus loquendi, et provinciarum origo.

1. Duplex est huius verbi notatio. Alii enim derivant a vocabulo ab ipsis invento, ***provincere***, i. e. ***ante vincere***, alii a ***procul vincere***. Putarunt igitur, ***provinciam*** esse regionem aut ***bello antea domitam***, aut ***procul ab urbe debellatam***. Primus, ni fallor, originem huius vocabuli investigare conatus est Festus, vel potius quem is secutus est, Verrius Flaccus, prioris illius explicationis parens (p. 125[illegible], 47. in Perotti cornu copiae ed. Bas. 1536. ed. 1521. p. 1185 sq.), his usus verbis: ***Provinciae appellantur, quod populus Romanus eas provicit, id est, ante vicit.*** Dictas igitur existimavit quasi ***provictas***; neque analogiae id repugnat, cum quadruplex sit terminationis IA significatio, ubi pro terminatione primae personae praesentis temporis O in deriva-

tione ea ponitur: primum loci vel temporis, quo aliquid fit, ut *curia*, i. e. locus, in quo curatur, *insidiae*, i. e. locus, in quo insidetur, a verbo *insideo*, de quo recte Serv. ad Virg. Aen. XI, 531.: „Insidere est dolose aliquem exspectare: unde et insidiae nominatae sunt.“ Minus recte Festus l. c. p. 1226, 57. (1159, 15.): „insessores latrones, quod circa vias insidientur sedentes;“ etenim *insidere* in his proprie est *occupare*. cf. de hac significatione Gesneri Thes. s. v. Similiter *custodia*, i. e. locus, in quo custoditur. — Deinde participii praesentis activi, ut *furia*, i. e. furens, sive quae furit, *suppetiae*, i. e. suppetentia, sive quae suppetunt, *excubiae*, qui excubant, *conscia*, quae una scit, *nescia*, quae nescit. Tum infinitivi praesentis, ut *invidia*, i. e. τὸ invidere, *exsequiae*, i. e. τὸ exsequi, *vindicia*, s. *vindiciae*, i. e. τὸ vindicare, et similia. *) — Denique participii perfecti passivi, ut *argutiae*, i. e. quae argute dicuntur, sive quae argutamur, *reliquiae*, quae relicta sunt, *exuviae*, quae exuuntur, *nescia*, ignota, ut Tac. Ann. I, 59.: „aliis gentibus ignorantia imperii Romani, inexperta esse supplicia, nescia tributa,“ et similia. Omnia enim huiuscemodi vocabula initio adiectiva fuisse videntur, triplici terminatione, *ius*, *ia*, *ium*, praedita, postea vero ἐλλειπτικως, ut Graeco vocabulo utar, pro nominibus substantivis usurpata. Attamen ferri non posse hanc explicationem, iam vidit Isidor. Hispal. XIV, 5., qui alteram illam notationem his verbis proposuit: „Provinciae autem ex causa vocabulum acceperunt. Principatus namque gentium, qui ad alios reges pertinebant: cum in ius suum Romani vincendo redigerent, procul positas regiones provincias appellaverunt.“ Intellexisse enim videtur, primum, aut nunquam, aut rarissime in verbis vere Latinis *pro* esse *antea*, quamquam in iis, quae e lingua Graeca originem ducunt, haec significatio est notissima, ut in vocabulis *prooemium*, *prologus*, et sim.; deinde nihil esse, ad quod referatur vocabulum *pro*, sive *ante*. Substituit igitur aliam explicationem satis certe ingeniosam; neque tamen veram, natam eam, uti videtur, e consideratione originis provinciarum, cum tum demum Romani provinciarum nomine uti inceperint, cum extra Italiam imperium extenderent. Sed repugnat analogia, cum nusquam, ni omnia me fallunt, *pro* cum alio verbo coniunctum sit *procul*, nisi forte ita intelliga-

*) An eodem pertineat verbum *redimiae*, quod Gloss. vet. Graeco vocabulo λύτρα explicat, nescio, nec definire audeo, cum parum certi in illa explicatione inesse videatur.

mus hanc expositionem, ut *pro* esse *porro* putemus. Ea enim significatio multis exemplis probatur, ut *propagare*, de quo Nonius (ap. Perott. p. 1321, 25 sqq. — 1252, 6.): „propages est series et affictio continua, vel longe ducta: Pages enim compactio, unde compages, et propagare, i. e. genus longe mittere etc.," ut *proclamare*, i. e. porro, pro domo, extra privatos parietes, ut dicitur, foras, clamare, *profundere*, porro, s. ultra, longius fundere, *proaedificare*, de quo Festus l. c. p. 1258, 25 sqq. (1186, 39.): „proaedificatum dicitur, quod ex privato loco processit in publicum solum," et innumeris aliis. Sed etiamsi *pro* dici posset pro verbo procul, res ipsa tamen et usus loquendi repugnarent. Provincia enim si esset *procul victa*, Corsica et Sardinia qui possent provinciae appellari, cum Lucania, Apulia, Bruttiorum ager non esset provincia, qui Gallia Cisalpina, quae propior erat Romae illis regionibus?

2. Perspicuam autem maxime hanc rem reddit usus loquendi, quem iam consulamus. — Flor. I, 11, 6. „Sora (quis credat?) et Algidum terrori fuerunt" (de primis agit Romani imperii temporibus) „Satricum atque Corniculum provinciae." Atqui utraque civitas erat Latini nominis, ex quo apparet, propinquitatis Romanos nullam in hoc nomine habuisse rationem. Namque eodem sensu Florum hoc nomen usurpasse, quo Sicilia, Hispania, Gallia, ceteraeque imperii Romani provinciae hoc nomine appellatae sint, neque conferri posse haec verba cum Liv. X, 24.: „patriciis tendentibus, ut Fabius Etruriam extra ordinem provinciam haberet," et similibus, dubitari non potest, cum Florus aperte de *provinciis populi Romani*, Livius vero de provincia imperatoris, i. e. ea regione, qua bellum ei esset gerendum, loquatur. Accuratius autem si in usum loquendi inquiramus, utramque *provinciae* explicationem eo plane everti, videbimus. Etenim ne illud quidem ad *provinciae* definitionem pertinet, *esse regionem bello captam*, neque igitur in nominis ipsa notione est quaerendum. Cicero enim Verrin. III, 6: „Perpaucae," inquit, „Siciliae civitates sunt bello a maioribus nostris subactae," et omnis tamen Sicilia provincia erat Romana. Et quod Florus l. c. oppidum vocat provinciam Romanam, Satricum, nusquam legi a Romanis esse captum, antequam a. M. Coriolano, qui ad Volscos transierat, iis eriperetur (Liv. II, 39.): quare ultro Satricanos cum Romanis foedus inisse suspicor. Quo accedit, id, quod maximi ad rem est momenti, ea loquendi ratio, qua dicimus: *provinciam facere*. Flor. II, 17, 8. et IV, 12, 29., *reddere provinciam*. Ovid.

Fast. I, 589. Nam quae *victa iam est* regio, *victa fieri et reddi, i. e. vinci,* non potest. Non enim quae victae erant regiones, omnes appellatae sunt provinciae, verum nonnullas, posteaquam victae erant, S. P. Q. R. censuit in provinciae formam esse redigendas, sive, quod idem est, provincias faciendas. *)

Quae cum ita sint, aliquamdiu de vera ac propria provinciarum indole, nominisque origine dubitavi. Verisimile enim mihi videbatur, fuisse Romanis vocabulum *vincia,* ex quo ortum sit provinciae nomen; et spes me tenebat, fore, ut, si hoc nomen apud veteres reperiretur, certi aliquid de utriusque verbi origine confici posset. Tandem, cum paene iam inanem hanc esse spem, putarem, evolvi Festum, apud quem, quod iucundum mihi erat maxime, haec verba inveni p. 1269, 34. (1226, 31.): „Vinciam dicebant continentem." **) Recte igitur

---

*) Exemplis vero caret, quod Schellerus suspicatur, *vincere* proprie nihil esse, nisi *acquirere*, atque, etiamsi hac significatione usurpatum fuisse nomen doceretur, tamen propria non esset illa significatio.

**) Equidem non sum ignarus, Scaligerum, virum summum, aliosque huic loco manum intendisse, atque illum legendum esse statuisse: *Viciam dicebant continentiam*, alios vocabulum *vinciam* in *vinceam*, vel *viceam* mutasse; sed firma manu vulgata lectio videtur esse retinenda. Neque enim quicquam continet quod repugnet, immo vero optime convenit et explicatio cum verbo explicato, et ipsum vocabulum cum verbo *vincio* et *provincia*: et verisimillimum est, exstitisse aliquando eiusmodi vocabulum, cum provinciarum nomen alioquin explicari plane nequeat. Etenim nec vocabulum *provincire*, unde illud derivetur, exstat, neque a verbo *vincire* sine aliquo verbo medio originem trahere potest. Et nescio, an vulgatae lectioni faveat Plaut., Stich. IV, 2, 56.: „Nam mihi iam intus potione vincea onerabo gulam." Potionem vinceam Taubm. interpretatur *laqueum*. Nihil defunio, quamquam mihi verisimilius esse videtur, esse *tantam potionis, sive vini, portionem, ut ea consumta homo suffocetur*. Sequitur enim v. 57.: „Neque ego hoc committam, ut homines mortuum me dicant fame." Ita novus existeret iocus ex oppositis *fame* et *potione vincea*, i. e., si sententiam velis exprimere, *nimia*. Illud certum est, derivandum esse vocabulum *vincea* a *vinciendo*, quod et res ipsa docet, et locus simillimus ipsius Plauti, Pseud. I, 2, 85. 86: „Vino te devincis," quem optime Taubm. comparat cum Propert. III, 3.: „Multo mentem vincire Lyaeo." Nam a *vinca*, quod praeterquam in plantae nomine *vinca pervinca* non reperitur, duci cum Schellero vix potest. Atqui vix crediderim, ullum in tota lingua Latina *adiectivum* reperiri *verbale*, quod in EUS terminetur, certe quorum ego memini adiectivorum in EUS, omnia sunt *denominativa*. Quae res eadem damnat lectionem illam in Festi loco *vinceam*. Quid igitur? Legendum esse videtur *vincia*. Quippe ut *nescius* (v. s.), ita *vincius* (namque adiectiva esse omnia nomina hu-

iam me coniecisse videbam, neque a *vincendo*, sed a vinciendo ducendum esse provinciarum nomen. Etenim *terra continens* — eam enim; neque animum continentem, aut similia, intellexisse Festum oportet, cum vincia sit nomen substantivum — est terra aliis mari nullo interposito adiuncta et quasi adstricta, i. e. *vincta*. Synonyma enim esse *vincire* et *adstringere*, docet Cic. Verr. IV, 42., quo *vinctus et adstrictus* coniunguntur: „Dedit igitur tibi fortuna Siculorum C. Marcellum iudicem, ut, cuius ad statuam Siculi te Praetore alligabantur, eius religioni te eumdem vinctum adstrictumque dederemus," et quaedam loquendi formulae in utroque verbo simillimae, ut *numeris adstringere orationem* (Cic. de Or. III, 44. alibi) et *numeris vincire orationem* (Id. ib. 49.). Quamquam enim diversa in his ratio esse videri potest, ut illo loco *numeris* sit dativus, hoc vero ablativus, tamen etiam *vincire* dativo iungi potest, ut: „Aspicite religatum asperis vinctumque saxis." Cic. Tusc. II, 3., eodem sensu, quo Verr. IV, 41. dixit: „Quis est hic, qui ad statuam adstrictus est?" et Columella V, 6, 17.: „Quicquid frondis enatum fuerit, --- aut ferro amputare, aut adstringere," et adstringere ablativo, ut: „Vinculis legum adstringi" Quint. V, 10, 101. et utrique casui, ut: „Una atque altera aestas vel metu, vel spe, vel poena, vel praemiis, vel armis, vel legibus, potest totam Galliam sempiternis vinculis adstringere." Cic. de Prov. Cos. 14. Ex his colligitur, *provinciam* esse *regionem imperio Romano, sive ad imperium Romanum provinctam*, i. e. *porro vinctam et adiunctam, quasi appendicem Romani imperii:* unde consequitur, *eam non esse*, si accurate loquamur, *imperii partem*, sed *parere* tamen *imperio Romano;* ideoque *arctissime cum eo esse coniunctam, et administrari a magistratibus Romanis quidem, neque tamen urbanis.* Praeterea inde coneluditur, *non eodem iure usas esse provincias, quo ipsum imperium Romanum, sed deterius illarum ius fuisse, deteriorem-que conditionem.* Atque haec et cum usu loquendi et cum origine provinciarum optime conveniunt. Primum enim ad hanc verbi notationem ipse Cicero aliquoties alludere videtur, ut Verr. II, 1.:

---

insmodi verbalia, quae in IA terminentur, supra docui) duabus usum esse significationibus videtur, activa altera, altera passiva, ut igitur fuerit et *vinciens*, s. *qui vincit*, et *vinctus*, s. *qui vinctus est*.

Omnium nationum exterarum princeps Sicilia' se ad amicitiam fidemque populi Romani applicuit," quae verba ipse, quasi commentario, statim verbis sequentibus illustrat: „prima omninm, id, quod ornamentum imperii est, provincia est appellata." Et Verr. III, 6.: »Videte nunc maiorum sapientiam, qui, cum Siciliam - - - ad rempublicam adiunxissent," etc. Deinde non fuisse provincias partes imperii, vel e priore loco apparet, quo provinciales vocantur *nationes exterae*. Sic eodem capite paullo infra: „Prima docuit" (Sicilia) „maiores nostros, quam praeclarum esset exteris gentibus imperare," et alibi simili ratione. Innumeris praeterea locis provinciales appellantur *socii*, ut I, 32: (Lampsacenis,) „populi Romani conditione sociis, fortuna servis, voluntate supplicibus." Sic Div. in Caec. 5.: „Reliquum est iam, ut illud quaeramus - - -, ecquid auctoritatis apud vos in suo iure repetundo socii populi Romani, supplices vestri, habere debeant." Interdum utrumque nomen coniungitur, ut Div. 3.: „Quid est, quod aut populo Romano gratius esse debeat, aut sociis exterisque nationibus optatius esse possit, aut saluti fortunisque omnium magis accommodatum sit? Populatae, vexatae, funditus eversae provinciae: socii, stipendiariique populi Romani afflicti" etc. Paruisse porro provincias Romanis, et ex iis, quae iam allata sunt, locis, similibusque apparet, et confirmatur Div. 20: „Ab hospitibus clientibusque suis, ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi Romani ditionemque essent" etc.; *) et Verr. III, 6.: „Siciliae civitates sic

---

*) Monendum est, quamvis aliud nobis agentibus, de lectione, ex uno codice, pro *essent* legendum esse *venissent*, Ursinum voluisse; sed nihil tamen mutandum esse videri. Multis iamdudum exemplis congestis Hottomannus et Graev. ad h. l., Taubm. ad Plaut. Amphitr. I, 1, 25. Auson. Popma ad Cat. et de usu antiquae locut. II, 7. Voss. de constr. c. 65. alii docere studuerunt, promiscuum apud antiquissimos Romanos utriusque casus usum fuisse cum praepositione *in* iuncti. Sed dubitatio nos subit, quando videmus, quam saepe barbaris illis medii avi temporibus accusativus pro ablativo, et ablativus cum accusativo manuscriptis codicibus sit obstrusus. Accedit, quod eo tempore suavitatem orationi afferre illa casuum permutatio videbatur. Quae res aperta est maxime in argumento orationis Ciceronianae, si recte memoria valet, pro Marcello, in quo ubique perversus ille casuum usus reperitur, quem eundem interdum Eugraphius, in commentario in Terent. sequitur, ut adeo in mentem nobis veniat esse imitationem permutationis, quam N. T. aliique multi scriptores obtinent, praepositionum *ἐν* et *εἰς*. Sed obstat Gell. I, 7.: „Idem autem ille amicus noster in eiusdem M. Tullii Ciceronis oratione,

in amicitiam fidemque recepimus, ut eodem iure essent, quo fuissent, eadem conditione populo Romano parerent, qua suis antea paruissent.“ De magistratibus vero, de quibus infra multis dicendum est, hic verbum non addam. Coniunctae autem erant provinciae cum Romanis sicut Romae clientes cum patronis, ita, ut quaeque provincia certam gentem Romanam haberet patronos, ut Sicilia Marcellos, Achaia Pisones. Cuius rei saepissime in orationibus in Verrem fit mentio, ut III, 18. Div. 1. et 20. etc., et quomodo factum sit, describit Liv. XXVI, 32. Conditionem denique provinciarum fuisse peiorem, quam Italiae, et ex aliis multis locis, et inde conficitur, quod Siciliam Cicero dicit uti *iure iniquo,* Verr. II, 29. quamquam eam ipsam prae ceteris provinciis beneficiis affectam a Romanis docet Verr. II, 3.: „Sic a maioribus suis acceperant, tanta populi Romani in Siculos esse beneficia, ut etiam iniurias nostrorum hominum perferendas putarent,“ et paullo post: „Cum omnia sua commoda, iura, beneficia senatus populique Romani unius scelere ac libidine perdidissent.“ Et III, 6.: »Videte nunc maiorum sapientiam, qui - - - tanta cura Siculos tueri ac retinere voluerunt, ut“ etc., collato huius capitis initio. Ad iuris

---

quae est de imperio Cn. Pompeii, ita scriptum esse a Cicerone dicebat, atque ipse ita lectitabat: *Quum vestros portus, atque eos portus, quibus vitam ac spiritum ducitis in praedonum fuisse potestatem sciatis.* Neque soloecismum esse aiebat *in potestatem fuisse*, ut vulgus semidoctum putat, sed ratione dictum certa et proba contendebat, qua et Graeci ita uterentur: et Plautus verborum Latinorum elegantissimus in Amphitryone dixit, *Numero mihi in mentem fuit*, non, ut dici solitum est, *in mente*. Sed enim praeter Plautum, cuius ille in praesenti exemplo usus est, multam nos quoque apud veteres scriptores loquutionum talium copiam offendimus; atqui his vulgo annotamentis inspersimus.“ etc. Consentit omnium veterum linguarum analogiae, qua non solum universi orientales qui dicuntur populi totum illud discrimen ignorant, sed Graeci quoque ab antiquissimis Homeri temporibus usque ad extrema tempora, excepta tamen ea aetate, qua maxime in Graecia florebant litterae, nullo paene cum discrimine usi sunt praepositionibus *ἐν* et *εἰς*. Recte igitur fecerunt Drackenb. ad Liv. multis locis (e. g. II, 14. VI, 2. alibi) et multi alii, qui linguae Latinae auctoribus huncce accusativum suum e Mss. Codd. restituerunt; sed cavendum tamen est maxime, ne ubique eum esse reponendum putemus, ubi Mss. Codd. nonnulli eum exhibeant. Atque statuendum esse videtur, antiquissimis temporibus promiscuum fuisse hac in re accusativi atque ablativi usum, postea certam utrique casui legem esse constitutam; tandem, cum morti Latina lingua appropinquaret, a multis legem illam plane esse inversam.

conditionisque autem iniquitatem maxime tributa pertinent et vectigalia, quae omnibus provinciis fuisse imposita, e loco Verr. III, 6. apparet: „Inter Siciliam, ceterasque provincias in agrorum vectigalium ratione hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum, - - - aut censoria locatio constituta est - -. Siciliae civitates“ etc. De horum ratione et generibus postea disserendi locus dabitur: nunc pauca quaedam de provinciarum origine dicamus.

3. Romanis, quamdiu imperium ipsorum Italiae finibus continebatur, non nisi urbanis opus erat magistratibus, i. e. iis, qui *in urbe* cum potestate essent. Nam ubi seditio aut bellum inter socios ortum erat, Roma facile imperator mitti poterat, qui illud sedaret; ubi leges iis dandae erant, Roma promulgari poterant, ubi tributa, aut vectigalia, aut stipendia exigenda, Quaestores mittebantur, qui illa cogerent, ubi ob ius dicundum Romam socii veniebant, initio ad Praetorem urbanum, postea, crescente republica, ad peregrinum se conferebant. Facilis enim undique erat Romae aditus, nec tempestate unquam aut maris fluctibus impeditus; neque tantae amplitudinis erat imperium, ut magistratus urbani eius administrationem sustinere non potuissent, addito praesertim praetore peregrino; neque exercitu in omnibus Italiae partibus Romanis opus erat, cum potentiam Romanorum diuturnis bellis cognitam plerique Itali extimescerent, neque valde esset metuendum, ne hostes ex improviso exteri hanc vel illam imperii Romani partem adorirentur, cum paene undique mari clausa esset Italia; denique cum magna Italorum pars diu iam esset et paullatim imperio Romano assueta. Postea vero, quam victis primo bello Punico Carthaginiensibus, Siciliam, quam eo usque praeter Hieronis regnum illi tenuerant, ad rempublicam suam addiderant, alia prorsus administrationis ratio erat instituenda. Difficilior enim Siculis erat Roma, et Romanis Sicilia aditu, cum eam Siciliae partem, quae Italiae adiacebat, teneret Hiero, Syracusarum rex, populique Romani socius, reliqua vero pars longius ab Italia distaret, ita, ut facile transitus ex una terra in alteram tempestate impediri posset. Praeterea maxime Romanis metuendum erat, ne Carthaginienses, prima quaque, quae se offerret, occasione arrepta, in Siciliam transiicerent, eamque exercitu Romano destitutam reciperent. Quo accedebat, quod nimis amplum iam hac accessione erat imperium, quam cui administrando soli magistratus urbani sufficerent. Itaque Q. Lutatium Cerconem Cos. Romani

miserunt, qui cum Lutatio Catulo Siculorum res constitueret, arma iis adimeret, leges daret ex S. C., vectigalia et tributa imponeret. Auctor huius rei est Zonaras, laudatus a Sigonio de antiquo iure provinciarum I, 3., qui uberius de provinciarum singularum origine disputat. Quamquam enim non apertis verbis legum, tributorumque et vectigalium Zonaras facit mentionem, tamen de his ipsis rebus cogitasse videtur, cum diceret, *servitute Siciliam esse mulctatam:* similiter enim Cicero Verr. I, 32. Lampsacenos vocat *conditione socios, fortuna servos,* et *liberari* eae regiones dicebantur, quae provinciae esse, eaeque civitates, quae ad provinciam pertinere desinebant, id est, neque vectigalia tributave amplius Romanis conferebant, neque legibus provincialibus magistratibusque Romanis parebant, sed sui iuris rursus fiebant. Maxime autem haec res illustratur Cicer. Verr. IV. 60.: „Maiores nostri facile patiebantur, haec esse quamplurima apud socios, ut imperio nostro quam ornatissimi florentissimique essent; apud eos autem, quos vectigales aut stipendiarios fecerant, tamen haec relinquebant, ut illi, quibus ea iucunda sunt, quae nobis levia videbantur, haberent haec oblectamenta et solatia servitutis," de quo loco paullo infra agemus. Cf. Hottom. et Garaton. ad Verr. II, 31. De civitatibus liberis nos paullo infra dicemus. Sic prima omnium nationum exterarum, ut utar verbis Ciceronis (Verr. II, 1.) Sicilia *provincia* est appellata. Ab eo inde tempore quotannis Praetores, qui eam administrarent, cum imperio et potestate missi sunt. Cf. Sigonium l. l. et Livium XXI, 49., et quae de provinciarum diversione libris sequentibus Livius narrat. Postea, captis Syracusis bello Punico secundo nova cum Lilybaetana illa provincia coniuncta est Syracusana. Cf. Liv. XXVI, 1. et alibi. Sed haec hoc loco de origine provinciarum attulisse sufficiat, cum copiosior huius rei expositio ad explicandum provinciarum nomen pertinere non videatur, et satis accurate atque copiose ea de re Sigonius l. l. locutus sit. Nonnulla tamen, quae ad diversam provinciarum originem pertinent, cap. sequ. afferemus. Ita provinciarum nomen est inventum, quo postea Romani regiones omnes cum imperio coniungendas appellarunt. De ratione vero, qua in provinciae formam eas redegerint, infra, capite de legislatione quaedam dicemus. Aliorum nominis *provincia* significationum capite de Praetoribus mentionem faciemus.

Cap. II. *Provinciarum et civitatum in provinciis genera.*

1. Romani Italiae finibus cum exercitu egressi, magis magisque imperium protulerunt, magnumque sibi provinciarum numerum asciverunt. Sed cum alii populi acrius iis resisterent, alii minus acriter, alii porro semel in amicitiam fidemque recepti in amicitia constanter manerent, alii a Romanis data occasione deficerent, variae societatis ineundae rationes institutae sunt. Aliorum enim, qui sponte sua amicos se praestiterant populi Romani, regiones in provinciae formam omnino non redactae sunt, sed libertate retenta in societatem atque amicitiam receptae: cuiusmodi sunt, de quibus Cic. Verr. III, 89.: „Lugent omnes provinciae, queruntur omnes liberi populi, regna denique iam omnia de nostris cupiditatibus et iniuriis expostulant.“ Alio autem pertinere videtur Verr. IV, 60.: „Maiores nostri facile patiebantur, haec esse quamplurima apud socios, ut imperio nostro quam ornatissimi florentissimique essent,“ quamquam sociis opponuntur eo loco vectigales et stipendiarii, id, quod Manutium ad Div. in Caec. 3. adduxit, ut commutaret eos cum populis liberis. Nam in populos liberos nullum a Romanis imperium exercebatur: quare, cum imperii Romani hoc loco fiat mentio, eos Cicero intellexisse nullo modo posse videtur. Cogitasse autem videtur de populis foederatis, qui neque stipendium, neque vectigalia ex Censoria locatione, neque decumas conferrent Romanis, sed ex foedere tamen nonnihil iis solverent, et foederis legibus obsequium praestarent, atque ita summum Romanorum imperium agnoscerent. Huiusmodi enim exstitisse gentes, vel eo, etiamsi certi nihil constaret, verisimile redderetur, quod civitates nonnullas exstitisse simili ratione foederatas constat, ut infra videbimus; sed testatur hanc rem ita, ut dubitari de ea amplius non possit, Liv. XXXVIII, 38., quo ipsa verba nobis servata sunt foederis cum Antiocho initi. Ex his satis apparere videtur, populos foederatos non minus a liberis, quam a provincialibus discernendos esse, etsi quodammodo cum Hottom. ad Cic. Verr. III, 6. liberos eos posse appellari, cum suo iure uterentur, neque magistratibus Romanis parerent, non negaverim. *)

---

*) Nam ne veteres quidem semper liberarum atque foederatarum nationum et civitatium discrimen observarunt, sed liberas aliquando foederatis annumerarunt, atque ita tria foederatarum civitatium atque nationum genera fecerunt: primum earum, quae

2. Aliae denique regiones, bello plerumque subactae, in provinciae formam redigebantur. Sed earum quoque diversa erat ratio. Aliis enim gentibus, quae acriter restiterant Romanis, et in societatem receptae saepius ab iis defecerant, ut ipsius Ciceronis (Verr. III, 6.) utar verbis, „impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis et plerisque Poenorum, quasi victoriae praemium ac poena belli;“ aliis, quae bello quidem superatae erant, sed postea in fide fere remanserant, agri primum ademti postea sunt redditi, ita tamen, ut ex *Censoria locatione* certam quotannis frumenti copiam publicanis penderent (Verr. l. l.). Horum ager, quamvis ipsis restitutus, tamen publicus erat populi Romani, adeo, ut eripi quoque rursus pristinis possessoribus, aliisque locari posset. Verr. V, 21: „Qui publicos agros arant, certum est, quid ex lege Censoria dare debeant; cur iis quicquam praeterea ex alio genere imperavisti?“ Agrar. II, 18: „Italiam percensuisti: perge in Siciliam. Nihil est in hac provincia, quod aut in oppidis, aut in agris maiores nostri proprium nobis reliquerint, quin id venire iubeat.“ Videatur Ferratius, qui egregie hac de re disputat ad Verr. III, 6. Sicilia denique, cuius paucae admodum civitates bello acquisitae erant, ceterae ultro in amicitiam Romanorum venerant, eodem iure, quo antea sub regibus usa, decumas maximam partem conferre iussa est. V. Ciceronem l. l. Quomodo autem illa vectigalium genera se habuerint, infra videbimus.

3. Simillimam rationem obtinebant singulae in provinciis civitates. Neque enim illae omnes eiusdem iuris erant, neque ad provinciam omnes pertinebant, sed in una eademque provincia interdum quatuor generum fuerunt civitates: *liberae et immunes, foederatae, decumanae,* et quarum ager *a Censoribus locabatur,* id, quod de Sicilia testatur Cicero l. l., quibus in aliis provinciis accedebant *stipendiariae.* *) Et *liberae* quidem ci-

---

bello victae leges acceperant, alterum earum, quae cum aequo Marte pugnassent, foedere inito, ad societatem se alterius populi adiunxerant, tertium earum, quae cum belli fortunam non essent expertae, amicitiam Romanorum expetiverant. Quod quidem discrimen Livius constituit loco ab Hottomanno ad Verr. III, 6. allato, XXXIV, 57. Nos vero Ciceronem, ut in omnibus, ita hic quoque sequimur, qui non sine caussa discrimen illud a nobis hoc loco et infra constitutum accurate servavit.

*) Alia praeterea civitatum genera postea sunt addita a Caesaribus: coloniae, municipia, et iure Latino praeditae civitates. Cf. Plinii loca a Bellefortio (république Romaine Par. 1767. 12. T. VI.

vitates ad provinciam omnino non pertinebant, quod vel ex ipsa appellatione *liberarum et immunium civitatum* (Cic. l. l.) apparet. Primum enim prorsus immunes arabant agros, neque quicquam Romanis conferebant. Sic Cic. Verr. V, 21: „Qui sunt immunes, ii (vel potius, ut Graev. e Ms. restituit: „Quid immunes? hi") certe nihil debent. At his non modo imperasti, verum etiam quo plus darent, quam poterant, haec sexagena millia modium, quae Mamertinis remiseras, addidisti." Et saepius increpat Verrem, qui a civitatibus liberis frumentum exegerat, ut Verr. II, 69. III, 40. IV, 9. et alibi. Deinde sui iuris erant, neque magistratibus Romanis in eis ius dicere licebat. Unde Cic. Verr. II, 49. de Halesinis, quorum civitatem in liberarum numero fuisse, ex Verr. III, 6. patet, dicit: „Halesini, pro multis et magnis suis maiorumque suorum in rempublicam nostram meritis atque beneficiis suo iure" etc. Et de prov. Cos. 3.: „Omitto iurisdictionem in libera civitate contra leges senatusque consulta." Unus est locus Verr. V, 21., ex quo collegerunt nonnulli, etiam civitates liberas frumentum debuisse, quem tamen alio pertinere, mox videbimus.

4. *Foederatae* porro civitates pertinebant quidem ad provinciam; sed multis tamen in rebus meliore, quam reliquae civitates provinciales, utebantur conditione. Decumas enim non dabant, neque igitur, cum decumae levissimum essent agrorum vectigalium genus, certum ex agris vectigal pendebant, neque agros tenebant a Censoribus locatos. Cic. Verr. III, 6., ubi reliquis quatuor civitatum formis civitates foederatae opponuntur: „Is ager a Censoribus locari solet. Foederatae civitates duae sunt, quarum decumae venire non solent." Sed foedere constitutum et definitum erat, quid praestarent Romanis, id, quod in singulis civitatibus pro ratione foederum diversum erat. Sic Mamertini navem quotannis aedificare nautisque instruere debebant, Tauromenitanis cautum erat, ne navem darent: Cic. Verr. V, 19: „Quid, si eiusmodi esse haec duo foedera duorum populorum, iudices, doceo, ut Tauromenitanis nominatim cautum et exceptum sit foedere, ne navem dare debeant; Mamertinis in ipso foedere sanctum atque perscriptum sit, uti navem dare necesse sit: istum autem contra foedus et Tauromenitanis imperasse, et Mamertinis remisisse?" et paullo post c. 20.: „Sustulisti ius imperii, conditionem

---

p. 90.) laudata H. N. III, 1. et 3., in quibus accuratissime discrimen illud a nobis constitutum servatur.

sociorum, memoriam foederis. Qui ex foedere ipso navem vel usque ad Oceanum, si imperassemus, sumtu periculoque suo armatam atque ornatam mittere debuerunt.“ Quotannis autem eis navem fuisse dandam, paullo ante dicit c. 19.: „Omnes, qui ante te Praetores fuerunt, dedantur Mamertinis, quod iis navem - - imperarint.“ Et c. 20.: „Ecquem nautam, ecquem militem, qui aut in classe, aut in praesidio esset, te Praetore per triennium Mamertini dederunt?“ Omnes autem, certe Siciliae, civitates foederatae in frumentum, quod emendum imperaretur, et, ni fallor, in omnia, quae extra ordinem imperarentur, conferre debebant. Cic. Verr. V, 21.: Cum ex S. C., itemque ex lege Terentia et Cassia frumentum aequabiliter emi ab omnibus Siciliae civitatibus oporteret, id quoque munus leve atque commune Mamertinis remisisti.“ Ex quo quidem loco cave conficias, immunes quoque civitates imperata illa praestitisse, quod loco sequente refutatur, quo vituperatur Verres, qui civitati foederatae illa remiserat, et immuni imperarat. Siciliam autem dixit quatenus erat provincia Romana; immunes enim civitates ad provinciam non pertinebant. Verr. IV, 9.: »(Mamertini) tritici modium LX millia emta populo Romano dare debebant, et solebant: abs te solo remissum est. Respublica detrimentum fecit, quod per te imperii ius una in civitate imminutum est: Siculi, quod hoc non de summa frumenti detractum est, sed translatum in Centuripinos et Halesinos, immunes populos“ etc. et V, 21. infra: „Neque hoc dico, ceteris (foederatis) non recte imperatum esse.“ Foederatae enim frumentum debebant, de immunibus supra iam satis dixerat, neque haec omnia ad Mamertinorum rem pertinebant. — „Mamertinis, qui erant in eadem caussa, quibus superiores omnes Praetores item ut ceteris, imperarant, pecuniamque ex S. C. et ex lege dissolverant, his dico non recte remissum.“ Et c. 22.: „Cur Tauromenitanis frumentum, cur Netinis imperasti? quarum civitatum utraque foederata est. Ac Netini quidem sibi non defuerunt; nam - - te adierunt, et eandem suam caussam foederis esse docuerunt.“ Magistratus porro in provinciis Romani imperium quidem in civitates foederatas quoddam habebant, sed potestatem nullam. Cuius rei simile aliquid infra videbimus in Proconsulibus quibusdam. Imperium aliquatenus eos habuisse, vel ex iis patet, quae attulimus, cum ex S. C. naves, nautas, milites, et frumentum illi imperarent, et confirmari haec res videtur aliis locis, ut Verr. IV, 4: „Quae dico signa, — — Messanam cum impe-

rio nemo venit, quin viderit," et V, 22: „Soli (Mamertini) in istius imperio ea conditione vitae fuerunt, ut populo Romano nihil darent, Verri nihil denegarent." Potestatem vero eos in huiusmodi civitatibus non habuisse, colligi posse videtur e Verr. IV, 8.: „Hominem missum ab isto scitote esse Messanam de Legatis unum, illum ipsum, qui navi istius aedificandae publice praefuit, qui a senatu peteret, ut Heius ignominia afficeretur." Verres enim non is erat, qui, si iurisdictionem puniendique potestatem habuisset, petisset a senatu, ut ignominia afficerent eum, quem condemnare ipse poterat. Si quis autem dubitet, ignominia etiam in provincia quemquam affici potuisse, nisi ab eius civitatis senatu, is legat Verr. II, 27.: „Iste poenis compromissisque interpositis, H. S. CCC. extorquenda curavit: quodque iudicium secundum Heraclium de compromissis factum erat, quod civis Centuripinus inter duos cives iudicasset, id irritum iussit esse: eumque iudicem falsum iudicasse iudicavit: in senatu ne esset, locis commodisque publicis uti vetuit; si quis eum pulsasset, edixit, sese iudicium iniuriarum non daturum: quicquid ab eo peteretur, iudicem de sua cohorte daturum. Quae istius auctoritas tantum valuit, ut etc. ----. Ignominia autem illa gravis tamdiu in illo homine fuit, quamdiu iste in provincia mansit." Iam vero demonstratione non eget, paruisse civitates foederatas imperio Romano; sed unum addendum est, aliquatenus eas pertinuisse ad provinciam, aliquatenus non pertinuisse, sed ipsas quasi fuisse provincias. Et illud quidem ex iis apparet, quae diximus: totis autem provinciis in eo erant similes, quod, sicut illae, suum Romae habebant patronum, ut Messana C. Claudium Pulchrum. Cic. Verr. IV, 3.: „C. Claudius, cuius Aedilitatem magnificentissimam scimus fuisse, usus est hoc cupidine tamdiu, dum forum diis immortalibus populoque Romano habuit ornatum: et, cum esset hospes Heiorum, Mamertini autem populi patronus, ut illis benignis usus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportandum." — De locatione agrorum Censoria deque decumarum ratione infra dicendi locus dabitur.

5. Paucae Ciceronis temporibus in provinciis erant Romanorum coloniae, ut Narbo Martius in provincia Gallia (Cic. pro Fonteio 1). Quas tamen, cum nulla earum in Verrinis fiat mentio, nos quoque mittamus, remisso lectore ad Sigonium de A. I. P. c. 2. Unum addamus, colonos illos non fuisse cives Romanos, quibus in illa ipsa oratione c. 1 et 2. opponuntur. Oportet autem mentionem nos facere provinciarum partitionis in Consu-

ares et Praetorias, quae quidem plane improbanda esse videtur, cum, si ipsas provincias spectemus, nullum inter eas sit discrimen. Etenim Consularis provincia ea dicebatur, in quam Proconsul, Praetoria, in quam Praetor aut Propraetor mittebatur. Illud ostendit ipse Cic. Verr. I, 13.: „Quaestor ex S. C. provinciam sortitus es: obtigit tibi Consularis, ut cum Cos. Cn. Carbone esses, eamque provinciam obtineres.“ Sed in unam eandemque provinciam modo Proconsul, modo Praetor, modo Propraetor missus est, prout senatui Romano libuerat, aut sors obvenerat. Sic in Sicilia C. Marcellus Proconsul (Verr. III, 91.), Sacerdos, Verres, quorum saepissima in Verrinis mentio, ut II, 8., aliique Propraetores cum imperio et potestate fuerunt. Et saepissima huius rei apud Livium reperiuntur exempla. Ita omnes provinciae diversis annis poterant esse et Consulares et Praetoriae. Discriminis autem id interest inter utrasque, si statum conditionemque spectemus, quod Proconsulibus plerumque eae decretae sunt provinciae, in quibus paullo gravius bellum esset gerendum, ideoque opus esset exercitu Consulari. Quo factum est, ut interdum in eandem regionem eodem anno mitteretur et Praetor et Proconsul; sed alter cum imperio ac potestate, alter cum solo imperio: qua de re infra dicemus. Postremis autem liberae reipublicae temporibus, cum avaritia ita iam teneret Romanos, ut in provincias quaestus caussa proficiscerentur, Proconsulibus ampliores plerumque, quam Praetoribus, provinciae obveniebant.

Cap. III. *De Provincialibus et civibus Romanis in provinciis.*

1. „Quasi quaedam praedia populi Romani sunt vectigalia nostra et provinciae.“ Cic. Verr. II, 3. Multi enim cives Romani iucunditatis, multi quaestus caussa in provincias proficiscebantur, multi unam alteramve ob causam sedem in iis collocarunt (cf. Cic. l. l.). Hinc duo imprimis hominum genera in provinciis Cicero distinguit, civium Romanorum et provincialium, ut Verr. II, 6.: „Si cuiquam generi hominum, sive Siculorum, sive nostrorum civium - - probatus sit.“ Fuerunt autem praeter magistratus hominum sex ordines in provinciis: publicanorum, negotiatorum, mercatorum, aratorum, pecuariorum, et colonorum, quorum alii non nisi cives Romani erant, aliorum pars cives Romani, pars provinciales. Cic. pro Fonteio 1.: „Referta Gallia negotiatorum est, plena civium Romanorum - - -. Unae tabulae proferantur (neg-

otiatorum) - - ; unum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant; vere accusatum esse concedam.“ Et eadem fere genera enumerantur Verr. II, 77.: „Postulo mihi respondeat, qui sit iste Verrutius, mercator, an negotiator, an arator, an pecuarius: in Sicilia sit, an iam decesserit.“ Et II, 6.: „Si cuiquam generi hominum, sive Siculorum, sive nostrorum civium: si cuiquam ordini, sive aratorum, sive pecuariorum, sive mercatorum, probatus sit.“ Quo in loco egregie Garatonius docuit esse ex illo loco c. 77. addendum: „sive negotiatorum.“ Nam quod Beckius V. C. obiicit, fieri potuisse, ut Cicero verba illa ***ordini, sive -- mercatorum*** ad solos Siculos referri vellet, duabus de caussis locum invenire non potest: primum enim apertum esse videtur et ex iis, quae anteceduut, et ex illis: ***si cuiquam ordini,*** omnes voluisse Ciceronem et provincialium et civium Romanorum, qui in Sicilia erant, ordines enumerare atque recensere; deinde, quod maioris etiam est momenti, mercatores, ut infra videbimus, verisimillimum est non fuisse Siculos, sed cives Romanos.

2. Iamque singula genera qualia fuerint, videamus. De *publicanis* infra dicemus. *Negotiatorum* pars sunt quasi foeneratores provinciales, i. e. ii cives Romani, qui in provinciis foenori exercendo operam dabant, pars in provinciis frumentum coëmebant, quod quaestus faciendi caussa Romam, aut in alias regiones vehereut. Eximie hac de re disputavit Ernestius et in singulari commentatione, et in Clave Ciceroniana, quem videas. Monendum est autem, quod ille non addidit, interdum negotiatoris nomen sensu latiore usurpatum comprehendere omnes cives Romanos, qui in provinciis quaestum quaerant. Sic Cic. pro Fonteio c. 16.: „Omnes illius provinciae publicani, agricolae, pecuarii, ceteri negotiatores, uno animo M. Fonteium atque una voce defendunt.“

3. *Mercatores* liberae reipublicae temporibus erant cives Romani, qui Romae habitabant, unde subinde navibus suis in provincias, aut quocunque quaestus vocaret, vehebantur, ut merces coëmerent, quas propolis cum lucro venderent. Exercebant autem mercatores mercaturam magnam et copiosam, eamque honestam; propolae vero tenuem, eamque vilem et sordidam. Quam quidem fuisse veram mercatorum rationem, exemplis iam comprobemus. Solos cives Romanos fuisse mercatores, his de caussis arbitror: primum nusquam mercatorum in provinciis ita vidi mentionem esse factam, ut appareat, eos fuisse provinciales; deinde ubicunque certi quid de eo-

rum genere efficere potui, inveni, fuisse cives Romanos. Sic Cic. Verr. II, 3.: „Multis locupletioribus civibus utimur, quod habent propinquam, fidelem, fructuosamque provinciam, quo facile excurrant, ubi libenter negotium gerant: quos illa partim mercibus suppeditandis cum quaestu compendioque dimittit, partim retinet, ut arare, ut pascere, ut negotiari libeat, ut denique sedes ac domicilium collocare.“ Eos enim, *quos mercibus suppeditandis* etc. dimittere dicitur Sicilia, esse mercatores, et e re ipsa apparet, cum illa ipsa verba quasi definitionem eorum exhibeant, et ex locis supra allatis Verr. II, 6 et 77., quibus prorsus eadem hominum in Sicilia genera nominantur. Idem colligi mihi posse videtur ex II, 77., quo de Verrutii genere quaerit, „mercator, an negotiator, an arator, an pecuarius“ fuerit. Atqui ex praenomine Caii intelligere poterat, civem Romanum eum fuisse, de libertino enim ne cogitare quidem poterat: quare non nisi civium Romanorum in provincia genera erant enumeranda. Simili ratione ad invidiam concitandam Verr. IV, 4. dicit: „Praeclaram defensionem! mercatorem cum imperio ac securibus in provinciam misimus“ etc. Magis etiam perspicuus est locus Verr. V, 28., quo multos piratas a Verre remotos Cicero dicit et abductos; deinde ita pergit: „Cum maximus numerus deesset, tum iste homo nefarius in eorum locum, quos domum suam de piratis abduxerat, substituere et supponere coepit cives Romanos, quos in carcerem antea conieccrat: quorum alios Sertorianos milites fuisse insimulabat, et ex Hispania fugientes ad Siciliam appulsos esse dicebat, alios, qui a praedonibus erant capti, cum mercaturas facerent, aut aliquam ob caussam navigarent, sua voluntate cum piratis fuisse arguebat.“ Denique, quod plane rem comprobare mihi videtur, Verr. II, 6.: „Quapropter,“ inquit, „de istius Praetura Siciliensi non recuso, quin ita me audiatis, ut, si cuiquam generi hominum, sive Siculorum, sive nostrorum civium, si cuiquam ordini, sive aratorum, sive pecuariorum, sive mercatorum probatus sit; si non horum omnium communis hostis praedoque fuerit: si cuiquam denique ulla in re unquam temperaverit, ut vos quoque ei temperetis.“ Quo polliceri videtur, se omnia iniuriarum genera singulis hominum generibus et ordinibus illatarum esse tractaturum, eorumque exempla allaturum. Atqui de reliquis egit generibus, neque tamen mercatorum provincialium ullam fecit mentionem; verum tum demum, cum ad iniurias civibus Romanis illatas singulatim tractandas pervenisset, addidit Verr. V, 56.: „At

quae erat ista libido crudelitatis exercendae? --- Quaecunque navis ex Asia, quae ex Syria, quae Tyro, quae Alexandria venerat, statim certis indicibus et custodibus tenebatur: vectores omnes in lautumias coniiciebantur: onera atque merces in Praetoriam domum deferebantur." Mox c. 57.: „His institutis cum completus iam mercatorum carcer esset, tum illa fiebant, quae L. Suetium --- dicere audistis, - -. Cervices in carcere frangebantur indignissime civium Romanorum, ut iam illa vox et imploratio, civis Romanus sum, quae saepe multis, in ultimis terris, opem inter barbaros et salutem tulit, ea mortem illis acerbiorem et supplicium maturius ferret. - - Videtis cives Romanos gregatim coniectos in lautumias, videtis indignissimo in loco coacervatam multitudinem vestrorum civium" et sic porro. Quo quidem loco mercatores, qui ex una provincia in aliam merces navibus vexerant, ita appellat cives Romanos, ut ne cogitasse quidem videatur, posse quemquam dubitare, cives eos fuisse Romanos. Nam si etiam provinciales potuissent esse mercatores, addidisset, ni omnia me fallunt. *atqui horum magna pars*, aut *hi omnes erant cives Romani*, quae sic deesse nullo modo potuissent. Sed etiamsi nihil inde sequeretur, nisi eos, quos iniuria esse affectos hoc loco queritur, mercatores fuisse cives Romanos, tamen quis crederet, aut Verrem, qui neminem iniuriis non affecit, solis mercatoribus provincialibus pepercisse, aut Ciceronem, tam diligentem non solum in singulis criminum generibus enumerandis, sed in laudibus quoque Siculorum cumulandis, adeo contemsisse atque neglexisse mercatores, si qui essent, Siculos, ut ne verbo quidem eorum iniurias commemoraret?"

---

*) His argumentis, quae vel sola rem plane comprobare videntur, novum accedit, quod gravitate cetera omnia paene superare videtur, petitum illud e ratione, qua antequam provinciae ad imperium accesserant, Romani cum Latinis egerunt. Iis enim, sublato foedere Latino anno U. C. ccccXVII, ut testis est Livius VIII, 14.: „connubia, commercia et concilia inter se adempserunt." Quam quidem rationem postea in provincias esse translatam, nemo potest dubitare, qui considerarit: primum non mitius fuisse ius provinciale Italico et Latino, sed multo etiam acerbius ac magis iniquum; deinde vestigia esse in provinciarum institutione, concilia quoque neque provincias, neque civitates provinciales inter se habuisse, quoniam quidem quae vel privatus a civitate provinciali, vel civitas a privato petebat, non a totius provinciae concilio, sed a senatu cuiusdam civitatis, quem ex arbitrio praetor dederat, iudicabantur, ut c. X. videbimus. Ex quo fortasse non illud tantum poterit confici, provincias totas, sed ci-

Habitasse autem mercatores non in provinciis, sed Romae, ex Verr. II, 3. conficitur, quo mercatores ii dicuntur, *quos provincia mercibus suppeditandis cum quaestu compendioque dimittit.* Fuisse eos plerumque καπήλους, quos Graeci appellant, mercesque e provinciis Romam et in alias provincias portasse, apparet Verr. II, 3. et V, 56. 57., et confirmatur Off. I, 42. et Horat. Epp. I, 1. 15. et de Arte Poët. 117. Ernestius, quod miror, confudisse videtur mercatores cum propolis in Clave, verbo *Negotiator,* his verbis: „Mercatura temporibus liberae reipublicae non satis digna honesto cive Romano putabatur, nedum equite, sed a fece plebis, libertinis exercebatur.“ V. Cic. Off. I, 42. Eo ipso enim loco aperte Cicero huic rei contradicit: „Mercatura autem, si tenuis est, sordida putanda est: sin magna et copiosa, multa undique apportans multisque sine vanitate impartiens, non est admodum vituperanda. Atque etiam, si satiata quaestu, vel contenta potius, ut saepe ex alto in portum, ex ipso portu se in agros possessionesque contulerit, videtur iure optimo posse laudari.“ Mercatores autem esse eos ipsos, qui mercaturam magnam exerceant, paullo ante eodem capite indicavit: »Sordidi etiam putandi qui mercantur a mercatoribus quod statim vendant,« i. e. propolae, ut recte illustravit Heusingerus. Idem docet locus Parad. VI, 2.: »Nam ut iis, qui honeste rem quaerunt mercaturis faciendis, operis dandis, publicis sumendis, intelligimus opus esse quaesito: sic, qui videt etc. — — —: quis hunc non putet confiteri, sibi quaesito opus esse?«

4. *Aratores* modo sunt quicunque arant, sive terram colunt, modo ipsi agrorum domini, modo qui agrum publicum in provinciis ita conduxerunt, ut pro eo decumas solvant. Fuerunt autem et cives Romani, et provinciales. Videatur de aratoribus Gesnerus in Thesauro s. v., qui exempla ex orationibus in Verrem attulit. Nobis aratores sunt qui pro agro publico decumas solvunt.

5. »Pecuarius, qui gregibus pecorum alendis quaestum quaerit, sed e publicis, pro certo vectigali conductis, pascuis, quae sunt in saltibus publicis. Nam aliae sunt villaticae pastiones, quae ad agriculturam referun-

---

vitates quoque provinciales inter se caruisse commerciis. De connubiis nihil addo, quoniam certa de iis vestigia desunt, et e Liv. IX, 43. apparere videtur, non semper omnia illa iura, sed interdum unum alterumve eorum victis populis fuisse ademtum: *tribus populis — connubium inter ipsos permissum. Anagninis — concilia connubiaque ademta.* Liv. l. l.

tur, nec faciunt pecuarios, ut tradit Varro R. R. III, 1.« Ern. in Cl.

6. *Coloni* sunt aut omnes, qui terram colunt, ut Verr. III, 98.: »Siculi, coloni populi Romani atque aratores,« aut qui coloniam constituunt (v. Gesner. in Thesauro), aut iidem, qui Verr. III, 40. *incolae* dicuntur: »Halicyenses, quorum incolae decumas dant, ipsi agros immunes habent, sive qui agrum alienum, quem arent, pretio conducunt. *) Differre autem ab aratoribus ita videntur, ut publicum aratores, coloni privatum agrum conducant. Certe diversos eos fuisse, apparet ex loco Or. pro Fonteio c. 1. supra allato: »Unum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant.« Dubitare quidem aliquis poterit, annon hoc loco coloni sint cives coloniae, cum statim eodem capite mentiò fiat Narbonis Martii, coloniae Romanae. Sed ex iis, quae antecedunt, apertum est, colonos illos fuisse cives Romanos, quod tamen de omnibus huiusmodi colonis certo affirmare non possum; colonos autem Narbonenses non usos esse civitate Romana, inde colligitur, quod civibus Romanis illi opponuntur: »Est in eadem provincia Narbo Martius --, est item urbs Massilia - -, est praeterea numerus civium Romanorum atque hominum honestissimorum.« Et mox c. 2.: »Quid coloni Narbonenses? quid volunt? - - Quid Massiliensium civitas? - - Quid? civium Romanorum quae voluntas est?« **) — Utrosque, et aratores, et colonos, uno Cicero comprehendit nomine agricolarum: Or. pro Fonteio c. 16.: »Omnes illius provinciae publicani, agricolae, pecuarii, ceteri negotiatores, uno animo M. Fonteium atque una voce defendunt:« id, quod perspicuum est con-

*) Ita hunc locum esse intelligendum, ut incolae sint, qui agrum privatum conductum habeant colendum, confirmatur de Off. I, 34.: „peregrini autem et incolae officium est nihil praeter suum negotium agere, minimeque in aliena esse republica curiosum," quem, cum superior locus (Verr. III, 40.) non esset in mente, Schützius V. Cl. in ind. Latin. ita interpretatus est, ut incolas esse existimaret eos, *qui peregrini habitent in urbe, cuius non sint cives.* Atqui ex ipsa *peregrini* atque *incolae* in hoc loco separatione apparet, non plane eundem esse utrumque, et veram esse quam modo exhibuimus interpretationem.

**) Paullo aliam esse Wachsmuthi V. Cl. sententiam memini, qui initio colonos civitatem retinuisse arbitratur, mox, cum ea uti nec vellent, nec sane possent, paullatim amisisse, ita tamen, ut nunquam iis sit ademta. Quae res etsi refutari vix possit, tamen nescio, an parum verisimilitudinis habeat, cum nusquam eius fiat mentio.

renti c. 1., ubi eadem hominum genera enumerantur. xempla omnis generis v. ap. Gesn. in Thes.

Cap. IV. *Honoris publici in provinciis genera.*

Romani iis regionibus, quas subegerant, et in provinae formam redegerant, id reliquerunt, ut ex parte sui uris essent, retinerentque honores a maioribus acceptos. uo factum est, ut plurima essent in provinciis honoris ublici genera, et provincialia et Romana. A Romanis im magistratum habebant Proconsules, Praetores, Proraetores et Quaestores, dignitatem *) Legati, Leati militares, Praefecti militum, Tribuni militares, c. E provincialibus magistratu fungebantur Progori, Aediles, Quaestores, Censores, dignitatem habeant Senatores, Legati, honorem sacrum Sacerdotes. De is singulis ita capitibus sequentibus agamus, ut initium ciamus a magistratibus Romanis. Et ita quidem hac in versabimur, ut quolibet capite primum singulos magistratus accurate definiamus, eorumque discrimina exonamus, deinde eorum imperium, potestatem, munera, fficia, et quae huc pertinent, explicemus, denique omnim inter se et cum senatu populoque Romano rationem escribamus. Sed antequam ad rem ipsam accedamus, aucis dicendum est, quid sit magistratus, dignitas, imerium et potestas. Magistratus vocabulum optime Feus illustrat p. 1237, 7 sqq. (1166, 6 sqq.) ed. Perotti, is verbis: »Magistrare moderari: unde magistri non soum doctores artium, sed etiam pagorum, societatum, viorum, collegiorum, equitum dicuntur: quia omnes ii iagis ceteris possunt, unde et magistratus, qui per mperia potentiores sunt, quam privati, quae ox duabus significationibus notatur. Nam aut personam sam demonstrat, ut cum dicimus, magistratus iussit: ut honorem, ut cum dicitur: Titio magistratus datus est.«)e dignitate vero sic Perottus in Cornucop. p. 652, 44 qq. (646, 19.): »A dignus fit dignitas et dignatio, uod proprie significat honorem nobis propter meitum vel impensum, vel debitum« etc. Differt utem a magistratu ita, ut qui sit in magistratu abeat aut imperium et potestatem (sive imperium ltiore sensu), aut certe potestatem, qui in dignitate, neum. De imperio et potestate haec sunt Ern. verba in l.: »Imperii, quod magistratuum est, duas formas fio. Altera est civilis et quasi togati; quod est ma-

*) Liceat hoc mihi uti vocabulo, etsi posteris demum temporibus hoc sensu usitato, cum quod plane ei respondeat in lingua Latina desit alterum.

gistratuum urbanorum, et omnium provincialium, et alio nomine potestas dicitur, habetque prehensionem, animadversionem, coërcitionem, in provincia etiam ius securium, s. ut sub Caesaribus appellatum est, gladii, atque alia multa, quae ratio magistratus postulat; unde (plerumque: v. ipsum) dicuntur hi magistratus esse in imperio. - - Alterum genus est militare, quod habent ii, quibus potestas belli gerendi data est. Hoc imperium qui habent, dicuntur esse cum imperio.“ Sed paullo aliter tamen rem se habere, infra videbimus.

Cap. V. *De Proconsule, Praetore et Propraetore.*

1. De hisce tribus magistratibus uno capite dicere constitui, quoniam paene non nisi nomine differunt: quare facile ea, quibus differunt, contextae orationi inseri poterunt. *) Proconsul est, ut Perottus dicit l. l. p. 693, 1 sqq. (685, 33 sqq): »qui cum potestate Consulari extra ordinem ad aliquam provinciam administrandam mittitur.« De Praetore Varro de L. L. IV. (ed. Per. p. 1129, 34 sq. — 1064, 45 sq.): »Praetor dictus est qui praeiret iure et exercitu;« Propraetor est qui e Praetura urbana in provinciam cum imperio et potestate proficiscitur, sive, »qui extraordinariam Praeturam gerit.« Perottus l. c. Saepius autem haec nomina inter se permutantur, ita, ut Proconsules et Propraetores dicantur Praetores, Praetores vero et Propraetores, Proconsules, ut Cic. pro Lig. 1.: »Q. igitur Ligarius, cum esset adhuc nulla belli suspicio, Legatus in Africam cum Proconsule C. Considio profectus est.« Fuit autem Considius Praetor. Sic Verr. III, 91.: »C. Marcelle, te appello. Siciliae provinciae, cum esses pro Consule, praefuisti,« cum esset Propraetor. (v. Ern. ad h. l. et in Cl. s. v. Proconsul, Considius et Marcellus.)**) Et epp. ad div. II, 17. Praetorem vocat Bibulum, qui erat Proconsul. (v. Ern. in Cl. s. v. Praetor et Bibulus.) ***) Sacerdotem vero et Verrem

---

*) Namque de solis provincialibus nobis magistratibus est agendum, a quibus longe diversi sunt et Praetores urbani, et qui non nisi cum imperio militari, ideoque privati, erant Proconsules, qui quidem ad rem nostram non pertinent.

**) Quo tamen loco Garatonius verisimile esse observat, hunc C. Marcellum quamvis Propraetorem, Proconsulare tamen imperium habuisse, quale aliis interdum datum est, ut M. Antonio, Triumviri patri, de quo cf. Verr. II, 3. III, 91. et ad eos locos interpretes.

***) Eodem Ernestius in Clave, v. *Praetor*, locum refert Verr. III, 54.: „qui M. Laevino, aut P. Rupilio, aut M'. Aquillio Praetori-

Propraetores saepissime Cicero vocat Praetores in orationibus in Verrem. (Cf. de his Garaton. ad Verr. II, 10. et omnis generis exempla apud Wachsmuthum (in H. R. p. 33.), ut Liv. XXXIII, 25. coll. XXXII, 27. 28. XXXV, 22. coll. c. 10. XXXVII, 46. coll. c. 2., reliqua ut taceam. Quin etiam Consules apud veteres dicebantur Praetores: unde Nonius ed. Per. p. 1305 sq. (1237, 26.): »Consulum et Praetorum proprietas, quod consulant et praeeant populis, auctoritate Varronis ostenditur de vita populi Romani libro secundo: Quod idem (i. e. *iidem*) dicebantur Consules et Praetores, quod praeirent populo Praetores, quod consulerent senatui Consules.«

2. Provinciae his magistratibus ita obveniebant, ut ante comitia Consularia senatus consulto e lege Sempronia de provinciis decerneretur, quaenam provinciae per annum sequentem essent Consulares, quae Praetoriae (v. Cic. Or. de prov. Cos. cum Ernestii argumento), designati autem, non, ut Nieupoortus dicit, primis post initum magistratum diebus, Consules et Praetores provincias sortirentur, aut sortiti compararent, siquidem duobus, aut alterutri, provincia, quae sorte obvenerat, displiceret, ut Antonio, cum Ciceroni esset in consulatu collega eo tempore, quo Catilina turbas moverat: Sall. Cat.: »Ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rempublicam sentiret.« — Verr. II. 6.: »Ei sorte provincia Sicilia obvenit.« III, 95.: »Consul es designatus: provinciam sortitus es.« Cautum vero ea in re erat senatus consulto, ne quis eidem bis praeesset provinciae. Cic. epp. ad div. II, 15. ad Att. VI, 6.: »Quid, quod senatus eos voluit praeesse provinciis, qui non praefuissent?« Proconsulibus autem eae plerumque provinciae a senatu decretae sunt, in quibus exercitu consulari opus esset. Huc pertinere videtur Liv. XXIV, 21.: »Romani, cum bellum nequaquam contemnendum in Sicilia oriretur, - - M. Marcello alteri Consulum eam provinciam decernunt,« quamquam tunc neque Proconsul, neque cum potestate, i. e. in regionem in provinciae formam redactam, sed Consul cum imperio, in regionem in provinciae formam redigendam missus est. Nam sequenti anno imperium ei est prorogatum. Liv. XXIV, 44.: »Prorogata imperia provinciaeque M. Claudio Sicilia, finibus eis, quibus regnum Hieronis fuisset: Lentulo Propraetori provincia vetus« etc.; et posteaquam ea Siciliae

---

bus in eam provinciam successerant," ubi tamen Garatonius pro *Praetoribus* esse *Praetores* legendum suspicatur.

pars provincia facta est, donec penitus bellum esset extinctum, Proconsul missus est. V. Livii locos mox laudandos. Immo interdum factum est, ut, si altera alicuius terrae pars esset pacata et provincia facta, altera aut nondum subacta, aut nondum plane pacata, in eam regionem, quae postea uni Praetori aut Proconsuli parebat, et Praetor et Proconsul mitteretur. Sic in Siciliam, cuius eam partem, quam Carthaginienses tenuerant, Praetor obtinebat cum imperio et potestate, bello Punico secundo praeter illum missus est modo Consul, modo Proconsul cum maiore, quippe Consulari, exercitu, qui eam partem subigeret, quae Hieronis fuerat. Atque hanc rationem Sicilia obtinebat, etiam Syracusis captis a Marcello, cumque Laevinus eam quoque Siciliae partem in provinciae formam redegisset (Liv. XXVI, 40.) donec ex omni parte esset pacata. V. Liv. ll. cc. XXV, 3. XXVI, 1 et 28. XXVII, 7. Breviter hac de re monuit qui annotationem scripsit ad Sigonium de A. I. P. cap. 3., qui tamen duos *Praetores* Siciliae tunc praefuisse dicit, Praetoris nomine sensu latiore sumto. Ex eo inde tempore Sicilia continuo uni Praetori parebat, ut ex Livio apparet XXVII. 22. et annis sequentibus. Nam quod Laevino tum prorogatum est imperium, non fuit in Sicilian, sed in *classem, quae ad Siciliam erat.* Sed nihilominus semper duas provincias continere dicebatur, et ex eo inde tempore duos semper habebat Quaestores, alterum Syracusanum, alterum Lilybaetanum. Cic. Verr. II, 4.: »Quaestores utriusque provinciae, qui isto Praetore fuerant, cum fascibus mihi praesto fuerunt.« II, 8.: »Non enim Quaestor petiit (ut est consuetudo) is, qui Erycinum montem obtinebat« et II, 18.: »Deinde ceteras dicas omnes illo foro (Syracusis) M. Postumius Quaestor sortitus est« et alibi. Praetores, ex quo quaestiones perpetuae Romae institutae erant, nunquam missi sunt in provincias, cum omnes in iudiciis Romae exercendis occupati essent, sed in eorum locum Propraetores, qui sicut Proconsules, Kal. Ian. magistratu urbano functi (Cic. Verr. II, 42: »Si finem edicto Praetoris (urbani) afferunt Kalendae Ianuarii, cur non initium quoque edicti nascitur a Kalendis Ianuarii?«), in provinciam proficiscebantur, comitante Quaestore, Legato et cohorte Praetoria, de quibus infra dicemus.

3. Provinciam ingressi Proconsules et Propraetores, quos uno iam nomine Praetores vocemus, summum tenebant imperium (latiore sensu, i. e. imperium et potestatem) omniumque, qui Romae erant, magistratuum imperium et potestatem habebant, ideoque revera erant

magistratus, non, ut quibusdam visum est, quasi pro magistratibus. Cic. Verr. II. 5.: »Vis illa summi imperii tantum potuit« etc. Div. in Caec. 11.: »Ego etiam quae tu sine Verre commisisti, Verri crimini daturus sum, quod te non prohibuit, cum summam ipse haberet potestatem.« — Cavendum enim est, ne varias nominum *provincia* et *proconsul* significationes inter se permutemus. De provinciis enim cum loquimur, eas intelligimus, quarum veram indolem supra cap. 1. exposuimus, regiones dico, quae cum imperio Romano ita coniunctae sunt, ut vectigalia aut tributa pendant, et a magistratibus Romanis administrentur, non vero quamlibet regionem, in qua bellum alicui gerendum sit mandatum, neque quodvis munus alicui delatum. Nam utroque sensu postea hoc vocabulum est usurpatum. — Proconsules vero non omnes dicimus, qui Consulatu functi exercitum duxerunt, neque quibus certa aliqua regio, in qua bellum gererent, est attributa, neque eos, qui privati cum exercitu Consulari aliquo missi sunt, qui omnes Proconsules dicebantur, sed eos, quibus, antequam magistratum urbanum inirent, sortitis regio aliqua obvenit *in provinciae formam antea iam redacta,* quam *soli,* i. e. sine Praetore, et sine altero Proconsule administrarent. Eos atque Propraetores dico fuisse vere magistratus, et sine peculiari ea de re decreto summum habuisse in provinciam suam imperium. Etsi enim *lege curiata* imperii fiebant participes, quod comprobat Sigonius de A. I. P. III, et confirmari videtur Cic. Verr. V, 13. (v. i.), tamen non eadem in magistratibus urbanis et provincialibus fuit ratio, cum illis interdum tantum mandatum sit imperium, provinciales nunquam essent sine imperio, neque unquam imperium iis mandatum sit in provinciam profectis, sed antequam magistratum inirent. *) Praetor vero, qui non magistratus, i. e. privatus, ideoque sine potestate, provinciam administret, ne cogitari quidem potest, et quae a quibusdam afferuntur Livii loca et Valerii Maximi, alio pertinent: Livius enim XXVIII, 38. et Valer. Max. II, 8, 5. docent, M.

*) Immo urbanis quoque magistratibus omnibus, qui quidem erant patricii, lege curiata opus erat, ut potestatis, i. e. magistratus, fierent participes (v. Wachsmuth. H. A. p. 337 sqq. egregie hac de re disputantem), et nusquam me legere memini, nova iis lege curiata opus fuisse, qui e magistratu urbano provinciam essent adituri. Itaque ex ea ipsa re, qua comprobare student, eos non fuisse vere magistratus, contrarium consequi videtur: non solum magistratus eos fuisse, sed ad maiores quoque magistratus pertinuisse.

Marcello et P. Scipioni esse triumphum denegatum, quod *sine magistratu* rem gessissent. Habuerant enim imperium sine potestate. Sed primum neuter in provinciam Romanam missus est, eo sensu, quem supra exposuimus, deinde alter *privatus* cum imperio Consulari missus est: uterque igitur erat non nisi imperator. Itaque tota illa observatio, Proconsules proprie non fuisse magistratus, ad doctrinam de provinciis omnino non pertinet.

4. Summam habuisse Praetorem in provincia potestatem, summumque imperium, supra e Cicerone cognovimus. Iam vero paullo accuratius, quaenam ad eius potestatem, quae ad imperium pertineant, investigemus. Quare primum statuamus, potestatem eius eandem fuisse, quam omnium, quibus imperium a P. R. non sit mandatum, magistratuum urbanorum coniunctam, quam rem praeter loca supra commemorata aperte declarant Proculi verba Dig. de Off. Praesid. l. 12.: »Sed licet is, qui provinciae praeest, omnium Romae magistratuum vice et officio fungi debeat« etc. cf. de off. Procos. l. 7. §. 2.; imperium idem, quod imperatorum. Saepius enim Praetorem Cicero vocat imperatorem, ut Verr. V, 6. Itaque, ut ab imperio incipiamus, eo omnia pertinebant, quae ad ceteros imperatores *) Romanos. Fuerunt autem duo imprimis imperatorum et Praetorum munia: primum provinciae suae tuendae, alterum maiestatis et opum imperii Romani servandarum atque augendarum. Ad utrumque pertinet cura belli gerendi, ad servandam provinciae securitatem quaestiones, sive iudicia publica, et ius vitae ac necis; imperio autem Romano imperandis tributis stipendiis, navibus, militibus, rebusque similibus consulebant. Atque haec quidem et re ipsa, et locis Ci-

*) Non omnes nos dicimus imperatores, qui ducunt exercitum, sed eos, qui *suo* imperio, i. e. lege curiata, rem gerunt. Erant quippe duces exercituum, qui non nisi mandatum imperium habebant, cuius rei memorabile exemplum est Liv. XXXIII, 25: „T. Quinctius Flamininus cum duabus legionibus provinciam (Macedoniam) eodem exercitu obtinere iussus: imperium ei prorogatum satis iam ante videri.“ Quid? dicet aliquis, dux sine imperio fuit is, qui antea consul (a. u. c. 554. Liv. XXXII, 8) deinde pro Consule (a 555. Liv. XXXII, 28.) eandem provinciam obtinuerat, cuique, hoc ipso anno (556) finito, anno 557. (Liv. XXXIII, 43) *prorogatum* est imperium? Primum respondeo, non erat imperator, sed privatus exercitui praeesse iussus; deinde non erat sine ullo imperio, sed prorogato tantum suoque imperio carebat, mandatum habebat, itaque prorogari imperium anno sequente, quippe privato antea mandatum, poterat.

eronis confirmantur. Primum enim horum nihil singuis magistratibus urbanis licebat. Nam etsi Romae essent *Praetores quaestionum* iudiciis publicis constituti, nihil amen ii decernere poterant, nisi adhibitis in iudicium udicibus iuratis, quibuscum ***nomine totius populi***, cuus antea quaestiones fuerant, iudicabant. Bellum autem erere, et tributa similiaque imperare, nisi mandato a P. . imperio, magistratus urbani non poterant. Imperatores vero et bellum gerere, et stipendia populis devictis imiliaque imperare, et eos, qui turbas movissent, aut alio nodo securitati provinciae periculum intendere viderenur, provincia expellere, morteque etiam afficere potuisse, uis est qui dubitet? Sic Scipio pecuniam, frumentum et tipendium Carthaginiensibus victis imperavit, antequam pacem Romani approbassent. Liv. XXX, 37. Et Laevinus, victa Sicilia, multos provincia eduxit, ne novas res molirentur, alios, ***qui capita rerum Agrigenti erant, virgis caesos securi percussit.*** Liv. XXVI, 40. Quamquam enim coniici potest, missos esse Roma decem Legatos, qui in provincia constituenda eum adiuvarent (vide infra), illa tamen ad eius imperium pertinere, non ad potestatem, ei ad constituendam provinciam tributam, patet e Cic. Verr. II, 49., ubi eum, cui regio aliqua in provinciae formam redigenda attributa sit, vocat eum, ***qui habeat imperium a populo Romano, auctoritatem legum dandarum a senatu.*** Ex quo patet, eam potestatem, quae ei una cum decem Legatis a senatu Romano data sit, non nisi ad leges dandas pertinuisse, cetera ex imperio a populo mandato ei licuisse. Maxime autem hanc rem ipse Cicero confirmat. Is enim Verr. V, 50.: „Etiam illud," inquit, „praecidas licet, quod supplicium more maiorum sumseris, securique percusseris, idcirco a me in crimen et invidiam vocari. Non in supplicio crimen meum vertitur: non ego securi nego quemquam feriri debere: ego non metum ex re militari, non severitatem imperii, non poenam flagitii tolli dico oportere," quo aperte Praetoris animadversionem in alicuius caput ad eius imperium, immo ad imperium militare pertinere dicit. Et 5. et 6.: „Verum de ista furandi praedandique ratione nihil dico: de hac imperatoria iam tua laude disputo. Quid ais, bone custos defensorque provinciae? tu, quos servos arma capere ac bellum facere in Sicilia voluisse cognoras, et de consilii sententia iudicaras, hos ad supplicium iam more maiorum traditos, et ad palum alligatos, ex media morte eripere ac liberare ausus es? ut quam damnatis servis crucem fixeras, hanc indemna-

tis civibus Romanis reservares.“ Cives enim Romanos neque morte, neque ulla ignominiosa poena afficere poterant Praetores: Verr. V, 54.: „Plagis affectum dico a lictoribus tuis civem Romanum ante oculos tuos concidisse. Ob quam caussam? Dii immortales! Tametsi iniuriam facio communi caussae et iuri civitatis: quasi enim possit esse ulla causa, cur hoc cuiquam civi Romano iure accidat, ita quaero, quae in Servilio caussa fuerit.“ *) —

*) Induxisse Ernestium aliosque, ut haec ad imperium non pertinere arbitrarentur, puto locum Ulpiani in l. 3. imperium D. de iurisd.: *Imperium aut merum, aut mistum est. Merum imperium est, habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur. Mistum est, cui etiam iurisdictio inest, quod in danda bonorum possessione consistit: ut iurisdictio, iudicis dandi licentia.* Apertum vero est, Ulpianum h. l. non voluisse a potestate discernere imperium, sed a iurisdictione. Et animadvertendum omnino est, et alibi et in Digestis potestatis saepissime simillimam esse atque imperii significationem, atque ita potestatis vocabulum latiore quodam sensu usurpari, quo non ab imperio, sed ab auctoritate separatur (vid. Bachii Hist. Iurispr. Rom. ed. Stockm. p. 87. sqq.): quae res etiam ad hunc locum pertinet, nisi forte, quod parum verisimile esse videtur, verba: *quod etiam potestas appellatur* sunt glossema verbi *iurisdictio*, mutato et loco, et vocabulo *quae* in *quod*. — Nobis vero, qui Ciceronem sequimur, eius retinendus est loquendi usus. Iam is imperium a potestate distinguit, ut cum dicit: *cum imperio et potestate*, quod saepissimum est, vel *imperium aut potestatem* (de lege agr. II, 36): itaque nobis quoque distinguendum est. Atqui ea omnia, quae attulimus, ad imperium proprie sic dictum pertinere, et supra demonstratum est, et ex parte ex hoc ipso Ulpiani loco apparet: quid enim est merum imperium, nisi illud, quod proprie sic dicitur. Quaerendum igitur est, quaenam sit potestas ab hoc imperio diversa? Invenimus, potestatem dici pro magistratu, cuius rei multa exempla Gesnerus congessit in Thesauro s. v. in fine, quibus alia nos addimus: Verr. III, 96. „cum potestate aut cum legatione,“ pro quo paullo infra, c. 98., dicit: *magistratibus et legatis.* Festus (ap. Perott. ed. 1521. p. 1139., 51.): „Cum imperio esse dicebatur apud antiquos, cui nominatim a populo dabatur imperium, cum potestate esse dicebatur de eo, qui a populo alicui negotio praeficiebatur.“ Cic. pro Font. 12.: „In honoribus petendis, in potestatibus, in imperiis gerendis“: i. e. in petitione, in ipso magistratu urbano, in magistratu provinciali, i. e. imperio post magistratum urbanum. Eodem pertinet Digestorum locus de lege Iulia repet. l. 3.: *Lege Iulia repetundarum tenetur, qui cum aliquam potestatem haberet, pecuniam ob iudicandum decernendumve acceperit* cf. eiusd. tit. l. 1. Immo, pro ipsa iurisdictione Cicero aliquando dicit potestatem: pro Quinct. 2: „Non minus saepe ei venit in mentem potestatis, quam aequitatis tuae (C. Aquillii Galli, iudicis).“ Sed ne solus quidem Cicero hoc imperii et potestatis discrimine utitur, sed Ulpianus quoque ipse, ubi accurate loquitur, illud non neglegit:

Stipendia vero et similia imperata ad imperium pertinere, perspicitur et ex multis aliis locis, et e Verr. V, 17.: „Isto Praetore praeclare defensa provincia est. — — — Rem navalem primum ita dico esse administratam, non uti provincia defenderetur, sed ut classis nomine pecunia quaereretur. Superiorum Praetorum consuetudo cum haec fuisset, ut naves civitatibus certusque numerus nautarum militumque imperaretur, maximae et locupletissimae civitati Mamertinae nihil horum imperavisti.“ Et, quod illa respicit, cap. 20. 21.: „At hoc solum sunt assecuti, ne navem darent? Ecquem nautam, ecquem militem, qui aut in classe, aut in praesidio esset, te Praetore per triennium Mamertini dederunt? Denique cum ex S. C., itemque ex lege Terentia et Cassia frumentum aequabiliter emi ab omnibus Siciliae civitatibus oporteret, id quoque munus leve atque commune Mamertinis remisisti.“ Et cap. 22.: „Soli in istius imperio ea conditione vitae fuerunt, ut populo Romano nihil darent, Verri nihil denegarent.“ Itaque imperare Praetor Siciliae Mamertinorum foederatae civitati poterat, potestatem vero, iudicialem certe, in ea non habebat. V. supra. Denique Cicero tota illa oratione quinta, qua illa exponit, de imperatoria Verris virtute disputat. —

5. Paucis in rebus certis finibus imperium Praetorum erat circumscriptum. Exercitum enim extra provinciae fines educere non debebant. Liv. XXIX, 19. in Q. Fabii de P. Scipione sententia: „P. Scipionem, quod de provincia decessisset, iniussu senatus, revocari, agique cum Tribunis plebis, ut de imperio eius abrogando ferrent ad populum.“ Ex iis autem, quae antecedunt, cognoscitur, *cum exercitu* Scipionem aut decessisse, aut decessurum fuisse. Et Cic. in Pis. 21.: „Exercitum,“ inquit, „eduxit ex Syria. Qui

---

de Off. Procos. 7. l. 1. D. ad l. Iul. m.: „Magistratus Populi Romani, quive imperium potestatemve habet.“ Id. instit. l. l. 1. D. de Const. Princ.: „Populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem conferat.“ V. Auson. Popm. de diff. verb. III. in v. *imperium*, qui rectissime hoc discrimen idemque breviter exposuit, quod nos servamus. Sed antequam mittamus Ulpiani locum, a quo incepimus, monendum est, mistum illud imperium non esse, ut Gesnero (in Thes. s. v. imperium), et, quem ille laudat, Hambergero (Opusc. p. 288. sq.) placuit, solam iurisdictionem, quod ex verbo *etiam* (i. e. praeter gladii potestatem) satis apparet. Est igitur in illo loco mistum imperium illud, quod nos latiore sensu imperium vocamus, s. imperium et potestas; merum vero quod nos dicimus imperium proprie sic dictum, ideinque militare.

*

licuit extra provinciam?“ Ex his tamen locis Hottomannus, qui eos attulit, plus iusto collegisse videtur, qui ad Cic. Verr. I, 29. omnino imperatoribus inussu senatus de provincia decedere non licuisse, arbitratur. Primum enim ex illis locis nihil ea de re consequitur, deinde Cic. Verr. I, 29. contrariae sententiae favet, „Commotus est Dolabella: fecit id, quod multi reprehenderunt, ut exercitum, provinciam, bellum relinqueret, et in Asiam hominis nequissimi caussa in alienam provinciam proficisceretur.“ Nam si *per leges* non licuisset e provincia decedere, Cicero, ni fallor, non dixisset, *multos reprehendisse.* Reprehenderunt autem e medio bello profectum. Sic Cic. in Vatin. 12.: „Ausus est Gabinius, mitto exire de provincia, educere exercitum, bellum sua sponte gerere, in regnum iniussu populi aut senatus accedere, quae cum plurimae leges veteres, tum lex Cornelia maiestatis, Iulia de pecuniis repetundis planissime vetant.“ Cf. Ernestium in Clave, lege Iulia. Quamquam enim eo loco et ipsa discessio e provincia vituperatur, quoniam quidem male provinciae Praetor consulebat, qui alio proficiscebatur quo tempore provincia erat administranda, tamen legibus illis nihil vetitum fuisse videtur, nisi ne quis iniussu S. P. Q. R. exercitum e provincia educeret. Nam ante eas leges ne illud quidem vetitum fuisse, docent Duk. et Drackenb. ad Liv. XXVII, 43. Cf. Ernestius l. l. *)

6. Unum est, quod diversum in Praetoribus et imperatoribus fuisse putatur, quod imperatores auspici habuerint, Praetores nulla, id, quod confecerunt e Cic. de Div. II, 36.: „Atque ille (Deiotarus) iis (auspiciis) semper utebatur: nos nisi dum a populo auspicia accepta habemus, quam multum iis utimur? Bellicam rem administrari maiores nostri nisi auspicato noluerunt: quam multi anni sunt, cum bella a Proconsulibus et Propraetoribus administrantur? qui auspicia non habent. — Ubi ergo avium divinatio? quae, quoniam ab iis, qui auspicia nulla habent, bella administrantur, ab urbanis retenta videtur, a bellicis esse sublata.“ Cf. Sigon. de A. I. P. III, 5. Sed dubitatio mihi est de vero h. l. sensu exorta e Liv. VI, 41,: „Auspiciis hanc urbem conditam esse,

*) Hottomannum autem inductum credo eo iure, quod sub imperatoribus valuit. Illud enim Dig. de Off. Praes. l. 15. praecipit: „Illud observandum est, ne, qui provinciam regit, fines eius excedat, nisi voti solvendi causa: tum tamen abnoctare ei non liceat.“

uspiciis bello ac pace, domi militiaeque omnia geri, quis st qui ignoret? Penes quos igitur sunt auspicia more naiorum? nempe penes Patres; nam plebeius quidem nagistratus nullus auspicato creatur. Nobis adeo propria unt auspicia, ut non solum quos populus creat patricios nagistratus, non aliter quam auspicato creet; sed nos noque ipsi sine suffragio populi auspicato interregemo rodamus, et privatim auspicia habeamus, quae sti ne in magistratibus quidem habent. Quid gitur aliud quam tollit ex civitate auspicia, ui plebeios Consules creando, a Patribus, qui oli ea habere possunt, aufert?" Quidni enim pud Ciceronem l. c. post verbum *administrantur* interogationis signum tollamus: „Quam multi anni sunt, cum ella a Proconsulibus et Propraetoribus administrantur ui auspicia non habent?" i. e. aut *plebeiis*, aut iis, qui uspiciis uti *nolunt*. Namque parum mihi est verisimile, 'roconsules et Propraetores, ceteroquin et imperio et otestate simillimos Consulibus et Praetoribus urbanis, enique imperatoribus et ipsis, hac una in re iis fuisse issimiles, quod auspicia nulla habuerint, ipsi cum auiciis creati: Cic. Verr. V, 13. „Cum paludatus exisset, otaque pro imperio suo communique populi Romani uncupasset, noctu, stupri caussa lectica in urbem introerri solitus est ad mulierem, nuptam uni, propositam mnibus, contra fas, contra auspicia, contra omnes divias atque humanas religiones." — Attamen certi nihil ea e re constituere audeo.

7. Atque haec quidem ex iis, quae Praetoris sunt, d *imperium* pertinent, cetera omnia ad *potestatem*. ersabatur autem potestas Praetoris maxime in legisatione, sive potius edictorum promulgatione, in iurisictione, et in animadversione. Ad legislationem pertient edicta annua (Verr. I, 42.) et peculiaria, quae vocat icero Verr. III, 14., de quibus infra loquemur capite e legislatione. In iure dicundo fora obibant Praetores, t iudices dabant, nisi ubi caussae antea iudicatae erant erum cognoscendae: tum enim ipsi de iis cognoscebant. anta autem erat in hac re potestas, ut etiam caussas ab iis iudicatas iterum cognoscere (Verr. II, 27. 28. 30. libi), immo irrita reddere possent quae antecessores et uaestores in magistratu contra leges gessissent, et nemo is posset intercedere. Verr. II, 25.: „Metellus, simulac enit Syracusas, utrumque rescidit, et de Epicrate, et le Heraclio etc." Ib. c. 56.: „Postero anno L. Metellus nentionem tui census fieri vetat etc." Ib. c. 57.: „Ea,

quae in magistratu gessisti, sustulit atque irrita iussit esse.« Cf. Div. in Caec. 17. Verr. II, 12.: „Praetor improbus, cui nemo intercedere possit.« Denique mulctam reis dicere, aliaque poena pravos afficere et coërcere Praetores poterant, etiam cives Romanos. *) Etiam cohortem et comites et dimittere et punire poterant. Verr. II, 11.: »Primum enim omnium opera danda est, ut eos nobiscum ducamus, qui nostrae famae capitiqne consulant; deinde, si in hominibus eligendis nos spes amicitiae fefellerit, ut vindicemus, missos faciamus, semper ita vivamus, nt rationem reddendam nobis arbitremur.“ Quaestorem vero ceterosqne honore publico a Romanis affectos nulla omnino poena afficere, sed prohibere tantum poterat, si quid male agere vellent, et si quid commisissent, dimittere. Cic. Div. in Caec. 17.: »Lilybaeum Verres venit postea, rem cognoscit, factum improbat, cogit Quaestorem suum pecuniam, quam ex Agouidis bonis redegisset, eam mulieri omnem annumerare et reddere.« Verr. III., 58.: »Quaestores, Legatos, Praefectos suos, Tribunos, multi missos fecerunt, et de provincia decedere iusserunt, quod eorum culpa se minus commode audire arbitrarentur, aut quod peccare illos aliqua in re iudicarent.« Legatum suum ne dimittere quidem, nec ullo modo in eum animadvertere potuisse videtur. Verr. I, 19.: »De qua expugnatione cum Legati ad C. Neronem in Asiam Samo venissent, responsum tulerunt, eiusmodi querimonias, quae ad Legatum populi Romani pertinerent, non ad Praetorem, sed Romam deferri oportere. Itaque etiam ad Dolabellam, cuius erat Legatus, res deferri non poterat. **) Illo vero loco Verr. III, 58. Legatos non esse eos, de quibus nos loquimur, sed Legatos militares, apertum esse videtur: primum enim alioquin transponenda fuissent verba *Quaestores, Legatos*, cum maior esset Legati Proconsulis dignitas, quam Quaestoris, ut infra videbimus; deinde eiusdem generis esse videntur hi legati, cuius Praefecti et Tribuni, qui erant militares.

---

*) Cum suam haberent iurisdictionem, etiam mandare eam poterant provinciam ingressi Legato, cui nescio an debuerint (v. Dig. de Off. Procos. l. 4. §. 6.) et Quaestori. Vid. infra.

**) Apertius etiam Ulpianus hanc rem affirmare videtur Dig. de Off. Procos. l. 10.: „Legatum suum ne ante se de provincia dimittat (Procos.), et lege Iulia repetundarum, et rescripto Divi Hadriani ad Calpurnium Rufum proconsulem Achaiae admonetur.“

8. Magistratus et imperium Praetoris, nisi prorogaetur, erat annuum. Cic. ad Att. V, 15.: »Sit modo annuum: si prorogatur, actum est. Verum perfacile resiti potest: tu modo Romae sis. — Sed feremus, modo, si me amas, sit annuum: adsis tu ad tempus, ut senatum totum excites: mirifice sollicitus sum, quod iam diu ignota sunt mihi ista omnia.« Ita tamen, ut ad tricesimum usque diem post adventum successoris in provincia ei e lege Cornelia manere liceret. Cic. epp. Fam. III, 6: »Tunc ille mihi cum gratias egisset, magnopere a me petivit, ut Laodiceam protinus irem: te in prima provincia velle esse, ut quam primum decederes: quia, nisi ego successor essem, quem tu cuperes videre, te antea, quam tibi successum esset, decessurum fuisse. — Non modo ibi non fuisti, ubi me quam primum videre posses, sed eo discessisti, quo ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege (ut opinor) Cornelia constituti essent.“ Interdum autem singulari S. Cto. cautum esse videtur, ut quis ne supra annum teneret provinciam. Cic. ad Div. II, 15.: „Pomtinius multo ante discesserat; a Quinto fratre impetrari non poterat: quem tamen si reliquissem, dicerent inimici, non me plane post annum, ut senatus voluisset, de provincia decessisse, quoniam alterum me reliquissem.“ Cf. ad Att. VI, 6. Cuius rei ita mihi posse videor reddere rationem: Cicero post Praeturam urbanam et Consulatum in provinciam ire noluerat. Postea vero, quam a. U. C. Iɔccl. senatus consulto vetitum erat, ne quis intra quinquennium e Consulatu aut Praetura in provinciam iret, omnes, qui antea provinciam administrare noluerant, provincias sortiri coacti sunt. Ciceroni Cilicia obvenit, cui pro Consule praeesset. Cf. Fr. Fabric. Marcodur. in M. T. Cic. hist. per Coss. descripta, ad a. Iɔccll. Invitus igitur in provincia moratus, Hortensium rogavit, et ab Attico aliisque per litteras petiit, *ut senatum totum excitarent*, ne prorogaretur imperium. Cic. ad Att. V, 2. et 15. ad Div. II, 10. et 11. alibi. Ea de caussa senatus plus etiam, quam quod petiverat Cicero, decresse videtur, *ut ne liceret quidem* ei diutius, quam annum, in provincia commorari. Prorogabatur autem imperium plerumque tum, cum egregium se aliquis imperatorem praebuerat, ut Marcello et Laevino (cf. Livii locos antea laudatos), aut cum successor vel mortuus, vel alia re prohibitus, non successerat, ut Verri, cum Arrio bellum mandatum esset contra fugitivos et Spartacum. Cf. Cic. Verr. IV, 20. Liv. epit. 96., et Ernest. in Clave s. v. *Arrius*.

9. Ubi decedere Praetor constituerat e provincia, antequam successor advenerat, aut Legatum, aut Quaestorem cum potestate relinquebat eum, quem provinciae administrandae maxime idoneum putaret propter accuratiorem provinciae, rerumque provincialium cognitionem. Legatum si quis Praetorium habebat, eum plerumque provinciae praefecit, quoniam is et eius provinciae, in qua per eum annum degerat, conditionem non ignorabat, et accuratiorem, quam Quaestor, rerum omnium, quae ad provinciae administrationem pertinent, cognitionem habebat, cum et Quaestor et Praetor antea fuisset; ubi vero non nisi Quaestorios habebat Legatos, Quaestori mandanda erat potestas, cum nec peritiores eo Legati essent rerum provincialium, et eam ipsam provinciam accuratius Quaestor cognosset. Dignitatis enim ea in re nulla ratio est habita. Alioquin enim semper Legatus relinquendus fuisset, cuius, ut infra videbimus, maior, quam Quaestorum erat dignitas. Ita intelligimus, quare Cicero, qui et Praetorios et Quaestorios habuerat Legatos, cum e provincia decessisset, de Quaestore relicto se excusarit (ad Div. II, 15. et ad Att. VI, 6.), quod alter Legatorum, Pomtinius, multo ante discessisset, alter, Quintus frater, et noluisset, et pluribus de caussis paene non potuisset in Cilicia remanere, uterque quidem Praetorius, ceteri vero, quos secum habuisset, non fuissent superiore, quam Quaestor, usi honore, quippe Quaestorii. Cf. ad Div. II, 18. Nonnihil hac de re infra, cap. de Legatis, addamus.

10. Dum in magistratu erant Praetores, accusari a provincialibus non poterant, quod quidem vel inde concludi posse videtur, quod *summum* habebant imperium, et quod Legati, quorum minor erat, quam Praetorum dignitas, nisi finita Legatione, accusari non poterant. Sed Tribuni plebis de abrogando Praetoribus imperio ferre ad populum poterant, a quo imperium acceperant. Liv. XXXIX, 19., ubi Q. Fabius iubet „P. Scipionem, quod de provincia decessisset iniussu senatus, revocari, agique cum Tribunis plebis, ut de imperio eius abrogando ferrent ad populum.“ Cic. Verr. II, 57.: „Si tibi magistratum (Metellus) abrogasset,“ i. e. cum Tribunis plebis de abrogando tibi imperio egisset, „minore ignominia te affecisset, quam cum ea, quae in magistratu gessisti, sustulit atque irrita iussit esse.“

11. Insignia Praetorum commemorantur in orationibus in Verrem Lictores, duodecim Proconsulum, Propraetorum sex, et Paludamentum. Verr. V, 13.: „alterum (po-

nam) quod, cum paludatus exisset, votaque pro imperio suo communique P. R. nuncupasset" etc., ubi cf. Hottom. et loci quos ille commemorat. Et illos quidem habebant, cum essent magistratus, hoc cum essent imperatores. Imperium eiusque insignia Praetores et Quaestores retinebant e lege Cornelia, donec urbem intrassent. Vid. Ernesti indicem legum.

12. Praetores e provincia in urbem reversos sequebantur Legationes civitatum provincialium, quae eos, si bene se gessissent, publice laudarent, sin minus, accusarent, quarum in Verrinis saepissima fit mentio. Sed antequam ad eas accuratius describendas transeamus, monendum est, statim post reditum in urbem et Praetores, et Quaestores, et Legatos rationes ad aerarium referre debuisse. Cic. Verr. I, 38 et 39.: „Solus est hic, qui nunquam rationes ad aerarium referat. Audistis Quaestoriam rationem tribus versiculis relatam: Legationis non nisi condemnato et eiecto eo, qui posset reprehendere: nunc denique Praeturae, quam ex senatus consulto statim referre debuit, usque ad hoc tempus non retulit. Quaestorem se in senatu exspectare dixit: perinde quasi non ut Quaestor sine Praetore posset rationem referre (ut tu, Hortensi, ut omnes), eodem modo sine Quaestore Praetor. *) Legationibus illis, omnibusque provincialibus Legatis senatus dabatur mense Februario, ad quam rem alludit Cicero Verr. I, 35.: „Sunt Romae Legati Milesii, homines nobilissimi, ac principes civitatis, qui, tametsi mensem Februarium et Consulum designatorum nomen exspectant;" (i. e. extimescunt, v. Ascon. et Garat., ne Consules inimici suas querelas totamque Legationem reiiciant); tamen - -, dicent, - - et religione adducti, et domesticarum legum metu, quid illo myoparone factum sit." Etenim si male Legationem gessissent, ut recte animadvertit ad h. l. Menardus, ne παραπρεσβειας accusarentur, erat metuendum. Laudatores tamen, nisi suspectus esset Praetor, locum plerumque non inveniebant, ut recte animadvertit Hottom. ad Verr. Act. I, 3. e Cic. epp. ad Div. XIII, 8.: „Cogitavi — primum, Appium Claudium senatui populoque Romano, non Myndensium testimonio, (in ea enim civitate mentio facta est), sed sua sponte esse laudatum; deinde me ista vidisse multis ac-

*) Postea lege Iulia de provinciis ordinandis constitutum est, ut magistratus, antequam e provincia decederent, apud duas civitates in provincia rationes deponerent iisdem verbis, quibus ad aerarium relaturi essent. V. Ern. Clav. de l. Iul.

cidere, ut eorum caussa Legationes Romam venirent; sed his Legationibus non meminisse ullum tempus laudandi aut locum dari“ etc. Sin vero laudatione egebant Praetores, pauciores quam decem laudatores efficere nihil poterant. Cic. Verr. V, 22.: „Primum in iudiciis qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei nullum dare, quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere.“

13. Sed cum male Praetores se gesserant, totis viribus a Legatis illis repetundarum, aut peculatus, aut aliorum criminum accusabantur, qua de re copiose agit Cicero Verr. II, 4. Successorem hortabantur, ut quam primum succederet, atque quae antecessor male fecisset, corrigeret; a patronis petebant, ut sibi opem ferrent; rem ad Consules deferebant, denique accusatorem eum sibi eligebant, quem et sibi esse propitium, et multum apud Romanos valere cognoverant. Deinde apud Praetorem eius quaestionis nomina dabant, qui iudices sortiretur. Is primum accusatori, aut sola voluntate provincialium, aut divinatione aliqua constituto, singulari edicto concedebat, ut omnia colligeret, obsignaret, atque deportaret, quae ad accusationem pertinere viderentur. Verr. I, 38.: „Impetrat a senatu, ut dies sibi prorogaretur, quod tabulas suas ab accusatoribus Dolabellae obsignatas diceret.“ Quo facto certam sibi accusator inquirendi diem postulabat, intra quam in provinciam proficisceretur, et ubi opus esset, aditum sibi ad tabulas publicas aliasque res edicto illo compararet. V. Hottom. ad Cic. Div. 9. et tota prima in Verrem actio. Deinde iudicibus sorte electis reiectio fiebat ab utraque parte. Verr. Act. I, 6. et II, 1, 7., et accusatori viginti dies concedebantur, quibus optimam agendi rationem meditaretur, totidemque postea defensori.*) Caussa modo semel, modo cum comperendinatione agebatur (Verr. I, 9. cum interprr. cf. Ernest. in Cl. de lege *Acilia* et *Servilia*, doctissime de utriusque aetate disputantem), in qua quidem non mutatum esse agendi ordinem, sed priorem dixisse in utraque actione accusatorem, posteriorem reum, egregie contra Asconium,

---

*) Nam reus quoque patronos in auxilium vocabat, quorum initio numerus incertus erat, etsi plerumque quatuor advocati sunt, postea vero, cum nimium increscret advocatorum multitudo, lege Iulia constitutus est. Ascon. in arg. or. p. Scauro: „Defenderunt Scaurum sex patroni, cum ad id tempus raro quisquam pluribus, quam quatuor uteretur: ac post bella civilia ante legem Iuliam ad duodenos patronos est perventum.“

Sigonium, et alios docet Ferratius epp. de Oratt. Cic. I, 9. p. 36 sqq., ita, ut nihil ea de re addendum esse videatur. Additi accusatoribus subscriptores, qui illos, ubi visum esset, in dicendo adiuvarent. Cic. Div. 15. ubi v. Hottom., cf. Ferrat. ad or. p. Cluent. 70. Orationibus habitis iudices, qui antea in leges iurarant, sententias ferebant tabellis inscriptas, e lege Cassia (Vide Ernest. de hac lege) cf. Cic. Div. 7. Condemnatis plerumque exsilii poena constituta esse videtur. Cic. Verr. III, 88.: „Utrum crimini defensio, an comitatus exsilio quaeritur?“ Condemnatorum bona sub hasta vendebantur, ut pecunia vi ablata iis redderetur, quorum fuisset. Ubi autem non aequabat pecunia e bonis redacta summam litibus aestimatis constitutam, e lege Servilia, Cornelia, et Iulia persequebantur ab iis, ad quos ea pecunia, quam is cepisset, qui damnatus esset, pervenisset. Cic. pro Rab. Post. 4. Totam autem legem Iuliam de repetundis neque ad equites pertinuisse, neque ad cohortem Praetoriam, sed ad solos magistratus provinciales, docet Cicero l. l. c. 5. 6. Cf. Ern. Clav. ind. leg. lege Iulia. De toto iudicio repetundarum cf. Sigon. l. l. II, 27. praeter ea, quae a Ferratio emendata esse supra diximus. Discrimen inter crimen repetundarum et peculatus optime ita constituit Ferratius l. l. IV, 3. p. 242., ut lege repetundarum socii repeterent, *pecunias et res suas inique et per vim sibi a magistratibus ablatas*, peculatus crimen sit *pecuniam publicam in privatos usus convertere, aut rem aliquam auferre, quae populi Romani sit.* Qua de re ipse ille videndus est.

14. Nihil iis, qui erant cum potestate aut legatione, i. e. Praetoribus, Quaestoribus et Legatis, accipere licebat a provincialibus pro iure dicundo, nihil emere, nisi servum, si quis servorum in provincia esset mortuus, pecuniam nullam foenerari, neque suam, neque publicam, nihil omnino accipere, cum quibus opus erat, pecuniam pro frumento in cellam imperato, et vestem, Roma acciperent de publico. Primum illud docet tota oratio in Verrem secunda actionis secundae. Reliqua paucis locis comprobemus: Verr. IV, 4. 5.: „O dii immortales; praeclaram defensionem! mercatorem cum imperio ac securibus in provinciam misimus: - - - Videte maiorum diligentiam, qui nihil dum etiam istiusmodi suspicabantur; verumtamen ea, quae parvis in rebus accidere poterant, providebant. Neminem, qui cum potestate aut Legatione in provinciam esset profectus, tam amentem fore putaverunt, ut emeret argentum; dabatur enim de publico: ut

vestem; praebebatur enim legibus; mancipium putaverunt, quo et omnes utimur, et non praebetur a populo. Sanxerunt, ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum. Si qui Romae esset demortuus? immo si quis ibidem; non enim te instruere domum tuam voluerunt in provincia, sed illum usum provinciae supplere. Quae fuit caussa, cur tam diligenter nos in provinciis ab emtionibus removerent? haec, iudices, quod putabant ereptionem esse, non emtionem, cum venditori suo arbitratu vendere non liceret.“ Verr. III, 72.: „Si mehercule te pecuniam tuam, non populi Romani, *) in provincia foeneratum docerem, tamen effugere non posses; sed publicam —, sed ob frumentum decretam —, sed a publicanis foenere accepto —, hoc licuisse cuiquam probabis? quo non modo ceteri, sed tu ipse nihil audacius improbiusque fecisti.“ In quibus quidem non cum Ernestio putandum est esse lacunam, sed aposiopesin quae dicitur, qua magis etiam augeretur dicendi gravitas, ut recte ad h. l. animadvertit Garaton. Cf. Dig. de off. Praesid. I. 18. Hospitio tamen magistratus Romanos a civitatibus, in quas venirent, excipi oportebat, nisi quidem mallent de suo sumtus impendere. Electi eam in rem sunt cives locupletissimi, qui deinceps certo ordine hospites illos publice reciperent. V. Verr. I, 25. cum annot. Ferrat. et IV, 11. Postea, quid et a quo accipere liceret Praetoribus, lege Iulia de repetundis constitutum est. Quo de genere nonnulla nobis servata sunt apud Ciceronem epp. ad Att. V, 10. et 16. Cf. Ernestium in Cl. de lege Iulia.

16. Eos denique Praetores, quos bene de se meritos putabant provinciales, summis honoribus afficiebant, statuas iis decernebant, diebus festis eos celebrabant, denique in patronorum numero ut essent, rogabant. Cuius rei exempla cum multa sint in Verrinis, maxime Verr. II, 21., tamen non opus est afferre, cum satis aliunde ea de re constet.

Cap. VI. *De Quaestore.*

Ex iis, qui sequebantur Praetores in provinciam, primi nominandi sunt Quaestores, cum et arctissimo amicitiae vinculo cum illis deberent esse coniuncti, et soli praeter eos essent Romani in provinciis magistratus: ceteri enim Praetoris comites potestatis erant expertes.

---

*) Verisimilis est Garatonii coniectura, qui e Lamb. marg. esse *Praetorem* legendum pro verbis: *non populi Romani*, suspicatur.

1. Quaesturam primum gradum honoris vocat Cicero Verr. Act. I, 4. De aetate legitima variae sunt doctorum virorum opiniones, aliis XXV. a., aliis XXVII., aliis XXXI. proferentibus. Discernenda autem cum Bellefortio (in egregio lib. de rep. Rom. vers. Germ. T. II. p. 288-295. T. III. p. 211 sqq.), qui primus rem recte exposuit, ita tempora esse videntur, ut ante Sullae dictaturam annum aetatis XXVII. Quaesturae gerendae fuisse constitutum; postea, Sulla auctore XXXI., quem eundem Ernestius in ind. legum, de legibus annalibus aliquando fuisse aetatem legitimam docuit, sub Caesaribus autem, ex quo Augustus quintum ante aetatem legitimam annum Quaesturae habilem esse voluit, eum, quem Lipsius arbitrabatur, XXV. huic muneri adipiscendo aptum fuisse putemus. In provinciis non ut Proconsules et Propraetores, ita erant Proquaestores, sed qui Quaestores erant creati, provincias ita sortiebantur, ut aliis obveniret urbana, aliis Quaestura provincialis. Cic. Verr. I, 13: „Quaestor ex S. C. provinciam sortitus es: obtigit tibi Consularis“ etc. et alibi. Cf. Sigon. l. l. II, 3. et Manut. ad Cic. Div. 1. — Attamen, si cui displiceret provincia, quam sorte nactus erat, Romae manere poterat. Cic. Verr. , 14: „Nam si tibi antea displicuisset, idem fecisses, quod nno post M. Piso. Quaestor cum L. Scipioni Consuli btigisset, non attigit pecuniam, non ad exercitum prorectus est: quod de republica ita sensit, ut nec fidem suam, nec morem maiorum, nec necessitudinem sortis laederet.“ A Quaestoribus vero urbanis provinciales et mutere et insignibus longe erant diversi, id, quod e tota de uaestoribus disputatione apparebit.

2. Praetori cum Quaestore eadem necessitudo interdebat, quae patri cum filio. Cic. Div. in Caec. 19.: ic a maioribus accepimus, Praetorem Quaestori suo rentis loco esse oportere.“ Epp. ad Div. XIII, 10.: „Saenim commendatum tibi eum (Quaestorem) arbitrar ab ipso more maiorum: qui, ut te non fugit, hanc aesturae coniunctionem liberorum necessitudini proxim voluit esse.“ Quos locos P. Manutius affert ad Cic. r. 14. Eodem modo Verr. I, 15.: „Tu cum Quaestor exercitum missus sis, custos non solum pecuniae, sed am Consulis, particeps omnium rerum consiliorumque is: habitus sis in liberum loco, sicut mos maiorum bat: repente relinquas, deseras, ad adversarios trans.“ Ita enim hic locus cum Garatonio est interpungen. (V. ipsum.) Quare, etiamsi summa affectus erat aestor a Praetore iniuria, eum accusare tamen non

debebat. Cic. Div. 18. Cuius rei tres caussas Ciceronem attulisse, recte vidit Manutius l. l., muneris et officiorum societatem, morem maiorum, et sortis religionem, i. e. voluntatem deorum. Cic. Div. 14.: »Commemorare Quaestoris cum Praetore necessitudinem constitutam? morem maiorum? sortis religionem?“ Ferri enim non posse videtur Graevii sententia (ad Cic. Div. in Caec. l. l.) sortis religionem esse provinciae societatem, quamquam sortem interdum esse provinciam constat. Nam primum illius loci sententia clarius exponitur Verr. I, 15.: „Si nullam religionem sors habebit, nullam sanctitatem coniunctio secundae dubiaeque fortunae, nullam auctoritatem mores atque instituta maiorum. »Etenim si sortis religio esset provinciae societas, eandem caussam Cicero bis attulisset. Quid enim, nisi muneris atque provinciae societas est coniunctio secundae dubiaeque fortunae? Atque magis etiam hanc rem confirmat Div. 20.: „Accusavi eum cui Quaestor fueram, quicum me sors consuetudoque maiorum, quicum me deorum hominumque iudicium coniunxerat,« in quo sors aperte est deorum, consuetudo maiorum, hominum iudicium.

3. Quaestores in singulis provinciis erant singuli, praeter Siciliam, quae binos habebat, ut supra monuimus. Munus Quaestoris erat duplex. Alterum munus versabatur in pecunia publica aut distribuenda, aut cogenda, sive attributa et vectigali, et in tributis similibusque rebus cogendis, alterum in iure dicundo. Pecunia attributa a Quaestore urbano ex aerario publico Tribunis aerarii, et ab iis Quaestori provinciali attribuebatur. Vide Sigonium l. l. II, 8. Is dabat militibus in stipendium, provincialibusque pro frumento emto, i. e. alteris decumis, et imperato non solum in usum plebis Romanae, sed etiam Praetoribus, ipsis Quaestoribus, Legatis, cohorti Praetoriae in cellam. Verr. I, 14.: „Accepi, inquit, vicies ducenta triginta quinque millia quadringentos XVII nummos; dedi stipendio, frumento, Legatis, pro Quaestore, cohorti Praetoriae H — S. mille sexcenta triginta quinque millia quadringentos XVII nummos; reliqui Arimini H — S. sexcenta millia.“ Ita enim Asconius h.l. distinxisse videtur, qui verba illa *pro Quaestore* illustravit verbis: *pro officio Quaestoris, significat autem Quaestoris annonas.* Cogitavit enim, ni fallor, de ipsius Verris annonis. Sigonius l. l. II, 3. intelligit *Proquaestores,* quod aeque ac verborum *Legatis pro Quaestore* coniunctio ferri posset, si constaret, Carbonem, do-

ec Verres in provinciam veniret, Legatis aut aliis ho-
ninibus usum esse pro Quaestore. Sed, ni fallor, Quae-
tores in provincia manere debebant, donec successores
dvenissent. Certe Verris Quaestores cum fascibus erant
n provincia, cum Metelli Quaestores aliquamdiu iam af-
uissent. Verr. II, 4.

4. Praeterea Quaestor occupabatur in decumis exi-
endis et ex parte vendendis, atque in aliis rebus impe-
andis. Cic. Verr. III, 7.: „L. Octavio et C. Cotta Coss.
enatus permisit, ut vini et olei decumas, et frugum mi-
utarum, quas ante te Quaestores in Sicilia vendere con-
uessent, Romae venderent, legemque his rebus quam
)sis videretur edicerent etc.“ Et Verr. I, 38.: „Pro
)uaestore vero quomodo iste commune Milyadum vexa-
t, quomodo Lyciam, Pamphyliam, Pisidiam, Phrygiam-
ue totam frumento imperando, aestimando, hac sua,
uam tum primum excogitavit, Siciliensi aestimatione
ffixerit, non est necesse demonstrare verbis. Hoc sci-
)te: his nominibus quae res per eum gestae sunt, cum
te civitatibus frumentum, coria, cilicia, sagos »(ita cum
raevio legendum esse videtur pro saccos)« imperaret,
eque ea sumeret: pro his rebus pecuniam exigeret.
- Quae omnia, etiamsi voluntate Dolabellae fiebant,
er istum tamen omnia gerebantur.“

5. Quaestoribus interdum mandatam a Praetoribus
sse iurisdictionem, docent interpretes ad Cic. Div. in
aec. 17. Verr. II, 8. et 18. Sed quod Graevius affirmat
d locum illum priorem, non nisi mandatam Quaestores
urisdictionem habuisse, non consequitur e Sueton. Iul.
aes. 7.: „Quaestori ulterior Hispania obvenit: ubi cum
andatu Praetoris iure dicundo conventus circumiret,
adesque venisset, etc.“ Neque enim nullam per se
)uaestorem habuisse iuris dicundi potestatem, inde col-
gitur, neque etiam forum agere sine mandatu Praetoris
on potuisse, quamquam id negare non audeo, sed veri-
mile potius esse concedo, cum contrarium exemplis
)mprobare non possim, sed nihil, nisi interdum a Prae-
)re ei illud munus esse delatum. Ex aliis autem locis
)nfici posse videtur, in ea civitate, in qua ipsi sedem
)llocarint dum magistratum tenerent, Quaestores sua
)otestate iudices dedisse de litibus de pecunia eius civi-
tis publica actis. Sic Caecilius, Quaestor Lilybaetanus,
udicium dedit de pecunia Templo Veneris Erycinae
anda. Div. 17. Et Verr. II, 18., exposito iudicio de
ecunia palaestrae Syracusanae adiudicanda, ita pergit
icero: „Ceteras dicas omnes illo foro M. Postumius

Quaestor sortitus est: hanc solam tu illo conventu reperiere sortitus.“ Attamen certo hanc rem nolo affirmare, cum Verr. II, 8., consuetudinis fuisse dicatur, ut Quaestor Lilybaetanus in iudicio *peteret* Veneri Erycinae pecuniam, ex quo colligere quis possit, nisi mandata potestate, eum non dedisse iudicium. Sed tum fortasse Quaestor petebat, cum ipse Praetor volebat dare iudicium: maior enim erat huius, quam illius potestas; ubi vero Praetor non aderat, ipse iudices sortiebatur. Sed nihil definio. Imperium Quaestores nullum habebant. Nam illud, quod in imperando frumento aliisque rebus exercebant, mandatum erat a Praetore: imperium vero militare Quaestori mandatum legimus ap. Caes. B. G. I. 52.: „Caesar singulis legionibus singulos Legatos et Quaestorem praefecit.“

6. Quaestore in provincia mortuo Praetor Legatum aut alium quem voluit sufficiebat, qui esset pro Quaestore. Cic. Verr. I, 15.: „Itaque idem iste, quem Cn. Dolabella postea, C. Malleolo occiso, pro Quaestore habuit (haud scio, an maior etiam haec necessitudo fuerit, quam illa Carbonis, ac plus iudicium voluntatis valere, quam sortis debeat), idem in Cn. Dolabellam, qui in Cn. Carbonem fuit.“ Potestatis insignia Quaestores in provinciis togam imprimis praetextam et duos Lictores habebant, qua de re cf. Hottom. ad Cic. Verr. II, 4. Urbani vero Quaestores nullum habebant in urbe Lictorem, ut e Gell. XIII, 12. 13. idem docuit Hottom. ad Verr. I. 16., quem non satis intellexisse Garaton. ad Verr. l. c. videtur, cum eo loco non plane e re esse de Quaestore urbano disputatio videri posset, ita, ut de provinciali Hottomannum dixisse arbitraretur quae de urbano dixerat.

Cap. VII. *De Legatis et Cohorte Praetoria.*

1. Legatorum in provinciis nescio, an duo genera sint discernenda, alterum eorum, qui Legati P. R. dicebantur, alterum Legatorum militarium. Illorum alii erant non nisi nuntii publice missi ad exteras gentes de pace ineunda aliisque rebus, alii Praetores in provincias comitabantur, et quacunque ratione, et consilio, et auxilio, et eorum vice absentium explenda adiuvabant. Alii discernunt Legatos populi Romani a Legatis Proconsulum et Propraetorum, tanquam diversa Legatorum genera, et cum his confundunt Legatos militares, sive potius Legagatos militares qui proprie dicantur, et quorum mentio frequentissima, ut ap. Tac. Ann. I, 44. II, 36. IV, 73. XV, 28. H. I, 60. Agr. 7. Suet. Vesp. 4. Tit. 4., sub Caesaribus

demum exstitisse arbitrantur, quam tamen rem aliter se habere, operam dabimus, ut demonstremus. Primum dignitate non fuisse diversos Legatos P. R. et Praetorum, ex iis locis consequitur, quibus sancta corpora Praetorum Legatis tribuuntur, et id dignitatis, ut in Legatione accusari non possent, neque ullo modo in eos Praetor posset animadvertere, ut Verr. I, 33.: „Legatus cum esses circumsessus, cumque populo Romano, communique caussae Legatorum facta esset iniuria insignis, non es persecutus: - - cur imminuisti ius Legationis? cur caussam P. R. deseruisti ac prodidisti? cur iniurias tuas coniunctas cum publicis reliquisti? Non te ad senatum caussam deferre: - - - Etenim nomen Legati eiusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum iura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur.“ In quibus Asconius *invidiose addita* censet verba *sed etiam — tela, cum de magistratus dicat Legato,* ut h. l. correxit Hottomannus. Sed non minus ad Legatos Praetorum, quam ad nuntios illos ea pertinent, id, quod et ex hoc ipso loco, et ex aliis apparet, cum, si illi non fuissent aeque sancti, Cicero non ausus fuisset iis sancta corpora tribuere, cum neminem Romanorum posset harum rerum ignarum existimare. Quam rem confirmat Verr. III, 28: „Statim, tanquam coniuratio aliqua Agyrii contra rempublicam facta, aut Legatus Praetoris pulsatus esset, ita Agyrio magistratus et Quinque-primi accitu eius evocantur.“ Apud Praetorem Legatos accusari non potuisse, supra vidimus; legitimum vero accusandi tempus erat, cum finita Legatione Romam redierant. V. Garaton. ad Verr. I, 32.

2. Deinde plane eosdem fuisse Legatos Praetorum et eos, quibus, ut eos describit Asconius ad Verr. I, 33., foedera faciunda et leges pacis bellique dicendae erant, inde apparet, quod eodem populi Romani Legatorum nomine utrosque Cicero appellavit. Verr. I, 17.: „Ut ipse (Verres) profectus est, quacunque iter fecit, eiusmodi fuit, non ut Legatus populi Romani, sed ut quaedam calamitas pervadere videretur.“ Erat autem Verres Legatus Dolabellae. Sic Verr. I, 19. et alibi Verres dicitur Legatus populi Romani. Egregie hanc rem confirmat Cic. in Vatin. 15., ubi definitione Legatorum utrumque eorum genus, siquidem diversa genera ea dicenda sunt, comprehendit: »Ne hoc quidem senatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut Legati ex eius ordinis auctoritate legarentur? adeone tibi sordidum consilium publicum visum est, adeo afflictus senatus, adeo misera et

prostrata respublica, ut non nuntios pacis ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilii auctores, non ministros muneris provincialis senatus more maiorum deligere posset?“ et, quem Garatonius de ea re recte laudat, Varr. L. L. IV, p. 1130, 13. (1065, 21.) ed. Per.: „Legati qui lecti publice, quorum opera consilioque uteretur peregre magistratus, qui vero nuntii senatus aut populi essent.“

3. Alios autem fuisse Legatos duces singularum legionum diversos ab illis, etiam liberae reipublicae temporibus, plures indicare videntur loci Ciceronis. Legati enim Praetorum maiorem Quaestoribus habebant dignitatem, minorem alii Legati habuisse videri possunt: Verr. I, 33.: „Nuper M. Aurelio Scauro postulante, quod is Ephesi se Quaestorem vi prohibitum esse dicebat, quominus e fano Dianae servum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret, Pericles Ephesius, homo nobilissimus, Romam evocatus est, quod auctor iniuriae illius fuisse argueretur. Tu, si te Legatum ita Lampsaci tractatum esse senatum docuisses – – –, quis non commoveretur? etc.“ Nihil autem ea de re consequitur ex Epp. ad Div. II, 15.: „Ego de provincia decedens, Quaestorem Coelium praeposui provinciae. Puerum? inquies. At Quaestorem: at nobilem adolescentem: at omnium fere exemplo: neque erat superiore honore usus, quem praeficerem. Pomtinius multo ante discesserat; a Quinto fratre impetrari non poterat,“ quorum uterque Legatus erat Epp. ad Div. X, 4. Etenim cum incertus erat Praetor, utrum Legatum, an Quaestorem in provincia relinqueret, nihil debebat spectare, nisi uter magis esset provinciae regendae idoneus. Itaque si Legatum haberet Praetorium, eum reliquit propter accuratiorem rerum provincialium cognitionem, sin vero non nisi Quaestorium haberet Legatum, Quaestor in provincia remansit, quoniam is melius eius provinciae, cui Quaestor erat, res cognorat, quam Legatus, qui in alia provincia Quaestor fuerat. Cf. Epp. ad Att. VI, 3. et Epp. ad Div. II, 18.: „Praesertim cum sine cuiusquam reprehensione Quaestoriis Legatis Quaestorem possis anteferre.“ Vide supra caput de Praetoribus. Confirmat vero hanc rem id, quod in Quaestorem potestatem Praetores habebant, in Legatos nullam (Vide supra, et Garatonium ad Verr. I, 22.), et quod in enumeratione honorum publicorum priores numerantur Legati, ut Verr. I, 14.: „Dedi stipendio, frumento, Legatis, pro Quaestore, cohorti Praetoriae etc.“

4. Alios autem Legatos Quaestoribus fuisse inferiores, inde consequi crediderim, quod posteriores nominantur in enumeratione, ut Verr. III, 58: „Quaestores, Legatos, Praefectos suos, Tribunos multi missos fecerunt," quod quidem non satis certum esset huius rei argumentum, si in reliquis dignitatis ordo non esset servatus; sed Praefecti maiore fruebantur honore, quam Tribuni, Quaestores quam Praefecti. Suet. Aug. 38: „militiamque auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed et praefecturas alarum dedit." Eodem modo bis Verr. V, 32.: „Siculone homini Legati, Quaestoris, Praetoris denique potestatem, honorem, auctoritatem dari? - - Ubi Quaestores? ubi Legati? - - denique ubi Praefecti et Tribuni tui?" Quo quidem loco apertum est, de Legatis *militaribus* loqui Ciceronem, cum Siculo illi *classem* Verres tradiderit, et Legati *Praetorum* nullam potestatem, i. e., ut hoc quidem loco apertum est, imperium militare, habebant. Certe duorum generum Legatos Praetorem comitatos esse, perspicuum esse videtur et ex iis, quae attulimus, et ex aliis nonnullis orationum in Verrem locis. Etenim Verr. II, 20. Cicero narrat, omnes Legatos praeter unum P. Tadium primo anno Verrem reliquisse. Ex quo perspicitur, quare unius tantum Legati mentio fiat Verr. V, 25.: „Quod ubi isti nuntiatum est, tametsi in lecta cum mulierculis iacebat ebrius, erexit se tamen, et statim Quaestori Legatoque suo custodes misit complures, ut omnia sibi integra quam primum exhiberentur." In eadem autem oratione cap. 32. plures commemorantur, militares illi, et inferiores, ut e nominis loco apparet, Quaestoribus: „Siculone homini Legati, Quaestoris, Praetoris denique potestatem, honorem, auctoritatem dari? Si ne impediebat ista conviviorum mulierumque occupatio; ubi Quaestores? ubi Legati? [ubi ternis denariis aestimatum frumentum? ubi muli? ubi tabernacula? ubi tot antaque ornamenta magistratibus et Legatis a senatu populoque Romano permissa et data?] denique ubi Praefecti et Tribuni tui?" Ad nos vero, qui de re militari non agimus, priores tantum illi Legati pertinent.

5. Legabantur Legati a senatu (Cic. in Vatin. 15.) ita, ut singulis Praetoribus plerumque tres (v. Sigon. l. II, 2.), interdum plures et nonnunquam, ni fallor, singuli adderentur. De muneribus Legatorum nihil opus est addere, cum satis ea exposuerit Cicero in Vatin. 15. et Varro de L. L. l. l. Potestatis, nisi mandatae, erant expertes; opponuntur enim sibi *potestas* et *Legatio* Verr. II, 96. et *Legatio* et *magistratus* ibid. 98. et aperte Dig. de off. Procos. l. 13.: „Legati Proconsulis," in-

quiunt, „nihil proprium habent, nisi a Proconsule eis mandata fuerit iurisdictio; sed imperii, etiam non mandati, aliquid habuisse videntur. Habebant enim Lictores cum securibus, animadversionem, et stipendia similiaque imperare poterant; militare autem imperium nisi mandatum non habebant. Verr. I, 26.: „Lictor istius (Verris Legati) Cornelius etc.“ Epp. ad Div. XII, 30. „Illud non nimium probo, quod scribis, quo illi animo aequiore ferrent, te tuis etiam Legatis Lictores ademisse.“ Verr. I, 17.: „Magistratum Sicyonium (Verres Legatus Dolabellae) nummos poposcit. Ne sit hoc crimen in Verrem: fecerunt alii; cum ille non daret, animadvertit. Improbum, sed non inauditum; genus animadversionis videte: quaeretis, ex quo genere hominum istum iudicetis etc.“ Ibid. c. 27.: »Non enim potest (Verres Legatus) dicere, cum seditionem sedare vellem, cum frumentum imperarem, cum stipendium cogerem, cum aliquid denique reipublicae caussa gererem: quod acrius imperavi, quod animadverti, quod minatus sum. Quae si diceret, tamen ignosci non oporteret, si nimis atrociter imperando sociis in tantum adductus periculum videretur.« Imperare autem eos potuisse non Praetoris tantum nomine, sed etiam e sua auctoritate, aperte docet Cic. p. Fonteio 4.: „M. Fonteius - - Legatis suis - - negotium dedit (viae Domitiae municndae). Itaque praefuerunt, imperaverunt pro dignitate sua quod visum est, et probaverunt.“ V. de Legatis Garat. ad Cic. Verr. I, 22. et 32., qui egregie multa, quae ad eos pertinent, illustravit, et recte priore loco Ciceroni verba: „cum imperio ac securibus,“ atque ita Legatis ipsum imperium et secures restituisse videtur. — Mandati imperii militaris exemplum est Epp. ad Div. XV, 4. et saepissime.

6. De *Cohorte Praetoria* appendicis loco pauca iam addamus. Plura qui legere velit, is adeat Sigon. de A. I. P. II, 2. et intpp. ad Cic. Verr. I, 14. 28. Nos ea tantum afferamus quae maxime necessaria esse videantur, ideoque novum ab eis caput inchoare noluimus. Praetoribus, ut supra vidimus, provincia ornabatur, i. e. addebantur Legati, Quaestor, Tribuni militares, Praefecti militares, alia. Ipsi ministros sibi elegerunt et comites quos maxime sibi profuturos putabant. Hi dicebantur *Cohors Praetoria*. Nam illa cohors nobilium iuvenum, quae Imperatorem saepe in castra atque aciem sequebatur, non ad provinciarum administrationem, sed ad rem militarem pertinet, ideoque hoc loco aeque ac Tribu-

norum et Praefectorum descriptio praetermittenda esse videtur. Ad eam vero Cohortem Praetoriam, de qua nos agimus, pertinebant Lictores, Praecones, Scribae, Medici, Haruspices, Praefecti, Accensi, ceteri apparitores. Cf. Verr. II, 16. aliosque locos.

Lictores sunt ii magistratuum ministri, quibus utuntur in prehensione, coërcitione, animadversione, dicti illi secundum alios a ligando, vel propter fasces colligatos, vel quod eis, qui aliquid commiserant, manus atque pedes colligabant, secundum alios pro *litores*, secundum alios a limo, licium. Nonius (ap. Perott. ed. Bas. 1521.) p. 1247, 29.: »Lictoris proprietatem a ligando dictam vetustas putat. Ita enim carnificis officium antiquitus fungebatur (sic). Mar. Tul. pro Rabirio: Lictor, inquit, colliga manus.“ Eadem erat Valgii Rufi et A. Gellii sententia. Vid. Gell. XII, 3. Festus (ib.) p. 1160, 25.: „Lictores dicuntur, quod fasces virgarum ligatos ferunt. hi parentes magistratibus, delinquentibus plagas ingerunt.“ A. Gellius XII, 3.: »Sed Tiro Tullius M. Ciceronis libertus lictorem vel a limo vel a licio dictum scripsit: licio enim transverso, quod limum appellatur, qui magistratibus, inquit, praeministrabant, cincti erant etc.“ Perottus p. 237, 2. (ed. 1521.): „Plutarchus (Quaest. Rom, 67.) lictorem absque C. scribendum esse existimat, et ita a veteribus scriptum fuisse, tractum e Graeco. etc.“ Ego unde dicti sint, nescio.

Praeco est, ut Perottus (ed. 1521.) p. 504, 60. eum describit, „qui iussu magistratus populum vocat, aut aliquid observandum iubet, aut gesta divulgat, aut aliquid publice, vel privatim venditioni proponit, aut ferias, diesve festos indicit, aut supplicationes pronuntiat, quamvis hos Curiones quoque vocatos inveniamus. Hinc accensus quoque praeco dicebatur.«

Scribae publici aut ingenui erant, aut libertini. Praetores vero provinciales suos sibi ipsi eligebant, cum ceteris magistratibus de publico darentur. Munus eorum erat honestum et quaestuosum. Omnesque, cum secreta iis multa essent cognita, erant iurati. Cf. Sigon. l. l. Ernest. in cl., alios.

De *medicis et haruspicibus* hoc loco nihil est addendum, nisi *illos* non fuisse videri servos, cum ad Cohortem pertinerent Praetoriam. Verris medicum fuisse libertinum, natione Graecum, ex nomine apparet. Verr. III, 28.: »Artemidorum Cornelium medicum.“ De *haruspicibus* cf. commentatio singularis Dr. *Erandseni*, Dani, quae Berol. 1823. lucem vidit, lectu dignissima.

Praefecti illi quales fuerint, nescio; praefectos turmarum et alarum equestrium ad cohortem non magis pertinuisse, quam Tribunos, apertum esse videtur.

Accensi alii sunt milites inermes, e quorum numero defectus legionum supplebantur; alii, de quibus nos loquimur, ministratores Consulum et Praetorum, qui sequebantur castra, ut res iis necessarias administrarent. Cf. Hottom., Salmas. (de re mil. Rom. c. 14.), Graev. ad Verr. 1, 28. His adde *Interpretes* et *Viatores* (quorum certum erant in Sicilia genus Venerei), et habebis totam apparitorum cohortem. V. interprr. ad Verr. ll. ll.

Cap. VIII. *De Legislatione.*

Legum in provinciis sensu latiore et magis improprio tria erant genera, primum legum quae proprie dicuntur, i. e. perpetuarum, deinde edictorum Praetoriorum, sive legum annuarum, denique edictorum peculiarium.

1. Romani, regione aliqua potiti in provinciae formam redigenda, aut decem plerumque, aut quinque miserunt publice Legatos, qui in ea constituenda imperatorem adiuvarent, et cum eo leges de vectigalium, tributi, stipendii, et iudiciorum modo ac ratione darent. Quae quidem leges, cum auctoritate publica, et ab iis latae essent, qui imperium a populo Romano, auctoritatem legum mandarum a senatu habebant, et populi Romani et senatus leges existimabantur, ideoque mutari non poterant, nisi singulari senatus consulto, et plerumque quidem post bellum aliquod, aut seditionem, aut alioquin, iterum missis decem aut quinque Legatis, qui cum imperatore novam auctoritate publica provinciae formam inducerent. Sequebantur autem in his legibus conscribendis fere eas leges, quae antea in ea provincia valuerant, nisi acrius provinciales Romanis restiterant. Verr. II, 16.: »Praescriptum tibi cum esset, — quemadmodum inter Siculos iura dares, cum imperatoris populi Romani auctoritas, Legatorum decem, summorum hominum, dignitas, senatus consultum intercederet, cuius consulto P. Rupilius de [X] Legatorum sententia leges in Sicilia constituerat: cum omnes ante te Praetorem Rupilias leges et in ceteris rebus, et in iudiciis maxime observassent, tu ausus es pro nihilo prae tua praeda tot res sanctissimas ducere? tibi nulla lex fuit? nulla religio? nullus existimationis pudor? nullus iudicii metus? nullius apud te gravis auctoritas? nullum exemplum, quod sequi velles?« In quibus tamen posteriore loco denarius numerus omittendus esse videtur: primum enim omittitur in vetere codice,

teste Lambino, deinde paullo ante Cicero et Rupilii dignitatis et Legatorum numeri mentionem fecit, ita, ut neque Praetoris nomen, neque numerus denarius sit necessarius; denique glossematis quod dicitur verba illa speciem prae se ferre videntur. Eod. cap. (ed. Ern.; ed. Gar. c. 15.) paullo ante: „Legem esse Rupiliam, quam P. Rupilius [Consul] de decem Legatorum sententia dedisset: hoc omnes semper in Sicilia Consules Praetoresque servasse.“ Et Verr. II, 49.: „Quas enim leges sociis amicisque dat is, qui habet imperium a P. R., auctoritatem legum dandarum a senatu, hae debent et populi Romani et senatus existimari.“ Verr. III, 7.: »Non, inquam, miror, te aliquid excogitasse, sed quod tua sponte, iniussu populi, sine senatus auctoritate iura provinciae mutaris, id reprehendo, id accuso.« Cf. Verr. II, 49. de novis Halesinorum legibus. Ibid. 6.: „Siciliae civitates sic in amicitiam fidemque recepimus, ut eodem iure essent, quo fuissent, eadem conditione populo Romano parerent, qua suis antea paruissent.“ etc. Epp. ad Q. Fratr. I, 1, 11.: „Ac primum Graecis, id quod acerbissimum est, quod sunt vectigales, non ita acerbum videri debet, propterea, quod sine imperio populi Romani, suis institutis, per se ipsi ita fuerunt.“

2. Alterum legum genus est edictum Praetoris, quod legem annuam Cicero vocat Verr. I, 42. Eo edicto Praetores initio magistratus edicebant, quam iudiciorum rationem essent ipsi per eum annum secuturi. Haec edicta plerumque erant translaticia, i. e. translata ex edicto aut antecessoris, aut urbano ipsius Praetoris. Nam eiusmodi edictorum, quae ex edicto Praetoris urbani eiusdem anni translata essent, nullam mentionem repperi. Ex edicto autem antecessoris, ni fallor, transtulerunt Proconsules, quoniam ipsi in urbe nullum edictum ediderant, Propraetores vero e suo urbano. Verr. I, 43.: „Tu ipse ex Siciliensi edicto hoc (quod in urbano tuo fuerat) sustulisti: voluisti ex improviso, si quae res natae essent, ex urbano decernere.“ Quem locum mirandum est Hottomannum et Menardum non intellexisse, quorum ille ad verba illa *ex urbano:* „Non suo,“ inquit, „veteri, sed ex illo M. Marcelli, qui tum Praeturam obtinebat.“ Atqui primum eodem capite paullo ante vituperarat locum illum edicti Verrini urbani, quem his ipsis verbis e provinciali sublatum dicit; deinde aperta res est ex iis, quae statim sequuntur: „quam postea tu tibi defensionem reliquebas, in eam maxime offendisti, cum tuam auctoritatem tute ipse edicto provinciali repudiabas;“ denique

confirmant hanc rem loci statim afferendi. Menardus autem pro *voluisti* legendum esse censet *noluisti*, quo maxime Ciceronis sententiam conturbat. Nam ideo Cicero Verrem e provinciali edicto verba illa omisisse criminatur, ut opportunitate oblata, ex improviso, id est, peculiari edicto, sequeretur edictum suum urbanum. Verr. I, 45.: „Ipse in Siciliensi edicto hoc non habet (quod in urbano antea ipse ediderat): exegerat enim iam mercedem. Item ut illo edicto, de quo ante dixi." Ibid. c. 46.: „Iterum enim iam quaero abs te, sicut modo in ille capite Anniano de mulierum hereditatibus, nunc in hoc de hereditatum possessionibus: cur ea capita in edictum transferre nolueris. - - An aliud Romae aequum est, aliud in Sicilia? Non enim hoc potest hoc loco dici, multa esse in provinciis aliter edicenda. - - - Nam utroque genere video non modo ceteros, sed te ipsum totidem verbis edixisse, quot verbis Romae solet. Quae Romae magna cum infamia, pretio accepto, edixeras, ea sola te, ne gratis in provincia male audires, ex edicto Siciliensi sustulisse video." Verr. III. 65.: „Quam formulam Octavianam et Romae Metellus habuerat, et habebat in provincia." E quibus satis apparet, paene nunquam aliunde, quam e suo edicto urbano Propraetores provinciale edictum suum transtulisse. Proconsules vero ex antecessoris edicto interdum quaedam transtulisse, docemur loco Epp. Cic. ad Div. III, 18.: „Romae composui (Cicero, Proconsul) edictum: nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me venissent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum. - - Hoc vero, ex quo suspicio nata est, me exquisisse aliquid, in quo te offenderem, translaticium est."

Tertium legum genus est edictorum peculiarium, quorum mentio fit Verr. III, 14. quaeque ad certas causas pertinebant.

Cap. IX. *De provincialium honore publico.*

1. Omnes fere in provinciis civitates aliquatenus erant sui iuris, habebantque suos magistratus, suum senatum, et alios honores publicos. Cic. Verr. II, 5. et 67. III, 28. I, 17. De quibus singulis praeter Siculos pauca e Verrinis cognoscuntur: quare de Siculis imprimis quaedam afferamus. Senatore suffragiis plerumque creabantur; sed non omnes creari poterant, verum generis, aetatis, census, quaestus, aliarumque rerum ratio erat habenda. Verr. II, 49.: „Quorum ex testimoniis cognoscere potuistis, tota Sicilia per triennium neminem ulla in civitate

senatorem factum esse gratis, neminem, ut leges eorum sunt, suffragiis, neminem, nisi istius imperio aut litteris: atque in his omnibus senatoribus cooptandis non modo suffragia nulla fuisse, sed ne genera quidem spectata esse, ex quibus in eum ordinem cooptari liceret, neque census, neque aetatis, neque cetera Siculorum iura valuisse.“ Eodem capite paullo infra: „C. Claudius, adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorum sententia leges Halesinis dedit: in quibus multa sanxit de aetate hominum, ne quis minor triginta annis natu, de quaestu, quem qui fecisset, ne legeretur, de censu, de ceteris rebus, quae omnia ante istum Praetorem - - valuerunt - - -. Quod Halesini - - Romae impetrarant, ut apud se ne suffragiis quidem fieri liceret, id pretio ut fieret, effecit.“

2. Senatorum alii aliis maiore fruebantur dignitate: qui maxima, dicebantur Quinque-primi, aut Decemprimi. Verr. III, 28. II, 67. Praeerat toti senatui magistratus, quem Proagorum esse vocatum, discimus e quibusdam locis Ciceronis, ut Verr. IV, 23.: „Dionysiarchum ad se Proagorum, hoc est, summum magistratum, vocari iubet. ubi vid. intprr. Adde eiusdem l. c. 39. et Garat. ad Verr. III, 28. Praecipuum eius munus ex ipso nomine colligi posse videtur, referendi ad senatum, eiusque convocandi, quod quidem eo confirmatur, quod Praetor, senatui provinciali hoc vel illud imperaturus hunc magistratum vel solum, vel cum Quinque-, Decemve-primis evocare solebat, ut hoc loco, et Verr. II, 67. III, 28. alibi. Eodem modo Verres in Graecia *magistratum* Sicyonium nummos poposcit (Verr. I, 17.,) et in Asia Milesium iniuriis affecit. Ibid. c. 34. Si quid publice esset decerniendum, etiam populus vocabatur in concionem. Verr. II, 67.: »Centuripinorum magistratus decrevit, populusque iussit, ut quae statuae C. Verris ipsius et patris et filii essent, eas Quaestores demoliendas locarent: dumque ea demolitio fieret, senatores ne XXX. minus adessent.« Sic etiam in Asia: Verr. I. 27.: »Postridie mane homines in concionem veniunt: quaerunt, quid optimum factu sit: pro se quisque, ut in quoque erat auctoritatis plurimum, ad populum loquebatur.«

3. Censores in singulis Siciliae civitatibus erant bini, de quibus optime ipse Cicero Verr. II, 53.: „Ille enim magistratus apud Siculos, qui diligentissime mandatur a populo, propter hanc caussam, quod omnes Siculi ex censu quotannis tributa conferunt: in censu habendo potestas omnis aestimationis habendae, summaeque faciendae Censori permittitur. Itaque eum po-

pulus, cui maxime fidem suarum rerum habeat, maxima cura deligit, et propter magnitudinem potestatis hic magistratus a populo summa ambitione contenditur. – – – describebat Censores binos in singulas civitates Timarchides.“ Quinto quoque anno Sicilia censebatur (Verr. II, 56.) ex quo coniici fortasse potest, etiam magistratum illum fuisse quinquennalem, in quo si quid Censores commisissent, poenae eos e legibus manebant. Verr. II, 56. *)

Duorum praeterea magistratuum apud Ciceronem fit mentio, Quaestorum et Aedilium. Verr. II, 67. et 55. (ubi vid. Garatonius), quorum idem munus fuisse videtur, quod in urbe Quaestorum et Aedilium Romanorum.

Denique Sacerdotes commemorantur Verr. II, 51. et 52., de quibus cf. intprr. maximeque Diod. Sic. de sacerdote Syracusano ab Hottom. allatus. Nos vero eos, quoniam ad rem nostram non pertinent, praetermittamus.

Cap. X. *De Iudiciis et Quaestionibus.*

1. „Siculi hoc iure sunt, ut quod civis cum cive agat, domi certet suis legibus: quod Siculus cum Siculo non eiusdem civitatis, ut de eo Praetor iudices ex P. Rupilii decreto, quod is de decem Legatorum sententia statuit, quam legem illi Rupiliam vocant, sortiatur. Quod privatus a populo petit, aut populus a privato, senatus ex alique civitate, qui iudicet, datur, cum alternae civitates reiectae sunt. Quod civis Romanus a Siculo petit, Siculus iudex datur: quod Siculus a cive Romano, civis Romanus datur: ceterarum rerum selecti iudices civium Romanorum ex conventu (de quo videantur interpretes, Garatonius praesertim, ad hoc ipsum caput, duobus locis) proponi solent. Inter aratores et decumanos lege frumentaria, quam Hieronicam appellant, iudicia fiant.“ Cic. Verr. II, 13.: Simillima in ceteris provinciis Romanis iudiciorum ratio fuisse videtur. Suo igitur iure utebantur provinciales in litibus duorum pluriumve eiusdem civitatis civium; in reliqua iudicia omnia Praetor dabat iudices; quaestionibus vero ipse praeerat, adhibito civium

*) In Gallia quidem ap. Tac. legimus, Ann. I, 31. coll. II, 6., sub Caesaribus censum a *Romanis* eam in rem missis quolibet certo anno esse actum. Sed ni omnia me fallunt, liberae reipublicae temporibus eodem, quo in Sicilia, certe simili, modo se res habuit. Provincias censas esse a *Procensoribus* sive *Subcensoribus* a Censoribus Romanis missis affirmat L. B. de Theis in Ficto illo Polycleti itinere Gallice scripto, quod Centurio Benicken iure Germanico donavit (Wimar. 1822. 8.) ep. 14. Quod unde habeat, nescio.

Romanorum consilio, quo invito de capite hominum decernere nihil per leges potuisse videtur. Cic. Verr. II, 29.: »Homo (Sopater), quamquam erat et Siculus, et reus (rei capitalis), hoc est, et iure iniquo, et tempore adverso: ferre tamen atque audire diutius Timarchidem non potuit. Facite, inquit, quod vobis libet, daturus non sum amplius; idemque hoc amicis eius et defensoribus videbatur: atque eo etiam magis, quod iste, quoquo modo se in ea quaestione praebebat, tamen in consilio habebat homines honestos e conventu Syracusano, qui Sacerdoti quoque in consilio fuerant tum, cum esset idem hic Sopater absolutus. Hoc rationis habebant, facere eos nullo modo posse, ut eodem crimine, iisdem testibus, Sopatrum condemnarent iidem homines, qui antea absolvissent. etc.“ Cum ea esset Praetori iudiciorum potestas, longiusque multae provinciarum regiones ab ea civitate abessent, in qua ipse domicilium habebat, quam ut omnes facile ad eum venire possent, certae in qualibet provincia constitutae erant civitates, per quas iudiciorum caussa circumiret, sive forum ageret. Huiusmodi civitates in Sicilia erant Syracusae, Lilybaeum, Agrigentum, Panormum, aliae. Cic. Verr. II, 15. et 26. Epp. ad Att. V, 21.

2. Iudicia in provinciis ipsa simillima erant Romanis. Quare pauca tantum de iis addamus. Primum re ad Praetorem delata, reo dica scribebatur, deinde post tricesimum abhinc diem Praetor citato reo et accusatore iudices sortiebatur, quorum nonnulli, quos sibi inimicos putaret reus aut accusator, ab utraque parte reiiciebantur. Verr. II, 15. et 17. Sic Verr. II, 16. Verres his verbis vituperatur: „Quinque iudicibus nulla lege, nullo instituto, nulla religione, nulla sorte, nulla reiectione, ex libidine istius datis, non qui caussam cognoscerent, sed qui quod imperatum esset, iudicarent.“ Ita enim veram lectionem mihi restituisse videor, cum antea verba illa *nulla reiectione* modo omnino deessent, modo legerentur pro *nulla religione*. Nam primum neutrum, neque *nulla religione*, neque *nulla reiectione* potest esse glossema, etsi existimare aliquis possit, verba *nulla religione* esse addita, quibus illustrarentur verba *nulla sorte;* etenim si alterutrum explicationis caussa additum esset putandum, ego verba *nulla sorte* sine ulla dubitatione scholiastae cuidam tribuerem. Sed ea in nullo codice Ms. desunt, neque deesse bene, ut statim videbimus, possunt. Deinde utrumque in optimis legitur codicibus. Denique utrumque necessarium esse videtur. Cicero enim primum ea nominat, quae sequi debet is, qui iudices sortitur, *leges, morem maiorum* (ita enim intelligendum esse videtur

instituti vocabulum), et *religionem*, i. e. *deorum reverentiam*, ut Verr. I, 25.: »et religione adducti, et domesticarum legum metu,« non, ut Ern. et Beckius existimant, iusiurandum, quod iudices praestare debebant; nam si is esset verborum sensus, verba illa ita essent transponenda: *nulla sorte, nulla religione*, quoniam post sortitionem iudices iurabant, et in illa enumeratione aliquid deesse videretur. — *Reiectio* vero omitti non potest vel ideo, quod alioquin numerus oratorius turbaretur, quo sors respondet legi, reiectio instituto, libido religioni, deinde cum maxime ubique in eo Verrem Cicero reprehendat, quod e cohorte et ex arbitrio suo iudices dederit, reiectionemque non concesserit. Non enim reiectio sorte posse contineri videtur, cum non sorte, sed ex arbitrio iudices sorte antea electi ab utraque parte reiicerentur. Facillime autem transpositio illa verborum *nulla reiectione* probatur ei, qui vel semel codicem manu scriptum inspexit, orta ea inde, quod verba illa librarii errore omissa aut in margine, aut inter lineas adscripta sunt. *) — Reis concedebantur, si aderant, *cognitores*, Verr. II, 43., si aberant, *procuratores*. Verr. II, 48., qui caussam eorum agerent. Sequebantur eos in iudicium honoris caussa amici, quos *advocatos* nominarunt. V. Ern. in Cl. s. v. — In lites civium unius eiusdemque civitatis non iudices, sed *arbitri* dati esse videntur: quo in iudicio reus et accusator de certa pecunia convenie-bant, quam numeraret is, qui non staret arbitri sententia. Pecunia illa dicebatur *compromissum*. V. Cic. Verr. II, 27., et Ern. in cl. v. *compromissum*. De tota iudiciorum et quaestionum ratione cf. Sigon. l. l. II, 5. coll. Ern. Clave in vocc.

Cap. XI. *De Vectigalibus, Tributis, Stipendiis et Publicanis.*

1. Duo erant proventus e provinciis genera, alterum certi, incerti alterum. Illud *stipendium* dicebatur a *stipe*: Varro de L. L. IV. p. 1139, 54 sqq. (1074, 39 sqq.): „Hoc ipsum stipendium a stipe dictum, quod aes quoque stipem dicebant. Nam quod asses librae pondo erant, qui acceperant maiorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est, componebant, quo minus loci occuparet, a stipando stipem dicere coeperunt.“ Proprie igitur certam aliquam summam in unum collatam significare videtur. Incertum vero ge-

*) Iudices, ut modo diximus, reiectione facta, ut Romae, ita in provinciis quoque in leges iurabant.

ius *vectigal* vocabatur a *vehendo*, et initio certa aliqua pars earum rerum fuisse videtur, quae aut in urbem aliquam regionemve aut ex ea vendendae vehcrentur; postea vero latiore sensu usurpatum est, ita, ut omnia contineret, quae pro frumenti aliarumque rerum copia singulis annis diversa et incerta pendebantur. Interdum autem latius etiam huius verbi patet significatio, ut omnem e provincia comprehendat proventum, ut Verr. II. 13.: »ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur etc.« — Stipendium e censu pendebatur a provincialibus, unde etiam *tributi* nomen accepit, quamquam non omne tributum stipendium fuisse videtur. »*Tributum* enim, ut ait Varro l. l., dictum a tribubus, quod ea pecunia, quae a populo imperata erat, tributim a singulis pro portione census exigebatur.« Verr. II, 53.: „Omnes Siculi ex censu quotannis tributa conferunt."

2. Vectigalium tria genera erant: *agrorum vectigal, portorium, et scriptura.*

Agrorum vectigalia erant decumae, i. e. decima pars frumenti quod quolibet anno ex agro arabatur, et ea pecunia, quae pendebatur ex agris a Censoribus locatis. Verr. III, 6. Asia enim, quae eo loco ea conditione fuisse dicitur, epp. ad Quintum Fr. I, 1, 11. vectigalis dicitur. Cf. quae supra diximus c. 2. Frumentum autem imperatum, praeter alteras decumas, huc pertinere dubito: potius ad tributa extraordinaria retulerim, Etenim incertum quidem erat, cum eius copia penderet ex annonae in urbe caritate; sed certum quoque, cum certus singulis annis modiorum numerus imperaretur, non spectata frumenti in provinciis abundantia aut penuria. Denique, quamquam certo dicere non possum, utrum ex censu, an e frumenti copia a singulis provincialibus illud collatum sit, verisimilior tamen prior ratio mihi esse videtur. Frumentum autem illud imperatum non gratis dabatur Romanis, sed certo pretio vendebatur. Tria erant frumenti imperati, sive emti, genera: primum alterae decumae, quae sicut primae illae ad vectigalia certo pertinebant, deinde illud frumentum, quod in usum plebis Romanae imperatum civitatibus aequaliter distribuebatur, denique quod Praetori, Quaestori, et Legatis in cellam imperabatur. Pro frumento imperato decumano Praetori ex aerario a Romanis in singulos tritici modios H — S. terni, pro altero frumenti genere H — S. IIII., pro aestimato, sive in cellam imperato, quaterni H — S. in tritici, bini in hordei modios decernebantur, et a publicanorum aliqua societate attribuebantur. Verr. III, 98.: „Hinc cum illae decumae lege et conditione trahantur, alterae novis

institutis propter annonae rationem imperentur, ematur praeterea frumentum quotannis publice, postremo etiam in cellam magistratibus et Legatis imperetur, quid, aut quantum praeterea est, quod aut liberum possit habere ille arator ac dominus in potestate suorum fructuum, aut in ipsis fructibus solutum?« Verr. III, 70.: »Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex S. C. et ex lege Terentia et Cassia, frumentaria. Emundi duo genera fuerunt: unum alterarum decumarum, alterum quod praeterea civitatibus aequaliter esset distributum - - : pretium autem constitutum decumano in modios singulos H—S. terni, imperato H—S. IIII. - - - - Hanc pecuniam tantam, datam tibi ex aerario etc. - - - - cum posita esset pecunia apud eas societates, unde erat attributa etc.« Verr. III, 81.: »Cum ex S. C. et ex legibus frumentum ei in cellam sumere liceret, idque frumentum senatus ita aestimasset, quaternis H—S. tritici modium, binis hordei; iste, numero ad summam tritici adiecto, tritici modios singulos cum aratoribus denariis ternis aestimavit.« Licebat enim magistratibus Romanis frumentum in cellam imperatum quo loco vellent accipere. Verr. III, 82. Quare lucri caussa remotissimos interdum provinciae locos, et eos elegerunt, quibus carissimum esset frumentum, ut quibus imperatum erat frumentum mallent pecunia data implere eam summam, qua opus esset, si quis eo loco, quo imperatum erat, vellet frumentum emere, quam tam procul a domo illud portare. Cf. Verr. III, 82. sqq. Decumarum certam aliquam partem Praetor vendebat, quae quanta fuerit, et qua de caussa vendita, nescio. Verr. III, 16.: »Magno, inquit, decumas vendidi. Quid ais? an tu decumas, homo audacissime atque amentissime, vendidisti? tu partes eas, quas te S. P. Q. R. voluit, an fructus integros, atque adeo bona fortunasque aratorum omnes vendidisti? Si palam praeco iussu tuo praedicasset, non decumas frumenti, sed dimidias venire partes, et ita emptores accessissent, ut ad dimidias partes emendas. Si pluris vendidisses tu dimidias, quam ceteri decumas, cuinam mirum videretur? Quid vero, si praeco decumas pronuntiavit; re vera, hoc est, lege, edicto, conditione plus etiam, quam dimidiae venierunt? tamen hoc tibi praeclarum putabis, te pluris quod non licebat, quam ceteros quod oportebat vendidisse?« *Portorium* erat vicesima eius pecuniae pars, quae aequabat mercium e portu exportatarum pretium. Verr. II, 75.: „His exportationibus, quae recitatae sunt, scribit H - S. LX. socios perdidisse ex vicesima portorii Syracusis. Pauculis igitur mensibus, ut hi pusilli et con-

lemti libelli indicant, furta Praetoris, quae essent H.-S. duodecies, ex uno oppido solo exportata sunt." *Scriptura* est vectigal ex pascuis, i. e. certa pecunia pro singulis pecoribus soluta, ut e Cic. p. leg. Manil. 6., a Manut. ad Verr. II, 70. laudato, apparet. De huius nominis origine, ceterisque, quae huc pertinent, rebus, videatur Ernest. in Cl. ind. Lat. s. v. *scriptura*, et ind. hist. s. v. *Alabarches*, cui addatur Festus l. l. p. 1281, 57. (1211, 20.): „Scriptuarius ager publicus appellatur, in quo ut pecora pascantur certum aes est, quia publicanus scribendo conficit rationem cum pastore." Atque hisce rebus contineri vectigalia, docemur loco, cuius modo mentionem fecimus, Or. p. leg. Manil. c. 6.: „Pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest," collatis iis, quae antecedunt et sequuntur.

3. Lucrum e vectigalibus quaerebant *publicani*, de quibus nonnulla iam afferamus. Magistratus in provinciis Romani cum variis rebus occupati essent, ut, si recte provinciam administrare vellent, aut nihil, aut exiguum certe spatium temporis superesset, equitibus Romanis vectigalium exigendorum cura est commissa, sed cautum in ea re, ne quid aerarium detrimenti caperet. Quotannis enim singula singularum provinciarum vectigalia certo pretio iis locabantur, quod arario erat solvendum, sive plus, sive minus ipsi e vectigalibus acciperent. Ad hanc rem equites Romani in multas discedebant *societates*, quarum aliae decumas, aliae portum, aliae scripturam conducebant, ita, ut universus societatum numerus triplo fere esset maior omnium provinciarum Romanarum numero. Sed interdum tamen una societas duo conduxit vectigalia, ut Verr. II, 70. portum et scripturam. Nobilissimi et quasi senatus publicanorum erant *decumani*, i. e. ea societas, quae decumas conduxerat, quae, si quid publice de rebus publicanorum esset statuendum, convocabatur. Verr. II, 71: „Decumani, hoc est principes et quasi senatores publicanorum, removendas de medio litteras censuerunt." Litterae autem erant non ad ipsos missae, sed ad magistrum et societatem portorii. Cuilibet societati praecrat *magister societatis*, qui ei consuleret. Is modo Romae, modo in provincia habitabat. Romae eos saepe fuisse, apparet e Cic. epp. ad Att. V, 15., quo Romam ad Atticum scribit: „Tu autem saepe dare tabellariis publicanorum (litteras ad me) poteris per magistros scripturae et portus nostrarum dioecesium." et Verr. III, 71.: „Misit (P. Vettius Chilo) in Siciliam lit-

teras ad Carpinatium (qui erat pro magistro Cap. 70.), cum esset magister scripturae et eius societatis publicanorum, quas ego Syracusis apud Carpinatium in litterarum allatarum libris, Romae in litterarum missarum apud magistrum Tullium, familiarem tuum, inveni." Sed interdum eos fuisse in provincia, certissimo argumento comprobari potest. Namque Verr. II, 76. Cic. „Lege," inquit: »excipiuntur tabulae publicanorum, quominus Romam deportentur;" et cap. 74.: „Quaesivi, quod erat inventu facillimum, qui per eosdem annos magistri eius societatis fuissent. Sciebam enim, hanc magistrorum, qui tabulas haberent, consuetudinem esse, ut, cum tabulas novo magistro traderent, exempla litterarum ipsi habere non nollent." Ex quibus consequitur, magistros societatum aliquando habuisse tabulas, quae e provincia deportari non debuerint, ideoque in provincia fuisse.

4. *Pro magistro*, cum magister Romae erat, vicarius aliquis in provincia erat, qui, ut recte animadvertit P. Manut. ad Verr. II, 70., ***operas dare*** dicebatur. Sic epp. ad Div. XIII, 65.: „qui operas in scriptura pro magistro dat;" ad Att. XI, 10.: „operas in portu et scriptura Asiae pro magistro dedit." Sic Verr. II, 70.: „In scriptura Siciliae pro magistro est quidam L. Carpinatius - - - - Canuleius vero, qui in portu Syracusis operas dabat" etc. in quo aperte portus opponitur scripturae, ideoque idem est putandus qui est pro magistro, et qui operas dat publicanis, ita, ut Hottomanni sententia, servum societatis dici dare operas, locum omnino invenire non possit. Quamquam enim, ut Cicero paullo infra docet, tunc eadem societas utrumque vectigal habebat, et ex epp. ad Att. XI, 10. apparet, interdum unum eundemque hominem pro magistro praefuisse et portui et scripturae, tamen raro hoc accidisse videtur, cum tantum plerumque laboris esset in iis administrandis, quae ad unum vectigalium genus pertinebant; ut duobus vectigalibus administrandis, in Sicilia praesertim rarissime unus sufficere potuisse videatur; et Canuleius ille, qui operas dedit, litteras dedisse dicitur ad socios, qui Romae erant, id, quod ceteroquin erat eorum, qui pro magistris erant in provincia. Denique Verr. II, 71. Carpinatius operas dedisse dicitur: „Iste, cum respondisset, se ea libenter fecisse, operasque Carpinatii magnopere laudasset, dat amico suo cuidam negotium" etc. Scribae munere apud publicanos in provincia fungebatur *servus societatis*, qui tabulas eorum publicas confecit. Verr. II, 77., sive is civis Romanus fuerit, ut nonnullis placuit, ut scribae magistratuum in provinciis, quos interdum etiam annulo

donatos leginus, sive, quod ex analogia servorum publicorum verisimilius mihi esse videtur, homo libertinus. Cf. intpp. ad h. l.

5. *Stipendiorum* duo imprimis erant genera. Proprie stipendiarii ii populi dicebantur, quorum ager erat stipendiarius, sive qui certam quotannis, et eandem semper, frumenti copiam conferre debebant, sive multum, sive parum frumenti arassent. Cf. Verr. III, 6. E censu illud esse collatum, per se patere videtur. Praeterea quaelibet civitas in Asia Verr. I, 35. et Sicilia Verr. V, 17., et, ut e c. 24. consequi videtur, omnibus provinciis, certe maritimis, navem quotannis ex pecunia vectigali aedificare, certoque numero nautarum militumque instruere debebat. „Sumtum omnem," inquit Cicero Verr. V, 24., „in classem frumento, stipendio, ceterisque rebus navarcho suo quaeque civitas semper dare solebat. Is neque, ut accusaretur a nautis, committere audebat, et civibus suis rationem referre debebat: in illo omni negotio non modo labore, sed etiam periculo suo versabatur." Ad stipendia haec omnia pertinere, docet ipse Cicero eodem capite verbis statim sequentibus: „Erat hoc, ut dico, factitatum semper, nec solum in Sicilia, sed in omnibus provinciis; etiam in sociorum Latinorum stipendio ac sumtu, tum, cum illorum auxiliis uti solebamus. - - - Iste quod et nautae nomine pro stipendio frumentoque acceperat, lucrabatur." Eodem pertinere videtur Balb. 9.: „Nam et stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, ceteris provinciis, multos civitate donatos videmus." Nulla enim praeter haec a Siculis stipendia data esse reperi. Nam quod Ern. in Cl. s. v. *stipendiarius* ex h. l. conficit, nonnullas Siciliae civitates ita fuisse stipendiarias, ut agros stipendiarios ararent, aperte Verr. III, 6. negari videtur. Ad *tributa* vero eadem illa pertinere ideo videntur, quod quotannis tributa e censu Siculi contulisse dicuntur Verr. II, 53., cum nullius tributi a Siculis *quotannis* collati praeter hoc mentionem invenerim.

6. *Tributa* sensu magis proprio, quo diversa erant a stipendiis, eas continebant pecunias aliasque res, quae extra ordinem civitatibus e censu conferendae imperabantur, ut Verr. III, 42.: „Imacharenses tributum facere coëgisti, ut Apronio darent H - S. XX. millia." Epp. ad Div. III, 7: „Querebare, quod Legatos tributa exigere vetarem," quos locos Ern. affert in Cl. s. v. *tributum*. Eodem pertinere videtur pecunia in statuas Praetoribus collata Verr. II, 58., et coria, cilicia, saga (cf. Graev. ad h. l.) a Verre Proquaestore (Verr. I, 38.) imperata.

XXIV.

Phil. Melanthonis prima adumbratio *locorum theologicorum.* Denuo edidit *Fr. Tr. Friedemann.*

Praefatio Editoris.

Philologum religionis christianae in schola doctorem dedecet nescire doctrinae suae origines. Itaque nemini fere mirum videbitur, si in hac criticarum commentationum sylloge paulum spatii a me impletum viderit dogmatica quaestiuncula, mihi ad indagandum perquam necessaria visa, aliis ad legendum fortasse non iniucunda; praesertim quum testem potissimum et auctorem producam Melanthonem, philologis non solum tanquam philologum commendabilem, sed a summis adeo theologis maximi semper factum. *) Nam quae Lutherus, oratoria usus copia, fusius disserit et contra adversarios tuetur ferocius, breviter, dilucide ac moderate exponit Philippus, ita ut, qui istius fluminis violentia conturbati fuerint, huius fontis limpido haustu tranquillentur ac reficiantur. Cuius rei causa, nisi ego magnopere fallor, quaerenda est in diversa utriusque cum natura, tum studiorum ratione. Alter enim, inde ab ineunte aetate monastica disciplina constrictus et sententiariorum somniis, ut ipse fatetur **), demersus et oppressus, aegre modo ex

---

*) Taceam iudicium *Mori*, viri in paucis eruditi atque humani, quoniam dubium videbitur severioribus iudicibus, quanquam non contempsit in progr. nuper Halae edito P. I. p. 112 sq. *Mich. Weberus*, haud piger pristinae theologicandi rationis defensor, atque ob hunc strenuum veritatis amorem multis ille Sartoriis longe praeferendus. Satis convincent vel impudentissimum infitiatorem testimonia olim a *Mylio* collecta, nuper a me repetita et praefixa Vol. I. nov. ed. oratt. Melanth. a. 1822. p. I - XLVIII.

**) In sermone *de scholis condendis ad senat. totius Germ.* scripto T. I. p. 382. collect. Loml. „Was ist dis alles, denn eitel Kinderspiel, darin die Griechen vorzeiten ihre Kinder zogen? Dadurch doch wundergeschickte Leute aus worden, zu allerlei hernach tüchtig. Ja, wie leid ist mirs itzt, dass ich nicht mehr Poëten und Historien gelesen habe, und mich auch dieselben niemand gelehrt hat. Hab dafür müssen lesen des Teufels Dr..., die Philosophos und Sophisten, mit grosser Kost, Arbeit und Sorgen, dass ich gnug habe dran auszufegen.“ Hunc libellum latine a *Melanthone* (Haganoae s. a. 4to.) redditum, quod demonstravit *Veesenmeyerus* (Litter. Nachr. v. L's Schriften, das Schulwes. betreff. Stuttgart 1819. p. 17 sq.), in delectum orr. Mel. recipere non dubita-

his vinculis, quibus altius evolaturus retineretur, eripere sese potuit. Alter vero, liberiore aura perfruens, melioribus ducibus totius antiquitatis orbem emensus erat, et sic ad has theologicas disciplinas, quae linguarum et historiarum *) opem desiderarent, optime omnium accessit praeparatus atque instructus: quo factum est, ut, quod e gravissimorum philosophorum scholis profecerat, pleraque disputaret et planius et subtilius. Ac ne Lutheri famae quidquam detrahere velle videar, impedit ipsius de se iudicium. **)

Quamobrem non vanus erit promissor, qui Philippum certissimum ac praeclarissimum in rebus divinis dixerit Martini interpretem ac nuncium: non quasi ipse suo ingenio nihil conceperit atque excogitaverit, sed quoniam in tanta vitae et voluntatum coniunctione Lutheri mentem nemo perspexit melius. Illustre huius rei documentum reliquit Melanthon *locis theologicis*, non aliorum auctoritate, sed suo iudicio, conscriptis. In quibus, quod nemo negabit, quum esset fundamentum positum doctrinae evangelicae in rempublicam inductae, et quum Lutherus ipse olim huic libro secundum post sacra scripta locum assignasset, eumque non solum immortalitate, verum etiam canone ecclesiastico dignum censuisset ***), percommode accidit, ut *Au-*

---

bo. Velim tamen scire, quid sit, quod sub *Nic. Selneccari* nomine eadem nescio an alia translatio a. 1579. Lipsiae 8vo. edita et a. 1597 recusa circumfertur.

*) Lutherus in ep. ad Mel. T. I. epp. p. 360. „Vehementer et toto coelo errant, qui philosophiam et naturae cognitionem inutilem putant theologiae.“ Id. l. antea l. p. 370. „Der Teufel roch den Braten wohl; wo die Sprachen hervorkämen, würde sein Reich ein Fach (Loch) gewinnen, das er nicht könnte leicht wieder zustopfen. Weil er nu nicht hat mögen wehren, dass sie hervorkämen, denkt er doch, sie nu also schmal zu halten, dass sie von ihnen selbst wieder sollen vergehen und fallen. Es ist ihm nicht ein lieber Gast damit ins Haus kommen, darum will er ihn auch also speisen, dass er nicht lange solle bleiben. *Diesen bösen Tück sehen unser gar wenig, liebe Herren.*“

**) Luth. Epp. T. I. p. 224. a. 1519. „Superat iste Graeculus nescio quo modo me quoque in ipsa Theologia.“ Serm. Conviv. fol. 24. B. „Philippus ist enger gespannet, denn ich. Ille pugnat et docet. Ich bin mehr ein Rhetoricus oder Wäscher.“ Epp. ad. Budd. p. 120. a. 1530. ad Mel. „Mirum, si etiam antea fui tam verbosus, ut nunc mihi fieri videor.“ Ibid. p. 286. eiusd. a. „Mitto hic sermonem de scholis, scriptum plane Lutheranum, et Lutheri verbositate nihil autorem suum negans, sed plenissime referens. Sic sum.“

***) Vid. testimonia a me l. l. repetita p. XV sq.

gusti, cel. theologus, quippe qui non uno modo vellet bene mereri de commendanda Melanthonis memoria, novam*) editionem nuper curaret, resectis atque in diverticula reiectis consenescentis viri additamentis, ne prima, quam exhibiturus erat, libri forma immutaretur. Ac sapienter quidem hoc institutum est, satisque ita occursum partim suspicioni sincerorum, quales nonnulli sibi videntur, Lutheri asseclarum, partim incorruptorum historiae scrutatorum postulationibus. Verumtamen desiderabunt in ea collectione mecum homines harum rerum studiosi **) primitivam illam locorum theol. descriptionem, in usum auditorum extremis lineamentis a Melanthone adumbratam, antequam plenior disputatio a. 1521 ab ipso in publicum proponeretur.

Et quoniam his nostris temporibus eadem, quae a Melanthone illic tractatur, quaestio de *peccato*, *lege*, *gratia* theologorum ingenia, ora, manus, stomachum etiam, moveat et exerceat, non inutile videtur, primam viri solertissimi sententiam cognoscere, nullis sublimium verborum involucris obscuratam aut spinosis praetextam sepibus. Praeterea, qui contra arrogantiam rationis humanae nescio quam *fidem christianam* a maioribus traditam vel integram defendere, vel novo modo exornare, vel recens detectam propagare nunc allaborant, qualis fuerit Melanthonis ea de re opinio, clarissime intelligent e brevi hac dissertatione. Veniant igitur, qui quibusdam theologis aut religionis revelatae contemtum, aut gentilem impiamque de *fide iustificante* sententiam, aut belluinam rerum divinarum ignorantiam ***) exprobrant, veniant et audiant, quid Melanthon conceptis verbis definiat. †) Quidam enim incorruptae doctrinae vindices eo fere delabuntur, ut in *fide* nihil nisi historicam quandam de Christo opinionem spectare videan-

---

*) Ph. M. loci theol. ad fid. ed. pr. a. 1521 in memoriam iubilaei huius libri tertii denuo ed. et diss. histor. et litter. illustr. *I. C. G. A.* Lips. a. 1821. 8.

**) Cf. quae dixit censor h. l. in Leipz. Litt. Zeit. 1825. m. Iul. No. 186.

***) V. *Niemeyer* in Popul. und prakt. Theol. ed. VI. praef. p. XXXIV sq.

†) Hoc in libello §. XIII. „*Iustitia gentium*, quae in Evangelio *pharisaica*, a Paulo *servitus legis* vocatur, est, qua facimus *externa operum simulacra*, *repugnante affectu*. — *Iustitia christiana* est, qua *ultroneo spiritu ad bona rapimur*, *etiamsi nulla esset lex*.“ Eadem fere plenius et luculentius dicta exstant multis in locis integrae locc. theoll. ed., sed a nostro instituto nunc quidem alienum est, ea investigare.

tur, quod fieri debere diserte*) negant et pernegant emendatorum sacrorum auctores, etsi Lutherus in obtundendis

---

*) Ne quis cupidius me statuere arbitretur petam argumenta mea non e privato quoquam Melanthonis scripto, sed ex eo, quod et Lutheri, et omnium evangelicorum nomine exhibuit adversariis; ac ne inter latinam ac vernaculam linguam quidquam discriminis esse videri possit, utar translatione facta ab Iusto Iona, in Lutheri Opp. ed. Hal. T. XVI. Apol. confess. August. p. 1370. „Der Glaube ist nicht, allein die Historien wissen.“ p. 1384. „Der Glaube ist nicht ein schlecht Erkenntniss der Historien, sondern ein kräftig Werk des Heil. Geistes, das die *Herzen* verändert.“ cf. p. 1388. Id. p. 1393. „Ein jeder Gläubiger fähet an das Gesetz zu halten, und nimmt je länger je mehr zu in Liebe und Furcht Gottes, welches ist recht Gottes Gebot erfüllen. Und wenn *wir* vom Gesetz halten oder von guten Werken reden, begreifen wir beides, *das gute Herz inwendig, und das Werk auswendig*. Darum thun uns die Widersacher unrecht, da sie uns Schuld geben, wir lehren nicht von guten Werken; so wir nicht allein sagen, man müsse gute Werke thun, sondern sagen auch eigentlich, wie das *Herze* müsse dabei seyn, damit es nicht lose, taube, kalte *Heuchelwerk* sey.“ Iam vero longius profectus p. 1398. „Alle menschliche Vernunft und Weisheit kann nicht anders urtheilen, denn dass man durch Gesetze müsse fromm werden, und wer äusserlich das Gesetz halte, der sey heilig und fromm.“ Etenim ad humanam rationem ac sapientiam referebatur externa virtutis species, internus vero sive Dei, sive virtutis, quod perinde est, amor ad animum divino spiritu renovatum ac terrestribus liberatum cupiditatibus. Nam p. 1410. haec sunt: „Wenn jemand die christliche Liebe nachlässet, so ist er, wenn er gleich grossen starken Glauben gehabt, kalt worden, und ist nun wieder fleischlich, ohne Geist und Glauben: denn da ist nicht der Heil. Geist, wo nicht Christliche Liebe ist und andere gute Früchte.“ Idem igitur discrimen hic statuitur inter *humanam rationem* et *divinum spiritum*, quod philosophi et olim et hodie ponunt inter *legitime* facta et *honeste* facta i. e. inter *opera* et *fidem*, sive, ut Cicero loquitur de Offic. I, 14. et epp. ad Att. VIII, 9. inter *ostentationem* et *voluntatem*. — Quam vere dixerim, apparebit ex hoc dicto Melanthonis (in libro: Iudicium Lutheri de Erasmo et Melanthonis de Erasmo et Luthero elogium. (s. l. e. a.) 1522, 4.) quo totius theologiae summam breviter comprehendit: „In rebus theologicis duo potissimum requiruntur, quo nos consolemur adversus mortem et iudicium Dei, quo animum erigamus adversus omnes insidias Satanae, adversus vim portarum inferni. Quae demum vera evangelii et christiana est praedicatio, ignota mundo et omni rationi humanae. Hanc profitetur Lutherus et haec *iustitia cordis* est, quae *postea bona opera* parit. Hanc qui in scripturis intelligendis sequitur, facile intelliget multa mysteria scripturae. Alterum boni mores, civilitas. Hoc fere Erasmus docet; sed et philosophi

adversariorum *opera externa* defendentium clamoribus, quae est rhetorum natura, inscius atque invitus modum subinde transilit a semet ipso constitutum.

Quod autem Melanthon, veteris philosophiae probe gnarus, ethnicorum virtutes adeo deprimit, ut ad speciem et fucatam virtutis opinionem referat, quodcunque bene et praeclare fecerunt pii inter eos viri, factum est magis praepropera iudicii festinatione, quam male dicendi cupiditate, qua flagrant quidam huius saeculi theologi, scilicet qui summam antiquitatem affectant. *) Nam ut concedamus ita fuisse, unde cuiquam innotescere possunt hominum, qui tam diu ante nos vixerunt, intimae cogitationes? Tum vero philosophi certe, quod nunc quidem obscurum esse non potest, postquam recentiore aetate omnes fere eorum rationes in summa luce sunt collocatae **), tan-

---

gentiles docuere. At quid quaeso cum philosophis Christo, aut spiritui Dei cum coeca ratione hominum? Qui hoc unquam sequuti sunt, caritatem quidem docent, sed fidem non docent. Porro nisi ex *fide* dimanet caritas, ea *pharisaica* et *fucus* est, non caritas." Ita in natura verae virtutis describenda, in summo Christianae doctrinae fine constituendo, in regendis et terrestris, et futurae vitae consiliis, in cultu summi numinis curando, in officiis civilis societatis definiendis, et emendatores sacrorum nostrorum et veteres philosophi et omnes omnino theologi, sive rationalistici, sive supernaturalistici, sive qui alio dicuntur nomine, re ipsa concinere mihi videntur, verbis discrepare. Cf. *Wegscheideri* instit. §. 154. 155 160. ed. tert. et *Niemeyeri* Theol. pract. §. 257. p. 483 sqq. et p. 513 sqq. ed. sext.

*) Sic, ut unum afferam, negabant antea, rationis patronos coram populo dicentes posse pios sensus commovere, et quum praeter alios Roehrius non olim solum in templo rurali, sed nunc quoque, in amplissimo loco constitutus, haud mediocri cum fructu ac delectatione audientium et legentium id praestet, quoniam amplius negare non possunt, fieri dicunt partium, quas amplexus fuerit, tacita relictione.

**) Quodsi his pagellis contigerit esse tam felicibus, ut a theologis, qui de coecorum paganorum erroribus sive, ut elegantiores loqui solent, de ethnicismi et christianismi mutua relatione, vel scripserint, vel scripturi sint, vel adeo de suggestu declamaturi, in manus sumantur, oro eos rogoque, velint me meliora docere; hac tamen conditione, non, ut omnium philosophorum ethicen antea pertractent, quoniam eos perhorrescere scio, quanquam viam aperuit *Stäudlinus*, sed ut unum tantummodo, nisi grave est, librum perlegant, a Luthero et Melanthone summopere commendatum. Is est Ciceronis de officiis, nuperrime a *Car. Beiero*, Acad. Lips. Prof., egregie emendatus et illustratus non solum criticae artis ope, sed veteris etiam novaeque philosophiae intima scientia, a 1821.

tum abfuit ut externum virtutis simulacrum commendarent, ut in eo summam impietatem inesse contenderent; et poe-tae apud inferos graviores poenas imposuerunt iis, qui vir-tutem simulassent, quam qui prae se tulissent impieta-tem.*) Actum scilicet est de religionis christianae praestantia, nisi gentilium, qui dicuntur, sapientiam calumniamur.**)

Biennium est, quum, excursione facta in agrum theo-logorum, valde suspecta mihi reddebatur rationalistarum fa-miliaritas, quod nescio cuius coniurationis contra christia-nam religionem factae monstrarentur duces et auctores. Diligentissime igitur mecum explorare coepi impias illas epi-trises et quidquid a coniuratis scriptum exstaret, ut, quo-niam in discrimine et fama et anima mea versaretur, vide-rem: quippe multos libros sceleratissimos vulgo habitos ad-huc ne adspexeram quidem, sed rumores tantum, quan-quam magnos ac crebros, incertos tamen, acceperam. Nam prudentis est, ne decipiatur, videre, et probi viri, ubi de bona existimatione vel infimi homuncionis agitur, non au-ditionibus confidere, sed, antequam ipse quidquam statuat, suis oculis cernere. Idque ut quam accuratissime facerem, non imberbium adolescentulorum aut obstinatorum rixato-rum ieiunae ac frigidae calumniae me permoverunt, sed clarissimae voces hominum quorumdam graviorum, et quos ipsos scirem paulo aliter olim statuisse. Caeterum enim eo paene perveni, ut desierim mirari, quomodo, qui non de-dignantur, in ephemeridibus et quacunque non data, sed ar-repta occasione atram bilem in rationalisticam theologiam evomere, aut integris libellis editis sertoriana rabie opti-morum hominum nomen conscindere, aut tanquam oracu-lis de tripode missis, prae alta sua et ab omnibus errori-bus libera eruditione aliorum ratiunculas, non refellere, sed inique deridere ac pro nihilo ducere, pacifici christiani do-ctoris personam, quam unice affectant, iure suo ac merito

---

*) Plutarch. de sera num. vind. p. 103. ed. Wyttenb. Ὅσοι δὲ πρόσχημα καὶ δόξαν ἀρετῆς περιβαλλόμενοι διαβίωσαι κακίᾳ λαν-θανούσῃ, τούτους ἐπιπόνως καὶ ὀδυνηρῶς ἠνάγκαζον ἕτεροι πεισι-στῶτες ἐκτρίπεσθαι τὰ ἐντὸς ἔξω τῆς ψυχῆς, ἰλυσπωμένους παρὰ φύσιν καὶ ἅμα κάμπτομένους, ὥσπερ αἱ θαλάττιαι σκολόπενδραι καταπίουσαι τὸ ἄγκιστρον ἐκτρίπουσιν ἑαυτάς. Ἐνίους δὲ ἀναδέ-οντες αὐτῶν καὶ ἀναπτύσσοντες ἀπεδείκνυσαν ὑπούλους καὶ ποικί-λους, ἐν τῷ λογιστικῷ καὶ κυρίῳ τὴν μοχθηρίαν ἔχοντας. Cf. Wytt. ad h. l. p. 121 sqq. ed. LB.

**) „Man muss erst *mit* den Alten denken, ehe man über die Quellen ihres religiösen Empfindens und Denkens aburtheilen zu können sich einbildet.“ *Paulus* in Heidelb. Jahrb. d. Litt. a. 1820. m. Decb. p. 1196.

velint obtinere. Neque enim eos magnopere curo, qui, ut cum ratione insanire possint, inconditos clamores edunt, tortuosoque ac perplexo sermone usi omnia miscent ac perturbant; neque magis eos, qui velis obtentis umbracula quaerunt, in quibus tuti lateant, si forte ipsorum opiniones in veritatis lucem protractae fuerint. Illud autem atrocissimum est, quod pessimos quosque cives et perditos rerum divinarum contemtores, nullo discrimine facto, in rationalistarum numerum referre solent.

His igitur scriptis, non levi trutina, sed aurificis statera, iterum iterumque examinatis, nihil tamen reperi, quod abhorreret, non dicam a rei veritate, sed a moderatione hominum, qui ipsi sibi nondum videantur omnem falsam opinionem deposuisse, vel a iudicum lentorum ac consideratorum circumspectione, vel ab animi vere christiani humanitate et iusta infirmarum imbecillarumque mentium patientia. Certe ferociam ac furiosam arrogantiam centaurorum istorum, quorum superior aetas largissimum, haec nostra rariorem habet proventum, a plerisque rationalistis vidi nullo modo nec adiuvari, nec probari, sed potius reprimi atque emendari. Et si cui contra adversarios aliquod vehementius dictum exciderit, nihil tamen erit, quod capite ac fortunis oppugnetur, imo excusabitur istorum protervitate et immani saevitia, quae tanta est, ut, quod non neminem non puduit palam nuper contra Gurlittum profiteri, eductis gladiis, si liceret, suarum opinationum contemtores iugularent.

Itaque quum tot tantaeque undique spargerentur suspiciones, non mediocriter gavisus sum, quod multos coram adeundi mihi data fuerat potestas. At, bone Deus, quam deformarant imaginem falsissimae adversariorum insimulationes. Nam hic modo latratorem finxerant e viro facillimo, modo veteratorem e bono ac simplici, modo acerrimum litigatorem e pacato veritatis amico; illic sciebam pro impio rerum divinarum contemtore esse non solum publicorum sacrorum observantissimum cultorem, sed optimum etiam antiquae religionis ac pietatis exemplar. Quid multa? Tantam apud haud paucos esse intellexeram in re domestica ac familiari honestatem, benignitatem, pudorem, tantam in omni victu cultuque frugalitatem, tantam denique patriae caritatem legumque obedientiam, ut nulla respublica cives meliores utilioresque unquam habere possit.

Quod autem h. l. paucis tantum exposui meam sententiam, cum multae sint causae, tum illa est omnium prima, quod a Wegscheidero, qui quartam parat institutionum suarum dogmaticarum editionem, spero omnes eas

partes accuratius tractatum iri, quas ut hic attingerem et diversorum temporum rationes compararem, Melanthonis suasit auctoritas et summum, quo pollet, ingenium. Ad Wegscheiderum enim potissimum nunc pertinet, eam, quam immortalis ille vir exorsus erat, telam pertexere, partim quod illius exemplo ab inutilibus quaestiunculis theologorum studia revocat ad sanioris doctrinae locos, partim quod, Wittenbergensi academia Halam translata, Halensium quoque est, emendatorum sacrorum memoriam servare, tantaeque rei fructus ad pleniorem maturitatem magis magisque perducere. *)

Quod autem saepius optarunt homines harum litterarum studiosi, ut esset, qui Melanthonis epistolas editas et ineditas uno corpore comprehenderet et ab oblivione tutas praestaret, id brevi effectum iri obiter hic moneo. Nam has partes a Strobelio olim relictas suscepisse audio virum quendam doctum, evangelicae formulae in Curonia doctorem, de cuius consilio plura narraturus sum alio loco.

Restat, ut de ipsa hac, quam repetendam curavi, Melanthonis dissertatione pauca addam. Quum ille in praef. locc. theoll. a. 1521 prioris cuiusdam scripti mentionem iniecisset **), varie inter literatores disceptatum est de prima locorum editione. Contra *Seckendorfium* ***) et *A. Weberum* †), qui a. 1520 eam factam esse dixerant, *Strobelius* ††), diligentissimus harum rerum indagator, qui nullum

---

*) Strenue hoc faciunt cum omnes reliquarum disciplinarum magistri, tum inter theologos potissimum venerabiles senes *Knappius* et *Niemeyerus*, alter Iusti Ionae meritis denuo commendatis, alter praeceptis de populari religionis doctore formando iterum iterumque propositis.

**) „Anno superiore, Paulinam epistolam, quae Romanis inscripta est, enarraturi, communissimos rerum theol. locos, adeoque illius ep. farraginem ceu methodica ratione digessimus. Quae lucubratiuncula, cum in hoc tantum esset parata, ut paulinae disputationis argumentum καὶ ἔλεγχον quam pinguissime iis indicaret, quos privatim edocebamus: tamen nescio a quibus evulgari coepit, quorum mihi, quicunque tandem publicaverunt, studium magis, quam iudicium, probatur; nempe quod ita scripsissem, ut sine Pauli ep. non satis intelligi posset, quid in toto opere secutus essem. Nunc quia mihi non est in manu, libellum propemodum publici iuris factum premere: visum est recognoscere ac sub incudem revocare."

***) Hist. Luther. Suppl. ad Ind. pr. §. 48.

†) Progr. de prima locc. Mel. ed. Kilon. 1770.

††) Versuch e. Litterargesch. v. Mel's locis theol. als dem ersten evangel. Lehrb. (Altd. u. Norimb. 1776.) p. 18 sq. Cf. *Augusti* in ed. locc. p. 168 sq.

exemplum hoc anno vulgatum vel ipse adspexisset, vel ab aliis reperisset commemoratum, negavit librum ante a. 1521 typis excusum fuisse, et manu scriptum *) modo inter amicos circumlatum suspicatus est. **) Ac recte quidem hoc eum fecisse, tum ex singulis Melanthonis verbis apparet, tum res ipsa postea docuit. Nam *Kohlius* primam hanc operis adumbrationem, quam ipsius Melanthonis manu scriptam possidebat, a. 1752 ***) ediderat, atque e rarissimo libello a. 1794 repetiit *Strobelius* †), quem equidem secutus sum.

---

*) Ita nescio hanc ipsam adumbrationem an epitomen locorum editorum modo in audientium usum factam dicat Melanthon in brevi illa methodo de libris sacris legendis scripta, a Strobelio in lib. von Mel's Verdienst. um d. Heil. Schrift, in memoriam hominum revocata, ubi p. 138 sq. haec leguntur: „Instituendus est et libellus articulorum fidei — hic paene similis erit locis communibus, sed tantum breviter debet tenere sententias, quae probant articulos seu dogmata, *sicut ego institui enchiridion, cuius exemplum ab his, qui audiverunt, petere potes.*“ Vix enim crediderim, designari h. l. Dispositionem orationis in Ep. Pauli ad Rom., utpote iam antea a. 1529. editam.

**) Confirmatus est potissimum epistola a Mel. ad *Io. Hessium* data d. 27. Apr. 1520. L. III. p. 217. „Obeliscorum opus crescit mire. Nam non, ut coeperam, annotationes, sed locos communes scripturus sum de legibus, de peccato, de gratia, de sacramentis, deque aliis mysteriis. Secutus sum rhetorum consilium, qui locis communibus comprehendere artes iubent.“ Ad eundem Tom. Lugd. p. 330. „Pauli ad Rom. adhuc enarro, nunc tractans cap. X. Methodum, quam pollicitus sum in hanc aestatem, ut spero, edam.“ p. 331. „Mea methodus nunc excuditur. Ideo mittemus auctiorem, quam scripta quondam fuerat.“

***) Gesammelter Briefwechsel über die annoch strittige curiöse Frage, ob vor der Ausg. d. locc. Mel. v. J. 1521 eine andere, von ihm unterdrückte vorhergegangen; nebst dem Originalabdruck derj. Schrift, welche eben dies. v. Mel. unterdruckte lucubratiuncula zu seyn gemuthmasset wird, deren er selbst in der Vorr. zu s. Ausg. v. 1521 gedenket. Hamburgi, 1752. 8. ap. N. C Wörner. 9 1/4 plagg.

†) In: Neue Beitr. z. Litterat. bes. d. 16. Jahrh. Vol. V. P. 2. p. 323 - 344.

Ph. Mel. theologica institutio in ep. Pauli ad Rom.

Inter locos theologicos de Deo, uno, trino, Creatore, Homine, Peccato, lege, Verbi incarnatione, gratia, Sacramentis, ecclesia, clavibus, hominum potestate et conditionibus vel praecipui sunt, et qui nostra maxime referunt, *Peccatum, Lex, Gratia,* ut reliqui magis curiosas, quam utiles disputationes contineant. Nam tribus his summa iustificationis nostrae comprehenditur, de qua tam varie multa nugati sunt Philosophi, ut vel ex tam variantibus sententiis constare potuerit, tenebras et mendacia esse universam philosophiam. Ut praeteream, rem ipsam satis coarguere, *την διάλεξιν φιλοσόφου* inefficacem esse ad immutanda hominum pectora, ad instauraudos hominum affectus. Hi vero loci potissimum a Paulo in hac tractantur epistola. *Εἰσαγωγαὶ εἰς ἐπιστολήν.*

Loci, ut opinor, epistolae tres sunt. Primus de iustificatione, secundus de praedestinatione, et vocatione gentium, tertius mores format.

I. In primo est difficultatis. Sive enim contentio de legalibus, circumcisione, et aliis ceremoniis, sive qua alia causa scribendae Epistolae Paulo occasio fuerit, certe constat, Paulum in hac epistola de lege morum loqui potissimum, et non modo de operibus ceremoniarum, sed *περὶ ἠθικῶν* maxime; nec de fide tantum, hoc est, historica opinione de Christo, sed de fide iustificante. Proinde falluntur, qui huius scopum epistolae ponunt ceremonias tantum, et legem, quatenus de ceremoniis praecipit.

II. Apparet autem, voluisse hac epistola Paulum orbi Christum et gratiam Christi proponere, ut exacta quadam disputatione recte cognosceretur Christus esse auctor iustitiae nostrae.

III. Omnes homines censemus pro naturalis rationis consilio satius esse cum virtute vivere, quam inter tot vitia. Verum in nobis deprehendimus amorem quendam ad vitia, talem, qui efficit, ut per illum nobis bene sit in vitiis, in virtute non item. Pugnat ergo semper cum cupiditate naturae conscientia nostra, quae, quanquam videat, quid bonum, rectum, pium sit, tamen non adsequitur. Haec cum viderent gentes, iustitiae, sive perfectae virtutis, rationem varie praescribebant. Alius virtutem natura, alius assuetudine, alius aliter comparari censuit. Deinde, quum statuissent, virtutem comparari assuetudine, videbant, non tam dulcem esse, quam est vitium. Eam suavitatem quomodo insererent hominum animis, certatum est. Plato in secundo de legibus in perfecta virtute

censet esse felicitatem non posse, nisi eadem iucunda sit, non esse beatitudinem, nisi satietur per omnia animus hominis. Ubi quid amarum, subtriste, difficile, morosum incidat, ad beatitudinem non pertinere, sed tamen in virtute iucundum non statuit. Proinde palam est, a gentibus eam iustitiae formam ignoratam esse, quae et solida et constans esset, et ex animo ita bearet nos, quo iucundius esset bene vivere, ac secundum virtutem, quam laxare naturae cupiditatibus frenum. Et constat, hoc ipsum fateri Platonem.

Iam vero Iudaei iustitiam comparare se arbitrabantur vulgo, si fecissent legis opera. Verum nulla eiusmodi sunt opera, tamque efficacia, quo intimam pectorum nostrorum propensionem mutare queant. Adhuc inter tot opera scaturiebat animus affectibus vitiosis, adhuc iniucundum erat legis onus, adhuc quisque malebat sua defungi libertate, hoc est, malebat naturae cupiditates explere, et perinde ut saxum, si sursum aut volvas aut iactes, non mutat propensionem ac impetum naturae suae, quo deorsum rapitur, ita nullis externis operibus animus purgatur. Et fit, ut non possimus non mendaces esse, quando repugnat affectus animi operi. Christus vero mortuus est propter iustificationem nostram. Passim Prophetae optant, ut in terras pluat Deus iustitiam. Quod est anxium votum piarum mentium, quae, cum ipsae se condemnent, et plane sentiant adsequi non posse, quod affectant, suspirant, ut suppeditet Deus spiritum purgantem, illustrantem, iustificantem praeterea per Christum. Deus enim in terras *χριστὸν* misit, qui morte sua et satisfaceret pro delictis nostris, et emereretur spiritum iustificantem, hoc est, innovantem affectus nostros, et qui intimam propensionem peccati mutet, ut, ipsum qui crederent esse auctorem iustitiae, illorum peccata abolerentur, iis spiritus iustitiae daretur. Hunc Christum iustitiae nostrae proponit oculis nostris Paulus. O ingens beneficium! Sic agnoscere *χριστὸν*, ut, si premaris lege, conscientia delictorum hic auferat onus, suis humeris imponat, si sitias iustitiam, hic subministret. O felices, quibus datum est, ita novisse Christum! O insaniam! O tenebras! aliunde solari tristem conscientiam, aliunde sperare iustitiam, et absolutam virtutem, quam a Christo!

IV. Dicis: Cur non adsequimur iustitiam nostris viribus? Propter peccatum originale. Peccatum originale est genuinus ardor, impetus, raptus, quo trahimur ad vitia. Sicut in igne raptus est, quo sursum fertur, ita in homine ad peccatum. Sicut in Genesi octavo capite edi-

cit *Dominus*: „sensus et cogitatio prava hominis est ad malum ab adolescentia.« Nam quia Deus spiritu et luce sua, hoc est iustitia originali, nos spoliavit, rapimur in nos et nostra, incipimus summo amore complecti vitam et quidquid vitae iucundum est, denique nobis ipsis beari volumus. Quo fit, ut nihil aeque ac mors odio sit; ut omnes vitae illecebrae iucundae sint, ut adversetur cupiditas, si quid iubetur a ratione diversum; hinc odium legis est; inde et servilis metus, inde omnium affectuum perniciosorum materies. Haec enim cupiditas eximi nostris viribus non potest, perinde ut homo excitare ipse sese mortuum non potest. Et satis deprehendimus usu, quod amamus ardenter, ab eo nos nostra sponte avertere animos non posse, quum iubet ratio. Semper autem amamus nos, semper mortem odimus, semper ipsi nos nobis beari volumus. Haec cupiditas et voluntas sit libera.

V. Voluntas potest comparari vel ad praedestinationem; sic nullo modo est libera, sed huius sublimior est ratio, quam ut a nobis comprehendi queat: aut sua tantum natura consideratur: tum ad affectus, non est libera, et sicut affectus est operis externi pondus, ita membra secum rapit, si coeperit paulo vehementius saevire, ita nec in externis operibus erit aliqua libertas. Verum simpliciter comparata ad opus externum est libera, sic, ut perinde ac intellectus non potest inter contradictorias nisi uni adsentiri, et tamen utramque concipere, sic voluntas affectu in aliqua re haeret, potest autem diversum externis membris imperare. Verum prout altera contradictionis pars mendacium est, ita opus externum, quod fit repugnante animi affectu. O hypocrisis operum, qua nos iustificamur impii!

VI. Lex est sententia vel divinitus promulgata, vel ostensa ratione naturali, qua iubentur recta. Et hanc Paulus operum legem vocat, quod opera mandat, eademque Paulo littera dicitur, hoc est, sententia inefficax, quae id ipsum non praestat, quod mandat. Neque enim Tarquinium, quia ratio monet, ut a parricidio manus, ab impio soceri odio animum temperet, necesse fuit obsequi, immo ne potuit quidem. Lex enim est inefficax cogitatio, affectus autem est vita animae, adeo ut lege vinci aut expelli non possit. Vim legis probe intelligere qui volet, omnino comparet cum affectu cogitationem. Neque quisquam tam stolidus est, qui non intelligat, cogitationem affectu vinci. Aut quae proposita, quae rationis nostrae dictamina id praestant, ut προπαθείας primos motus eludamus? Et fieri non potest, quin ex προπαθείᾳ citius πάθος, affectus integer, fiat, quam tu ratione occu-

paveris. Res ipsa usu deprehenditur, adeo ut palam constet, hac quoque parte a Philosophis erratum esse, qui perfectam virtutem in nobis per nostra dictamina innasci censuerint. Et sunt in Scholasticis, qui in bono opere gratiae locum non relinquant.

Deinde postquam deliqueris, lex quid praestat? Mille conscientiae flagra. Quis est enim, qui nesciat, delictum non tolli lege, aut operibus sequentibus, quantumvis bonis! semper manet infirma, tristis conscientia; manet odium legis, legislatoris, e dulci nomine Dei fit nomen carnificis, vindicis, et si quid his asperius est. Propterea Paulus ait, legem iram operari, et litteram occidere.

VII. Poteris autem bifariam exponere has sententias, legem virtutem peccati esse, litteram occidere, legem iram operari. Primum quod lex adeo non praestet vitare peccatum, ut magis irritet ad peccandum. Quia enim concupiscentia in diversum rapitur, magis eam accendi sentimus, legis freno iniecto, vel a lege promoveri, ut metu servilia opera et mendacia faciamus. Ceterum cupiditate alio rapi, Paulus in VII Capite ad Rom. in hanc sententiam a lege seductum se esse significat. Deinde quod lex, postquam peccatum est, conturbet conscientiam, odium Dei et metum poenae nobis incutiat, per quae non potest homo non desperare, sicut fere semper de lege loquitur scriptura, legem esse nuncium irae, exactorem et similia. Littera Paulo significat, quidquid extra gratiam est.

VIII. Gratia, quam et spiritum vocat Paulus, est spiritus, quo illustramur, purgamur, impellimur ad bona. Gratiam cum lege comparabis, ut cum cogitatione affectum. Proinde ut omnium animantium vita affectus est, omnia animantia sua quadam sponte pro suo affectu ad quiddam rapiuntur, sic homo secundum naturam rapitur ad mala, quia nemo venit ad me etc. Et hic raptus, ut vitae hominis est, ita omni cogitatione potentior. Nam et ad multa citra ipsorum cogitationem rapimur. Sic oportet contrarium quendam affectum in pectoribus nostris creari, quo nostra sponte, etiamsi nulla esset lex, ad bona rapiamur. Hic affectus meritus est per Christum, et gratia dicitur. Ita verum est, iusto legem non esse positam, id est, eiusmodi iustus, quia sua ipse sponte et ultro facturus bona sit, et ad bona rapiatur, etiamsi nulla unquam lex prodita esset.

Gratiae partes: Fides, adsensus constans verbi divini, et hac illuminamur et Deus nobis ostenditur. Caritas, amor Dei et proximi, odium sui. Spes, affectus, qui maxime in adversis declaratur, eoque Deo confidi-

ius, per ipsius bonitatem servari. Ex amore spem asci manifestum est. Nam quia Deo potiri hic non cet integre, quem amamus, speramus potituros pleius alias. Complectitur spes quoddam fastidium vitae rerum humanarum. His adiunge fructus spiritus apud aulum in Galatis, qui opera gratiae sunt.

IX. Hac gratia iustificati sunt, quotquot praedestiati sunt: Cum patres ante χριστὸν incarnatum, alius alio anifestiore de Christo revelatione, sed omnes fide veniri; tum ii, qui post Christum iustificati sunt.

X. Familiaris Paulo tropus est, ex fide iustificari os, quod vulgo sic intelligunt, fidem esse quoddam, quod igitur, praeter reliqua opera. Ut: esto! Cato fuerit r omnia integer ac probus, tamen quia non credidit, on fuit omnino iustus et acceptus Deo. Tale quiddam Abraham est apud D. Hieronymum. Sed hoc longe lli constat. Haec vero sententia Pauli est: Ex fide iuificari, id est, nullum opus tam bonum, tam splendidum se, quod affectus genuinos mutare queat, sed eo ipso, uod credimus, Christum autorem iustitiae nostrae, et ploramus nomen eius, ipse subinde novos affectus supeditat; fides compellit, ut invocemus. Invocatio impetat auxilium, non quod gratiae pars non sit et fides, sed uod fides est primum gratiae beneficium, et iustificatio on semel tota in nobis absolvitur, sed subinde affectus utantur et purgantur. Ita nullum opus tantum est, uo mors vinci possit, atque adeo quo beari possimus. roinde fide beamur, hoc est, quia creditur Christo, quia ipsum nos reiecimus, ipse ineluctabilem vim mortis terimit et enecat.

XI. Ex fide est iustitia: ad duo pertinet. Ad impeandum spiritum, perseverantem et innovantem et inaurantem nos. Deinde et ad conscientiam tranquillanam et abolendum peccatum praeteritum. Primum si ntis infirmiorem, quam ut affectibus repugnare queas, ce nullis operibus exemeris πάθημα, sed solo spiritu urgaberis, si Christum invocaveris et imploraveris. Sic ropheta: „Fortitudo mea et laus mea Dominus, et fatus est mihi in salutem.“ Sic Christus Matth. XI.: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis!“ Deinde cum delictum fuerit, nullis operibus tranquillais conscientiam, sed sola et pura fide in Christ umpaceris, qua credis, iniquitates nostras ipsum tulisse. Illa onfessio est; super quam ecclesia fundata est, contra anc portae inferorum non praevalebunt.

XII. Gratia non semel abolet peccatum, sed sub-

inde expurgat, 7 et 8 Rom. ad mortem usque. Proinde quoad vivimus, semper peccatores sumus, semper in nobis sunt veteres reliquiae veteris hominis, donec, abolita carne, tam iucunda sit lex Dei, quam est concupiscentia peccati. Sic intellige Psal. 1. »in lege Domini delitiae eius.«

XIII. Discrimen iustitiae gentium et christianae. Iustitia gentium, quae in Evangelio pharisaica, a Paulo iustitia, seu servitus legis, vocatur, est, qua facimus externa operum simulachra, repugnante affectu. Facimus autem vel affectu commodi vel servili metu. In hac iustitia primum virtus non est iucunda et facilis. Deinde impossibile, ut, quamdiu in nobis est amor nostri, et metus eorum, quae nobis adversantur, quin multa vitia insideant. Amor nostri radix omnis mali est. Iam et hominem in fiduciam sui vanam ducit. Postremo neque cum affectibus repugnantibus dimicare potest. Quare si saevire coeperit affectus, iam neque externa opera caveri poterunt.

Iustitia christiana est, qua ultroneo spiritu ad bona rapimur, etiamsi nulla esset lex. Primum haec humiliat et tollit fiduciam nostri, neque quidquam sui agnoscit. Deinde et facilius est; postremo adfectuum compos est, quin semper ex oculis *χριστοῦ* pendet. Deinde, in hac quod deest, confidimus non imputari propter Christi meritum.

Denique discrimen operosae iustitiae et fidei mors declarabit. Ubi nihil operum, nihil conatuum nostrorum tantum erit, quod cum morte congredi possit. Breviter, pharisaica iustitia non est iustitia, sed mendax operum species, nec immutari ab ullo aut aliquo modo corda possunt, nisi ab eo, qui condidit. Hierem. XIII. „An mutare potest *αἰθίοψ* pellem suam? aut pardus varietates suas? et vos poteritis facere bonum, cum didiceritis malum?« Insuper et omnis operum et bonorum huius vitae iustitia, nec peccatum, nec infernum, neque mortem vincit, et servari oportet nos sola verbi fide, cui incorporati et insiti sumus, Christo victore et nos victuros.

Ecce quid fides? Unicus portus, unicum praesidium, unica anchora, unicum vallum. Omnibus dubiis rebus nostris sola fides onus legis et peccati elevat, sola fides nostras conscientias tranquillat, sola fides mortem vincit et infernum. Crede Christo, invoca Christum per fidem, iam spiritus iustificator et purgator adest. Iam pax datur conscientiae, iam mortis cedit horror, iam infernominae clausae sunt. Qui enim credit Christo, mortem non videbit

Haec fere primo loco mihi a Paulo agi videntur, de quibus si quis rectiora sentit, minime molestum fuerit sequi et caetera.

Secundus locus praedestinationis est, de qua praeter ea, quae paucis verbis Paulus dixit, nihil potest hominis alla ratio, ullum ingenium. Vide ad haec VI. Ioa. caput.

Tertius locus morum totus est, ubi regulam hanc observa: omnium indifferentium operum regulam charitatem esse.

Pauli ad Romanos epistolae summa.

Status caussae. Iustitia ex fide sine operibus et nullum opus potest affectum mutare, sed sola fides impetrat ustitiam, hoc est, innovationem nostri. Oratio est genesis iudicialis, habet exordium, narrationem, confirmationem, apte composita.

Inscriptio: Paulus servus Iesu Christi etc. In ea inscriptione observabis, quid servitus legis? Servitus Christi? Quid lex? Quid Evangelium?

Exordium. Primum quidem gratias ago Deo meo tc. Secundo locos habet benevolentiae aptos a principio. Deinde sequitur attentio: Non enim erubesco. Evangelium res minime pudenda est, at res pudenda est lex, uae non efficit, quod imperat. Evangelium res minime udenda, nempe efficax ad iustificationem, quia evangelium est virtus Dei, et est, quo Deus iustificat.

Narratio. Revelatur enim ira Dei de coelo super mnem impietatem. Consilium narrationis est: quandouidem volebat Paulus praescribere fontem et anchoram ustitiae tam gentibus quam Iudaeis, recte inde coepit, et entibus et Iudaeis legem fuisse, illis naturalem, his etiam ivinam, sed neque gentibus, neque Iudaeis profuisse leem ad opprimendos affectus, quin omnes senserint reugnantes legi affectus, non adsequi se, quod lex praecribit. Summa vero narrationis constat his axiomatis: entes habuerunt legem naturae. Gentes etsi legem naurae habuerint, tamen peccarunt. Omnes itaque peccrunt, id est, et gentes et Iudaei, nec sunt adiuti lege, uo minus peccarent. Iustitia vero est per Christum, nec llis comparatur operibus. Hanc narrationem Paulus exndit ad caput usque quartum, et miscet ei aliquot digressiones, quas nisi quis observet, non facile putem adecuturum disputationis filum. Prima digressio est a rincipio Cap. secundi: propter quod excusabilis est etc. sque ad dimidium eius capitis: ecce autem tu Iudaeus gnominaris etc. Secunda digressio a principio Cap.

tertii usque ad hunc locum: causati sumus Iudaeos et Graecos omnes sub peccato esse.

Confirmatio, quae in capite quarto est, argumenta habet sex. Abraham fide iustificatus est, non operibus: igitur nec nos iustificamur nisi fide, nempe filii Abrahae. David dicit, beatitudinem per non imputationem peccati esse, ergo non est ex operibus. Per legem non est promissio, et iustificatio fuit ante legem Mosaicam: ergo iustificatio non est ex legis operibus. Si ex lege haereditas est, si sufficit lex ad iustificationem, frustra est promissio Christi, et si ex nobis est, non egemus Christo. Lex iram operatur, ergo non conciliat; lex facit odium Dei, ergo non amorem.

Post haec in quarto capite sequitur amplificatio, qua ad gentes causam detorquet. Principio quinti capitis est exhortatio ad fidendum Christo. Post in eodem capite, ubi dicit: praeterea sicut per unum hominem peccatum etc. ibi locum auspicatur seiunctum prorsus a superioribus, quo comparat peccatum, gratiam, legem, et est didacticus locus, quo, quid, et unde peccatum, gratia et lex sit, docet. Summa est haec: Per Adam est peccatum. Per peccatum mors. Peceatum etiam ante legem Mosaicam erat, sed non cognoscebatur. Per Christum est gratia. Per gratiam vita. Per legem abundat peccatum, ut peccato agnito superabundet et gratia. Ergone lex est causa peccati? Respond. non. Lex bona est. Nos mali. Re bona male utimur, ut frenum est equo causa saeviendi, per se ipsum non saevit.

Haec a fine quinti capitis usque ad locum septimi tractantur: scimus autem, quod lex spiritualis et ego carnalis sum. Totum vero sextum caput cum principio septimi usque ad locum — quid ergo dicemus? lex peccatum est? digressio est, et continet moralem disputationem et discrimen regni peccati, legis et gratiae. Non esse nos sub lege, sed sub gratia: et is locus arbitrii libertatem tollit. A septimi parte: scimus, quod lex spiritualis est, usque ad partem octavi: ergo fratres debitores sumus, non carni. Tantas vires esse peccato, ut etiam in se ipso Paulo adhuc legi repugnet. Sed subinde expurgari. Ceterum ab impossibilitate liberatum esse, et antea quam in Christo quis sit, impossibile esse aliquid legis facere, impossibile legem facere extra Christum.

Reliqua usque ad IX. Cap. adhortatoria sunt et consolationis quaedam. Cap. IX. praedestinationem et vocationem gentium continet. C. X. comparationem iustitiae fidei et iustitiae pharisaicae, Cap. XI. adhortationem. Reliqua moralia sunt.

XXV.

Fr. Iacobsii Additamenta nonnulla ad *Varias Lectiones* in quaedam minora *Libanii Sophistae* Scripta.

(cf. Miscell. crit. Vol. I. P. IV. p. 638.)

In ἠθοποιΐᾳ de *Meretrice ad frugem redeunte* T. IV. . 1044. in verbis, ἔτι περιπλεκομένη τὸν δεῖνα, τὸν πλησίον θήρευον, ἀπέσκωπτον τῷ γείτονι ψιθυρίζουσα. aliquid ad ensus integritatem videtur desiderari. Fortasse legenlum: ἀπέσκωπτον τὸν γείτονα τῷ γείτονι ψιθυρίζουσα. — Paulo post verba, νόμῳ ἐν τῷ λιβάνῳ θήσω, et quae sequuntur usque ad finem, emendare sum conatus ad Anhol. Pal. p. 864. Ultima, τάχα τῶν ἑτέρων ἀνέλω τὸ πικρὸν ργαστήριον, sic scribenda videntur cum Cod. Palat.: τῶν ταιρῶν ἀνελῶ τὸ πικρὸν ἐργαστήριον. quod non satis video, ötherus cur improbet. De ἀνελῶ saltem quin verum it, dubitari non potest. - In eadem ἠθοποιΐᾳ obscuriora unt verba, ἥρπαζον τὸ ῥόδον, et fortasse sic accipienda, ut neretrix dicat, se pulchritudinis, nimis cito marcescentis, ructum propere rapuisse. Rosa enim Pulchritudinis ceeriter pereuntis imago. *Philostrat.* Ep. XXXIV. p. 928. ῥόνον οὔτε Ἔρως, οὔτε ῥόδα οἶδεν. - μαραίνεται καὶ γυνὴ ετὰ ῥόδων, ἂν βραδύνῃ.

In altera ἠθοποιΐᾳ de Achille T. IV. p. 1026. pessime ulgo: κατ' ἐκείνης πέμπων τὴν βολὴν ἐξετόξευον. Cod. Pal. ὴν βολὴν ἐπεζευόμην ἐγώ. unde corrigendum: ἐτοξευόμην γώ. *illam telis petens, ipse telo sum percussus.* - In erbis, quae sequuntur: οὐκ ἤδειν δὲ ὡς κατ' Ἄρεος ὁρμῶν Ἀφροδίτην εὑρήσω. idem Cod. χωρμῶν. cogitante librario ortasse de χωρῶν, quod infesti impetus significationem abet, ut in ὁμόσε χωρεῖν. - In proximis: ὦ πᾶσιν Ἔρως ολεμιώτατος, εἶχες Ἀχιλλέα δι' ἀψύχου σώματος. verissime od. εἶλες, ut ipse olim emendavi. - Notavi quaedam de orum verborum permutatione ad Anth. Pal. p. 371. et nte hos triginta quatuor annos, admodum iuvenis, in nimadvv. ad Eurip. p. 44. ubi in loco Euripideo: ύραννον, εἶναι μωρία δὲ καὶ θέλειν. recte emendavi: τύραννον εἶναι μωρία· Δίκη θ' ἑλεῖ Ὅς τῶν ὁμοίων βούλεται κρατεῖν μόνος. in quod, nostra ignorans, incidit etiam Vir Cl. i Quaest. Philol. Spec. novo, a. 1804 edito, p. 21. 5. - pud *Libanium* in verbis, ἐκάλυπτεν ἡ σκηνὴ τὴν εὐπρέειαν, erat quum de σκευῇ cogitarem, sed σκηνῇ accipi osse videtur de *apparatu* armorum corporis venustatem ccultantium. Hac fere vi *Synesius* p. 14. C. ἡ περὶ τὸ ασιλικὸν σῶμα σκηνὴ καὶ θεραπεία. pro simulatione usur-

pavit *Theodor. Prodrom.* de Amor. p. 442. *περιείλετο τὴν σκηνήν.* De peristromate lecto tegendo inserviente idem vocabulum illustravit *Locella* ad *Xenoph. Ephes.* p. 154. s. — Paulo post p. 1027. 1. verissime liber Palatinus: *ὡς πολεμία τὴν παροῦσαν ἀριστείαν νενίκηκεν.* ubi ὡς exclamationi inservit, ut in praecedentibus *οἵας.*

In proxima *ἐκφράσει* p. 1047. 12. pro *ὡς ἀνήλωτο τὰ βέλη.* Cod. Pal. *ἀνάλωτα.* i. e. *ἀνάλωτο*, quod probandum. V. VV. DD. ad *Thom. Mag.* p. 55. — Vitium verborum *καὶ δρασμὸς πολὺς* tollere sum conatus ad *Achill. Tat.* p. 569. *δορατισμὸς* scribens, quod narratio ipsa rerumque contextus postulat. — Mox in verbis, *ἐπεὶ δὲ οὐ τούτοις ἦν ἔτι χρῆσθαι*, mallem *οὐδὲ τούτοις.* — In proximis Cod. Pal. *καὶ τούτῳ μὲν ἀπεκόπη χείρ, τῷ δ' ὀφθαλμὸς ἐξεκόπη.* quod facile praetulerim vulgatae, *καὶ τῷ μέν*, ad vulgarem dicendi usum accommodatae. V. *Herm.* ad *Vig.* p. 701. 14. 702. 15. *Erfurdt* ad *Soph.* Antig. v. 61. ed. min. — P. 1048. 3. *τῷ δὲ οὐδὲν ἔμελλε χρημάτων.* nihil e cod. enotatum. Sed vere procul dubio *Reiskius*, *ἔμελε.*

In Declamatione Morosi T. IV. p. 148. 2. *ἀπρόσοδον καλοῦντας, ἀγέλαστον ὀνομάζοντας.* vocabulum *ἀπρόσοδον*, quamvis a Lexicographis praetermissum, non tamen propterea permutandum cum *ἀπρόσδεκτον.* Nihil enim discrepat a *δυσπρόσοδος*, quod compositum optimorum scriptorum usus tuetur, nec ab *εὔπροσοδος*, quod nec ipsum, quod sciam, in suspicionem est vocatum. — P. 148. 5. *λέγουσα* nec tollendum videtur, nec cum *λαλοῦσα* permutandum. Uxor, morosus ait, me de tribunali redeuntem veste prehenderet, retraheret, ad se converteret, tandem, quod omnium pessimum scilicet, *verba quoque faceret.* Nostro enim *μισολόγῳ* quivis sermo molestus. Quare qui *λαλοῦσα* reponere velit, vereor ne loci vim et venustatem imminuat.

Hac occasione oblata, addam nonnulla ad proximam Declamationem de Parasito, adscriptis praesertim lectionibus Cod. Mon. XCVI. a *Reiskio* praetermissis. P. 150. 5. *τί γάρ ἐστί μοι βιωτὸν εὐωχίας παντελοῦς ἐκπεπτωκότι;* Cod. *τὶ γὰρ ἔτι μοι β.* quod praetulerim. — l. 11. *ᾧ καὶ πρῶτα τυγχάνειν καὶ τοῖς ἄλλοις ἐξηγεῖσθαι τὰ τοιαῦτα σύνηθες ἦν.* Cod. *ᾧ καὶ πρώτῳ.* i. e. *πρώτῳ* P. 151. 3. *ὅταν ἐπιλείπωσι μὲν οἱ δειπνίζοντες.* Cod. *ἐπιλίπωσι.* l. 16. *τὸ δυστύχημα συμβέβηκε χαλεπώτερον.* Cod. *χαλεπῶτερον συμβέβηκε.* l. 19. *οὐκ οἶδ' ὅ τι πρῶτον ὀδύρομαι.* Cod. *ὁδύρωμαι.* l. 20. *ὀδύρεσθαι τὰ δάκρυα.* Cod. *μοι* inserit ante articulum. Verba *μᾶλλον δὲ... δάκρυα* pro *παρεσθέτοις* accipienda, verbis *πότερον κ. τ. λ.* cohaerentibus cum *οὐκ οἶδ' ὅ τι πρῶτον* — l. 28. *εἰπεῖν*

ἄνωθεν. Cod. ἄνωθεν εἰπεῖν. P. 152. 5. οὐδέν τι παύομαι. non bene *Reiskius*, οὐδὲ νῦν ἔτι. Cohaeret παύομαι cum ἐκμαθάνων, quam structuram turbat interpositum ἤμην. Vide an fuerit: ἐγὼ δὲ καὶ ἄλλως ἐκ παιδὸς τὸ περισπούδαστον ἐκεῖνο μάθημα τοῖς περὶ τραπέζας πονουμένοις ἢ μὴν πρὸς ἐμαυτὸν ἐκμανθάνων οὐδέν τι παύομαι, ὅτι τοῖς περὶ δεῖπνα πρώτοις ἀπηντηκόσιν ὅ τε νοῦς σωφρονεῖ, καὶ ὁ τόπος εὐπρεπής· τότε δὲ κ. τ. λ. – l. 9. διότι με μή. Cod. με omittit. l. 10. περιπέτεσθαι. Cod. πέτεσθαι. – εὐμερῶς. Cod. εὐμαρῶς. – l. 12. τὸ ἔργον. Cod. τοὔργον. l. 14. πτηνῷ παρεικασθείς. Vid. Anim. ad Anth. Gr. T. II. 2. p. 453. – l. 15. καὶ ἐφ' ἵππου. Cod. καὶ φ' ἵππου. l. 19. καὶ κρίνας οὕτως. Cod. ὰ(sic) κρίνας δ' οὕτως. P. 154. 3. δόξας. Cod. δόξαν. – προσπεσούσης. Cod. πεσούσης. l. 8. ἦ γὰρ. non sic Cod. ut dicit *Reiskius*, sed ἦ, spiritu, ut saepe, perperam scripto. Recte enim habet ἦ γάρ. Sicut autem in tota hac Declamatione *Libanius* plurima ex Comicorum fontibus derivavit, sic hoc loco fortasse respexit *Philemonem* ap. *Athen.* VII. p. 289. A. ubi coquus artem suam iactans: ἀθανασίαν εὕρηκα· τοὺς ἤδη νεκροὺς, Ὅταν (μόνον) ὀσφρανθῶσι, ποιῶ ζῆν πάλιν. V. *Meinecke* in Menandri et Philemonis Reliqu. p. 384. *Porson.* advers. p. 94. et 144. – l. 13. μέν οὖν. Cod. οὖν omittit. l. 17. στήσατε βοῶν ἵππον. Cod. om. ἵππον. l. 21. σύνηθες δὲ οἶμαι τούτοις. Cod. τοῦτο. fortasse rectius. l. 23. τῶν θεατῶν om. Cod. l. 24. ἑαυτοὺς εἰς τάχος. Cod. εἰς τάχος ἑαυτούς. l. 25. ὥστε νύκτα. Cod. ὡς. P. 155. 14. ἐπεὶ μηδὲν τὴν ἀρχὴν τούτων παρ' ἡμῖν σπουδάζεται. repone ex Cod. ἐπεὶ μηδὲ τὴν ἀρχὴν τούτων τι παρ' ἡ. σπ. Excidit τι ante π. l. 18. verba ἑστίασις ἑτέρα τοῦ κεκλημένου om. Cod. l. 27. οἰόμενοι γὰρ αὐτοῖς ἀργίλως ἔχειν, ὥσπερ ἐκ προνοίας ἠδικημένοι. Cod. οἰόμενοι αὐτὸν ὀργ. ἔχειν ἐκ προνοίας ἠδικημένον. P. 156. 3. πάντως σχολάζοντά με. Cod. πάντα σχ. μοι. l. 8. ὅτι καὶ βαδίζειν ἀρχῶν· ὅτι καὶ τάχει τοὺς ἅπαντας, ἔν τε τοῖς περὶ δεῖπνα τοὺς ἐν ταῖς ἁμίλλαις παριών. Cod. ἔν τε περὶ δεῖπνα τούτους. *Reiskius* malebat ἀρχῶν ἔτι, καὶ τάχει. ubi ἔτι vix potest placere. Vide an fuerit: ὡς καὶ τάχει τοὺς ἅπαντας, ἔν τε τοῖς περὶ δεῖπνα τοὺς ἐν τ. ἁ. π. *ut qui pedum pernicitate omnes, in coena autem etiam cursores de praemio certantes superem.* l. 14. εἰ δὴ μεγαλοψυχότερον ἀφήσει τὰς μέμψεις, καὶ πῶς ἂν οἰκτείρας εἰς ἑσπέραν αὖθις ἐπαγγέλοιτο τὴν κλῆσιν. recte *Reiskius*, εἰ δὲ δή. – Deinde Cod. καὶ τοῖον οἰκτείρας et ἐπαγγέλει τὴν κλ. unde ἐπαγγελεῖ recipiendum; sed praeterea malles, καί ποτ' οἰκτείρας, aut ὄψέ ποτε. In proximis probabiliter *Reiskius*, δεινὸν οὕτω λιμὸν ὑποστάντι. Totum locum sic legendum suspicor: πόθεν μοι δεῖπνον

ἐν τούτῳ, οὕτω δεινὸν λιμὸν ὑποστάντι; secundum proxima: πῶς δ' οὐκ οἰχήσομαι πρὸ τοῦ φιλανθρωπεύματος; Facile autem ἐν τούτῳ excidere poterat ante οὕτω, δεινὸν post δεῖπνον. - P. 157. 12. ἀλλ' ἀρθεῖσαι γοῦν τούτοις, καὶ γυναῖκες ἠλέγχθησαν - *Reiskius* aut ἀλλ' delendum censet aut γοῦν. Fortasse scribendum: ἀναρθεῖσαι γοῦν. - l. 13. τὰς Διομήδους ἐκτὸς οὐκ ἀκούομεν ἀντὶ τῆς νομιζομένης τροφῆς ἀνθρωπίνοις σιτεῖσθαι σώμασι. pro ἐκτὸς *Reiskius* τοῦ Θρᾳκὸς malebat. Requiritur etiam particula adversativa. Suspicabar: τὰς δὲ Διομήδους ἄναικτος οὐκ - P. 158. 1. τῶν ἐπὶ Τροίαν. Cod. Τροίας. l. 4. verba ἐκδέδωκεν usque ad πάντα μέν Cod. omittit. l. 6. γὰρ om. Cod. l. 11. ἀλλύω. Cod. ἀλλύω. l. 14. δότε μοι λαβόντες φέρειν. - Cod. δότε λαβόντα φέρειν l. 19. φέρων om. Cod.

Scrib. Gothae. mense Iulii 1823.

XXVI.

Theoph. Wernsdorfii Disp. de *Aeneae Gazaei* editione adornanda. Adiectae sunt Lectt. varr. Cod. August.

Multis abhinc annis fando audiveram, Theoph. Wernsdorfium, avunculum meum, qui olim fuit Prof. Gedanensis, cuiusque cura Himerius Sophista et Manuel Phile aliquando in lucem prodierunt, etiam de alio quodam christianae religionis scriptore graeco bene meruisse, notas autem eius nondum typis descriptas esse, sed adhuc manuscriptas Gedani adservari. Quod quum cognovissem, Halis tum commoratus, hortabatur me F. A. Wolfius, V. cel., cuius disciplina utebar, ut a cognatis schedulas illas repeterem, mihique mitti curarem. Quae mihi quum continuo concessae essent, ex epistolis schedis illis adiectis facile intellexi, eas mira quadam casuum varietate iactatas post editoris mortem ad tertium demum bibliopolam devenisse, et Chr. Fr. Wernsdorfium editoris filium, iuvenem, qui et ab ingenio et a doctrina magnam sui exspectationem fecerat, cum Reiskii notis, quas patre mortuo acceperat, eas edere voluisse, iuvenem autem ipsa edendi cura occupatum, praematura morte abreptum esse, quo totum opus interceptum est. Schedae tum tradebantur viro cuidam docto, qui scriptoris edendi curam regere et operis rationem describere vellet. Iam belli turbae sequebantur, quibus idem ille cum omni librorum supellectile aliam in urbem repente migrare coactus est, adeo ut, cum aliarum, tum harum quoque rerum non satis magnam curam habere posset. Multorum annorum intervallo interiecto simulatque pacis studia effloruerunt et litterae in vitam revocatae erant, e G. H. Schaeferi, viri morum humanitate pariter atque accurata omnis antiquitatis cognitione insignis, qui opus Wernsdorfianum edere vellet, voluntate, quae illius fidei commissa erant, repetebam; at exi-

guae reliquiae. quae e summa illa rerum perturbatione servatae essent, mihi reddebantur. Ne igitur omnia perirent, ut vestigium certe editionis et quasi monumentum extaret fati sane acerbi, quod iste liber expertus esset, aliqua scribendi opportunitate oblata, Disputationem de Aeneae moribus et scriptis ab editore operi suo praefixam olim in publicum emisimus, ex qua, quum non ipsius operis usus nobis obtigisset, certe quae eius ratio fuisset, quibusque subsidiis auctor instructus ab librum edendum accessisset, cognosci posset. Restat adhuc exiguum fragmentum ipsius commentarii, versio lat. libri Zachariae Mitylenaei, qui simul cum Aenea edi solet, et varr. lectt. cod. Augustani, quibus textus magnopere adiuvatur. Quum igitur nuper duumvirûm doctiss. et humaniss., Friedemanni et Seebodeni, opera et consilio institutum sit, ut scriptiones philologicae minoris voluminis et melioris notae in horreum quasi collectae ab interitu vindicarentur, iisdem viris hanc disp. repetendam atque varr. lectt. Codicis Aug. typis describendas obtulimus.

Scrib. Numburgi die XXXI. Mai. a. MDCCCXXIII.

M. Greg. Gottl. Wernsdorf, Rector et Professor.

I. Aeneam Gazaeum, cuius elegantissimos libros hic edimus, ante omnia monemus, discernendum ab aliis eiusdem nominis viris esse; non solum ab Aenea Ptolemaidis in Phoenicia episcopo concilii Nicaeni temporibus, atque ab Aenea Parisino praesule, sed maxime ab Aenea Gazaeo altero, qui pariter Gaza ortus, patriae urbis sacris praefuit regnante Theodosio superiore, atque cathedrae successorem habuit S. Porphyrium a. CCCXCV, uti ex Bollandi actis sanct. a. d. 26. Febr. narrat Seb. Tillemontius hist. eccl. t. X. P. 3. p. 135. et Baronius t. V. a. 398. §. 97. Noster rhetor hoc cive suo vixit multo serius.

II. Res ad eum pertinentes attigerunt aut commemorarunt iam alii, quos lector, si vult, adire poterit: nempe Conr. Gesnerus in bibl. p. 13. Rob. Bellarminus de script. eccl. p. 123. Aub. Miraeus auctar. de scriptt. eccl. c. 109. p. 202. Du Pin bibl. des auteurs eccl. t. IV. p. 280. Guil. Cave hist. litt. script. eccl. saec. V. p. 297. Baron. ann. 484. §. 90. I. A. Fabric. bibl. Gr. t. I. l. II., 10, 29. p. 427. et in Syllabo script. de ver. rel. Chr. c. 2. §. 27. p. 107. I. Brucker. hist. phil. t. III. p. 526. L. Moreri dict. hist. p. 77. Morellius bibl. Patr. t. XII. p. 617. Beat. Rhenanus praef. ad Paulum Wolzium editioni Aenea praemissa. Tamen a veterum scriptorum nullo, quod sciam, ipsum eiusque libros nominatim laudari, miror. Quamquam igitur quid in vita egerit, prorsus est obscurum, tamen de aetate eius, indiciis ex ipso collectis, scriptores recentiores consentiunt. Iam B. Rhenanus *circa Zenonis et Anastasii tempora floruisse* docet, tamen dubitanter: eum sequuntur Wol-

fius, Morellius, Bellarminus et alii. Ad saeculi quinti finem reiiciunt Du Pin, Fabricius, Bruckerus: ad annum CDLXXXVII. refert Cavens. Ex mentione persecutionis Vandalicae illi omnes id colligunt: sed plura extant in ipso Aenea et fere luculentiora indicia, ut aetas eius sit satis certa. Namque in dial. §. 25. laudat Syrianum ac Proclum philosophos, quos saeculo quinto exeunte vixisse constat; quamvis Cel. Reiskius obs. ad Anthol. Ceph. 755. p. 244. multis contendit, Proclum iam Libanii ac Leontii aequalem fuisse, saeculo quarto exeunte quintoque ineunte viventem. Ipsum vicissim Aeneam laudat atque exscribit Zacharias Mitylenaeus, quem saeculo sexto medio diem obiisse scimus, ut eo antiquiorem paullo Aeneam fuisse pateat, inter aetates Procli et Zachariae interiectum. Porro noster discipulum se Hieroclis Alexandrini perspicue profitetur in dialogo §. 1. quem Hieroclem Bruck. hist. phil. t. II. p. 306. sub Theodosio iuniore docuisse credit, ego ad Leonis Thracis aut Zenonis regnum referre mallem. Namque ex Damascio Suidas in *Ἱεροκλῆς* atque ipse Damascius ap. Phot. p. 1037. Hieroclis discipulum Theosebium ita laudat, ut cognovisse eum ac propius perspexisse videatur; quod de Damascio, qui demum post Iustinianum Imp. scripsit, credi non posset, nisi Hieroclis aetatem temporibus Zenonis et Anastasii aequare velis. Ante Iustinum certe quidem Aeneam scripsisse necesse est. Namque calamitosissimam Antiochiae stragem, quae a. 526. septimo Iustini accidit, cum maxima urbs caputque Orientis terrae motu iterato et incendio deleta fuit, non solum nunquam memorat, sed etiam ep. XVII. ad Dionysium Antiochenum urbem illam adhuc florentem superbamque describit. Denique Aeneas dial. §. 209. mentionem facit vexationis orthodoxorum vandalicae seque ait ipsum conspexisse martyres illos, quibus linguae a Vandalo tyranno exsectae fuissent; quod a. 484. accidisse existimatur; atque ita quidem de eo facto loquitur, ut se, stante adhuc ac florente regno Vandalorum, scribere significet. *Λιβυην κατεχει τυραννις*. Istud autem regnum anno 533. ab Iustiniano per Belisarium scimus fuisse eversum. Unde regnante Anastasio Aeneam scripsisse, intelligitur. Eadem aetatis ratio confirmari potest cogitatione aequalium eius, quorum quidem aetas satis cognita sit et ad quos epistolas misit. Duae extant Aeneae epp. XIX. et XX. Gesio iatrosophistae inscriptae; quem Suidas v. *Γεσιος* sub Zenone vixisse affirmat et quem Zach. Mitylenaeus discipulum fuisse ait Ammonii Hermiae sub Anastasio

potissimum clari. Alia ep. X, Zosimo Gazaeo Sophistae inscribitur, quem Cedrenus ab Zenone vita privatum fuisse testatur. Adde huc, siquidem sequi placet Fabric. bibl. gr. II, 10. 29. t. I. p. 427. quod Aeneas cive suo, Procopio Gazaeo, familiariter usus fuit eumque in ep. XIX. appellavit *suum*. Procopium hunc, egregium S. S. interpretem ac rhetorem, sub Anastasio aut Iustino Thracе floruisse certum est, quandoquidem Choricius discipulus eius, qui eum in funere laudavit, sub Iustiniano, teste Photio cod. 160. p. 337. vixit. At, ut verum fatear, in ista ep. alius quidam Procopius Elpidii filius innui videtur.

III. *Patria* huius viri, quod cognomine ipso indicatur, Gaza fuit, illustris et copiosissima urbs Palaestinae tertiae, de qua legere licet Strab. XIV. p. 523. Steph. Byz. p. 256. Euseb. onomast. loc. script. p. 83. Cellarium geogr. t. II. l. III. 13. p. 603. Multis tamen locis Syrum se nominat, credo, quod Phoenices Gazae conditores eandem gentem, quam Syros, esse putabat. Iuvenis Alexandriae in Aegypto philosophiae operam navavit audivitque Hieroclem Platonicum, aureorum carminum interpretem, tum multitudine discipulorum et docendi dexteritate clarissimum; eiusque ductu ita profecit philosophiae cognitione, ut, salva tamen religionis christianae et professione et puritate, vulgo *Platonicus* Aeneas appelletur. Graecusne fuerit natus ac postea Christianus factus, quod a Miraeo, Caveo ac Bruckero assori video, an christianis parentibus fuerit editus, nescio quidem, tamen cum nuspiam eum legam a Graecis sacris ad nostra defecisse, cumque his saeculi quinti temporibus adultorum hominum conversiones fuerint rariores, verisimile puto, istam Cavei opinionem non alio fundamento, quam Platonici cognomine, niti. Scholas igitur Hieroclis, ut philosophiam disceret, non ut superstitionibus graecis imbueretur frequentavit, quod multi alii christiani iuvenes faciebant. Aegyptiacae commorationis iniicit mentionem non solum in dialogo, sed etiam in epistola XV. ubi se ait *παρα τας Νειλου οχθας ταις Μουσαις συμπαιξαι*. Neque tamen philosophandi amore, humanitatis reliquae et eloquentiae praecipue studia neglexisse existimandus est iuvenis. Quamvis enim, quo doctore ista perceperit, ignoretur, tamen in eadem urbe alexandrina se declamandi exercitationibus interfuisse, ep. XV. indicat: et quod maximum est, ipse hic eius, omnis doctrinae genere refertus, liber et stili graeci summa elegantia compositae epistolae, itemque Sophistae cognomen, eum et eruditissi-

mum et facundissimum fuisse, manifestant. In ep. XVI. ad Serapionem commemorat, se suum eloquentiae amorem rhetori huic fassum esse ac probasse. Post Aegyptiaca studia eum Cpoli aliquando peregrinatum fuisse, ex eo potest colligi, quod se suis oculis conspexisse testatur martyras illos Africanos linguis mutilatos, quorum plerosque Constantinopolin se recepisse ibidemque consenuisse scimus. Ad Anachoretas etiam Palaestinos ac Syros excurrisse ait, dum in dial. §. 206. miraculorum ab illis perpetratorum spectatorem se fuisse narrat. Iterum postea Alexandriam venisse et ibidem cum philosopho Atheniensi Theophrasto congressum, de immortalitate animorum disputasse, fingi in hoc dialogo video, factum esse haud puto. Adultum potius et ex peregrinationibus reversum in patria sedem fixisse ibique aut philosophiam aut eloquentiam professum, cathedram urbis tenuisse discipulosque erudivisse existimo, inter quod Epiphanius rhetor in epigrammate vetere et ep. XII. et Theodorus Smyrnaeus ep. XVIII. et plures nobiles ep. IX. nominantur. Scholam quidem eius oratoriam memorari non semel video in epp., ut XI. itemque XIII, qua se ex institutione iuvenum victum quaerere profitetur: *ημιν απο των λογων ο βιος*. Ep. XIV. scripta ad parentem est, cuius filium ipse erudiebat. Ep. XVII. iuvenem a se institutum Dionysio Antiocheno commendat: itemque Procopium suum discipulum ep. XIX. Gesio medico mittit Alexandriam. Discipuli autem quanto magistrum prosecuti amore fuerint, ex eo intelligitur, quod absentes non scripta solum eius, sed imagines quoque secum habere desideraverunt. Ep. XII. Aeneas mittit transmare Epiphanio flagitanti pictam imaginem suam: et ep. XVIII. a discipulis suis inter Iones servari pictas sui vultus effigies, gloriabundus narrat. Fortunis usus videtur non contemnendis, sive eas hăereditate paterna acceperit, sive operarum institutionumque mercedibus collegerit. Saltim ep. XXV. hortos suos memorat, quos antlia mechanica irrigaverit. Quando vita functus fuerit ignoratur, putaverim tamen sat provecta aetate eum obiisse, forsan iam imperante Iustino Thrace; cum non solum Gesio usus fuerit medico iam Alexandriae versante, qui tamen Zachariam Mitylenaeum habuit aequalem, sed etiam viderit discipulos Epiphanium ac Theodorum Smyrnaeum iam adultos et ipsos docendi muneribus claros.

IV. *Scripta* eius non alia aut laudantur a veteribus aut extant, quam quae nunc edimus. Memorantur quidem forsan ab ipso ***declamationes*** aut orationes, quas

ipsum more reliquorum Sophistarum scripsisse et foras dedisse, verisimillimum est. Namque ep. XII. se λογους suos ad Epiphanium misisse ait, et ep. XVIII. suos λογους in Ionia lectitari gloriatur. Extant vero, quantum scimus, declamationes eius nullae. Porro Suidas v. αἰνειος p. 652. librum de mangonibus ei adscribit. Ἐστι δε και Αἰνειος σοφιστης, οὑτινος βιβλια αἱ Μεταβολοι. Equidem hunc scriptorem parum moror, Conr. Gesnerus tamen ei fidem habet. L. Kusterus tragicum Eunicum immi credit. Fabricius bibl. gr. t. I. p. 427. legi postulat αἰνεικος. Narrat quoque Conr. Gesnerus p. 13. et Fabric. l. c. *in Italiae bibliothecis et Augustae Vindel.* extare Aeneae elenchum της παρ' Ἑλλησι λογομαχιας. Sed qui id opus ab hoc dialogo discernere cum Gesnero vellet, profecto erraret. Neque enim in indicibus Italicarum bibliothecarum neque in Ehingeriano ac Reiseriano Augustanae catalogo, posthac divulgato, vestigium istius operis apparet: et praeterea, cur dialogus noster, id quod in fraudem induxit Gesnerum, ea inscriptione notatus fuerit, mihi iam apertum est, qui ipse caput alterum huius dialogi in codice Augustano sic inscriptum reperi et edidi: ἐλεγχος της παρ' Ἑλλησι λογομαχιας. Relinquuntur duo eius ingenii vera opera, epistolae et dialogus.

V. *Epistolas* XXV. ad varios primus Romae a. 1499 in quarta Aldus Manutius, Marci Musuri opera, edidit in *Epistolis diversorum philosoph., orat., rhet.* etc. ubi eaedem sex folia cum dimidio explent, inde ab ω. IIII. ad α. I. Quam epistolarum collectionem, adiuncta interpretatione latina satis mala, quam Cuiacio Icto tribuit, iterum vulgavit Pyrrhus Caldoraeus Coloniae Allobr. 1606. fol. V. Fabr. B. G. t. I. p. 410 et 427. Inde Ioh. Patusa in encyclop. philol. Venet. 1710, 8. exscripta Aeneae epistolas quinque repetiit, teste Fabr. B. G. t. XIII, p. 458. Ego omnes eas ex Aldina et Genevensi editione descriptas nullis adiutus codicis ullius auxiliis, hic denuo edo; fideliter exhibens graecum textum, prout Aldus eum dederat, multa loca emendans ex coniectura, sed in annotationibus, interpretationem latinam adiiciens meam; denique difficiliora intellectu loca brevibus annotationibus illustrans. Scribit C. Barthius advers. l. III. 20. p. 147. iam ideo reprehensus a Fabricio: *Ficta in iis epistolis etiam nomina sunt, ut Zosimus hic* (in ep. VIII.) *quia vitalis princeps, quia revera optimus inter eos, quibuscum navigarat, siquidem tales fuisse autumat Aeneas.* At vero ipsis hominum exemplis docuimus, si quando licuit, minime ficta esse eorum nomina, ad quos Aeneas

scribat, Ideo non magis, quam Tullii aut Plinii, epistolas Aeneae putamus per otium et stili exercendi causa scriptas, sed ex numero epistolarum ad amicos scriptarum studiose selectas. Libanium, in epistolis reputem, Aeneas videtur imitari voluisse prae ceteris, eiusque argutam brevitatem ita assecutus est, ut quantum perspicuitate superat, tantum aequet stili tersi et concinni acumine.

VI. *Dialogi* autem, qui a principe persona *Theophrastus* vocatur, codices supersunt in variis bibliothecis non pauci. Augustanus tamen cod. unus editiones omnes genuit. Caeteri nondum inspecti neque cum edd. collati sunt; quales commemoraturhic a Monff. bibl. Mscr. nempe tres Paris., bibl. reg. p. 738. c. n. 3070. et p. 730. c. n. 2276. et bibl. Caroli de Montchal p. 230. d. n. 50. una Brit. bodl. bibl. p. 652. d. n. 1050. atque unus Ven. bibl. S. Marci p. 471. d. n. G. 36. Quo terrarum autem abierit ille codex, quem e Graecia allatum Ambrosius Camaldulensis interpretatus fuit, explorare non potui.

VII. Editus autem hic dialogus aliquoties est. Primum *Ambrosius Camaldulensis*, vir graece latineque doctus eximie, eum fecit latinum, eaque interpretatio non solum manu exarata in quibusdam Italiae bibliothecis asservatur, sed etiam typis excepta bis est. Primum quidem Ven. 1513. quod dico ex P. Bierl. lex. hist. art. Camaldul not. B. et ex I. P. Niceronis vit. erudit. a Baumgart. germ. ed. P. XV. p. 9. Haec tamen Ven. ed. rarissima nec Fabricio, nec Miraeo, nec Moreriо, nec Caveo, nec Morellio neque ipsi C. Gesnero nota fuit: quin ipse B. Rhenanus cognitam non habuit, ita loquens in principio epistolae ad Rev. P. Wolzium abbatem Hugonicae curiae in valle Vogesina, ipsius editionis praemissae, ut semel putet primum eam interpretationem edere. »*Hunc Aeneae cognitum dialogum*, inquit, *Michael ille Humelbergius meus ex urbe mihi misit, ut Frobenianis typis apud nos excuderetur. Ego quidem ut primum accepi, curam transivi* etc. Altera ed. prodit Bas. 1516. in quarta studio B. Rhenani, una cum Athenagora et Sixti Pythagorici sententiis. Du Pinius neutram earum memorat. Namque et posterior editio conspicitur raro, et cum diu satis in instructissimis variarum urbium bibliothecis quaesita esset frustra, tandem e Seren. Guelferb. Duos apparatui librorum benigne commodata mihi fuit. Hanc Ambrosiana interpretatio, aequi judicare valeo, reliquas omnes plurimum vincit accuratione et perspicuitate et elegantia; sed plurimum discrepat a nostris graecis, quippe ex alio valdeque diverso codice expressa. Hoc iam

observavit Io. Wolfius, nempe *rerum pariter et verborum ordinem non eundem in translatione veteri servari, quem graecus liber suus habeat et alicubi integra folia, alicubi multos versus, interdum quaedam verba deesse.* Neque enim solum vocabula aut incisa singularia addit aut omittit Ambrosius, sed etiam totos sermones: quin etiam aliquo loco §. 49. et §. 158. mira transpositio paginarum integrarum facta est et proinde disputationis totius ingens confusio, quam ortam crediderim ex bibliopegi errore, qui veteris codicis folia perperam collocaverat et confuse compactum librum transmiserat aut ad interpretem aut ad graecum librarium: neque enim ab ipso Aenea haec iusto ordini contraria collocatio proficisci potuit. Nos autem harum varietatum ac discrepantiarum quamlibet suo loco notavimus et quae nostris graecis deerant, latina adscripsimus, ne quid nostrae editioni, quod in Ambrosiana extaret, deesset. Multis autem contendit Nicero p. 3 praef. Ambrosianam Iustiniano Veneto missam esse suppositam, cum in ea narretur iter quoddam graecum Ambrosii cum Philelfo susceptum, quod nunquam suscipi potuerit. At in ea ed. qua ego fui usus, nil tale legitur. *)

*) Cum brevis sit ea praefatio, en tibi totam: „Domino amantissimo et praestantissimo viro Andreolo Iustiniano Ambrosius salutem. Opusculum Aenea cuiusdam docti plane et eruditi viri cum graece legerem, latinum facere placuit. Est enim ea vel doctrinae gratia, vel materiae dignitas, ut vel inertes quosque animos in admirationem sui excitare possit. De anima quippe illi omnis sermo est agitque subtiliter ista viri disputatio, ut docti quique gentiliumque disciplinis imbuti sensim et per rationes ad fidei catholicae rudimenta et pietatis penetralia ipsa pertingant, dum philosophorum vanas ac varias atque inter se dissidentes de anima opiniones verissimis rationibus argumentisque confutat veritatemque christianae fidei et naviter et grate atque venuste subinserit. Id quicquid est laboris nostri tibi viro omnium humanissimo et optime de nobis merito dicandum fuit, ut esset penes te perpetuum nostri amoris monimentum.' Accipies igitur, Andreole vir ill., Aeneam nostrum iam plane pium et per te Roma accipiat suae gentis autorem, qui longe verius de se protestari possit: Sum pius Aeneas, quod ille olim Anchisae filius. Neque enim illius si qua in patrem pietas fuit, huius nostri divinae pietati ulla prorsus ratione conferenda est. Accipies inquam opusculum ipsum grato animo et diligenter releges. Invenies enim plurima et iucunda cognitu et necessaria scitu, Aeneamque ipsum, qui dudum scopulos vestros praetervectus fuerat, vobis redditum gratulabere. Qui si minus maiestatis habere videbitur, peregrinationi longinquae acceptum referes, ex qua velut pulveris et situs quiddam contraxisse illum, nihil est cur mirari debeamus. Laetum tamen

VIII. Post Camaldulensem abbatem de Aenea praeclare meritus fuit *Io. Wolfius*, Tigurinus, qui primus graece edidit e cod. uno Aug. et Episcopii suasu novam interpretationem addidit. Codicem gr. Aeneae C. Gesnerus, *ex illa nobili Reip. August. bibl. sibi suppeditatum*, iam praegresso a. 1557. *Wolfio describendum concesserat*, ut hic ipse ait in ep. ad Hier. Frobenium et Nic. Episcopium typographos Bas. cal. Febr. 1558. Tiguri exarata et ed. praefixa. Haec graeco-latina ed. inter *Theologorum quorundam Orthodoxorum lib. gr. typis Andr. Gesneri* prodiit *Tiguri* 1559. fol. Interpretatio vero Wolfii separatim divulgata saepius est, primum, ut refert C. Gesnerus in bibl., Bas. per Episcopium: credo, *quod haec celeberrima et optimorum librorum feracissima officina iam antea quoque editum* Aeneam, nempe ab Ambrosio translatum, *quasi proprium possidebat*, ut Wolfius in laudata ep. loquitur. Tamen hancce editionem latinam neque ego vidi neque Fabricius novit. Repetita autem Wolfii interpretatio est in Bibl. Patrum, nempe in Paris. Bignei t. VIII. ac sec. ed. t. IX. in Colon. t. V. p. III. et in maxima seu Lugd. t. VIII. Praeterea tota Andr. Gesneri graecolatina Aeneae ed. bis recusa prostat, primum a *Frontone Ducaeo* in Auct. graecol. Bibl. Paris. t. II. p. 373. Par. 1624 fol. iterum ab *Aeg. Morellio* in Bibl. Patr. Par. a. 1654. t. XII. fol. p. 617 sq. Hicce Io. Wolfii labor est omnino magni faciendus, quippe cui primam lucem graecus Aeneas debet: quamquam, ut verum fatear, neque graeca descripta e codice neque exscripta typis accurate satis sunt, in fine etiam duo loca aliquot linearum omissa, itemque inscriptiones capitum recisae, emendandorum vero scripturae vitiorum nulla prorsus cura habita, quod cuivis patebit lectiones castigatiores in hacce nostra ed. cum lectt. Wolfianis comparanti. Interpretatio latina quidem et perspicua est eoque Barthiana multo melior, sed passim nimium libera et graecis verbis copiosior ac paraphrasi similior, itemque saepe falsa sive ob festinationem interpretis, sive ob difficultatem intelligendi, sive ex aliqua graecae linguae ac rerum maximeque historiarum ignorantia. Iam Morerius sic iudicat: *cette traduction de Wolf n'est pas fidèle et a été mise dans la liste des livres censu-*

---

atque hilarem ubique deprehendes et qui nihil habeat rusticitatis admixtum. Sed enim vere id prosecutus sim, nec ne, tibi iam iudicandum relinquo. Adest enim ille, tecum assidue futurus, ut effugere gravissimum iudicium tuum nequaquam possit. Vale."

rez. Morellius: *Postea prodiit ex interpretatione Io. Wolfii Tig. haeretici, cuius interpretatione parum fidendum.* *)

IX. Tandem denuo Aeneam edidit *C. Barthius* una cum Zach. Mitylenaeo, Lips. ap. Io. Bauerum 1655. seu 1658. in quarta. Graeca scriptura prorsus ex Tigurina A. Gesneri ed. est expressa sine auxilio cod. ullius aut ed. alius, praeterquam Ambrosianae interpr., ita tamen, ut aliqua operarum sphalmata, quae Gesnerianam insederant, tollerentur, sed eorum loco alia longe plura et multo graviora inferrentur et multis locis integrae lineae, ut p. 17. p. 25. 37. 73. in Barthii interpr. omnino positae, in graecis omitterentur: et quamvis sphalmatum index ad calc. libri sat magnus conspiciatur, tamen vix sexta pars e tanto sphalmatum commissorum acervo no-

*) Tales equidem iudices parum curo, at ipsum Wolfium audiamus semet accusantem et excusantem in laudata ep. ad Frobenium et Episcopium. „Ac primum quidem graecum exemplar meum cum translatione veteri (ambrosiana) contuli, quaeque deerant addidi: deinceps autem cum Basileam veniissem tuque, Episcopi, novam te traductionem meam, quum veterem interpolatam, malle, ea mihi tunc dixisses et deinceps Tigurum reverso tuis ad me literis significasses, etiam in eo ipso, ut ne tibi roganti deessem, operam dedi; idque feci eo libentius, quod rerum pariter et verborum ordo non idem in translatione veteri servatus esset, quem gr. lib. meus haberet, quodque alicubi integra folia, alicubi multi versus, interdum verba quaedam deessent. Quam ne rerum confusionem digerente desiderataque verba atque folia ad restaurandum et implendum ipsum opus adscribente, ne quis suam veteri interpreti conversionem vel temere mutatam, vel rebus ab ipso consulto praetermissis auctam vel etiam depravatam quereretur, vestro consilio factum est, ut sua illi salva manserit et ad meum Graecum exemplar facta conversio nova habeatur. In qua profecto fateor, me et temporis angustia et negotiis subinde novis ingruentibus impeditum, non quantum volui quantumque fortasis animo magis vacuo et a negotiis liberiore potuissem, praestitisse; ausim tamen hoc vobis polliceri, hunc iam librum, si non elegantiorem et faciliorem, saltem pleniorem et perfectiorem factum. Nam de mea conversione nihil quicquam dicam, nisi me studuisse, ut bona fide graeca redderem latinis esque interdum etiam facerem planiora. Quod si consecutus sum, non dubium est, quin optimis quibusque gratissimum fecerim: sin aliquod seu ignorantia seu oblivione peccatum sit commissum, equidem admonitus et libenter agnoscam et diligenter emendabo. Istum enim librum dignum existimo, qui et fideliter et eleganter convertatur. Quorum altertum ipse quidem studui, alterum autem ut neque a proposita re neque ab autoris verbis recederem, longius, minus potui praestare. Spero tamen aequis et alienis ab invidia animis vel ipsa voluntate et studio satisfactum esse." Haec Wolfius ipse,

tatus deprehenditur; ita ut ista Barthiana sit omnium vitiosissima editio. Ferri id posset, quamvis satis molestum, non Barthio tamen exprobrandum, nisi ipse, infelicissimas suas emendationum coniecturas pro lectionibus Wolfianis subiiciendo, tam audacter scripturam graecam corrupisset: quam licentiam detestatus, interdum severius castigavi. Raro quidem aut ab historia aut a contextu aut ab Ambr. interpr. adiutus recte restituit scripturam veram, ut §. 26. ἡ μνια, §. 137. σκιας, §. 184. χαλκειω, §. 200. ἀρμεντον, §. 204. σπυριδι, quibus ego castigationibus minime irascor. Saepius autem frivole mutavit scripturam §. 6. 125. 137. 104. 159. scriptoremque venustissimum contaminavit potius quam purgavit. Sed praeter Barthium adhuc alius, nescio quis, in Aeneam grassatus fuit, scripturam mutando contra Barthii sensum et conscientiam, semel quidem felicissime, §. 126. ἐπιλειψις ponendo, alias ut audacissime sic illiteratissime, ut §. 125. scribendo ἀχυρα, 126. τοσουτου,, 132. ἐπιπολαζεσθαι, 176. ἀφθαος, 194. ἐξεπονησε etc. Is corruptor, haud scio, aliquisne Barthii discipulus fuerit, cui cura typorum commissa esset, an amicus aliquis. Praeterea Barthius tribus aut pluribus locis annott. ait: *alii scribunt* τουτο, ut p. 138. p. 129. item *emendatio aliorum est* hoc vel hoc p. 149. item, *haec scriptura fatua non est, si a libro aliquo est.* Quibus locutionibus vanus homo fucum lectoribus facit, quasi praeter Tigur. ed. aliud quid scriptum vidisset, cum satis certum sit, nihil eum vidisse. Id enim perspicue indicat ipse p. 147. 149. 152. *Opus erit,* inquit, *meliori exemplari, quam fuit Augustanum, ut hic et alii huius auctoris loci constituantur: nam coniecturis solis postponent pauci, ut sunt hominum ingenia, lectionem editam.* Interim explorare nondum potuimus, quis ille *alius* sit, ad cuius var. lect. provocet ille. Id suspicor, habuisse eum ad manum exemplum aliquod tigurinae editionis, ubi eruditus quispiam, pristinus libri possessor aut lector, forsan ipsi Barthio aeque ac mihi ignotus, ad oram libri apposuerit coniecturales emendationes; quod factitare solent multi. In eas cum incidisset Barthius atque eaedem e cod. aliquo an e coni. natae essent, ipse nesciret, *ab aliis legi ita, suggeri aliam lectionem, scribere alios ita,* obscure ambigueque significavit. Quod vero ad interpr. lat. Barthii huius attinet, quam ego pessimam omnium iudico, apposita ea quidem graecae scripturae est, sed ita negligenter, ut lineae paginaeque graecae interdum minus aequis passibus cum latinis procurrant. Ipsa interpr. horrida, saepe bar-

bara ac quam minime elegans et ita propter affectatas obsoletas Plautinasque dictiones et ob imitationem Apulcii aliorumque citeriorum scriptorum passim sic obscura, ut nova interpr. lat. ad intelligendam Barthii interpr. opus esse videatur. Sed, quod maximum vitium est, eadem sic licenter scripta est, ut Barthii disputationem, non Aeneae, legas: quandoquidem adduntur multa et omittuntur alia, structuraeque periodorum confunduntur eoque sententiae ipsae immutantur, ut ad intelligendam graecam scripturam haec interpr. nihil profecto adiumenti afferat. Taceo errores interpretis, quos Wolfianis aberrationibus nec pauciores nec leviores passim castigavi. Quare Barthius Aeneam quidem *de integro latinum fecit*, quod iam in advv. LIX. p. 2794. promiserat, sed ut Wolfianam interpretationem servari potius praestitisset. Eidem ed. subiecit annotationes non paucas, bonas paucas, quibus aut graeca verba emendare studet, qui tamen labor, si a tribus quatuorve locis discesseris, infelicissime cessit homini laborioso magis, quam ingenioso, aut res ipsas ex antiquitate et historia explanare ac dilucidare conatur, quod non dubito quin efficere potuisset, si minus festinationis ac negligentiae, plus laboris atque otii attulisset, homo tantae lectionis et tam varia eruditione instructus. At multa magis ad ostentandam doctrinae copiam pertinent, quam ut ea doctrina Aeneas iuvetur. Nos tamen, quae bona attulit, grati interdum laudavimus, inutilia et mala caetera reiecimus. Eruditi tamen hucdum in Barthiana ista ed. acquieverunt, neque postea de meliore cogitatum a quoquam fuit.

X. Meretur tamen hicce scriptor *πολλων ἀνταξιος ἀλλων*, ut maius aliquod studium in eodem ornando et illustrando ponatur, cum tot gaudeat eximiis doctrinae elegantiaeque dotibus, tam feliciter et subtiliter gravissima Chr. religionis placita defendat, totque commoditates lectoribus offerat. Si in laudando eo multus esse vellem, transscriberem insignia elogia, quibus eius et pietatem et eruditionem cumulant viri eruditi, Bellarminus l. c. Casaub. in Casaubonianis ab I. C. Wolfio ed. p. 17. Lipsius in physiol. Stoic. l. I, 18. p. 94. Io. Pierius Valer. hieroglyph. l. XXVI, 34. p. 268. Baltus défense des SS. Pères accusez du Platonisme l. III, 7. p. 304. Wolfius in praef. Aeneae praemissa, aliique multi. Unius adscribam tamen B. Rhenani verba: *Eruditio certe hominis et mysteriorum philosophiae praesertim platonicae neutiquam vulgaris cognitio, tum poëticarum fabularum passim intertexti flores illis fuisse temporibus vicinum*

arguunt. — Hoc libelli sumes in manum. Nam res continet theologi cognitione dignas, idque multo sanctius, quam Scotistae argutantur.

XI, Primum enim rerum divinarum totiusque religionis christianae uberrimam cognitionem, quam iam discipulus eius vet. epigr. gr. praedicavit, merito in eo suspicimus; maxime cum eum in argumento feliciter elaborasse videamus, in quo plerique christiani doctores offenderunt. Quis enim veterum de natura animorum eorumque origine cautius disputavit? Quis errores platonicae scholae sapientius evitavit? Quare nostrum quilibet, mirabilium Iustini, Clementis, Tatiani Methodiique et Origenis placitorum memor, prudentiam Aeneae exosculatur, quod, secus atque isti, animam omni corporea fece liberam et ex deo ortam per parentes neque ante mundum conditam seorsimque in coelo versatam, sed cum corpore simul natam introducit. De geniis porro sacris ac daemonibus, quos incorporeos et deo subiectos et ad ministeria obeunda destinatos credit, dubito, an multi veterum aeque sana disseruerint. Divinae autem providentiae sapientiam quis pleniore ore laudavit? quis occultissimas eiusdem vias in rebus humanis gubernandis et destinationes fortuitorum, ut existimantur, casuum decentius manifestavit? Quis innocentiam dei in permittendis hominum peccatis sanctius asseruit? Libertatem autem humanorum consiliorum et factorum quis fortius defendit? Denique de aeterna filii generatione et processione Spir. S. neque Athanasius neque Gregorius *ὁ θεολογος* magis orthodoxe magisve subtiliter philosophatus fuit.

XII. Habet quidem pauca, quibus lector sapientior offendatur; ut quod nonnulla Platonicorum scita cum christianis perperam confundit, ut rectissime iam observavit I. Bruck. hist. phil. t. III. p. 527. quod v. c. Spir. S. describit veluti animam mundi platonicam, item quod naturam hominis non informat, qualis nunc est post depravationem ex Adamo natam, sed qualis ea divinitus data et condita fuerat, ut paululum *πελαγιανιζειν* videatur. Quae omnia minime probo, tamen studio philosophos graecos imitandi excuso. Non magis placet, quod ipse monasticam vitam impensius laudat, quod a reliquiis sanctorum corporum prodigia edi daemonasque fugari existimat, quod valde credulus pro veris factis miracula anachoretarum commemorat. Sed ea temporum, non scriptoris, vitia esse arbitror. Vivebat enim ea aetate, qua nihil anteferebatur monachorum rebus, et qua vel sapientissimus vir summusque theologus Theodoretus in hist.

religiosa ad communes errores abreptus desipere cogebatur. Quare si fortuna in nostrum delatus fuisset aevum, recideret sibi nonnulla ipse cautiusque sentiret de multis. Illud etiam moleste fero, quod in epp. profanas dictiones interdum usurpat et christiano indecoras, ut cum ep. V. iurat *μα τους θεους*, ep. VII. ait *σπουδας ποιησομεθα θεων μεν Ἑρμη, ανθρωπων δε Ἡροδοτω* et ep. VIII. *Φιλιον Δια* nominat.

Cum ista vero rerum divinarum peritia incredibilem coniungit profanae eruditionis copiam. Nulla historiarum veterum pars, sive vera sive fabularis, ignota ipsi fuit, ut saepe eas reconditas res narret, quarum memoriam apud alios scriptores rariorem deprehendas. Historicos autem ac mythologos veteres quot legerit, intelligitur ex iis, quae in tam parvo libello tanta copia ex Herodoto, Eudoxo, Pindaro, Thucydide, Apollodoro aliisque nunc perditis scriptoribus recitantur. Homericas denique sententias ac dictiones quam scite quamque venuste passim usurpet, vides. Philosophiae autem veteris quanta cognitio! Sectarum enim cunctarum placita habuit perceptа: Platonem Plotinumque devoraverat: Platonicam autem seu Alexandrinam disciplinam sic tenuit, ut Hieroclis discipulum facile agnoscas. Veruntamen, unde viri amor veri et iudicii sagacitas maxime perspicitur, *omnes percurrens sectas nil tamen invenit melius, quam credere Christo.* Neque enim ex Platonica schola maius quicquam accepit, quam facultatem contemnendi Platonem; et doctrina inde accepta non ad aliud quid usus est, quam ad refellendam eam doctrinam. Neque tamen idem passus est, quod superioribus Christianorum doctoribus accidit, ut feliciores essent in destruendis Graecorum decretis, quam in asserendis Christianorum. Namque non minus fortiter et accurate stabilit ac corroborat Christiana dogmata, quam confutat profana Graecorum. Confutans autem, dictiones sententiasque Hieroclis sui ac Plotini plurimum usurpat, ut fere plagii literarii suspicionem incurrat. Quod tamen ipsum deliberato consilio ab eo fieri arbitror, ut, quorum scita convellit, eorum adhibeat verba; Plotini nempe, ubi Platonica praecepta tollit, Origenis, ubi ab Origene de resurrectione dissentit: videlicet, partim ut ingenii dexteritatem ostendat, qua male dicta possit in bene dicta convertere, partim ut illorum utendo verbis, veluti exserto digito, quosnam adversarios pungat, demonstret, partim etiam ut verae doctrinae adversarios suis ipse iugulare gladiis videatur.

XIII. Quid denique dicam de stili graeci totiusque

elocutionis elegantia? quae eo laudanda est magis, quo rariores inter christianos scriptores fuerunt, qui aliquantulum operae in exornanda oratione posuissent. Est enim Basilio Caesareensi, Gregorio Naz., Ioanni Chrysostomo Theodoretoque aequiparandus, quos venustate stili scimus excelluisse, et nulli Sophistarum inter Graecos postponendus. Etenim scribit pure, perspicue et ornate, tamen, ut in dialogo, minime sublimis assurgit, sed nativum planumque dicendi genus sequitur, magis ut doceat, quam commoveat, a fuco sophistico et sesquipedalium verborum nugis alienus, vulgaris structurae periodorum tenax, iuncturae multum incuriosus, verborum parcus, nisi cum dilucidari oratio potest merismo, quo libenter utitur. Quod autem priores interpretes Wolfius ac Barthius a mente elegantissimi scriptoris toties aberrarunt, ipsorum magis culpa et negligentia philosophiaeque veteris inscitia, quam scriptoris obscuritate, contigisse existimo. Insunt enim huic Socratico dialogo cum aliis virtutibus etiam socraticae Veneres, humilis dulcisque elocutio et genus disputandi minime contentiosum ac pugnax, multus potius lepos et iocus magis facetus quam dicax, qualis est Aeschinis ac Xenophontis.

XIV. Eo tamen mihi videtur violari *το πρεπον*, quod Atheniensis ille *πανσοφος* Theophrastus, qui dialogi initio omnibus suae aetatis hominibus doctrina sapientiaque antestare perhibetur, progressu disputationis nil tanta dignum promissione praestat, potius brevissime dubitandi rationes enunciat, et, ubi Euxitheus eas evertit, statim veluti pedaneus senator assentit aut velut ignavus pugil uno exanimatus adversarii ictu palmam tradit: contra Euxitheus, qui se discendi causa advenisse profitetur, doctorem docet idque uberrime et copiose, ut docendi causa dicere videatur. Qua in re utrum reddita personae sint convenientia ubique, lector iudicet: quamvis mihi, fateor, saepius subnata suspicio est, ab Aenea ipso doctorem Atticum uberius docentem fortiusque urgentem fuisse introductum, sed malos librarios improbo quodam impulsos zelo, sermones eius in providentiam dei et doctrinam Christi iniurios recidisse ac mutilasse et enervasse, ut horum potius culpa tanquam puer pugnet, qui tanquam veteranus gladiator sine missione pugnaturus exhibetur. Atque in hanc suspicionem adducor consideratis quibusdam locis Ambrosianae interp., quae a graecis nostris omnino absunt, ut §. 114. quamvis ab Aenea vere scripta videntur et convenienter quidem Theophrasti personae. Observavit etiam C. Barthius advers. III, 4. p.

113. istam Theophrasti inertiam, sed ironiae tribuere eam maluit. *Ironica autem Aeneas eius*, inquit, *non pauca sunt, ut cum initio Theophrasti eum philosophum tantopere laudat, quem postea discipulum velut suum docet ea, quae ipse se doeturum iactaverat.*

XV. Superest, ut quid a nobis in hacce nova optimi scriptoris editione praestitum sit, exponamus. Prima mihi cura fuit, ut graecam scripturam darem quam emendatissimam: ad eamque rem usus sum primo auctoritate ipsius *cod. Aug.*, ex quo uno hucdum Aeneam prodisse dixi. Hunc cod. memorat El. Ehingerus in catal. bibl. Aug. Plut. VIII, 3. p. 769. A. Reiserus in ind. MSS. cod. bibl. Aug. p. 80. et Monf. in bibl. manusc. p. 594. e. CXX. Ipsum cod. ex senatoria bibl. ill. reip. Aug., singulari ac prorsus commemorabili beneficio summi atque ill. viri verique Mecaenatis, nunc in coelites recepti, I. E. L. de Herwart, Cons. quondam reip. Aug. spect. ac bibl. isti praefecti, parario I. Bruckero, celeb. etiam post fata viro, utendum accepi et descripsi. Instar alterius cod. fuit interpr. lat. *Ambrosii Camaldulensis*, quam debito studio comparavi cum graecis et, siquid discreparet, notavi. Plurima autem, ni fallor, graeci textus errata auxilio Ambrosii retexi et sustuli. Porro edd. diligenter contuli cum cod.; primum principem *Gesn.*, e qua reliquae omnes, cum nemo praeter C. Gesnerum ipsum codicem viderit aut descripserit, hic vero apogr. suum cum I. Wolfio communicaverit, emanarunt; deinde etiam *Barth.*. Morellianam conferendam etiam putavi, satisque perspexi ab Gesn. eam non recedere, neque ab ea quicquam praesidii exspectari posse, cum ipse Morellius in prolegi sui marg. declaret, se graeca et latina descripsisse ex edit. Wolfii Tigurina. Interim Morellius, ut erat graecae literaturae peritissimus, et praeterea interpretatione Wolfii adiutus, nonnulla vitia ex ingenio emendavit sat feliciter, eoque nomine eius ed. anteferenda vel Gesnerianae, in paucis locis emendatio minus ex sententia cessit, in paucissimis temere mutavit verba. Ducaeanam, quamvis multum in ea investiganda laborassem atque Lipsiae, Wittebergae, Ienae, Lubecae ac Regiomonte in bibll. apparatissimis eam quaesivissem, nullo modo reperire potui, ita ut adhuc nesciam, an quid Fronto Ducaeus in praeff. de Aenea attulerit, an quas lectiones graecas mutaverit aut emendaverit et quid in universum boni praestiterit. Constat tamen, eum non aliunde, quam e Gesneriana fecisse suam, atque animadverti satis ex multis Aeneae locis, quos alii scriptores Duc. ed. laudas-

sent, nil ab eo mutatum fuisse. Interim invitissimum me caruisse eius editione fateor et contentum esse debuisse reliquis tribus, quibus tamen ad ornandam meam satis me usum puto. Et in corpore quidem scripturae ipso posui lectiones codicis: interdum, ubi certa satis esset Ambrosiana lectio, hanc praetuli, itemque quando editoris alicuius emendatio fidem merebatur: rarissime, si merus error typorum calamive appareret et mea ipsius emendatio non verisimilis modo sed prorsus certa videretur, quantumvis e coniectura nata, emendatam lectionem exscribendam arbitratus fui. Discrepantes vero easque deteriores lectiones in ora libri diligenter apposui ubique, signo notatas, ita ut *A* cod. Aug., *C* interpr. Camald. abbatis, *G* Wolfii Gesn. ed., *M* Morell., *B* Barth., f. aut l. meam coniecturam *fortasse* veram aut emendationem iure *legendam* designaret. Porro scriptorem meum, auctoritate ipsius codicis, in capita divisi; quod nollem omissum a caeteris editoribus. Quin etiam totum in paragraphos dissecui eorumque numeros meae interpretationi latinae praefixi, ut sententiae scriptoris commodius citari et citatae inveniri queant. Item ad commoditatem lectorum appinxi pagg. editionum, in dextra parte latina notans pagg. Gesn. et Morell., in sinistra pagg. Barth. et folia Ambr.; idque eo feci consilio, ut qui uspiam reperiat pagg. alicuius ed. laudatas, locum scriptoris statim possit etiam in hac nostra invenire.

XVI. Secundus labor fuit *latine interpretandi*: quo non Barthium quidem superare annisus fui: id enim neque opus nec labor fuisset, sed, si possem, Wolfium et Ambrosium. Est sane mea interpretatio minus libera ac magis sincera, quam Wolfiana, et iis certe quidem erroribus vacat, qui Wolfio ex vitiosis lectionibus graecis suborti fuerunt. Interpretando enim emendatiores ubique lectiones easque etiam coniecturales interdum latine reddidi. Praecipue autem id operam dedi, ut latine ac perspicue loquerer, neque tamen a mente scriptoris recederem. Feci hanc interpretationem plane novam, mutato priore consilio, quo retinere et emendare Barthianam decreveram et quod promiseram quoque in *Nouv. bibl. Germanique* t. IX. p. 409. Nam insanabilem eam esse, nisi prorsus in aliam convertatur, postea experiendo intellexi.

XVII. Tertium denique editoris officium putavi, *explanationibus subiectis* lectorem iuvare. Et merebatur interdum Aeneas explanari, praecise saepenumero ac subtiliter disputans, multaque e philosophiae Platonicae spa-

tiis, multa etiam ex antiquitate profana atque omnis generis historia vetere proferens. Rerum igitur, quae a quovis lectore non statim perspici atque intelligi posse videbantur, nullam tacitus praetermisi. Interdum etiam dictiones difficiliores ac vocabula minus nota interpretatus sum, productis glossariorum et auctorum graecorum locis: aut ad eos scriptores, qui eadem iam explanassent, remisi, aut, ne actum agerem, Himerium meum evolvi iussi. Satis enim crebro in hisce annotationibus provocavi ad editionem meam declamationum Himerii, quae nondum quidem prodiit in lucem, tum tamen, cum istas scriberem, ad typos admittendos parata iacebat et ob certas mihi propositas spes multo citius, quam Aeneas, prodire debebat. Subinde etiam correxi priorum interpretum errata. Praecipue denique elaboravi in graecis verbis emendandis veraque lectione constituenda: quod a Barthio aut negligenter imperiteque factum aut infeliciter tentatum video; neque enim tribus plures bonae eius emendationes in tanto numero extant. Quicquid tamen uspiam boni deprehenditur in Barthianis annotationibus, id merito laudavi et lectorem eo ablegavi. Si quis praeterea alius Aeneam, aliud quid agendo, explanavit, eum quoque nominatim laudavi. Nihil autem aeque mihi profuit ad scriptorem meum et emendandum et illustrandum, ac fontium investigatio, ex quibus sententiae verbaque Aeneae dimanaverant. Mature enim reperiebam, eum ex rivulis mox Plotini, mox Origenis, mox aliorum suos irrigasse hortos et scriptorum horum sensus stilumque imitando exprimere studuisse. Quo animadverso et locis horum scriptorum excussis, facile perspici poterat, quid Aeneas demonstrare voluerit et quibus id fecerit verbis. Hunc interpretandi fontem et Barthius ignoravit et quicunque alius quicquam lucis afferre Aeneae tentavit. Eo autem sic fui usus, ut et loca vetustiorum scriptorum, quae ille in mente habuerat, indicarem et, si brevia essent, transscriberem simulque ex iisdem castigatiores ac veriores lectiones producerem sensumque disputationis declararem. Saepe etiam velut aliud agendo, opportunitate excurri in alios graecos scriptores eorumque depravata loca breviter emendavi, si quidem supervacanei huius operis labore perfungi absque dispendio temporis et spatii poteram.

XVIII. Ad calcem libri subieci *indicem* rerum praecipuarum, quae et in Aenea ipso et in meis annott. continentur. Addidi brevem indiculum eorum scriptorum, quorum loca, ut dixi, in annott. a mendis repur-

gaverim. Lector benevolus fruatur hisce operis nostris, qualescunque tandem eae sint. Scrib. Gedani m. Martio a. MDCCLXXIV.

Variae lectiones ad *Aeneae Gazaei Dialogum*, qui *Theophrastus* inscribitur, ex *Cod. Augustano.*

(Collatus est cum bibliotheca patrum Paris. 1644 in fol. T. XII. p. 617 sqq. Textus expressus est ex ed. Io. Wolfii Tigurini 1560.)

Index: *Αἰνείου σοφιστοῦ διάλογος. ὁ Θεόφραστος.* Continuo leguntur hi versus:

Αἰνείου πόνος οὗτος, ὃς ἔξοχος ἀτθίδι μούσῃ
Ῥητόρων γεγαὼς καὶ θειοτέροις ἐνὶ μύθοις (sic)
Τοὺς νῦν καὶ τοὺς πρόσθε παρέδραμεν, ὡς τόδε γράμμα
Ἀτρεκέως ἤλεγξε, μηκέτι πυκινὴ (sic)
Γάζα μέγα φρονέοις, ὅτε τοίου πατρὸς ἐτύχθης,
Ὅστις καὶ ῥητῆρ᾽ Ἐπιφάνιον ἐξεδίδαξεν.

Τὰ κεφάλαια τοῦ διαλόγου.

1) *Ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνθρώπων προβιωτή.* (huic ante caput ipsum additur:) *οὐδὲ πάλιν βιώσεται ἡ ψυχή.*
2) *Ἔλεγχος τῆς παρ᾽ ἕλλησι λογομαχίας.*
3) *Ὅτι οὐ μεταβαίνει εἰς ἄλλους ἀνθρώπους καὶ ἄλογα ζῶα ἡ ἀνθρωπεία* (*ἰνη.* ante caput.) *ψυχὴ*, (*καὶ περὶ προνοίας*) Inclusa absunt ante ipsum caput.
4) *Διατί τῶν τικτομένων τὰ πάθη.*
5) *Ὅτι χρήσιμον τῆς τελευτῆς τὸ διάφορον.*
6) *Ὅτι γίνονται καὶ ἀθάνατοι αἱ τῶν ἀνθρώπων ψυχαί.*
7) *Ὅτι πεπερασμέναι καὶ οὐκ ἀπέραντοι καὶ περὶ κόσμου γενέσεως καὶ τῆς πρὸς τὸ κρεῖττον μεταβολῆς καὶ ὅτι οὐ πολλὰ ἅμα σώματα τῆς μιᾶς ψυχῆς, ἀλλ᾽ ἕν, ὃ καὶ ἀνίσταται καὶ ἀθανασίας μεταλαγχάνει.*
8) *Διατὶ μὴ καὶ τῶν ἀλόγων ἀνάστασις γίνεται.*
9) *Ὅτι κἂν τῷδε τῷ βίῳ γέγονε πολλάκις νεκρῶν ἀνάστασις πρὸς ἀπόδειξιν τῆς μελλούσης.*

Τοῦ διαλόγου τὰ πρόσωπα.

Αἴγυπτιος ἀλεξανδρεύς, Εὐξίθεος σύρος, Θεόφραστος ἀθηναῖος.

---

p. 617. C. *Ἀξίθεε*] *εὐξίθεε.* Scilicet α i. e. *ευ* per totum accepit pro *α.* - *σύρων καὶ*] del. - 618. A. *ἢ πολλὴν χάριν.* - *φιλοσοφίαν*] *φιλοσοφ.* cetera deleta. Forte *φιλοσοφοῦντες.* - *ἀλγῆσαι οἷς*] *ἀλγη* reliqua deleta. - B. *εἶχε ὅτ*] *ιι χθές.* Sic, litteris luculentis. - *ὄψεσθαι*] *ὄψεσ.* cetera deleta. - *καὶ ποθούμενον*] *τὸ ποθ.* - *τῇ τύχῃ συνῆθεν*] *συνηθ...*

Credo *συνήδομαι*. Nam istae litterae clare apparent. – *ἐτι παρ' ὑμῖν*. – C. *ἐκεῖνος ὁ λύκιος*. Sic arbitror. Nam syllaba *ος* supra scripta erat, nunc vero deleta cum accentu in *ὁ*. Mox *ὁ ἐμὸς μέν*. In cod. *ἐμ̣*. Ergo sigla male intellecta. – *ἱπποδρομίαι*. – *περιδραμών*] *παραδραμών*. Sigla non intellecta quod est *παρα*, non *περι*, tametsi speciem *τοῦ ε* habeat. – D. *παρ' ἀθηναίοις*. – *καὶ περὶ αὐτοῦ*] *καὶ* non agnosco in Cod. – *κλέος τῶν ἀθηνῶν*. – E. *σοφωτέρῳ περιτυχεῖν*. – 619. A. *τὸν εὐξίθεον*. et mox *εὐξίθεος*. – *ἄγνωστος*] supra *γρ. ἐξελήλαται*. – *ἀξιόχρεων καταλιπεῖν*. sic. – B. *τὸ κράτιστον*. male. – C. *Εὐτυχοῦμεν εἴγε* etc.] Ante haec notatur cap. 1. *Ὅτι οὐκ ἔστιν ἀνθρ.* etc. – *τῷ ἐκδιδάσκοντι* sic. mox *πρότερον*, sed ex correct. *πότερον*. Nam *ρο* circulo iuncta in superiori parte. – *τῶν τῇδε πρ.* – D. *Λέγω γὰρ μὲν* del. – *Ἐγώ σοι διανοίγειν*. Ante haec notatur cap. 2. *Ἔλεγχος* etc. – E. *καλὰ ψυχῆς πέρι διαλ.* mox *πανταχῇ λέγων*. – 620. A. *ματαβάλλων* sic. – B. *τὴν γάρ τοι πτεροῤῥ*. – *τῇδε φέρουσιν*. Ante *τῇδε* aliquid in marg. notatum erat, quod tamen ita evanuit, ut legi nequeat. – C. *τοῦ δημιουργοῦ αὐτὴν* sic. – D. *πρὸς τῷ μὴ ἀτ.* – *ἠβούλετο γὰρ – μὲν ὁ Πλάτων*] *πρόγονος*, uti paullo ante Platonem vocaverat. – E. *εὐδαίμον εἰ – μᾶλλον τοῦ ἱππίου*] *τοῦ ἱπ. μᾶλλον*. – *ὅτῳ χρὴ*. – 621. A. *ὃς κατὰ τίσιν ὑπὲρ*. – *νῦν μὲν κατὰ τίσιν*. – B. *ὑβριάζεσθαι*] *ἐκβιάζεσθαι*. – C. *ὅ, τι ἂν ἐθέλῃ· οἱ δὲ*. – D. *ἀγένητον αὐτὴν*. – *γλαφυρὸν. κοῖλον* suprascr. Interpretatio inepta. – E. *ἐπιλελησμένος*. – *χαλδαίοις τε καὶ*. – 622. A. *συμπαραχθεὶς*. – *οἶδα ὦ γαθέ*. – *ἄνθρωπος αὐτοῦ ἀναφανεὶς* del. Mox *προσήκει*. – B. *ἢ καλῶς λέγεις*] Ante haec notatur c. 3. *Ὅτι οὐ μεταβαίνει* etc. *ἦ*, loco *ἡ* Cod. – B. *εἰ πάντα εἰδείης*. – *ἀνδροκτασίης*. (v. Hom. Il. λ. 164.) – *καὶ σοὶ ταύτην*. – C. *μεμβρὰς*] supra scriptum *ἀσύα*. et in marg. *ἰχθύδιον εὐτελές*. (Forte *ἀφύα* voluit.) Fere deletum erat. V. Alciphr. p. 398. et hic infra 625. C. – D. *συμφέρεται*] *συμφύρεται*. – *ὁμογνώμονες ὦ εὐξίθεε τοῖς*. – *χρησμῳδῶν ὡς Ἀπόλλων*. sic credo. – E. *τὰς τῶν ἀνδρων* sic. i. e. *ἀνθρώπων – καὶ τοῖς μέν*. suprasc. *χερσαίοις συνδιαιτ.* – 623. A. *Ὀρφέαν τὸν τῆς*, – B. *αὐτῷ μεταβαλών*. – *μυσταγωγοὶ οὐδὲν ἐν* mox *ὥσπερ* sic. – C. *ἴκτινον* sic. et mox iterum sic. tertio loco

ἰκτῖνον. – κύκνος νομίζεται. suprascr. ὀνο i. e. ὀνομάζεται. – 624. A. ἐπεκτείνειν τὸν βίον. – τῷδε τῷ βίῳ. – C. ἀδεῶς ἅπτεσθαι. Sic, sed ex corr. ἐφάπτ. – τοῦ ἴου τῆς] ἰοὺ, ἰοὺ τῆς ἀτοπίας, προαγ. – D. εὐξίθεε, οὔτε. – αὐτοῖς συνέπονται] ἐκείνοις. – 625. A. καὶ καθὰ] μετὰ τὸν ὑπέρβολον – ὧν ὁ μύρμηξ. – ἡμᾶς οὐ διελάνθανεν] Equidem credo ἡμέτερα διελ. In Cod. ἡ μετὰ. μετὰ plane, ut paullo ante μετὰ τὸν ὑπέρβολον. – B. οὔμενουν – ἂν τῷ μύρμηκι. – οὐ καταγέλαστον. – σκηνῆς] supra credo scriptum στρατιᾶς. C. εὖ πράττοι δὲ καὶ sic. – ἄλλοτιἠ sic. – D. μελιτουργοὶ – ἀπείποι] in marg. ὅτι ἐξ ἐχθροῦς βοὸς τεθνηκότος σμῆνος μελιττῶν προέρχεται. – πνεῦμα, τότε μέν. – E. ταύτας οἱ μελιτουργοὶ – ἆρ' οὖν ἡ – μελιττῶν ἀγέλας – 626. A. οἱ τῷ μυθολογοῦντι] οἱ τῷ συμμυθ. Et ex correct. ὁτῳοῦν μυθολογ. – B. τῶν δὲ πατερίων. – πρὸ τῶν ἄλλων. – C. τῶν μὲν καλῶν. – ἀξιῶ τε. – διορίζων] et supra γρ. γνούς. – D. περοξύνει] παροξ. – αὐτὸς αὐτῷ. – E. ἀκηκοέναι λέγων. – 627. C. μεμονωμένος] suprascr. γρ. μαινόμενος. – οὐχ ὁ διδάσκαλος. – E. χαρακτῆρας ὑπογρ. mox προσκαλεῖσθαι. – 628. A. ὅτε οὐδὲ ὁ ἄνθρωπος. sic credo. Sic rursus eadem sigla ante τὸ γύναιον. sic et p. 628. E. οὐδὲ ἀφαιρήσεται. et saepius. – οὐδὲ τὸ γύναιον. – C. φιλοσοφίαν δοκεῖ. – φιλοσοφίας φίλην] antea credo κεφαλήν, deinde correctum φυλακήν. – E. ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον. – 629. A. αὐτεξούσιον. mox ἀσπάζομαι. et χάριν. τί γὰρ – B. βίαιον] βέβαιον. – λίθινος] λίθιος. – ἢ τίνα φθόγγον. – C. ἢ διὰ τὴν τῶν φαύλων. – προσπαίζοι τὴν] προσπαίζουσαν εὐφ. Syllabam αν ex sigla adhuc cognosco, sed υσ fere prorsus deleta. – ὃ δὲ τῆς γεωργίας. – D. νεανικώτερον τῶν ἔργων ἀντέχοιτο. – ἆρα τὸν σωφρον. mox οὖμεν οὖν. – E. τῷ ἐρωτιῶντι συμπίνειν. ὁ δὲ καλοὺς sic. – ἀλλ' ἐχρῆν etc.] ἀλλ' ἐπειδὴ τοὺς μὲν mox: τοὺς δ' αὖ φαυλ. – 630. A. ἢ τοῦτο μὲν λέγ. – B. καλῶς ἢ μετρίως. – ἄρτι γεννώμενον. – C. μονώμενον] ἀμυνόμενον. – ἐκβαλεῖν ἐθέλοιμεν. – D. παραπλ. βούλεται] βούλεται quidem antea, sed ex corr. βουλεύεται. – τροφῆς ἠμέλησεν. – ὡς οὐδὲ αἱ –ποιοῖμεν, τί τῶν – E. μὲν καὶ ὃ del. – 631 A. ἀλόγῳ σώματι. recte, nec enim bovis aut asini corpus habet. – αἱρούμενος προτέρου] Ita quidem, sed forte πρὸ ἑτέρου. – B. καὶ ὅσα δεῖ τὸν ἀγωνιστὴν – ἀλλ' ὧν περι εἶδεν] Sic. Sed insertum ἀλλ' ὧν μὴ ἐποίησεν, ἀλλ' ὧν περιεῖδεν. – C. τὴν ἐν etc.] τῷ ἐν ἡμῖν παιδὶ – D. αἱ μεταβολαὶ] suprascr. γρ. ἀποβολαί. – ὡς οὐδὲν βέβαιον. – προσεκτήσαντο ὡς] suprascr. τοὺς δὲ γυμνωθέντας παρεμυθήσαντο. – διανοηθεὶς] suprascr. ἐνθυμη. – E. προσπταῖον λοιδ. – τὸς αὐτῷ δοκῇ. sic. – 632 A. τοξότου βάλλοντος ἀνάγκη. – τῆς ἀγωγασίας] suprascr. credo τῆς γῆς οὐκ ἀφῃθη. Sic et p. 634.

– C. ἀναπλῆναι δύνανται. – εἰς ἀγαθὸν ἡ τελευτή. – E. συγχωρεῖ] suprascr. μικρὸν ἀναμένει. – καὶ ἀποτίσας] καὶ ἀποτίσαι. – 633. D. δικαιοσύνης corrige. – E. corrige διαμαρτών. – 634 A. τῷ ὀφθαλμῷ. Sic Cod. Sed corrigendum τῷ ὀφθαλμοί. – ἀφείθη] ἀφήθη ut paullo ante p. 632. – Καλῶς ὦ γενναῖε etc.] Ante haec legitur index capitis quarti. Διετί τῶν τιχτ. etc. – μὴ ἀρκούσης] μὴ ἀρχοίσης. – B. τί γὰρ ἂν συνέχοι. – C. ἐπισύρεται. Sic suprascr. φέ. – διέστραπται. – D. ἡ τιμωρία] οὐ τιμωρία. – καταλειπόντες sic. – E. προσήκει καὶ τὴν] del. Mox pro πεσόντα malim προσπεσόντα id est ἐντυχόντα. Sic est 637 E. – 635 A. συνεχώρησε] in marg. γρ. καταλιπών. – B. φύσις, ἣν αὐτός. – C. ἐπεὶ καὶ τὰ πάθη. – ἡδονὰς ἐφάνη] suprascr. ἀν. id est, ἀνεφάνη. – D. τοῦτο πᾶσιν] ταὐτὸ πᾶσιν. – E. κομίζει] κοιμίζει. – in fine: οὐδ' ἂν εἴη. (Interpres ac si οὐδὲν voluerit.) Sed illo modo Codex. Ergo intelligitur πρόνοια. – 636. B. καθαρμὸν] suprascr. σιν id est κάθαρσιν. – C. ἐρρωμενέστερα καὶ τὰ. – Εἶτ' οὐκ ἀνώμαλον] ante haec legitur index cap. 5. Ὅτι χρήσιμον τῆς etc. – E. οὐ γὰρ αὐτὴ τοῦ ζῆν. – καὶ τοῦτον (suprascr. ταὐτὸν) ἅπασιν. – 637 A. διορίζεσθαι] διωρίσθαι et supra ζε, id est διορέζεσθαι] – συζήσαντες] suprascr. credo ἅμα. – D. ἐπίσπεσθαι sic. – 638 A. εἰ δ' αὖ δίκαιος. – δοκιμασίαν ἀπέβη. ϟ. Sic et in calce ϟ. ἤδη γὰρ ὁ γεγηρακὼς τῷ πάθει νεανικῶς ἀνταγωνιζόμενος ἀντὶ τοῦ παιδὸς καλλίω φήμην ἐκτήσατο καὶ ζῇ μετ' ἀγαθῆς ἐλπίδος (l. ᾗ) ἢ ἐποχούμενος ῥᾶον φέρει τὸ γῆρας τὸ πάθος τῆς πρὸ τῆς ὥρας τοῦ παιδὸς τελευτῆς. Sic litteris minutissimis ac fere evanescentibus. – Πελίας τε – ἐρρῖφέναι] ἐρρῖφθαι. – B. ἡρώων εἰς μέγιστον. – C. ὃ δὴ πολλοὶ – καὶ τὸν δηὖ φοβον] μετὰ. – D. μετ' ἐκεῖνον ᾄδουσι. – δὲ τῷ
διόνυσσον. – ἤρα διονύσσῳ. – E. Γέται ποταμῷ ἴστρῳ. Sic supra a recentiori. – ὁ Πρωτεὺς – 639 A. παθήματα γίνεται] Post ista aliquid in marg. additum, quod fere evanuit. Incipit: καὶ τὸ ὅλον, ultima verba, quae legi possunt, haec sunt: σὺ δὲ τὸν ἰατρὸν, οὐ τὴν νόσον κακίζεις, ἣν δ' ἀπιστίαν καὶ λήθην, ὧν ὁ ἰατρὸς προηγόρευσε, συνέβη γενέσθαι. – B. εὐεξία τε. – C. οὐκ ἀναμένει δεῖτ. – ἠξίωσεν] supra credo ἐξέωσεν. – D. μισήσας εὐθὺ τῆς φρουρᾶς. – οἴμενουν. – 640 C. Ἀλλὰ τί δήποτε etc.] Ante haec est index capitis 6. Ὅτι γίνονται καὶ etc. – προϋπέστησεν. – D. ἀλλὰ μόνον τὴν ἀρχὴν] μὴ δὲ id est μηδέ. – ἀνάρχους τε – E. οἳ καὶ τὸν – 641 A. εἰς ἡμᾶς αὐτοὺς. sed confluxit η, ut etiam υ valere possit. – B. ἀλογίας τί πάθοιμεν. – συμπεπλάσθαι. mox ἀρχή τις. – C. διωρισμένη αὐτὴ] Credo διωρισμένον αὐτῇ. – D. αὐτὴ προστέτακται. mox οὐδὲ ἀνθρώπου. – κἂν παύσῃ] κἀν

ταύτῃ sic videtur. – E. προέρχεται, πῶς ἀθάνατος; – ἐκεῖνος τε] sic. Malim: ἐκείνας τε. – 642. A. μέχρι τοῦ διορ. – B. ὁμοούσιον] suprascr. γρ. ἐκ μὲν τῆς ἰδίας οὐσίας. – θνητὸν τῷ ἀθανάτῳ οὐχ ὅμοιον. – C. οὔτιγε μὴν. – D. ἀθάνατον διασώζεσθαι] ab his verbis manus secunda duo folia scripsit. – πάντως που καίεται. – 642 C. ἀνάγκη τὸ ὅλον ἐξ ὧν τοῖς μέ-
αι
ρεσιν συνετέθη. – D. μέτρον ἐν δέοντι διορ. – E. κενὸν οὐδὲν sic. – συμποσιάσουσιν. – 643 A. τῶν ἀνθρώπωv τὸν. – B. ταῦτα γὰρ ἐξελήλεκται. mox νεανικόν. – οὐ γὰρ ἐς τοσοῦτον. – C. πέρι οὐδ ἑ ν. (Sic. forte οὐδέ, aut οὐδεμίαν) mox ἀπολείπεις εὐξίθεε. φίειδέ. – D. οἰκούντων εὐδαιμονίᾳ] in marg. γρ. ἀθανασίᾳ. – καὶ ἄτακτον οὐδὲν] καὶ suprascr. – E. ἀλλ' ἕκαστον ἑκάστῳ φίλιόν τε. – ἢ πῶς δημιουργὸς – 645. B. σύνθεσις ἐν ἑαυτῷ. – διηγήσεται, αὐτολόγος. – δι' ἑαυτοῦ δημιουργεῖ. – C. πνεῦμα προηνεγκεν. οὐ βίᾳ φύσεως, ἀλλ' – D. καὶ ἀίρα. del. – E. ἐγείρει τε. – 646 A. ἀλλ' ἔσχατος, πῶς. – πλάτων, μέμνησαι γὰρ ἐν τιμαίῳ πῶς. – B. τὸ γέγονεν οὐ γέγονε λέγουσιν. mox αἰτίας. τῆς ἐμῆς κακίας αἴτιον. Praeterea hic in marg. legitur: κρεῖττον ἐγένετο, quod quo referendum sit, nescio. – E. οὐκ ἀγένητον. Sic et mox ἀγένητον. – 647 A. πῶς ταῦτα. Mox γεγονέναι τε. – τόδε τὸ πᾶν. – ἢ πῶς οὐ. – τοῦδε τοῦ παντός. – B. Ἀπόλλων ποτέ – οὐ γὰρ ἅμα δὴ πάντα. – D. οὔμενουν. – εὖ διαλύεται] εὐδιάλυτον τῇ δυνάμει. Τὸ δὲ δύναμιν. – 648 A. διὰ φθόνον, ἤ τι] additur supra ἆρα φῶ; – D. ἐλάχιστόν ἐστι τοῦ οὐρανοῦ. – καὶ ἀθάνατον νῦν] ἀθάν. καὶ νῦν – E. ἔνδον νοήσεις et supra γρ. διανοήσεις. – 649 A. ἀθανασίαν αὐταῖς χαρίζεται. – δευτέρων ἐπιμέλεσθαι etc.] δευτέρων ἀπορίᾳ καὶ ὡς δεῖ ἐπιμέλεσθαι καὶ μηδὲν. Ergo idem bis. – B. τῷ αὐτεξουσίῳ suprascr. γρ. τῇ θεωρίᾳ. – ὑπηρετεῖν τῷ πρώτῳ. – C. ἀλλ' οἷον μὲν sic. Forte οἷον ἐν. – οὐ τὸ πλεον] οὔτε πλέον. – D. πραότητος καὶ φιλανθρωπίας. – E. φθορὰ, ποῦ τὸ ἀθ. – ἀθανασίαν ἀναθησάμενος. – οὐδὲ θνητὸν οὐδέν. – 650 B. φορτίον] Credo φορτία. Correctio enim dubiam facit lectionem. Antea vitiose erat φορτίων. – διαβαίη. – D. οὐδὲ ὑδάτων ἀποπνί-
ἀδεῶς
γεσθαι. – σὺ, εὐξίθεε. mox ἀσώματον ὅτῳ οὖν σώματι συμπλέκεσθαι sic. – 651 D. διαλύεται. εἰ τοίνυν τὰ στοιχεῖα διασώζ. omissis mediis. – 652 A. ἀνατεθραμμένην. – σῦκον σχοινίῳ. – ἡ κεγχρεμίς. – B. τί μέγα] τὸ μέγα. – ἔτι δὲ καὶ] ἔστι δὲ καί. mox τέχνη sed infra hoc scriptum φύσις. – C. αὐτόχθονας. – D. ὑποδύναι. – E. λέλυται, πῶς. – ἢ ποῦ ἆρα. – 653
εἶνω
A. οὐδὲν ἄμεινον (sic) ὅτι μὴ καὶ – ἀφικνουμένη οὐ τέλεον. – B. ὁ ἄνισος] correctio dubiam facit lectionem, utrum sic an ἄλυτος an ἀήττητος. – σπείραντες – C. καὶ ῥίζας. mox φύλλον ἐξέ-

φυσε. – D. εἴπόνγε τῆς. – E. καθάπερ οἱ παῤ ἡμῖν ἀγαθοὶ. – εἰ χρὴ] ἢ χρὴ, forte ᾗ χρὴ. – μυρία δὲ καὶ διάφορα δένδρα. – ὅμοιος ὁ ἑκάστου λόγος. – 654 A. διατάραξε] suprascr. γρ. διετραξε. – δεξαμενή τις οὖσα. – δὲ τῷ χρόνῳ. – B. καὶ χαλκοῦν] καταχαλκοῦν. mox τὸ ὅλον. – Post ἐξεύροι suprascr. εἶτα. – Ante ἀχιλλεὺς μέντοι insertum ἀχιλλεὺς. – ἀθανασίας ποτὲ μεταλαγχάνειν. – E. εὑρίσκειν et ex corr. ἐξευρίσκειν. – κέοιτο] καίοιτο. – 655 A. ἤπουγε. – B. δεσμωτήριον, πῶς οὐ. – εἰπερ ἐν ταῖς συμφοραῖς. – C. οἷα δὲ τοῦ σώματος ἡ ἀσθένεια. – D. Οὐκ ἀγεννῶς] Ante haec notatur cap. 8. Διατὶ τὰ μὴ καὶ τῶν etc. – καὶ τῶν ἀλόγων, sic insertum. – ἢ τῷ σώματι. – 666 A. οὐδὲν οὖν τῆς ἀνθρωπίνης – ἐξέταττεν suprascr. προς. – B. ἀθανασίας τί παρ. mox ἄγευστος. et ἐσαεὶ. – C. κοινωνεῖν ἐπιτηδεία. – D. κατιτερον – τὸ νίτρον] τὸ λύδῶς τρον. – E. ὥσπερ οὖν γέγονε. – 657 A. πολύδειος] πολύειδος sic. – τὴν Ἄλκιστιν. – Ἀλκαρνασεύς. – B. προκονήσιον. – ἐπ Μεταποντινοῖς mox μεταποντινούς. – ἐρωτᾶν. sic. – D. καὶ τοὺς ἄλλους del. – E. Νῦν γοῦν ἔτι] Ante haec notatur c. 9. Ὅτι κἂν τῷδε etc. – περὶ τὴν ψυχην] καὶ. – 658 B. παλαιῷ] παλαιὸν. – απειρείδει καταθείς. – D. φυγὰς ἀπαλλάττεται. – E. τουτὶ δὲ μέγιστον. – ὑπισχνῇ – ἕτερόν τι λὸγειν. – ἐστέρηεῖ τος] ἐστέρητο sic. – 659 A. ἀλλ' ἢ ἡμέραι. – καὶ ἀναλαβὼν τὰ λόγια. – κατεπλήγη] supra καταπλήττει. – B. ἀλλάττα τοιαῦτα. – C. καὶ τουτὶ τὸ καλόν. – 660 A. πῶς γὰρ ἔμελλεν. infra scriptum γρ. οὐδεὶς. – C. ποσειδῶνι] post hoc in marg. additur: οὐδὲ τον υἱὸν, καθάπερ ὁ κρέων τον μενοικέα, οὐδὲ τὴν παῖδα, καθάπερ ὁ λεὼς τὴν πραξιθέαν, οὐδ' ὅλως ἄνθρωπον, ὥσπερ ἐν ἀρκαδίᾳ τῷ κρόνῳ. – D. δι' οὗ θεὸς ἅπασιν.

XXVII.

De *Io. Grammii* opusculis a *D. Ruhnkenio* desideratis. Scr. *T. Baden.*

Ruhnkenius in Epistolarum, a Tittmanno editarum, XIma ad Ernestium scribit p. 36.: »In pauculis Io. Grammii libellis, qui ad notitiam meam pervenerunt, rectum et probum in litteris nostris iudicium, eximiamque Graecae linguae scientiam admiror. Quodsi mihi vel ex Tua vel

ex amicorum Tuorum bibliothecis omnia eius opuscula suppeditarentur, illa Batavis typis descripta oblivioni eriperem. Quicunque vero vel Dissertatiunculam mihi suggesserit, illi operum nitide recusorum exemplar cum gratiarum actione donabitur.« Amplissimum hoc viri in Philologia principis de Grammio iudicium secutus, ut videtur, Seebodius V. Cl. mihi, ut opuscula illa vulgarem, auctor fuit; nec vereor, ne non obsequium meum doctis et intelligentibus probem. Opuscula vero digna visa, quae vulgarentur, haec sunt: 1) *Archytae Tarentini Fragm. περὶ τῆς Μαθηματικῆς c. disquis. chronolog. de aetate Archytae*, cui qui desunt versus, ut aliunde suppleas, continuationem tamen observationum lectissimarum desiderabis: inchoatum nempe reliquit auctor; 2) *De origine Geometriae apud Aegyptios*, quo Herodoti de annua Nili restagnatione locus egregie illustratur; 3) *Observv. in Arati Phaenomena*, de quo, ceu quantivis pretii, libello loquitur Ruhnk. Ep. VI. p. 24; 4) diss. VIII. de *Vet. Test. vers. gr. in N. T. allegatione;* 5) De *ficta Henrici Aucupis expeditione Danica;* 6) De *origine et statu rei litterariae in Dania et Norwegia* usque ad fundatam a Christ. I. *univers. Havn.* 7) *Specimen supplem. Lexicorum* e Xenoph. 8) *Castigationes in Schol. Thucyd.* 9) *Narratio de Moshemii rebus in Dania gestis*, festivum *ἀνέκδοτον*, [exstat Miscell. Crit. Vol. II. P. I. p. 102 – 122.] opera eruditi iuvenis S. Salomonsen ex autographo descriptum, quod augendis Menckenii de *Charlataneria eruditorum* Declamationibus plurimum conferre potest; 10) *Historia Deorum ex Xenophonte*; 11) *De Veterum Grammaticorum circa libros eorumque inscriptiones censura.* Posteriora duo comitate viri ornatissimi M. Möller, Doctoris Philos. nactus sum. Reliqua mihi Bibliothecae huius urbis publicae suppeditarunt.

Havniae m. Iun. 1823.

MISCELLANEA

MAXIMAM PARTEM

CRITICA.

CURAVERUNT

FRID. TRAUG. FRIEDEMANN

ET

J. D. GODOFR. SEEBODE.

VOL. II. PARTIC. III.

MDCCCXXIII.

PROSTANT

WITTENBERGAE APUD ZIMMERMANN,

LONDINI, PARISIIS ET ARGENTORATI

APUD TREUTTEL ET WUERTZ.

Digitized by Google

XXVIII.

Niclasiana: cum rariora, tum inedita.

Quum Tua intersit, *amice suavissime Seebodi*, Miscellaneis Tuis utilissimis inserere philologica *studia* maximam partem *critica*, gratum Tibi fore confido, si Tecum quaedam *Niclasii*, Rectoris olim Michaëlitanae scholae Luneburgensis celeb., (de quo in Anal. lit. Gerill. Wolfii, P. II. plura dixi) communicavero, *viri* inter philologos sui aevi, et criticos, *summi*; qui omnes classicos auctores utriusque elegantioris antiquitatis, Graecae et Romanae, perlegerat; *Reizii* illius aemuli. - Cuius viri consortio et amori quantum debeam, vix dicere possum. Accipe inprimis *eius Theocritea*. Proh dolor *editione Reiskii* deterreri se passus est Niclasius a publicatione *suae editionis*; quâ, quantum iacturae fecerimus, hae observationes docebunt. - *Specimen* hoc *Theocriteum* prodiit 26. Sept. 1763 in progr. Dir. *Heinzii*, 4to: e quo, *quae huc pertinent*, Tibi mitto. - Ex *ed. optima Geoponicorum Graecorum* a Niclasio 1781, edita, apparet, quantum studii hic acerrimi ingenii vir *rei rusticae literatae* tribuerit et dicaverit; ita ut *Theocritum*, vitae rusticae adumbratorem, optime illustraturus fuisse putandus sit. Contenti nunc simus *specimine* saltem *editionis Niclasianae*, quam *Reiskius deterruit*. Vale.

Osterodae, idib. Augusti 1823.

D. Frid. Hülsemann, Dir.

I. *Theocritea.*

Diu est, cum amavi merito suo *Theocritum;* et adolescentulus iam *a Musis*, ubi primum me ad *Graeca* sacra aliquanto propius admiserant, *ad Siculum poëtam eductus sum*, ut, si non amicitiam et familiaritatem; *notitiam* tamen *olim profuturam* cum eo contraherem. Statim ego quidem ita captus, ac veluti fascinatus sum illecebris ac suavitate huius poëseos, et ita me delectavit *eorum venustas*, ad quam *suos* instituit *pastores* hic *elegantiarum magister*, (praeter *caprarios* quosdam, qui in eius schola non satis profecisse videntur,) ut non prius discessurus essem, quam me penitus insinuassem *in familiaritatem chori pastoritii*, nisi impedimenta quaedam obstitissent, quae animum meum hac defraudarent voluptate. Obiiciebantur autem illa, quae commemoravi, impedimenta, non tam ab sermonis, quo utebantur pecudum magistri, insolentia ac difficultate, quam ab *exemplaris* quo utebar *vetusti* vitiis innumerabilibus, atque errendis; quodque haerenti non ferret versionis praesidium. Itaque, ne ex nimia mora forte aliquid detrimenti acciperent reliqua *studia literarum* mea, contentus praesenti *aliquot* legisse *idyllia*, et eorum quae legeram *Graecos numeros adstringere latinis* tentasse, decernem *sitim*, quae mihi *excitata* esset, interim tolerare,

donec eam commodius possem, et sine magnis ambagibus, explere. Inde vero ab eo tempore, indies, quo magis aliquid *in literis intelligere* sum visus, eo minus poenituit me mei vel consilii, vel fati, boni, ut spero, et fausti, quo primum *ad bucolica* sum delatus: et tantum abfuit, ut ex eo, quo adstrictus eram *Theocrito,* amore, laxatum aliquid sit; ut illum potius tanto arctiorem cum eo habuerim constitutum. Postea vero in amicitia, quae paullatim iungebatur inter nos, colenda, non tantum *dictionis suavitatem,* quanquam hanc quoque, quantum utilitatis, ad eruditionis copiam aliquam vel parandam, vel nutriendam permagnae, fructum sequebar. Dubitari enim sane potest, delectet magis Syracusanus vates, an erudiat; et hoc potissimum, an illud, cum animum ad scribendum appelleret, habuerit sibi propositum. Utrumque puto equidem. Nam solent hoc poëtae boni. Continentur hic certe, atque aperiuntur thesauri eruditionis, eiusque non vulgaris, sed rarissimae, ac saepe singularis. Ubique tantum non luxuriat *laeta ubertas rerum* cognitu utilissimarum pariter atque iucundissimarum. Aliquoties *locos* tractat illustres *historiae antiquissimae.* Non levis ea laus est, sed debet apud prudentes esse vel praecipua. Nam *post sacros scriptores,* in quibus illa haereat, sunt admodum pauci. Huius tamen gloriae cum quosdam habeat socios, praeter poëtarum patrem illum, *Pindarum* inprimis, *Lycophrona,* et *Rhodium Apollonium;* aliud illius *de historia meritum* commemorabimus hic, quod eius totum sit, ac proprium. Nempe *pluscula,* quae sua aetate vel *domi,* vel *in Aegypto gesta* vidit, et quorum alibi frustra quaeras memoriam, suis mandavit versiculis *ad nos perferenda.* Alimenta hic inveniet *fabularum, geographiae* et naturae studium. *Rituum,*quorum aliqui, *sacrarum* etiam *paginarum locis* aliquot, lucem affundunt, hac lectione amplificabitur cognitio. Etiam superstitionum ista, opinionumque silva, quae in hoc fundo passim nascitur, si lectorem nanciscatur *qui sapiat,* et cui bona mens ac voluntas non desint, usu suo haud carebit. Ne plura. Tanta hic suppeditatur bonarum rerum abundantia, ut naevi, quibus notatur *bucolicus,* quosque non ignoro, neque nunc dissimulo, non obesse deberi videantur; quo minus ille in omnium, qui ad aliquam doctrinae facultatem adspirent, geratur sinu. Quae cum ita sint; certe, cum ita esse mihi persuaserim, *decrevi singularem aliquando operam meam Theocrito addicere.* Non dubitavi id hoc loco profiteri.

Nam, cum hoc, quicquid illud sit, *consilii, iuven-*

tutis ergo a me sit susceptum; minime metuo, ne vel me indignum sit, vel ab caussa illa, quae me ad scribendum impulit, iudicetur alienum, *propositi de iuvenibus bene* merendi, explicare rationes. Etiam alias caussas habere mihi videor, easdemque iustissimas, cur hoc potius quam aliud agam; et cum alio tempore idem agere potuissem, cur nunc potius agere malim, quam tum. — Quum scirem in bibl. Vinariensi asservari *Theocriti exemplar Commel.*, collatum cum libris antiquissimis, et manu etiam descriptis codd.; vehementer illud in me sui videndi incendit cupiditatem. Et cum iam pridem inhiassem occasioni, quae illius mihi usurpandi faceret potestatem, tandem illam mihi aperuit *Meisnerus* (Ilfeld. olim dir.): ille vero illico hac super re litteras dedit ad *Albrechtum*, qui in aula Vinariensi tabulario officioque epistolarum praeerat. — Facta eligendi (plurium subsidiorum) optione, insuper duo volumina mittenda rogabam, quorum utrumque aliquid eruditae adnotationis adscriptum haberet. Nam cum iam in procinctu starem, vellemque paullo post locum munusque mutare; non licere mihi videbatur oblata voluptate plene frui, satisque putabam lucrari inpraesentiarum, si transcribendi operâ in meam venirent potestatem, quae docti viri ad suos libros calamo notassent. Itaque haud cunctanter veniebant *Rom. ed.* a. 1516 factae *duo exempla;* quorum alterum bene multa quidem scripta secum afferebat, sed puerilia pleraque, carbones pro thesauro; ut adeo ex isto, praeter unam alteramque *Aldinas lectiones*, nihil ad nostrum usum redundarit. Alterum vero tanto maiorem sui excitabat in me reverentiam, quum frontem illius virorum ad omnia secula magnorum, suis ipsorum manibus scripta nomina gerere viderem.

Primum locum tenebat heros ille litterarum, *Jos. Scaliger;* cuius studio *prolegomena graeca;* in quibus de genere *Theocriti;* de bucolicorum inventione; caeterisque exponitur: et prima scholiorum plagula variantes codicis ms. lectiones, atque emendationes aliquot, referebant acceptas. Hac opera etsi nihil adiuvetur poëta, auctorem tamen illam haud nullius pretii putasse, vel ex eo est opinabile, quod librum in testamento iussit ad *Vulcanium* venire; id quod hic his verbis est testatus: „*Bonav. Vulcanii, ex legato Scaligeri.*“ Quos deinde alios sit dominos nactus; quibusque viis Vinariam commigrarit idylliorum conditor, si quis forte aveat scire, sequentia indicia docebunt: *Adolphi Vorstii*, emtus a. 1615. *Lugd. Bat. in auctione librer. B. Vulcanii.* -

Emi Lugd. Bat. a. 1664. *Marq. Gudius.* – 1706 *in auctione Gudiana emtus a Sam. Schurzfleischio. Nunc Ser. ducis Saxo-Vinar. Guilielmi Ernesti adscriptus est, curante Schurzfl.*

Sed longe uberiores fructus ex libro tuli eo, quem *Commelinus* 1596. in charta octuplicata aere descripsit. Hunc *aliquis,* (quis ille fuerit non habeo dicere, sed doctissimum fuisse apparebat undique,) contulerat non cum *codd.* solum *Florentiae* 1515. a *Phil. Junta,* Romae 1516. et Venetiis 1543. aere impressis; sed cum duobus etiam descriptis manu, quorum alter littera V. – alter vero his siglis F. V. denotabantur. Quid autem significent ea signa, ab initio libri hoc erat modo explicatum: V. – *vetus exemplar Ms. Dr. Nic. Stopii.* – F. V. *Fulvii Ursini codex,* quo usus Ger. Falckenburgius a. 1567. – Est autem haec codicum tum typis, tum calamo scriptorum, *cum Commel. ed. collatio* perpetua; pertinetque non ad poëtam solum, sed ad commentaria quoque graeca. *Lectionum* licet sit satis *foecunda seges;* tantum tamen abest, ut illa apud prudentes vel *metum,* vel *suspicionem de insigni corruptela* possit iniicere, ut potius *pro argumento,* et demonstratione *adeo integritatis* queat haberi! Scilicet *non ita frequenter* loca occurrunt eiusmodi, ubi appareat, *vere variare libros* et *sententiam!* Et, sicubi etiam varient, fit plerumque in rebus leviculis, dialecto potissimum, particulis, accentu, et eius fere generis aliis. Saepe, ubi videntur dissentire, in operarum aut errore, aut negligentiâ culpa residet; inprimis quoties ex libro typis excuso affertur varietas. Nam illorum, qui *manu* sunt *exarati,* ut rarius observantur diversitates, ita etiam *minus* sunt *dubiae.* Interim ista, sive vitiorum, sive varietatum farrago, ad crisin, acuendamque iudicii vim, non habebit nullum plane momentum. Habet autem hoc volumen dotes insuper alias. Passim existunt *vocum difficiliorum explicationes* Graecae, quas *glossas* vocat grammaticorum consuetudo, a codicibus scriptis suppeditatae. Multa denique dominus libri, doctissimus ille, ad *Theocritum* et ad *scholiasten* observavit bonae frugis plena. –

Haec igitur sunt praesidia illa, quibus non mediocriter iuvari aliquando, ornarique poterit *Theocritus;* pro quorum missione usuque gratiae habendae sunt perpetuae. – Interea, si forte quorundam, paullo accuratius, et per se, cognoscendi has Vinarienses suppetias, incenderim cupiditatem, *speciminis loco* proponam omnia,

quae ad *primum idyllium* annotata deprehendi; praeter illa, quae vulgatos iam libros aliter legere indicant.

Quoniam autem valde *meas ad rationes* pertinere puto, antea, quam rem serio gerere incipiam, experiri, quid de *meo* qualicunque *conatu* iudicent viri docti; et utrum ab opella mea, atque ingenio, proficisci aliquid posse existiment, quo adiuvari *Theocritus*, et adolescentum studia queant; audebo quaedam etiam *de meis* addere, unde de reliquis argumentum facile capiant. Ego vero adolescentibus *Theocritum* dari velim talem, *quem recte intelligant*. Licet enim ipse sit satis apertus, intellectuque non difficilis; fieri tamen haud potest, quin multa passim, imprimis poëta cum sit, occurrant, quae impediant eos, quibus non *ex varia eruditione* aliqua copia praesto sit, quo minus primo obtutu verum assequantur sensum. Porro, cum *poëta noster* longe sit *dulcissimus*, cupiamque ego vel maxime illius suavitatem sentiri ab iunioribus; opus esse puto saepiuscule *acuere gustum*, et, indicio atque expositione sententiae efficere, ut *dulcedo Theocritea* tanto penitius possit ad intimum animi sensum penetrare. Quae ego cum mihi proposuerim, facile patet, quae explanationis causa afferre sum conaturus, non esse generis unius. Neque enim puto, *interpretis* verbum recte poni in illo, qui in *sola crisi* domicilium collocet suum, et reliqua omnia susque deque habeat. Rursus vero non video, qui possit ille suo satisfacere officio, cui propositum est *explicare dilucide* scriptorem, si nunquam *sollicitus* sit *de verbis*; dispiciatque, sicubi varie legatur, quae *ab auctore* libri sint; quae mutata, vel *corrupta* ab aliis! Alterius sic altera poscit opem res, et coniurat amice. –

Licet vero hoc ex animi sententia ita statuam; tantum tamen abest, ut illis accedendum putem, qui ab hac parte ingenium volunt ostendere, ut ubique sollicitent ac moveant bene posita; emendentque, quamvis ingeniose et probabiliter; ut potius abeam in alia omnia! Sine libris enim hic rem raro, quin rarissime, recte geri credo; gerere certe equidem non temere audeam. Hanc palmam occuparunt litterarum instauratores, editoresque primi veterum codicum, *ubi* librariorum errores extabant ita manifesti et crassi, ut manibus possent teneri. Verum, quo saepius iam editus est liber, eo rarius istud corrigendi studium locum habet. Non negarim quidem, nunc quoque posse interdum *certissime emendari* locum ope ingenii; et ita, ut dubitari haud possit, quin auctori verba reposita sint sua. Sed talium occasionum est summa in-

frequentia. Contra vero multo frequentiores sunt illae, ubi mutatione non ita sensibili, sed levi, sed facili, verbum substituatur, cuius positu *sensus* emergat, *pulcrior* ille quidem; quique eam ob causam magis placeat; et quem forte ille ipse mallet, qui ita emendatur, si posset consuli; sed qui non illius est, cui affingitur, verum eius a quo ingeniose excogitatur mutatio. Hoc autem non *emendare* est; sed *docere* velle: aut, si *emendare,* non modestia critici, sed praeceptoris et magistri auctoritate.

Malim ego quidem *Krebsii* (anim. in Plut. quom. adol. poet. aud. deb. p. 139.) illud: „*Quo maiorem familiaritatem cum scriptoribus Graecis contraho, eo timidior fio, in eorum sermone aliquid corrigere:*" meum facere multo magis, quam isto modo cum aliis *quaerere ingenii gloriolam!* quam tamen illis neque detraho, neque invideo. Quin iubeo eam in illis merito partam haerere. Interim tamen non puto me reprehensionem mereri, si ad hanc laudem consequendam sim tardior frigidiorque; illamque *ingeniosioribus* non praeripere studeam, sed relinquam libenter! Liceat mihi meum sequi morem; et *modeste, caute,* timideque *tractare antiquitatem;* non *urere* ubique, *secare,* et sine modo adversus eam grassari! Nolo enim, quantum in me est, committere, ut mihi ex *Fabio* (I. O. 9, 4. 39.) inclamet quispiam: „*Quaedam in veteribus libris reperta mutare, imperiti solent; et, dum librariorum insectari volunt inscitiam, suam confitentur.*" –

Ut obsidionalis atque civica, *coronae dignitatem* habebant ampliorem multo, quam quae ob hostem victum occisumque dabantur; ita puto maiori laudi ducendum esse, servasse unum locum male tentatum, et probavisse illius integritatem, quam cum aliqua veritatis specie sustulisse forte erratum quoddam; quin complura quoque, et substituisse aliud quippiam, quod pulcrum quidem sit, sed non verum, dubium certe. Quin, ne adducar quidem summorum auctoritate virorum (ut *Casauboni, Dan. Heinsii; Ez. Spanhemii* – ad Callim. h. in Cer. 33.) *ad obtrudendos* Theocrito *dorismos* plures, quam bonis in libris inveniam. Plerique enim hoc ducuntur errore, in quo et ipse versatus sum; donec me veriora docuit *Car. Boyle* (in R. Bentley's dissertt. etc. Lond. 1745. 8.) ut illis in libris, qui *certa aliqua dialecto* scripti sunt, *omnia sibi similia* esse et conformata debere arbitrentur, nihilque ex communi et ordinario loquendi genere tolerandum iudicent. Sed labi illos, satis esse liquidum videtur: nam erroris argumenta habemus in manibus.

Scilicet ut *vis seculi* consuetudinisque generatim, nagna est *in linguis;* et multa subinde mutat; ita etiam pecialiter *in dialectis.* Hic quoque *usus tyrannus* est; ui non novit *leges,* certe non observat. Gentilis poëtae ostri, *Archimedes,* dorice scripsit et ipse; verum non equaliter per eius scripta dispartitos invenias *dorismos,* ed plures in aliis, in aliis pauciores, prout illa vel iunior omposuit, vel senior. Et ne forte occurratur mihi a uopiam: Mathematici libros in artificum fabrorumque ratiam purgatos esse; bonam certe partem ab idiomate Dorico; causam vincere meam studebo iis argumentis, a uibus absit omnis interpolationis suspicio,

Nimirum ipsi *Graeciae antiquae nummi* mihi patrocinantur. Ita in Cretensium nummo quodam (apud Golzium in Sicilia, et Magna Graecia) legitur: *ΞΥΣΤΑΡΧΙΣ IEPOY ΑΓΩΝΟΣ.* — Alius ad *Veliam* Magnae Graeciae rbem qui pertinet, *ΞΥΣΤΑΡΧΑΣ ΥΕΛΗ* inscriptus est. Si nihil discrepare inter se dialecti debeant, scriptum a Velinis oportuit, aut *Ξυστάρχης Ὑέλη·* aut *Ξυστάρχας Ὑέλα.* – Apolloniatarum, qui Cariam quondam coluerunt, hic est: (inter *Harduini nummos antiquos* populor. et urbium, p. 25. b. *oper. select.*) *ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. ΠΕΡΓΑΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ·* i. e. *Apolloniatarum Pergaeensiumque concordia.* — Non posuerunt *ὁμόνοα·* ea lege, qua Dores dicunt *πωμάν, πωμενικός·* licet *Ἀπολλωνιατων,* non *ατῶν* poni iusserint. — Cyrenaicus aliquis (ap. Goltz. in thesauro p. 219. et Harduin. p. 90. a.) inscriptus legitur ita: *ΚΥΡΑΝΕΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ,* h. e. *Cyrenensium sacrae ac liberae civitatis.* — Si voluissent faciem habere omnia eandem, aut esse deberet *ΚΥΡΗ,* ut in aliis eorundem; aut articulus cum postremo nomine *ΤΑΣ ΑΥΤΟΝΟΜΩ* legerentur. — Alius Siculorum, an hic valeat, dubito. Proferam tamen (ex Harduin. p. 154. b. – v. Parutam, Spanhemium, et thes. Brandenb. p. 299.) *ΚΟΡΑΣ,* Proserpinae, nomen in fronte, doricum esse non habet dubium. — *ΑΓΑΘΟΚΛΕΙΟΣ* vero aversa in parte, qua dictum sit forma, nondum scio. Certe in reliquis qui ad nos perlati sunt, fecerunt iidem *ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ.* Videtur autem prius illud non tam Dorum esse, quam Ionum.

Itaque, si in idyllio quodam aliquam vocem *dorice* scriptam inveniam, quae in alio communiter formata occurrat, non idcirco metuam continuo de *peccato scribarum!* Potest fieri, ut forte *erratum,* forte etiam *mutatum* aliquid sit: non praestabo omnia huius etiam generis peccata! sed generatim tamen tales lectiones potius pro

veris habuerim. Nam adeo rudes non fuerunt librarii, ut dialecti fugerint eorum scientiam. Certe mutare quidquam hic sine *bonorum* auctoritate *librorum* idonea, non ausim. Sed *bonorum* inquam. Nam, si quis mihi detur liber, in quo praeter modum *multi dorismi* dominentur, metuam ne a sciolo aliquo illati sint.

Verum tempus est, ut praegustandas praebeam, quas promisi, *Theocriti illustrationes*, et proposito quidem non alio, quam ut censeant viri docti, et iidem iuventutis amantes, utrum quod coepi intermittendum sit, (et re vera intermissum est, Reiskio antevertente Nostro. *Hn.*) an peragendum. *Textus*, quem vocant, *graeci*, hic repraesentandi gratiam mihi faciant lectores rogo. Et, ut verum fatear, non puto fore, ut magno desideretur opere. Nam licet *studium* hoc qualecunque *iuvenum bono* accommodare sit animus; in praesenti tamen iudices mihi optarim eos, a quorum manibus non longe absit *Theocritus*. *Lectiones editas iam*, compendii nunc faciam; daturus illas si arbitris meis ita visum fuerit, tempore alio, cum pluribus aliis. Ne quis autem in signis dubius haereat, cavebo illorum interpretatione. Nempe, V. – est *vetus exemplar MS. Stopii*. – F. V. – *Fulvii Ursini codex*. – M. C. – *margo Commelinianus*; ubi nimirum collator siglam apponere esset oblitus; aut illam culter glutinatoris perdidisset; aut denique, ubi margo observationis eruditae aliquid custodiret.

ΕΙΔΥΛΛΙΟΝ Α. – ΘΥΡΣΙΣ cur inscribatur patet. Nempe quia illi personam imposuit praecipuam poëta. *ΩΔΗ* vero a parte nobilissima idyllii, pulcherrimaque dicitur, *hymno*, quem idem inchoat v. 65.

v. 2. – Magna parte *suavitatis Theocriteae* frandabitur hic, qui illam *gustare* vult *ex versionibus* optimarum quoque editionum, Stephanianae et Heinsianae; cum haec verbum nimis hoc loco languidum *resonare* usurparit; ista vero non observarit, *τὸ ψιθυρισμα* quartum casum esse, qui a *μελίσδεται*, regatur; licet verbum recte per *canit* convertat. *Musicam* facit poëta *pinum*; eique *canendi* tribuit peritiam: metaphora audacissima illa quidem, sed eadem suavissima, quae placuit optimis quibusque. Sic apud *Moschum* V, 8. *ἁ πίτυς ᾄδει*. – Nova audacia *loqui* pinus docuit *Maro*, ecl. 8, 22. – Ita *Auson.* ep. 20, 14. *atque arguta suis* loquitur *coma pinea ventis*. – Hoc cum didicissent arbores, *eloquentiae* adeo facultatem adeptae sunt, per divinum poëtam nostrum illum, Psa. 104. (v. 16.) metaphrasten: „Das Murmeln von beredten Bäumen sagt: Freudig müsst ihr Gott erhöh'n.« Harum translationum

ius ab initio soli poëtae habent; deinde vero ubi vetustate, usuque frequenti et allusionibus tritae sunt, exuerunt que hoc modo audaciam simul et gratiam, novitatis certe, sua sponte illi abeuntes de iure suo, id concedunt etiam aliis. Hinc *Philostrato* Icon. II, 16. dicere licuit: *αἱ τῶν πιτύων κόμαι τοῦτο ᾄδουσιν.*

v. 4. – Postulat scholiastes Theocritum de *violata lege prosodiae;* et ultimam in *αἶγα* corripiendam esse contendit. Recte! Et tamen poëtae caussa est bona. Nempe breves vocales ante *δ* et *τ*, quoniam cum *liquidarum* imitantur naturam, tum *anadiplasiasmi* capaces sunt, saepe producuntur. - Ex multis exemplis, haec sufficiant: *Hesiod.* Theog. 803. *ἐννέα πάντ' ἔτεα δεκάτῳ.* - *Iliad. v*, 255. *πόλλ' ἔτεά τε καὶ οὐκί.* - *Mosch.* 2, 61. *χρυσοῦο ταλάροιο.* - Hircus *Pani* promittitur, quem . . *Munus ob incolumes ille ferebat oves.* - *Ovid.* fast. 2, 278. - *Ibycus* ap. Natal. Comitem:

Σοὶ δὲ καλῶς βωμοῖσι παριστάμενος πόσις αἰγῶν
Φοίνιον ἐκ λασίου στήθεος αἷμ' ἐρύγῃ.

Annulum cum Pane et hirco spectandum exhibet; et, cur illi hic sacer sit, explicat *Beger* thes. Brand. I. p. 155. – Non solus tamen *caper* ei offerebatur; est etiam *ἀρνειοθοίνης. Anthol.* IV, 12. 87.

v. 5. – Si imagineris pastores ad radices montis, aut in valle confabulari; capras autem de summis rupibus pendere, *donandam capellam* senties suavissime dici, appositeque, *καταῤῥεῖν.* –

v. 8. – *καταλείβεται·* ms. Stopii, *καταστάζεται.*

v. 9. – Sacrificium ovillum, Musis oblatum, testantur etiam monumenta antiqua; v. c. gemma apud Beger. thes. Brandenb. I. p. 180. si quidem ille, Cupidinem fistulam inflantem,de Cupidine Musarum recte est interpretatus.

v. 10. – *Σαλίταν·* ms. Stopii, *λεπαρὸν, πίονα, ἢ κατὰ τὴν μάνδραν σειζόμενον.*

v. 12. – Non video, cur quis Nymphas hic cum Heinsio pro Musis habeat; licet has ita dictas esse nequeat dubitari; quod evincunt vel *Nymphae Libethrides.* Virg. ecl. 7, 21.

v. 13. – *γεώλοφον·* M. C. *ἀνεστηκότα τόπον.*

v. 14. – *ἐν τῷδε·* V. C. Sambuci, *ἐν τῷδε τῷ τόπῳ.* Aliter intpp., qui *χρόνῳ* supplentes, *interea* reddiderunt.

v. 15. – Metuo ut doctissimus *Clericus* (Art. crit. L. I. III. 3.) hic recte viderit *Daemonium meridianum;* quod ante LXX. seniorum oculos oberravit ad Psalm. 91, 6. – Forte non magis noster locus ad probandam opinionem eius pertinet, quam ille Callimachi. *Νυμφό-*

ληπτοι enim, ex Nympharum conspectu fiebant tempore non meridiano tantum, sed quocunque. Interpretationem vero LXX. virorum forte haud paullo rectius fuisset illustraturus, si meminisset, quae illi non poterat incognita esse, persuasionis Iudaicae daemonibus, nunc bonis, nunc malis, tribuentis, quicquid vires naturae communes excedere videbatur; morbos inprimis vehementiores, in quibus Graeci quoque *θεῖόν τι* agnoscebant. Et poterat illum huius rei admonere locus ipse Psalmi, si illum inspexisset antea; ubi haec sunt: *ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ.* Et ne quid dubitem, illos ita significasse morbi vehementiam, efficiunt translationes Symmachi et Aquilae; quorum hic *ἀπὸ δήγμοῦ δαιμονίζοντος μεσημβρίας* reddidit; ille vero *συγκύρημα δαιμονιῶδες μεσημβρίας.* – Egregie firmat fidem explicationis huius, descriptio *daemonis meridiani,* quam Keyslerus *antiq. septentr. et Celt.* p. 500. dedit. „*Proprie est,* inquit, *subita et aperta quaevis morbi violenti incursio, qua quis sensuum mentisque facultate privatur.* Si Celtae ita appellarunt morbum, sine dubio ex superstitione Iudaica; cur dubitetur de Iudaeis ipsis? Noster Pan *meridiatur,* illiusque somnum turbare impium putat caprarius. Non tamen omnes semper ita fuerunt religiosi. Sic Anthol. IV. 12. 78. est *Ποιμὴν ἐν ὄρεσσι μεσαμβρινὸν ἐγγύθι πηγᾶς Συρίσδων.* –

v. 16. – Pan venator passim obviam est. – Apud *Orpheum* hymn. 10. 9. est *θηρητήρ.* – Apud Homer. hy. 17, 13. *ἐν κνημοῖσι διήλασε θῆρας ἀναίρων.* In Anthol. L. IV. tit. 12. ep. 83. ipse de se praedicat: *οἶδά ποτ' ἄγραν κομεῖν, καὶ λόγχαν, καὶ λίνα, καὶ καλάμους.* cf. Callim. h. Dian. 89. sqq.

v. 17. – Nemesian. ecl. 3, 3. *cum Pan, venatu fessus, recubare sub ulmo Coeperat, et somno lassatas sumere vires.* – *Philostr.* Icon. II, 11. *κατὰ μεσαμβρίαν, ὅτε δὴ λέγεται καθεύδειν ὁ Πᾶν.* – Non solum Varro R. R. I, 2. 5. *aestivo die diffindebat suo insitio somno meridiem.* – Et III, 2. 15. *aestate diem meridie dividere solebat.* – Sed *meridiantur* etiam Deastri; ut hic *Pan,* et Aura Nympha, ap. *Nonn.* dion. 48, 258. *πόνων ἀναπαυομένη θήρης Ἔνδε μεσημβρίζουσα.* Scilicet Deos similes sibi fingunt homines. Forte etiam divinus vates Elias ad hanc meridiationem Deorum, profanis gentibus creditam, respexit: 1. Reg. 18, 27. [Minime.] – *Πικρὸν* – pertinere proprie ad iracundiam, et ulsciscendi inprimis cupiditatem, summo iure credimus *Aristoteli* eth. Nic. 4, 5. *οἱ πικροὶ δυσδιάλυτοι, καὶ πολὺν χρόνον ὀργίζονται· κατέχουσι γὰρ τὸν θυμόν.* et Rhet. I, 10. 8. *ὁ δὲ πικρὸς, διὰ τιμωρίαν.* – Ita *πι-*

πρὸς, πικρία, aliquoties in sacris usurpatur. Plane sic significat, cum derivatis suis, *amarus* Latinorum, inprimis apud Senecam.

v. 18. - Consuetum hoc est regionum incolis calidiorum, irae sedem collocare in naso. Nempe viderunt quotidie in animalibus ferocioribus, ursis, leonibus, tauris item, equisque, quos illi multo quam nos habebant animosiores, *nares dilatare* iram ebulliendo. Hinc Ebraei אַף suum, quod proprie ***nasum*** significat, translate pro *ira* adhibent; et *de irato* dicunt, ***nasum*** eius ***exarsisse*** vel *fumare.* Et prout quis vel cito, vel lente, irascitur, ita eum vel ***brevem,*** vel *longum* ***nares*** dixerunt. Latini vulgo ita loquuntur. v. Casaub. ad h. l. et Schultens orig. hebr. c. 2. §. 10. p. 26. sqq. Hinc Polemon physiogn. p. 85. a. ed. Rom. observat, *μυκτῆρας ἀνεφγμένους, βριαρούς οἱ ἔχοντες, θυμώδεις καὶ δυνατοὶ, ὥσπερ ἐπὶ τῶν ταύρων, καὶ τῶν λεόντων.* Et p. 90. b. inter *θυμώδους σημεῖα* refertur ab eodem, *ῥινῶν κοιλότης.* - ***Adamantius*** p. 100. b. docet: *Ῥινὸς τὸ ἄκρον λεπτὸν, ἐπαύξειν τὴν ὀργὴν μηνύει.* - *μυκτῆρας ἀναπεπταμένους, θυμοῦ καὶ ἀλκῆς μάρτυρας τίθεσο.* - Eodem modo, cum observassent, in irrisione satyrica *crispari* ***nasum,*** eum subdolae irrisioni dicarunt; unde *μυκτηρίζειν.* - Patet igitur, quo sensu *Plinius praef. h. nat.* Lucilium auctorem satyrae Romanae, *primum* dixerit *condidisse stili* ***nasum,*** v. plura ap. Voss. instit. orat. IV, 13. 5. - Caeterum haud dubie ad hunc versiculum nostrum allusit *Philostr.* Icon. II, 11. ubi Pan dicitur *ἀνειμένος τε καὶ πρᾷος τὴν ῥῖνα, καὶ τὸ ἐπίχολον αὐτῆς λειαίνων τῷ ὕπνῳ.* - Et denuo c. 12. ubi est *φαιδρὸν αὐτῷ τὸ εἶδος, καὶ τῆς ῥινὸς οὐδὲν χολῶδες.*

v. 19. - Quod *caprarios* modo ***sub tutela Panis*** fuisse dicit, et eius religionis immunes facit *bubulcos* Heinsius, de eo aliter pronuntiandum puto. Erat enim alter non ***boum,*** sed ***ovium*** pastor, *ποιμήν.* - Cui vero ignotus est *Pan ovium custos? Virg.* Geo. I, 17. - Igitur puto, non male censuisse scholiastas, modulationem vocis humanae non tam pertinuisse ad *summum* Panis interrumpendum, quam sonum fistulae, quae eius erat *ἰδίωμα.* - Ita etiam in Anthol. IV, 16. 1. *Μεσαμβρινὸς οὖρεσιν ᾠδὸς . . . ποιμενικὸν φθέγμα μεθηρμόσατο.* - *Δάφνιδος ἄλγεα* - eius amores sunt, et caecitas inprimis, quae occasionem argumentumque bucolicae poësi primo praebuit. v. Parthen. *ἐρωτ.* c. 30. - *Aelian.* v. h. 10, 18. et de animal. XI, 13.

v. 23. - Ita in Anthol. IV, 12. 81. *ποιμενία πίτυς* - sub qua consederunt pastores.

v. 25. - *Florentinus* (Geopon. 18, 9.) capras *διδυμοτοκεῖν, ὡς ἐπὶ πολύ*, dicit. - Illas singulos fere parere; quasdam vero vel a natura, vel pabuli beneficio, esse gemelliparas; quin partum nonnunquam quintuplicem edere Aegyptias, observat ex antiquis physicis, *Bochart.* hieroz. 1, 3. 24.

v. 27. - Descriptionem hanc, quacum comparetur Virgiliana (ecl. 3.), pulcherrimam de caetero, tanquam longiusculam vituperat ***Popius*** (discourse on pastoral poetry); et reprehenderunt eam hoc nomine alii, iam ante illum. Solet nempe hoc accidere Alexandrinis ingeniis, ut modum habere aegre possint, sed luxurient non minus, quam solum, quod Nilus suus foecundavit. Interim tamen putarim, concedi hoc caprario debere, ut ad pretium poculi sui vel declarandum, vel augendum, copiosius illud describat. - *Κισσύβιον* - quid sit disputant, praeter *schol.* ad h. l. *Athenaeus δειπν.* XI, 7. - *Pollux* VI, 16. - *Suidas.* - Schol. ad Odyss. I, 346. - Macrob. sat. V, 21. - Quae ex illorum disputationibus pro certo comperi, haec sunt: Est ***vas potatorium,*** ansatum, ligneum, ab initio forte ex hederaceo ligno factum; unde etiam *κίσσινον σκύφος* dixisse Euripides videtur; deinde vero ex quocunque, sed ornatum ut plurimum hedera, rusticis et pastoribus proprium. - Cur *κεκλυσμένον* de *κηρογραφίᾳ* interpretetur *Heinsius,* non video. Dicit ***caprarius,*** poculum suum intus non picatum esse, sed cera bene olenti inductum, oblitumque.

v. 28. - Cum *Philemon* (ap. Athen. l. c.) doceat, *κισσύβιον* esse *μόνωτον ποτήριον*· hic, ubi *ἀμφῶες* est, magnitudo inusitata indicari videtur, cui etiam respondent *τὸ βαθύ*· et argumentum.

v. 30. - *κισσὸς ἐλιχρύσῳ κεκονισμένος* quid sit? ex versionibus, et commentariis, non intelligo. Placet quidem metrica Heinsii: *Hederae . . . Inter helichrysum diffusae leniter!* Sed videtur dubiae esse fidei. *Hederam* non esse unius generis, constat. Hic describi illam speciem, cuius ob crocatum semen aurei coloris baccae sunt, et quae suo nomine ***chrysocarpos*** appellatur, *καρπὸς χροκόεις* versus sequentis monet. Igitur *ἐλίχρυσον* nolim pro planta huius generis accipere; sed eo sensu, quem interdum admittere hoc nomen, auctor est Hesychius; qui docet: *ἐλίχρυσος, οἱ μὲν τὸ ἀρσενικὸν, οἱ δὲ τὸ ἄνθος ἐλιχρύσου βοτάνης.* Graecorum vero *ἀρσενικὸν,* ***auripigmentum*** est Latinorum. = *χρυσίζον τῇ χροᾷ*, *Dioscorides* V, 121. - ***luteum et auri colore,*** *Plin.* 34. fin. - ***pictoribus usurpatum,*** Plin. 33, 22. - Iam, si *κεκονισμένος* a *κονίζω* deri-

vatum, significatu suo naturali sumatur, *hederam* habebimus, *auripigmenti pulvere sparsam.* Nempe, ut ars *luteos* chrysocarpi *corymbos* imitaretur, et quodam modo ita exprimeret eos, ac repraesentaret.

v. 31. – *Capreoli, claviculae* hederarum . . . suaviter *εἱλεῖσθαι ἀγαλλόμεναι* dicuntur; cum possint poëtae *ἐνφαντασιώτῳ* videri cursu suo lascivo implexo et tortuoso mores imitari effuse laetantium, qui exultant, in gyros eunt, et reliqua agunt his similia.

v. 32. – Lectio *γυνά τις*, quam Graeci interpretes exhibent, quam vidit Casaubonus in codice manu exarato, quam dant ex editionibus quae ad manum sunt *sexta* Francof. a. 1545 et Neandrina, genuina et recepta aptior mihi videtur. Si *τὸ Τί* a Theocrito esset, nihil foret mutatum; sed quum propter *τὶς* metrum sibi non constare crederent, in eius locum *τὶ* substituerunt, quibus *συνίζησις*, haud insolita poëtis, minus fuit cognita. Cuius, si opus esset, exempla suppeditare possem larga manu. Si quis vero quaerat forte, inveniet aliquot apud Spanhem. ad Callim. h. in Iovem v. 87. in Cerer. v. 58. multo vero plura, et omnis generis, ap. Winterton. ad Hesiodi *ἔργα* v. 30.

v. 33. – Si forte cupias has res malas muliebres paulo propius considerare: de *πέπλῳ* invenies omnia ap. Spanhem. ad Callimach. h. in Pallad. 7. et ad Iulian. Caes. sub fine. – De *ἄμπυκι* vero satis edocet *Eustath.* Il. ε, 318. et χ, 469.

v. 36. – Hic sequor *Heinsium, ἄλλ' ὄχα* scribentem; qui videatur. – De caetero aliquid humani passus esse magnus *Casaubonus* videtur, cum ista scriberet: *Quae tam felix sculptoris pictorisve manus, quae penicillo aut coelo istum oculorum animique motum exprimere valeat?* et cum ineptiarum poëtam damnaret. Qui versatus est cum *sculptoribus, pictoribusque* praeclaris; qui legit *icones Philostrati,* illarumque descriptionum recordatur: cuius animo praesentia sunt, quae Bosius (du Bos) in libro praestantissimo *Reflexions critt. sur la Poësie, et sur la Peinture,* inscripto, P. I. 5. 38. de *Papyrio,* et de aliis passim; inprimis S. 6. et 13. etc. exponit; qui opera Phidiaca nostrorum, Winckelmanni *Gedanken über die Nachahmung der Griech. Werke in der Malerey;* et Hagedornii *Betrachtungen über die Malerey,* reddiderit sibi paullo familiariora nullus dubitabit ille, non solum haec, quae negat Casaubonus doctissimus, sed multo difficiliora, pingi posse et exprimi. Nullum negotium foret *van der Werfio* simili pictori, hanc mulierculam

pingere, eodem tempore risu subblandientem alteri amico; oculis autem, fronte, corporis motu, gestibusque reliquis, amorem prodentem alterius: id quod neque bonus sculptor desperabit. [En Niclasii elegantiam iudicii, quam 1763 non diu e Gesneri summi disciplina egressus, aperuit. *Hn.*] Denique cogitemus, *poëtis* etiam hic *plus licere,* quam aliis! Quae modestior quidam leniturus fuisset *μειλίγματι* aliquo, *videtur, dicas, putes,* hoc vel illud fieri; id poëta *fieri* dicit *simpliciter.* Quamquam *Philostratus* his multo habet audaciora. Et, quidni in sculpturae huius *ἐκφράσει* quaedam supplerint ingenium, et phantasia enarrantis caprarii?

v. 38. – *Δηθά*] *συνεχῶς* M. C. (margo Commelinianus.) *κυλοιδιῶντες* – propria medicorum vox est; de qua multa, ut solet, doctissime disputat *Foesius* Oecon. Hippocr. sub *κοῖλα.* – Quod vero *κοιλωιδ.* scribi maluisse videtur, non assentior. Licet enim *κοῖλα* et *κῦλα* idem significent, et forte unum sint; tamen in orthographia *τοῦ κυλοιδ.* consentiunt libri, non solum hic, sed etiam in Hesychio et Polluce, qui II, 96. *κυλοιδιῶν* et *ἐποφθαλμιῶν* exponit, *ὀφθονῶν.* quod hic amplectendum puto, quia veram tumoris in oculis amatorum nostrorum caussam docet; quae non *vigiliae* sunt, ut vult scholiastes, *sed invidia,* et zelotypia. Nisi quis forte malit hic quoque reddere: *aegris invidisque oculis intueri.*

v. 40. – Illa significatio *τοῦ λεπρὰς,* quam scholiastae afferunt, *λευκὴ* interpretantes, hic non videtur posse locum commode habere. Nam in ligno sui, hoc est albi coloris, omnia alba sunt. Pingit autem poëta. Igitur recte in versionibus *aspera* est. Facit enim *lepra* cutem scabram.

v. 43. – Observetur accurata naturae imitatio. Etiam piscator apud Philostr. Icon. I, 13. *ἐρέττει μάλα διεξοδηκότι τῷ βραχίονι.* Illam lectionem, quam schol. ad seq. v. exhibent, vellem plurium librorum fide firmari. Sensum enim multo meliorem habet, *ὡς δέ οἱ ὠδ. ut illi turgent venae!* Exclamatio haec et admiratio excitat magis ac veluti animat orationem. – Quid *ἶνες* sint, accurate docet *Foesius* oecon. Hipp.

v. 47. – *κῶρος*] *κοῦρος.* V. (ms. Stopii) et schol. Apoll. Rhod. p. 134. ed. Aldi. – M. C.

v. 48. – Qui de vulpibus uvarum appetentibus plura testimonia desiderat, quam Canticor. 2, 15. et Phaedr. 4, 2. quae sunt notissima; nubem testium offendet in Bocharti hieroz. I, 3. 13. quibus addo *Oppian.* cyneg. 3, 458.

v. 49. – *ἐπὶ πήρᾳ* etiam V. – alii *ἐπὶ πήραν.*

v. 50. – Non negligenda est admonitio scholiastae,

scriptum in aliis esse *κεύθοισα*, pro *τεύχοισα*. Quod esset: *occultissime insidias struens*. Sensu sane optimo. Sic Iliad. I, 313. *ἐνὶ φρεσίν*· scholium interpretatur *ἐνθυμεῖται κεύθει* coll. Ody. ω, 473. - Quid, si *κεύθοισα* a Theocrito sit; *τεύχοισα* vero ab Grammatico quodam profectum, et glossema?

v. 51. - *ἀκράτιστον*· F. V. *ἀνάριστον*. Quod magis pro glossa habuerim, quam pro lectione; licet metri leges non excludant.

v. 52. - *ἀνθέρικες* doctissimum illustratorem nactae sunt Spanhem. ad Callim. Del. 193. a quo etiam aliorum auctoritate defenditur Neoptolemus, quem deridendum propinant scholiastae. cf. *Foesii* oeco. Hipp.

v. 55. - Caveant sibi iuvenes ab errore, quem la Cerda erravit ad Virg. ecl. 3, 45. *ὑγρὸν ἄκανθον humidum* vertens; et victoriam bucolico Mantuano de Syracusano dans, hac commentatione: „Molli acantho. *Signatius ad rem, et ex natura eius plantae, quae mollis dicitur, flexa, lenta.* Quid faciat *ὑγρὸς* in re coelatoria, nescias." - Oblitus nempe, Graecos, quoniam *humida* v. c. argilla, lutum, et eius generis alia, eadem ductilia sunt, et flexilia, *ὑγρὸν* dixisse, quicquid molle et flexibile est, iucundumque tactu. - *Ὑγρὸν μέλος*· Aelian. v. h. 14, 7. 3. *tenerum, molle,* est *membrum*. - *ὑγρὰ σκέλη*· *mollia* i. e. mobilia *crura*. ut alia infinita omittam. Deinde, ut Latini suum *molle,* etiam ad alia transtulerunt. Inde *ὑγρὸς βίος*, - *ὑγρὸς ἦθη*. *Plinii „liquidus acanthus,"* quem affert *Cerda* ex Ep. V, 6, 16. plane exprimit *ὑγρὸν* nostrum; estque *mollissimus*. Quo sensu forte ab eodem ibidem §. 36. *lubricus* dictus est. Scholia recte interpretantur ad v. seq. *ἁπαλὸς ἄκανθος*. Pingit vero hoc epitheton illud genus acanthi, quod laeve est, et proprio nomine *παιδέρως*· item *μελάμφυλλον* audit, cui ab *Dioscoride* 3, 19. *φύλλα λεῖα*, et *καυλὸς λεῖος* tribuuntur; cum alterum genus *aculeatum* sit, et *crispum*. Plin. 22, 34.

v. 56. - *Αἰπολικόν* . . omnes mei, praeter Wintertonianum librum. Quod non cum Stephano, scholia secuto, interpretatus sim: *Caprario immane miraculum*. Sed, *dignum caprario spectaculum*. Malim tamen aliis accedere, et cum scholiis atque Hesychio legere *Αἰολικόν*· ut signa, vasa, *Corinthia, Deliaca,* caetera, ab loco et artificio commendantur. - Locus *Athenaei*, ad quem Heinsius provocat est XI, 7. *Κλείταρχος δέ φησιν Αἰολεῖς τὸν σκίφον κισσύβιον καλεῖν*.

v. 58. - *Τυρόεντα* non esse caseum, sed *panis* quoddam genus, aut placentam, cui mixtus caseus fuerit, in

lectionibus suis observarunt iam viri docti. – Deipnosophistae locus, quem in animo habuit Heinsius, est III, 27. – Addo ex eiusdem XIV, 13. haec: *Συνήρηται [πλακοῦς] ἐκ τοῦ πλακόεις· ὡς τυρόεις, τυροῦς· σησαμόεις, σησαμοῦς. Εἴρηται δὲ κατ' ἔλλειψιν τοῦ ἄρτος.* cf. Eustath. gl. ξ.

v, 61. – Heinsii emendatio, *ἐφ' Ἱμέρᾳ* legere iubentis, digna est eius ingenio et doctrina; et eiusmodi, quam unusquisque sibi primo in mentem venisse optarit. Interim tamen mihi plus videtur gloriae habere ingenii, quam veritatis. Nec sollicitanda erat, si quid video, lectio vulgata, cuius sensus est optimus, et serie ipsa verborum defenditur. – *Ἵμερος* est quoddam ***Amoris*** genus. – ***Phurnutus*** de N. D. 24. *Ἔρωτα* ***Cupidinem*** meminit etiam *ἵμερον* et *πόθον* esse nominatum. – A ***Pausania*** attic. 43. ***Scopae opera*** recensentur haec: *Ἔρως, καὶ ἵμερος, καὶ πόθος· εἴδη διάφορα κατὰ ταὐτὰ τοῖς ὀνόμασι, καὶ τὰ ἔργα σφίσι.* – ***Ammonius*** v. *Ἔρως*, docet: *Ἵμερός ἐστιν ἔρως, σπανίζων τῆς πρὸς τὸν ἐρώμενον χρείας.* Quod pulchre convenit ad cantilenam pastoris, cuius summa est ***desiderium*** Nymphae, *quo* aestuabat Daphnis. – Igitur *ὕμνος ἐφίμερος* est hymnus amatorius desideratívus.

v. 62. – Lectio *κοὔτε τυ κερτομέω*, quam scholia servant, adeo pulchra est, ut vix ab alio quodam, quam a poëta ipso, profecta possit videri. – *Κερτομέω* est verbum Homericum, quod scholia plerumque *χλευάζω* reddunt. Poterat Thyrsis putare, se a caprario, pro una cantiuncula tanta praemia pollicente, ludificari. Hic igitur, ut suspicionem ioci et cavillationis omnem expurget, serius dicit: ***Non habeo te ludibrio; ex animi sententia tecum ago.*** – Nisi egregie fallor, *φθονέω* glossa est. Alias dicunt Graeci etiam, *φθόνος οὐδείς.*

v. 64. – Non iniuria primus locus huic Idyllio ab editoribus assignatus est. Nam et hic intercalaris, et argumentum quo auctor etiam poëseos bucolicae primo usus esse dicitur apud Aelian. v. h. 10. 18. credere iubent, esse hunc partum ingenii Theocritei, hoc quidem in genere primigenium. –

Pauca ad hoc idyllium observanda supersunt; quae in praesenti supprimere suadent meae rationes. Et tantum proposuisse videor, ut suffecerit vel ad expletionem nedum ad gustum. Quae vero ex Vinariensi libro repraesentare volui, haec sunt: v. 77. *οὔρεος*] *ὄρεος* vet. – v. 80. *βῶται*] *βοῦται.* V. et Flor. – v. 85. *Ζατεῦσ' · ἄ*] *ζήτουσ' ·* V. – v. 91. *ταῖσι χορ.*] *τῇσι.* V. – v. 100. *ποταμείψατο*] Sic V. in Ven. est *ποταμείβετο.* – v. 105. *οὐ λέγεται*] *λείπει τὸ καταισχύναι.* v. 106. *κύπειρος*] *κύπειρον.* Vet. –

v. 108. Non repetitur hic in Vet. – v. 110. *πάλλα*] *πάντα* schol. et Fl. – Vet. autem ut in textu. – v. 112. *ὅπως πτάσῃ*] *λείπει τὸ ὅρα, ἢ ὅμοιόν τι.* – v. 115. Post hunc versum fit repetitio in V. – v. 118. *Θύμβριδος*] in Vet. est *Θύβριδος.* – v. 125. *λίπε*] *λίπον.* V. – v. 143. *ὥς μιν*] Sic V. – in Ven. est *ὥς κεν.* v. 149. *Ἰσχάδα τρώγοις*] Iulianus in ep. ad Sarapionem: *Ἀριστοφάνει μὲν δοκεῖ εἶναι, πλὴν μέλιτος, τῶν ἄλλων γλυκύτερον τὰς ἰσχάδας, καὶ οὐδὲ τοῦτ' ἐνέχεται τῶν ἰσχάδων εἶναι γλυκύτερον, ὡς αὐτὸς ἐπικρίνας λέγει.*

Neque *scholia* venerunt indotata. – Praeter indicia locorum, quae ex auctoribus antiquis attulerunt interpretes, haec erant ad illa observata: Theocriti scholiastes *Simplicius,* citatur ab illo, qui scripsit in epigrammata graeca. *Theonis scholia* in Theocritum, citat auctor etymologiarum in v. *γρυπεύς.* Exemplar habet *Fulv. Ursinus* Romanus; qui existimat, haec, quae sequuntur, omnino esse *Theonis scholia,* etsi nonnulla aliorum, ut fit, in ea irrepserint. In optimo I. Sambuci exemplari haec scholia tribuuntur Amaranto. Amaranti Alexandrini meminit Athenaeus. – v. 15. – *ὄντως πικρός*] Cic. ep. ad Att. *„Amariorem me senectus facit. Stomachor omnia.“ Amarum* intellexisse videtur, qui facile et levibus de causis irascitur. Alias *πικροὺς* Graeci appellant, qui accepta iniuria non facile placantur, sed diu simultatem gerunt. – v. 21. – *προϊέμενος τὸ σπέρμα*] addit vet. *ἰδρύετο γὰρ περὶ τὰς νομὰς ὡς γόνιμος.* – v. 27. – *ἴσως ἀπὸ τοῦ κισσοῦ*] Haec etymologia Euripidis auctoritate probatur in Andromeda, teste *Athenaeo: πᾶς δὲ ποιμένων ἔρρει λεώς· ὁ μὲν γάλακτος λίσσινον φέρων σκύφον πόνων ἀναψυκτῆρ', ὁ δ' ἀμπέλων γάνος.* – v. 50. – *ἀκρατισμὸν*] V. Pluta. sympos. L. 8. quaest. 6. [c. 3. To. XI. ed. Hutten.] – Veteres Latini, ieiuni vinum mili conditum ante meridiem absorbebant: unde *Silatum,* quod nunc *ientaculum* dicimus, appellabant. *Festus.* – v. 141. – *καθὸ πρῶτος*] *γράφε καθώς.*

Haec sunt, quae repraesentare nunc potui. – Iam viros doctos rogo, ut iudices sedeant de instituto meo; ut dicant sententiam libere; sed ea tamen humanitate, quae quasi iure quodam suo propria debet esse harum litterarum cultoribus. – Suo tempore, cum subsidia librorum comparata erunt plura, cumque doctrina maiorem duxerit maturitatem, *Theocritum,* cum sodalibus suis *Bione* et *Moscho,* illustratum meo studio, tradam in iuvenum manus. Si vero et doctiores forte, atque viri adeo, velint usui simul suo accommodari *hanc,* quam paro, *editionem,* equidem *scholia graeca,* aspersis opportune observatio-

nibus quibusdam, sed brevissimis; *emendationes* item *Scaligeri*, et duumvirorum lectiones, recensuerim libentissime. Forte accedat etiam *spicilegium Meursianum*, a quo multa spero optimae frugis. Si qui vero sint, quibus *copiosus* nimis videar *Bucolicorum illustrator*, cogitent illi, pauca esse idyllia, ad quae *ita multa dici* vel debeant vel possint, quam ad hoc, quod tanquam *πρόσωπον τηλαυγὲς* in frontispicio positum est. *)

II. *Observationes criticae in egregias quasdam editiones auctor. Graecor.*

1) *Ad I. G. Huschke analecta crit.* in Anthol. Gr. (m. Maio 1802.)

P. 202. – Mihi quidem versus vel integer esse, nec medicina indigere videtur; modo observetur primam positionem *δώρου*, non esse *τὸ δῶρον*, sed *ὁ Δῶρος*, nomen proprium. Quis autem sit hic Dorus, non tam liquet. Si sit *Dorus* Neptuni filius, qui in *Doride* regnavit, unde *populi Dorii* appellati sunt, *Nymphae fontanae, seu fluviatiles, Dori filiae*, aquae erunt Doricae, i. e. fons, fluvius, lacus, stagnum Doridis, prope hortum Timoclis; quibus et convenit dialectus. – Sed potest et alius Dorus fontem invenisse, puteum fodisse, aut ductum fecisse aquarum, euripum, piscinam, cet. quibus auctoris nomen haeserit; ut Genes. c. 26. ev. Ioa. 4, 6. Theocr. id. 7, 6. – Quin, si quis Dorus aquas loci illius animi causa frequentavit, hoc ipsum celebre ad posteros illis nomen eius dare potuit; ut Vittebergae est *Luthers Brunn.* —

p. 208. v. 2. – *κατὰ στίχας*, vel *κάτω ψυχάς· Manes, genios sepultorum, inferos. Οἱ κάτω θεοὶ*, dixit Diod. Sic. p. 103. et indic. – *κάτω*, apud inferos. *Aristoph.* – Aeschin. Socr. etc. —

p. 277. XLIV. v. 2. – *ἥξειν* vel *εἴξειν, cessuras esse.* –

p. 102. Wird *Philemonis Lexic. technol. ms.* angeführt, daraus auch *Villoison zu Apollonii Lex. Homer.* mehrmals ganze Artikel mitgetheilt hat, die aber fast alle wörtlich schon in *Varini Phavorini dictionario* stehen, doch so, dass der eine aus dem andern verbessert wer-

*) Hocce igitur est, *Seebodi clarissime* et *amicissime*, illud *specimen Theocriteum*, quod multi viri docti magni fecerunt, qui *Ioa. Nicolai Niclasii*, editoris Geoponicorum, acumen et immensam fere in literis graecis eruditionem norant. Sufficiat *Wolfium* et *Huschkium*, viros intelligentissimos, nominare; qui, quantum praestare potuerit *Niclasius*, (anal. litter. part. 3.) affirmant. Equidem *de facie* (quae simillima erat Forcellinianae in fronte Lex. lat. ed. 2.) hunc excellentem virum novi; nec unquam eius memoria mihi excidet, eaque gratissima.

den kann. So wie hier *das ms.* das letzte Wort fehlerhaft *περδικιόνης* angiebt; *Varinus* aber v. *λαγωὸς, οὐ μόνον καὶ πτωὶξ . . .* richtig *περδικίδης* hat.

2) ***ad Ioa. Tzetzae Antehomerica,*** ed. Fr. Jacobs. (m. Martio 1801.)

p. 24. v. 158. – *ἔκπαθεν.* Verum esse videtur *ἔπαθον.* Ut versus constet, aut *Tzetza* scripsit, aut legendum est *ἔππαθον·* ut p. 113, 175. *ἔπποντο.* – p. 120, 256. *ἐππαύσατο.* – p. 135, 425. *ἔφφερεν.* – Rem illustrat v. 165. *ὅσ' ἂν πάθον ἄλγεα Τροίῃ.* Proximo v. *πρεσβείης ἀλεγεινῆς* lector supplere debet *ἕνεκα,* cuius omissio solennis est. – p. 50, 360. – *προάτου,* i. e. *πρώτου.* Scilicet ex *πρὸ,* fit *πρόατος* hinc *πρῶτος.* Sive, ut auctor etym. M. p. 692, 54. derivat: *πρὸ, πρότατος, πρόατος, πρῶτος.* – p. 365. *παρείρεται,* vel *παραίρεται, **auferre studet.*** – p. 69. nr. 138. *σχολ.* – *ἀνδράπορα.* f. *ἀνάνθρωπα, **monstrosa, ab humana natura abhorrentia.*** Verbum hoc alibi etiam exstat. v. bibl. Coislin. 554. f. et *ἀνανθρώπινος Epiphanius* To. II. p. 242. C. dixit. – p. 76, 230. – *ἔφησεν,* vel *ἔψευσεν, **quam mendacio velavit.*** – v. 79, 277. – *Ἔκμονος* vel *ἄκμονος ἀκαμάτοιο* i. e. ***solis.*** Solem *μύδρον εἶναι διάπυρον, **massam ignitam,*** docuit Anaxagoras Pluta. placit. phil. 2, 8. – Diog. 2, 8. – Stob. ecl. phys. p. 56, 4. – In incude *ferrum candens* cuditur: *ἀκάματον πῦρ* Homerus, Orpheus, Theocritus; Philo To. II, p. 17. dixerunt. – *ἄκμονος ἀκαμάτοιο ἔϋς γόνος·* sunt ***radii solis,*** s. lux, tanquam scintillae massae igneae. p. 80, 279. – *χρονιΐς,* vel *χρονίης·* via longa. – p. 105, 77. – *ἀπ'* vel *ἐπ' ὔμμασι.* – p. 119, 241. – *πίγμασι,* vel *πτύγμασι* linteo, pamno, vexillo quod ***manu*** tenebat. Ut in circo consul, aut qui ludis praeerat, signum mappa dabat aurigis. – 248. *ἐσκίασεν,* vel *ἀσκίασεν. (**Ast ubi vis solis terras exemerat umbris.*** – *σκιάζω,* obumbro. – *ἀσκιάζω,* umbras removeo, entschatten.) retexit, detexit. – p. 122, 273. *ἐναρπάζω.* – f. *ἀναρπάζω.* – Ibid. *φορέασι·* an *φορήσι?* – p. 128, 345. not. *σχολ.* – *παραθοῦμαι,* vel *παρωθοῦμαι.* – p. 130, 369. – *παρηΐδα.* vel *παρήϊα.* – p. 137, 446. – *πάντες ἐπ' – **omnes insuper; denique.*** – *ἀσκεπέδες* vel *ἀσκεπέες, **nudis capitibus.*** v. Cangii glossar. h. v. – p. 138, 452. *μέγα κῦμα θαλάσσης·* – est interpretatio Nereidum. Docet *Tzetza* more suo, quid sint *Νηρῆος κοῦραι·* ut v. 435. et alias saepe. – p. 139, 461. *περ ἐόντων,* vel *παρεόντων·* praesentibus heroibus; i. e. Heroum naribus odor obiectus *est* divinus. – 462. *θείων·* Ionice, pro *θεάων,* ut *μελισσίων.* – *τῶν, **harum** (Nereidum) **vestimenta,*** et praesentibus heroibus divinum ex deabus fragrantem afflarunt odorem. –

p. 141, 474. - vel ὑπὸ δ' ἐσπάνιζεν ὑπήνην· ut sit: ὑπεσπάνιζε δὲ (κατὰ) ὑπήνην· ***rara erat barba.*** - p. 161, 637. - χρῶσι, vel χρῶσε· i. e. ἐπέχρωσε δὲ χρυσῷ τε κ. ἀ. - p. 167, 701. - ἀποφίσκειν, vel ἀποφάσκειν· et me nescire, dicere non posse, aut cum multis aliis esse omissurum, cum animus meus distractus sit aerumnis, quas mihi Isaacius, eiusque coniux infamis, crearunt. Sed ego nihil eorum, quae scio, omittens, absolvam reliqua. Est locus similis illi p. 159. v. 624. Et lego αἴσχεα τιμὰς, quod Isaacius me ignominia affecit, ***turpis homo*** (αἴσχεα, ut p. 70. v. 146.) ***me honestum*** (τιμὰς) - λέγων, ***putans.*** Mox p. 173. v. 753 sqq. eandem canet cantilenam. - p. 167, 705. Est *Orphei* versus, Lapid. 20, 11. - p. 174, 755. - κατίσχεται, vel κατάσχεται. - 760. ib. ἐπαείδειν, vel ἐπαΐειν.

3) ***Corollarium,*** scholiastae ed. Schirachianae destinatum. - p. 23. lin. 9. - ἔπλευσεν, lege ἐπέλευσιν. - p. 25. lin. 7. τὸ τοῦ ἤρωος, lege τῷ. - lin. 8. χωρὶς αὐχένων ὑπάρχουσα· sc. ὁλκάς. - αὐχένες sunt pars navis. cf. schol. Lycophr. 365 fin. - p. 26. lin. 3. μεμηνότων, lege τος. - p. 34. l. 23. πορφῶν, lege πολεμῶν. vide schol. Lycophr. 932. - p. 36. l. 8. φύλαξ, lege φάλαγξ. - p. 37. l. 13. τὴν εἰρήμαι forte τὴν εἰρημένην. - p. 45. l. 18. Εἴριον, lege Ἥρων. *Hero* mathematicus. cf. Tzetzae chil. γ. 22. v. 152. - et p. 244. v. 976. - p. 58 sq. cf. Stobaei ecl. phys. p. 290. Heer. - p. 61. lin. 1. ἐπανάληχις, lege ἐπανάληψις. - p. 65. lin. 10. et ult. Αἰνειῶν, lege Ἰϊονίως. Hom. Il. κ. Ἰϊονῆος. - l. 11. καθάδων lege καθείδων. - l. 20. κνάνου. lege κύκνου. - l. 22. ὀείους. lege ὄχους, stationes.

4) ***Observationes grammaticae*** - ad gr. ***Graec. Halensem.*** p. 3 fin. αι, als ***ai*** ... ει als ***ei***] Sext. Empir. 241. ed. Fabr. p. 241. ***αι, e*** - et ει, ***i,*** pronuntiasse videtur. - [Obiter observo: ***Adam. Corai*** Vol. I. p. CLXXI. ***Hippocratis*** sui, hodiernam Neograecorum pronuntiationem, civium suorum, contemnere ut falsam. v. Goetting. Anz. 1801. St. 92. p. 919.] - p. 4 med. ***duplices***] De harum aliarumque natura, (nam plures sunt) v. Chariton. 769. (ed. Dorvill. p. 769.) - p. 4 fin. ***asperatae***] Scythae asperatas mutant in tenues. Arph. 1071. (Aristoph. Bergleri p. 1071.) - ***Novi Graeci*** ex accusativis singularibus in α exeuntibus 3. decl. efficiunt nominat. sing. fem. gen. 1. declin. σειρήνα, σειρένα, ας. Canth. 198. (Cephalae Anthol. p. 198.) - *Idem,* et plebs veterum, nomina 1. declin. in plur. in αι exeuntia ad tertiam formant. Ex Αἰγίδαι, fit Αἰγίδες, δέων, ίδεσι. Canth. 212. (Cephalae Anthol.) Sic Διακόνος in gen. et συνομόθρονος, pro ους. ***ibid.*** - In ***libris Io. Fr. Reimmanni ineditis,*** quos ipse in historia vitae suae

p. 165. commemorat, est etiam hoc opus: *Introductio in historiam vocabulorum Graecorum*, in duas partes divisa: quarum *prior* continet *genealogiam vocabulorum Graecorum* ante Christ. nat. - *posterior* genealogiam vocabulor. Graec. post Christum natum. - Die Gelegenheit hat *Salmasius* de lingua Hellenistica P. II. c. 4. p. 403. gegeben. Es ist aber diese historia viel weitläuftiger als die 1718 gedruckte; denn sie ist sehr eng geschrieben, und beträgt doch an 1½ Alphabet; sie hebt sich an vom XXI. Jahrh. ante Chr. nat. und geht bis auf das 18te Jahrh. nach Chr. Geb. - *Nomina propria* ex participiis formata, Cas. Ath. 247. (Athen. ed. Casaub. p. 247.) - in *ης*, accentum habent in penultima; *appellativa* in ultima: Ἰσοχλείης - ῆς. Van. 427. (Vannus critica Dorvillii.)

XXIX.

Gasp. Garatonii epp. tres ad *Ios. Porcellium* et *Th. Ch. Harlesium* scriptae. *)

Gaspar Garatonius Iosepho Porcellio Suo S. D.

Viri doctissimi, Th. Chr. Harlesii, epistolam humanissimam, nuper ad te datam, manere apud me iussi aliquot dies, donec respondendi ad ea facultas esset, quae ad me visa sunt maxime pertinere. Ad ceteras enim occupationes, quas imbecillo, et fesso corpore sustinere vix possum, negotium accessit his paucis diebus multo molestissimum. Illata mihi lis est, in qua res mea familiaris agitur non exigua. Scis, me paternis, avitisque bonis victitare: quid mali forum adferat, non ignoras. Bonam equidem habeo causam: sed ea me tamen diu sollicitum, exercitumque habeat, necesse est. Ignosce itaque tarditati meae, vel potius necessitati, ac tempori.

Quae V. C. Harlesium scire velim, haec sunt: me illum iamdiu singulari doctrina cognosse hominem, diligentia in his litteris, et industria prorsus admirabili: nunc vero etiam optimum iudicasse. Quocirca et pro meo erga tales omnes amore, et pro nunc perspecta illius erga te, ac me voluntate, daturum operam, ut officia in illum

---

*) Duas alias Garatonii epp. ad *G. G. Wernsdorfium* datas vulgavit *C. G. Iacobus* in Biblioth. Crit. Rei Scholast. Hildes. a. 1821. P. 6. p. 539 sqq.

mea exstent, quam potero, amplissima. Res declarabit: nam tempus incidet, ut spero: verbis ego me venditare non soleo. Iam cupio aliquid in Fabricianam istam suam bibliothecam conferre; idque ipsius omnino causa, non inanis meae gloriolae aliqua cupiditate, quam usus, et meditatio me admonuit ut plane contemnerem. Si quid paratum haberem, non committerem, ut ante ille ad me scriberet, quam id totum acceperit. Idem in posterum dictum volo. Quidquid ille abs te petet, quod curari per me possit, sine ambitione mea, et sine suo sumptu curabitur.

Verum ego neque tam doctus umquam, neque tam sollers, neque tam porro instructus a libris fui, ut de augenda, et emendanda Graeca illa bibliotheca cogitare potuerim. Pudet profecto nunc me inanissimum reperiri. Quid autem faciam? nimis tenue mihi patrimonium est, in voluntate positum: inde tamen solvere nonnihil posse me non despero, si dies haud brevior, quam occupatio, et valetudo mea postulat, constituatur. Quodcunque id erit, non ex libris editis erit, sed ex Mtis bibliothecae Barberinae, cui praesum. Graeci codices in ea sunt fere quingenti, quorum praestantissimi sacri sunt: ego vero res sacras profanus homo numquam sum ausus attingere. Sed ex iis omnibus nonnulla colligam, quae ex V. C. Harlesii re suspicabor fore: praecipue Holstenianorum indicem dabo. De Libanii codice, pleno illo, et illustri, qui ex Allatio, et Fabricio iam notus est, interrogari cupio, si quid eo sit opus. Nam sponte nihil dicere ausim; quid Altenburgi praestitum in Libanio sit, nesciens. Paullulum varietatis inde, ante hoc biennium, Venetias misi ad V. C. Iac. Morellium bibl. Marcianae praefectum, cuius cum singulari doctrina certat humanitas. Novit id vir doctissimus, pro necessitudine, quam ei cum Morellio esse scio, a quo libellum superiore anno editum quin acceperit, dubitare non possum. Atque adeo in hac sua ornanda provincia Morellio parem Italorum inveniet neminem. A me certe magni nihil exspectet: qui, si mihi omnia deesse dixero, non modestiae obsequar, sed veritati.

De Italicis Graecorum versionibus V. C. Petrum Ant. Serassium consului, cuius omnis in Italicae linguae auctoribus opera, studiumque consumitur. Negavit opere Paitoniano quidquam posse fieri diligentius: se certe nihil habere, quod addat: si posthac invenerit, indicaturum. Earum, quae nuperrime prodierunt, virum doctissimum latebit, opinor, nulla. Hymnum quidem in Cererem

Homericum, de quo ille scribit, Italicis versibus a Pindemontio, Equite Hierosol., expressum vel misit iam Morellius, vel facile ad eum mittet. Veronae, Graecis subiectis, edita illa versio est. Latinis quoque versibus duo heic elegantissimi viri eumdem sunt hymnum interpretati; Ios. Taruffius, qui nuper decessit, elegiacis, Cunichius, idem, qui Iliadem, hexametris. Haec typis nondum mandata sunt. Cum prodibunt, a me, si non abnuet, Harlesius habebit. Hesiodeam Bernhardi Zamagnae versionem Latinis item hexametris, iisque egregiis confectam nosse illum arbitror, et cetera Parmensia, in quibus tamen splendoris semper est plurimum, utilitatis persaepe parum. At nunc ille splendor bene in Theophrasto locatur, cuius Parmae characteres eduntur, duobus aucti capitibus ex codice Vaticano, quorum titulos dedit extremo suo commentario Casaubonus.

Ad ea, quae V. C. de Cicerone nostro perscribit, pauca, sed dictu gravia, perpessu mihi aspera, de me audiet. Editionis Ernesti celeberrimae ne mentio quidem hactenus a nobis ulla. Iam iis adsentior, qui Cimmerios Homericos in his regionibus quaeritant. Non ipsa modo tibi, tuis, mihique defuit ad mensem usque huius anni Aprilem, verum ne nota quidem ante annum superiorem fuit: cum quidem in Pinellianum Indicem iam inde ab a. 1780. Venetiis relatam vidi, statimque de Morellio quaesivi, quid esset; isque primus fecit, ut rem accurate cognoscerem. Dici vix potest, quanta sit in his terris inopia librorum ex Germania, quanta difficultas obtinendorum. Multae sunt causae; quas tu nosti omnes, et Harlesio potes exponere. Huc decimo fere anno plerique perveniunt: pauci recentes, quorum alius alium habet, Neapoli, Romae, Florentiae, ceteris ignorantibus. De iis ephemerides domesticae silent, quas conficiunt homines ignavissimi: externae rarissimae. Te scis, mei studiosissimum virum, et sagacissimum, vix modo pauca comparare mihi potuisse priora volumina bibl. Amstel. criticae, et Lipsiensis philologicae: cum talia suo quaeque tempore habere magnopere intersit. Vel proxime ad me scripsisti, non mediocrem librorum numerum, quem rogatu meo petisti a Lipsiensibus praesenti pecunia, mense abhinc, opinor, decimo, partim Venetiis tres iam menses haerere, partim vero multo maximam ne mitti quidem, urgente quamvis te, fidemque tuam probatissimam negligi conquerente. Plurimorum notitiam debeo praestantissimo illi celeberrimi Harlesii operi bibliographico, quem tu mihi dono tum dederas: cum excitatus meis, doctorum-

que sermonibus, illius in primis, quem diligo inpense, praedicoque, viri doctissimi, ac suavissimi, Rochettii, commercium cum Germanis coepisti vehementius adpetere. Ardorem illum, mi Porcelli, non modo restinctum, sed ne remissum quidem, nolim. Labores in litteris incredibiles, innumerabilesque Germani suscipiunt: fructus inde maximi: quibus Ciceronem nostrum carere, turpe fuerit: ego vero multas ad res iis indigeo. Omnia, quaeso, adiumenta conquire: si quid in ea re praestare Harlesius commendatione, gratiaque possit, roga, ne desit.

Sed mihi maxime cordi est, ut qua ratione iamdudum in Tullio verser, celeb. vir ex me ipso cognoscat. Vetus illud, sero sapiunt Phryges, in me dictum putet: quem oportebat Mss. codicibus conferendis, criticorum libris colligendis, ac perlustrandis multum temporis ante insumere, quam ad ipsam scriptionem accederem. Atqui tibi leves quasdam adnotationes petenti, amicosque adleganti nimium me facilem, promtumque praebui: ignarus, quantum mihi oneris imponi paterer, artis criticae rudis, a rebus omnibus imparatus. Ad haec, tanta festinatione ad sex orationum volumina illud nescio quid nugarum exaravi, ut ne ipsa quidem praesidia, quae aderant, intelligere, et recte adhibere potuerim: eademque de causa in errores multos incidi, quos commentatione, ac mora facile vitassem. Spatium deinde recognoscendi datum, editione cessante. Tum itaque sensi, quid egerim. Confeci reliqua paullo consideratius: priora partim retexui, partim notata in tempus aliud distuli: nova quoque accessere subsidia; usus certe aliquis, cautio, diligentia. Uno denique tempore de Ernesti editione rescivi, et ad meam sum revocatus. Septimi erat voluminis antea iam pars excusa dimidia, in qua nullus emendationi locus. Ea pars in illa veteri labe versabitur. Posteriorem nunc tandem ita retractavi, intactam hactenus, cum apud te manserit, ut non modo, quae possem ipse, praestiterim, verum Ernestum quoque adhibere coeperim, nuper a me attente perlectum. Ita uno in volumine qui olim fuerim, et qui nunc sim, apparebit: quod volumen tu fac ad Harlesium quam citissime perferendum cures. Quod ad me attinet, absolvam brevi.

Restat mihi adhuc in reliquis a Planciana orationibus idem conferendus Ernestus, cuius ad acuendum ingenium, excitandamque diligentiam usus est maximus. Restaret ille, de quo admonemur a celeberrimo viro, Schellerus: quem negas posse mihi in tempore adesse. Doleo id quidem; sed, si fieri aliter nequeat, feram pa-

lienter, his adsuefactus malis. Illud me angit vehemen-
lissime, quod priora illa volumina, omnibus culparum
generibus refertissima, iamdudum in manibus versantur
hominum, vereorque, ne nunc nimium in Germania in-
notescant. Iis cogor extremo labore opem adferre: ne-
que enim accessionum ad ea, emendationumque volumen
integrum a me perfici, ediqne abs te poterit, nisi sex
misce reliquis absolutis. Ea Schellerus si forte viderit,
reprehendendi materiam erit nactus amplissimam. Har-
lesium itaque, haud humanitate minus, quam doctrina,
praestantem virum, etiam, atque etiam meo, tuoque no-
mine roges velim, ea ne refutari, carpique patiatur, an-
tequam volumen illud prodeat, quo ipse me castigabo:
petat ab iis, qui legerint (neminem legisse mallem) ut
tempus illud exspectent. Nihil is mihi facere gratius po-
terit. Ego laudem nullam postulo, qui nullam mihi de-
beri, ex animo, vereque profiteor. Ne vituperationem
quidem illam recuso, quam effugere me intelligo plane
non posse. Neque enim tenuitatem hanc ingenii meam
summa diligentia compensare licet: cum tempus me, ac
valetudo a Mtis urbanis arceat, qui domi non sunt: cum
neminem habeam, cuius labore sublevari hac in re pos-
sim: cum errare saepe cogar, aut actum agere, libris ex-
teris deficientibus; quibus certe rebus fiet, ut nihil a
me proficisci tam elaboratum possit, in quo non iudici-
um modo, verum etiam industria non desideretur. Haec
me praevidentem, scientemque flamma comburat. Illud
quoque iam factum oportet, ut V. C. Harlesius, qui, cum
lucem Verrinis adferret, mea non viderat, et Schellerus
iste, quem non vidisse confido, pro sua quisque iudicii,
eruditionisque praestantia, multa suo mihi iure praeri-
puerint, quae addenda ipse sponte, ac mutanda perspexi.
Utrique, ubi eorum scripta oculis usurpavero, quoniam
doctrinam non potero, animum certe meum, fidemque pro-
babo. Quod ergo superest, ut mihi tamen aliquid, in quo
me ipse corrigam, reservetur, exopto. Id si minus po-
terit obtineri, perficiam, ut omnia omnium monita, etiam,
si forte, convicia, in homine verecundo, veritatisque stu-
dioso posita videantur.

Quod me V. C. editionem Wechelianam, et Manuti-
anam a. 1565 contulisse vellet, non me facturum dicam
fuisse, si habuerim, cum eas ipsas, quae praesto erant,
partim nullo modo, partim negligenter contulerim ab ini-
tio: sed nunc dolere me dico, non modo quod iis, verum
etiam quod aliis caream, quibus posteriores hi mei co-
natus adiuvarentur. Frustra conquisivi Brutinam, frustra,

ipsius Alfi antiqua vellentis privatum, et clientem, nec-
dum Romanis subjectum, Romanorum patronum fecisse
constat. Tantis facinoribus parta Romanis Germania
quum Britannicis adhuc cognosci, tamen desiderare non
debet. Sese enim mihi nec a nostris, nec a Gallis, nec
in ipsa ipsa antiqua exhibentibus, quibus magnum alio-
quin pretium rerum veterum, ullo modo commendavit.

6. Membra vero ejus, quae nobis ex Germania ad-
ducit, de Werthelina ostium ne suspicionis quidem ne-
quidem ullius ingenuae gentis esse, sed ex Gallia ad
propinquo profecta, ne ipsius, additione verborum ma-
nifestus. Neque ante id itinere plenique variarum lo-
corum ac gentium cognitione, quam ad Pannonios ve-
nit, ut qui prius cognoscitur. Quae enim a cruce ante-
quo refero, nec pertinent ad Philippense, quae postre-
mum silentium habuit, nec ad ipsum Philippense, quae
illum professionis, ubi erant rerum volumina, operis ita
ut ipsius Alfi, quae ad Pannonios, quae ad Germanos
pertinent, ex verborum ipsorum ordine, quae ad Ger-
mane scribuntur non locati, post tres dortissimos haud in-
terpretes, quos ego quidem hactenus cognovi, ne ipsum
quidem vitae ejus, et rationem ullam Germanicae lin-
guae habuisse cognoscam. Nihil porro supposititium Ger-
manis ipsis, quae ad Germanos pertinent, ex ipsius Alfi
scriptis accessisse, Germanos ipsos, quae ad Germanos
non subdidisse. At exclusus in urbe Herbipoli diligen-
tissimi viri, qui de Alfi scriptis Germanicis meritus est,
quae nondum videre licuit. Neque est cur hoc quemquam
moveat, quod Germanicum Alfi opus, quod Germanis
ipsis, quod Germanis ipsis, quod Germanis ipsis, quod
et in tota civitas, quae in operum illo dicat, sed nec
Germanis ipsis, quod Germanis ipsis, quod Germanis ipsis
Germanis ipsis, quod Germanis ipsis, quod Germanis ipsis
ut ipsi qui Varianus, effecit. Qui vero primus quod,
quod Germanis ipsis, quod Germanis ipsis, quod Ger-
manis ipsis, quod Germanis ipsis, quod Germanis ipsis, quod
Germanis ipsis, quod Germanis ipsis, quod Germanis ipsis,
quod Germanis ipsis, quod Germanis ipsis, quod Germanis

Interea, cum, hoc extremo Sextili, Neapolin cogitet vir nobiliss. et ampliss. Benedictus Passioneus, a quo valde diligor, ei tres libellos tradam, quos abs te peto, ut ad Harlesium sine ulla illius impensa (resolvam enim, quod expenderis) mittas, quamprimum poteris, meae pignora observantiae, testes voluntatis. Primus eorum erit, quem in Germania rarum puto, Ant. Zirardinii, municipis mei, nuper defuncti, commentarius egregius ad Novellas quasdam Imperatorias ex cod. Ottobon. ab se prolatas a. 1766. Duo alii recentes: monumenta Graeca Musei Nanniani post Paciaudi Peloponnesiaca per V. C. Clementem Blasium edita et explicata: inscriptiones Albanae, quae nempe sunt in aedibus Albanorum, cum adnotationibus viri doctissimi, meique amantissimi, Caietani Marinii, qui praeest Pontificiis archivis. Hanc rem, quaeso, cures diligentissime. Idem ille vir ampliss. Plancianam, qua volumen hoc septimum clauditur, quod sub praelo habes, a me aut absolutam plane, aut maxima ex parte, ad te deferet. Nisi tot simul rebus, molestiisque distinerer, longe citius absolvissem.

Quod tu me consulis, satiusne arbitrer, adnotationes Ernesti universas proprio quamprimum volumine (ego duo puto futura) per te recudi, quod et tu cupis, et multi a te postulant; an unicuique volumini deinceps prodituro suas inserere, ceteras ad ea, quae prodierunt, postremo dare: primum illud aio mihi quidem fore percommodum, qui nonnihil inde temporis, quo egeo, ad mea perficienda lucrabor, Ernestumque sic adhibeo, ut, quo recudatur loco, nihil intersit: sed meo unius arbitratu hanc rem geri non posse. Consulendi tibi sunt viri praestantissimi, Steph. Rogerius, qui opera Tullii philosophica curanda suscepit, et Harlesius, quicum tibi de oratoriis conventurum spero, a quo summa te omnia exspectare iubeo. Hi fortasse malint, Ernestum cum aliis in silva ponere, verbisque Tullii subiicere, quod ipsum me, si fuisset integrum, maluisse tibi significaram. His aequum est morem te gerere: qui si rerum copia interpretumque permoti, quam unam res habebit excusationem, Ernestum a reliquis patiantur abstrahi, tuo isti, emptorumque desiderio, vir optime, satisfacies. Sin minus: habebis tamen, in quo sine offensione cuiusquam postulationi hominum gratificeris. Iustum enim poteris volumen conficere ex Ernesti adnotationibus ad ea, quae iam edidisti, Tulliana, orationibus non exceptis. Alia suppeditabit editio Epistolarum Bengeliana, si qua nancisci poteris: alia Schellerus, quae ipsi Ernesto subiicias: denique duo iam

volumina exstabunt, si velis addere luculentissimum ad libros de officiis commentarium Heusingerorum. Haec uti facias, tibi facile auctor sim: cum id videam tibi esse propositum, id abs te postulari maxime, id in editione tua esse praecipuum, ut quae potest maxima commentariorum praestantium copia proferatur.

Scripsi iam, non plura, quam vellem, sed paene, quam possem. Tu me fac Harlesio commendes, hominemque, ut nosti, sine fuco, bonum bonorumque studiosissimum, in eius amicorum numerum recipiendum cures, quem tu habes tuo merito, semperque habebis amantissimum tui. Vale.

Romae XIV. Kal. Septembr. cIↃIↃCCLXXXVI.

Theophilo Christophoro Harlesio V. C. Gaspar Garatonius S. P. D.

Quum avidissime tuas litteras exspectarem, quas ad me te daturum Morellius V. C. ante hos sex menses tuis verbis significaverat, quamquam meas videbam intercidisse, quas abhinc biennium ad te miseram cum tribus iis libellis, quos, quum perisse ducerem, accepisti, interea nihil ad te scribendum putavi. Ut autem per eumdem Morellium fasciculus est hic mihi redditus, quem a. d. IX. Kal. April. confecisti, quo tua superiora erga me officia, et merita novis, iisque insignibus, cumulari video, tanta exarsi cupiditate gratum, et benivolum animum expromendi meum, ut scribere incipienti verba iam desint, quibus rem satis exsequi nullis me posse confido. Itaque factis potius, quantum potero, connitar, ut me gratissimum, tuique studiosissimum sentias. In eo fasciculo trium Ciceronis orationum ex cod. Bavarico varietates inveni; statimque Milonianam retractare coepi, quam peropportune accidit ut petenti Porcellio denegarim. Dum enim nonnulla volebam ex intervallo adhuc ibi recognoscere, his eam bonis insciens reservavi, quae tuo iam beneficio habebit a codice, cuius optimis proxima praestantia est. Simul gaudeo, meae, tuaeque fidei (scis enim, quid in praef. promiserim) satisfieri tam cito posse, novamque tam luculentam te publice coulaudandi occasionem dari. Sed, quum tuis in schedis numerus primo loco exstet tertius, magnopere vereor, ne duos priores amiserim, quos ad me fortasse cum Aristophanis Nubibus, et Ammonio perferendos frustra curaris: quum praesertim sciam Catilinarias quoque te cum MSis Bavaricis contulisse. Adhuc tamen spes residet fore, ut his

tuis muneribus iter, quamvis tardum, haud tamen perpetuum sit. Interea gratias ago tibi maximas, Vir Celeberrime, amoque te plurimum, quum isto animo es praeditus, quo semel cognito, et probato, summa, et sanctissima consequatur oportet amicitiae necessitudo. Talem omnino te, qualem iamdiu Morellium nostrum, experior. Nihil inter nos, nisi per illum optimum virum, recte curatum fuit: cuius doctrina quidem etiam posteris, humanitas vero nobis, qui vivimus, impertitur. Is misit ad me particulam quamdam epistolae tuae: in qua erat, a te in Ephemeridibus mea scripta magnis ornata fuisse laudibus; amantius credo, quam verius; sed eo ipse tibi plus debeo. Erat deinde de iis libellis, quos tuo invitatus munere iampridem miseram; quum tu sponte varietates illas Bavaricas in Philippicis dederis: quas quidem in VIII. 4. quum desinere videam, certiorem abs te fieri velim, utrum aliud nihil supersit in codice, an habeas reliqua, aut forte non sumpseris. Quod si habes, non dubito, quin aut iam miseris, aut quamprimum missurus sis. Equidem, ut dixi, addideram litteras: quid enim? gratias non agerem? tibi me non totum traderem? Schedulam quoque Amadutii V. C. incluseram: cui et tuam nunc epistolam reddidi, et antea dixeram, nihil te a nobis videri accepisse scriptionis; quum quidem ille respondit, levia esse, quae scripserit, eaque tibi non ignota censere. Iam si, quidquid illud fuit, reficiet, aut aliud quidquam dabit, per Morellium habebis: per quem Rossii commentt. Laërtianas celeriter ad te perlatas de Siebenkeesio cognovi, quem ego facio plurimi, hominem tua, et Morellii, a quo commendatus mihi fuit, familiaritate dignissimum. Is mihi promisit brevi fore, ut Venetias possit sine impensa quosdam alios libellos mittere, unde via ad te est expeditissima, quos ego tibi paratos iamdudum habeo. Ii sunt autem Blasiani duo de monumentis Nannianis, qui priorem consecuti sunt, quem habes, et Schowii papyrus. Hunc ego adolescentem ex Heyniana disciplina egregie institutum magnopere diligo, quo pudentiorem vidi neminem. Ei Iohannem Lydum edendum tradidi: de quo nonnulla tuum in usum dabit rogatu meo. Atque is, ut ii solent, quorum sunt in litteris quotidiani, magnique progressus, multa nunc in illam papyrum a se profecta nollet: domumque certe magna cum supellectile redibit rerum Graecarum. Iam nihil fuisse vides, cur Excell. V. Borgiam (his enim paucis diebus Cardinalis est factus) rogarem; de quo Muntherus, homo mihi adprime cognitus, tibi tamen vera narravit. Sed facultas

certe non deerit liberalitatis in posterum experiundae, quae insita est homini amplissimo bonarum artium amore flagranti. Nihil est etiam, cur tu me dones Schwarzianis tuis, quibus non careo: est mihi voluntas plane pro ipsa re, uti debet: multa vero lucubrationum tuarum volumina, cum ea semper propter excellentem doctrinam studiose quaesiverim, paullatim mihi comparavi. Quod ex produturis aliquod mihi te inscripturum ostendis, quid iam est, Vir praestantissime, quod tu mei ornandi causa facere nolis? quod nimium ducas? quae umquam satis magna tibi a me poterit gratia referri? Sed ego longe ab ea dignitate absum, quae istiusmodi sustinere personam possit. Primum itaque, ne facias, rogo: deinde, si hanc prorsus exuere mentem nolis, tecum ita transegero, ut me adloquare plane familiariter, laudationem omnem omittas, nullum dedicationis vestigium appareat, sed epistola sit iis referta rebus, quae in praefationibus tractari solent. Ipsam, inquam, praefationem, tamquam unus aliquis lector, possum accipere: nihil omnino praeterea. Quod autem de Legato Regis Hispaniarum maximi (pudet me cum tali viro coniungi) idem scribis, bene est: eoque utar quasi hamo quodam postulationis tuae. Rem difficilem petis, etsi aequissima est. Vereor mehercule, ne Vir Amplissimus negotium ab alio profligatum, nihil plane ad se pertinens, suscipere gravetur. Itaque rem pedetentim ago: viros primarios ad eum (Nicolaum Azaram vocari scito) adlegabo, quibuscum iam sum conlocutus: ii libellum (une mémoire) ei tradent, in quo erit causa diligenter omnis explicata; quem, dum ab Hispanis nonnulla, quae mihi videntur necessaria, conquiro, nondum confeci. Si nihil profecero, agam ipse per litteras cum Legato apud Regem Pontificio, inlitterato quidem homine, sed negotiis recte procurandis aptissimo. Utinam res bene cedat! mora compensabitur, quam in tanta locorum distantia, personarumque dignitate multam perferre necesse est. Tu si quid aliud vis, petito: diligentiam numquam desiderabis meam. Superioribus quidem tuis litteris, quum non acceperim, respondere nihil possum. Quod potui, a Siebenkeesio impetravi, ut notitiam codicum Holsteniano-rum, quos bibliotheca Barberina possidet, se confecturum reciperet: quum ea re tuam Fabriciani operis editionem haud paullum iuvari intelligerem, mihique tempus ipsi deesset aliis in rebus occupatissimo. Immo vero vix eius rei mentionem coepi facere, quum ille spopondit, ut est utriusque nostrum studiosissimus. Res ipsa consilium subiecit. Dederam enim viro docto Strabonem oruanti

λειψανα Holstenii geogr. excutienda, de quibus nonnihil ad te perscripsisse narrabat. Simul ipse versans ignota eam voluptatem capiet, quam mihi iampridem cognita adferre non possent. Sed, si otioli quidpiam nactus umquam ero, alia ipse praestabo. Tu me fac diligas, ut diligeris, familiariterque ad me scribas. Vale.

Romae, XIX. Kal. Maias clɔlɔccLxxxviiii.

Theophilo Christophoro Harlesio V. C. Gaspar Garatonius S. P. D.

Litteras tuas, quas idibus Februariis dederas, misit Morellius noster ad me cum suavissimis suis, ut primum perlatae ad ipsum fuerunt. Sint licet praeposteri tabellarii; modo salva omnia tandem adferant. Exspecto enim adhuc Nubes tuas, et Ammonis Ammonium: nollem ad nubes, aut ad Iovem abierint. Multa vero et in his litteris, et cum iisdem gratissima mihi, et iucundissima: tuam etenim benevolentiam non verbis modo, sed factis quoque declaras. De libellis, quos misisti duos, ago tibi gratias: quamquam nihil alter ad mea studia pertinet, qui neque ad res diplomaticas umquam, neque ad sacras accessi: sed eo Marinium muneravi meum, qui Pontificiis Archivis summa cum laude praeest, idemque singulari totius antiquitatis scientia vincit omnes: quod liber ille, quem habes ab eo confectum, testatur, et vero longe luculentius ille testabitur, quem de monumentis Fratrum Arvalium scribere instituit, difficillimis in rebus et copiosum et novum. Nihil hoc homine mihi, et Morellio coniunctius. Quod ergo is libellus huic usui fuit, perinde habeo, ac si mihi fuisset. De altero autem meo velim nomine gratuleris Ammonio, tibique adeo gratulor, quum ferre te video fructus uberes disciplinae tuae. Iam totum abs te habeo Bavaricum codicem, tam bonum, ut misere truncatum magnopere doleam: in quo solatur me illa in Planciana verissime expleta lacuna, et rarior tamen Caeciniana servata. Adhibueram illum ad Milonianam, quum de te didici, ad quam editionem contuleris, laetatusque sum vehementer, me id antea recte intellexisse. Error etenim in ea re meus omnia turbasset, quum silentii tui in recepta lectione usus maximus fuerit. Dici vix potest, quam ingenti me beneficio devinxeris, copia codicis huius facta; immo duorum, ut opinor: solent enim a ceteris orationibus disiungi Philippicae: et si quando coniunctae reperiantur, diversorum codicum videmus fragmenta esse compacta, ut accidit in Vaticano. Sed hac de re me certiorem facias, rogo. Illud quoque abs te peto, quandoquidem addit animos tua summa erga me li-

beralitas, ut Catilinarias, quas cum eiusdem coenobii codice te conlatas habere dixisti (Introd. in Not. Litt. Rom. P. 2. p. 92.), mihi, si potes, impartias, quod tuo maximo commodo fiat; est enim, ut nosti, haec mearum, quas promisi, accessionum materia. Sed pudore me, doloreque non mediocri adfici scito, quod te tantopere meritum in isto genere remunerari non possim. Strabonis enim codicem bibliotheca, cui praesum, nullum possidet: neque ad Vaticanam adire tribus fere p. m. a. meis distantem aedibus, in eaque frequens esse, mihi per occupationes, ac per valetudinem licet: neminem denique habeo, cui rem committam, quum hac in urbe pauci, et in angulis, haec studia sectentur. Quod a me verissime adfirmari non dubitabis, quum videas nullum a me ipso ad Ciceronem fuisse adhibitum codicem Vaticanum, praeter illum, qui non in bibliotheca, quae tamen habet plurimos, sed apud Canonicos est in archivo Basilicae, ubi tum locus, tum vero aditus fuit mihi longe commodior. Hoc ei mirum profecto accidat, qui Romae numquam fuerit, remque omnem penitus, causamque non norit. Sed in Strabone sublevat nos incredibilis ardor ad laudem, ad laborem robur, ad recte hoc perficiendum opus intelligentia Siebenkeesii: qui propediem opem illam, qua egere maxime Strabonem video, ab se, quoad eius fieri potuit, excussis omnibus Vaticanis codicibus, Venetis, aliisque, adlatam est editurus. Iam tibi hae copiae patebunt omnes, vel certe pars magna: quas in tuam editionem transferes, magno utentium commodo, tuaque non mediocri iudicii, ac scientiae gloria: neque tu ipse amico palmam tanto studio, ac labore quaesitam praeripere, postquam rem cognovisti, aequum certe putabis. Quas itaque commemoravi difficultates, eae non ad Strabonem potius, quam ad genus universum pertinent. Alia dabit ad Fabricianam bibliothecam utilia per me Siebenkeesius, ut meis recepi superioribus litteris. Nunc autem aliquid ad te mitto Schowii opera confectum: quem ego adolescentem optimum, et in Graecis iam excellentem rogo in amicitiam tuam recipias, eique gratias mecum agas. Ad Porcellium scripsi diligenter: sed nondum responsum tuli. Volumen meum III. quod tibi deest, etiam IX. quod superiore anno iam prodiit, missurum ad me illum spero, ut per Morellium ad te curem. Hominem vehementer angit emptorum paucitas: vereor, ne animum despondeat. Tu si aliquos nancisci poteris, qui et edita Tulliana emant praesenti pecunia, et edenda se recipiant empturos, ut volumen quodque mittetur, et illi probo

viro, et eius causa mihi gratissimum feceris. Non magnum est pretium: opus vero ipsum, etsi non ita perfectum, ut vellem, satis tamen plenum, atque probabile, quodque, si emptores inveriint, in oratoriis, et philosophicis tum necessarium magis erit, tum longe praestantius. Hispanicum tuum negotium urgeo: sed nondum certi, quod scribam, habeo quidquam. Discessit enim ab urbe in Pomptinum, deinde Sublacum Pontifex maximus, cui navat operam ille vir primarius, qui libellum habet meum Legato tradendum. Sed brevi redibit: aliosque interea, qui viam munitent, ac de re apud eum honorifice loquantur, adlegavi. Res enim est ardua, neque una congressione tentanda. Tu velim animum meum ames, tenuitatem meam excusanti des veniam. Vale, doctissime, celeberrime, humanissime vir, quem quibuscumque officiis potero, colam semper, et observabo.

Romae X. Kal. Iunias CIↃIↃCCLXXXIx.

XXX.

Hieron. Lagomarsinii notae grammaticae et criticae ad *Pogiani* Epistolas. *)

Vol. I. p. 8. *dignitatis gradu mihi gratularis*] *Gratulari*, cum sexto nominum casu coniunctum, Coelium t fortasse etiam Ciceronem auctores habet. – V. Vol. II. . 356. Not. *b*) Non caret exemplo *gratulor* cum sexto tiam casu. Coelius ep. 13. ad Cic. l. 8. *Gratulor tibi affitate viri optimi.* Cicero ipse ad Att. V. 20. *Qui etiam ihi gratulatus es illius diei celebritate.* Neque auiendos puto, qui aliter sentiunt, uno aut altero cod. ms. eti. namque ego *celebritate* in quattuordecim, ac potismum in omnium, qui usquam exstant, antiquissimo, lorentiae cum essem, reperi.

p. 21. *malum.. nomen existimareris*] *Mala nomina* cuntur debitores ii, qui creditas pecunias, quo debent mpore, non dissolvunt.

p. 22. *lentum petitorem*] *Lentus petitor* est, qui cretam pecuniam non statim, ac est coepta deberi, reposcit.

---

*) *Iulii Pogiani* Senensis epp. et orr. olim collectae ab *Ant. Mar. Gratiano* nunc ab *H. Lagomarsinio* e Soc. I. annot. illustr. ac primum editae. Romae, MDCCLXII. Voll. I. II. MDCCLVI.

– – *Inficiator*] *Inficiator* est, qui creditam sibi pecuniam negat a se aut omnino deberi, aut certe eo, quo petitur, tempore deberi.

p. 47. *si is errata tua tibi ignovit*] *condonavit* mallet fortasse aliquis. sed *ignovit*, quod maluit Pogianus non est improbandum. Plautus in Amphitr. a. 1. sc. 1. v. 101. *Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum.* Virgil. 4. Georg. 489. *Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes.*

p. 47. *exercendi tui causa*] Corporis, ut opinor, exercitationes significantur: de quibus Corn. Cels. I, 2., ubi *paries aut viridia* cod. antiquissimi lectio est, et quidem, ut opinor, verissima. vulgati libri fere exhibent *parietes aut viridaria.*

p. 50. – 52. *accersieram*] *accerseram* exempl. Ex *accersio* recte atque usitate *accersivi* et *accersiveram* derivatur: ex *accerso* autem recte item *accersi* et *accerseram* derivari posse Pogiano, Analogiam certe aliquam sequuto, visum est. sed negant grammatici, verborum tertiae coniugationis, in *so* exeuntium, praeterita, quae dicuntur, tempora aliter in primis personis, quam syllaba *vi*, terminare debere, solere certe. quod si quis Ciceronem obiecerit, qui in or. in Q. Caec. c. 14. (al. 46.) *facesseris* usurparit, praesto erit Priscianus, qui non *facesseris*, sed *facessieris* in libris quibusdam a se repertum fuisse, testificetur. eorum ego rationem atque auctoritatem sequutus, Pogiani *accerseram* in *accersieram* commutavi. In *Thes.* quidem L. L. ed. Bas. a. 1576 ita legitur: *Accersere auxilia ex aliquo, vel ab aliquo loco.* Caes. 7. B. G. 134. (al. 33.) „Atque ea pars, quae minus sibi confideret, auxilia a Vercingetorige accerserat.“ Sed qui Caesaris locum ipsum adierit, totamque sententiam considerarit, manifestum *Thesauri* mendum illico deprehendet. – De recta autem eiusdem verbi scribendi ratione, haec est G. J. Vossii l. 1. *de vitiis sermonis* c. XXII. sententia. „Persolvi,« inquit, „quae de nominibus me dicturum promiseram, nunc ad verba transeamus: ubi varie itidem peccatur. est, cum non observatur ὀρθογραφία, sive vera ratio aliquid convenientibus literis exprimendi, ut, cum *accerso* scribunt pro *arcesso* etc.« In quem Vossii locum eruditus quidam anonymus haec adscripsit in libri, qui apud me est, margine, Amst. 1645, editi: »Papirianus grammaticus, Donato posterior, apud Cassiodorum de orthographia, *Accerso*, inquit, significat *advoco*; *Arcesso, repello, prohibeo.* Velius autem Longus, et Donato et Papiriano et Cassiodoro Maguo aliquot se-

ulis maior, In eo, inquit, quod est *Arcesso* et *Accerso*, putaverunt, quandam differentiam esse, ut *Accerso* sit *Voco*, tractum ab acciendo; *Arcesso*, *Summoveo*, ab arcendo tractum. sed erraverunt. Arcesso enim pro eo, quod est Arceo, numquam positum est. Verum, quod putant, *A* litteram obstare significationi, errant. *D* enim non minus in *R* litteram transit, quam in *C*, dum dico *Accedo* et *Accommodo*, quam apud antiquos in *Arvorso* et in *Arvorsario*: unde pro *Audiculis* ab audiendo, *Auriculas* dicimus, et *Meridiem* pro *Medio die* loquimur. id ergo nihil interest, utrum *Arcesso* an *Acoerso* dicant, eadem significatione manente. Haec *Velius*; quem Patrianus Vossiusque non viderunt, eiusque meminisse non potuerunt. debuerant enim inductionem confutare: cur in *Auriculis*, in *Meridie*, in *Arvorso*, in *Arvorsario* littera D mutatur [fort. *mutetur*] in *R*, et *Adcerso*, mutato *D* in *R*, *Arcesso* esse non possit? Confutet haec Vossius argumenta, deinde pronunciet. Illud etiam argumentum Velii Longi magnum est, quod *Arcesso* pro *Arceo* nullum est. autorem cedo, si est. Bene etiam Velius docet, in *Arcesso* et *Accerso* quamdam esse litterarum transpositionem et transmutationem, sicuti fuit in *Forcipe* et *Forpice* apud antiquos. Nescio quid simile contingit etruscis in vernacula lingua, qui pro *Claudio*, *Craldio*, pro *Cardellino*, *Calderino*, et pro *Religione*, *Regilione* pronuntiant. Velii sententiae subscribunt omnes Plauti, Virgilii, et Ciceronis interpretes, ex antiquissimis autem grammaticis Charisius et Iulius Romanus, quem optimum vocat magistrum Charisius. sed aevo utrisque [fort. *utroque*] maior Q. Terentius Scaurus, quem Augusto praeerebat imperator Hadrianus; ut apud Charisium in particula *Obiter* Iulius Romanus refert. Scauri verba sunt haec in libro de orthographia. Quamvis, inquit, alii *Arcesso* dicant non sine ratione, quod etiam *D* in eiusmodi compositionibus in *R* transit, ut in *Arripio*: sed quidam differentiam esse voluerunt, ut *Arcesso* quidem ab eo verbo esset, quod est *Arceo*, *Accerso* vero ab eo, quod est *Accio*. sed nobis eamdem significationem pertinere videtur, utcunque scribendum. Sive ergo scribatur *Arcesso*, sive scribatur *Accerso*, idem, Scauro iudice, utrumque significat. verum libro primo, capite de numero litterarum apud veteres, hanc veritatem omnium eruditissime Priscianus edocuit. Littera *D*, inquit, transit in *R*, ut *Arrideo*, *Meridies*. antiquissimi vero pro *ad* frequentissime *ar* ponebant, *Arvenas*, *Arventores*, *Arvocatos*, *Arfines*, *Arvolare*, *Arfarique* dicentes, pro

Advenas, Adventores, Advocatos, Advolare, Adferi. unde ostenditur, recte *Arcesso* dici ab *Arcio* verbo, quod nunc *Accio* dicimus, quod ex *ad* et *cio* compositum est. *Arger* quoque dicebatur pro *Agger.* Addere poterat *Arferiam aquam* ex Festo, *Arrige aures* ex Terentio, *Arrepo, Arrodo, Arrogo* ex M. Tullio, ex aliis alia. Illud etiam quod aiunt, *Arcesso* est *Arceo, repello, submoveo, prohibeo,* et numquam est *Advoco* vel *attrahio,* vel *evoco,* vel *voco,* pinguioris id et crassioris Minervae mendacium est. Plautus 3, 2. Amphitr.

. . . . . Evocate huc Sosiam
Gubernatorem, qui in mea navi fuit,
Blepharonem arcessat, qui nobiscum prandeat.

et scena 3.

Tu gubernatorem a navi huc evoca verbis meis
Blepharonem, ut, re divina facta, mecum prandeat.

Eumdem ad prandium evocat arcessitque. idem est enim *evoco* et *arcesso.* Ex eodem Plauto exempla possem mille arcessere: sed contentus ero scena secunda Casinae actus tertii:

Ut properarem arcessere hanc ad me vicinam meam . . .
Nunc adeo nequaquam arcessam . . .
Miror hinc jam non arcessi in proximum uxorem meam.
Quae jam, si arcessatur, dudum ornata exspectat domi.
Sed eccam, opinor, arcessit . . .
Ubi tua uxor? Intus illa te, si se arcessas, manet.
. . . . . Flagitium hominis, qui dixit mihi
Suam uxorem hanc arcessituram esse.

M. Tullius frequenter etiam usurpat h. v. Haec I, 43. de arte Gramm. Vossius insinuavit, sed decem post annos edidit hunc librum de vitiis latini sermonis, et in vitium incidit, quod damnaverat.“ Verum ego, utriusque libri locos sententiasque considerans, in quod eiusmodi vitium Vossius inciderit, sane non video. – –

p. 58. *exardeo*] Peritiores grammatici negant, verbum *exardeo* apud idoneos scriptores reperiri: nam *exarsi,* quod est certe valde illis usitatum, non ab *exardeo,* sed ab *exardesco* derivari.

p. 59. *aliis rebus incumbere*] *Incumbere,* hoc est, *operam dare alicui rei,* pro *in,* sive *ad, aliquam rem,* apud probatos latinitatis auctores, fortasse non reperias.

p. 64. *qui nunc apud te, vel potius tecum est.*] Plus hoc, quam illud, est. *apud aliquem esse* dicitur, qui domi eius est; *cum aliquo esse* is, qui ei proximus aut etiam intimus est.

p. 75. *nisi forte*] *fortasse* exempl. et cod. vat. Emendavi. nam neque *si fortasse,* neque *nisi fortasse*

itis latine dici, puto; et est certe aliud *forte*, aliud *ortasse*.

p. 83. *Quia constat - - eo fit*] *sic* Gratiani exempl. cod. vat. Emendavi. nam *τῷ quia*, non *sic*, sed *eo*, *ropterea*, *idcirco*, *ideo* respondere solitum, in veterum atinorum, Ciceronis praesertim, scriptis animadverti; ius illa sunt ad Att. X, 15. „QUIA scripseras, te proisci cogitare, EO te haerere censebam.“ et XII, 11. QUIA semper animadverti, studiose te operam dare, ut e quid meorum tibi esset ignotum, PROPTEREA non ubito, quin scias, cuius municipii sim:“ et ib. 22. „Quae mnia QUIA Caesar extulerat in caelum, IDCIRCO in ius sententiam est facta discessio.“ et XIII, 7. „Sed)UIA confido, mihique persuadeo, illum aequitatis habirum rationem, IDEO a te non dubitavi contendere, t etc.“

p. 106. *auctoritatem obstupesceret*] An latinae linuae consuetudo patitur, ut *obstupescere aliquam rem* uis dicatur? non puto. nam in Ciceroniano illo *pro M. Marcello* loco, quo fortasse Pogianus deceptus est, c. 28. obstupescent posteri certe imperia, provincias, Rhenum, ceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles vitorias, monumenta, munera, triumphos audientes et leentes tuos,« manifestum est, *imperia*, *provincias*, relinorumque nominum quartos illos casus non ab *obstuescent*, sed ab *audientes et legentes* pendere.

p. 128-129. *qui alter ei et vigesimus dies*] Positum ro *secundus*. Cic. XII, 25. ad Cornificium: „Liberalibus ccepi litteras tuas, quas mihi Cornificius altero vicesimo ie, ut dicebat, reddidit.“ In quem locum Paull. Manuius, »Die,« inquit, »vicesimo secundo, nam *alter* secumlum obtinet locum: quod ex antiquo lapide intelligitur, n Casinati reperto, in ruinis villae:

Memoriae
Sex. Vigellii. Aqvinat. Qui
Ann. Attigit. Centens.
Set. Altervm. Et. Nonagens.
Perpet. Inoffensa. Valetvd.
Exegit. Reliqvos. Septem. Et. D.
XIIX. Decvbvit. Et. Occvbvit
Nat. Lvd. Saecvl. VIII. Obiit
Seqvent.

Et Tacitus in Dial. de orat. tres aetates adolescentium oratorum designat his verbis: „Nonodecimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et XX. Caesar Dolabellam, altero et XX. Asinius Pollio Catonem, non multo aetate

antecedens Calvus Vatinium iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.« – In illo quoque Virg. Buc. ecl. 8. v. 39. ***Alter ab undecimo iam tum me ceperat annus,*** positum est ***alter*** pro ***secundo;*** neque tamen summa tredecim annorum (quod quidam putant), sed duodecim dumtaxat, conficitur. ita enim ***alter*** de annis de reliquisque rebus dicitur, ut ad ***unum,*** qui proxime sive praecessit, sive praecessisse intelligendus est, referatur, cumque eo duo constituat: ex quo illa sunt, Cic. p. Cluent. c. 38.: »Cum is unum iam et alterum diem desideraretur:“ et c. 72. „Unus et alter dies intercesserat:« Virg. Aen. III, 356. „Iamque dies alterque dies processit«: Ov. Trist. I, 3, 16. »Qui modo de multis unus et alter erant“: et aliorum veterum Latinorum alia sexcenta. in ***undecimo*** autem inest certe ***unus:*** est enim ***undecimus*** quasi ***unusdecimus,*** sive ***unus,*** aut ***primus,*** et ***decimus;*** cui ***uni,*** aut ***primo,*** si ***alter,*** sive ***secundus,*** accesserit, non ***tertiusdecimus,*** sed ***duodecimus*** existet. Car. Sigonius in eo lib., quem contra Franc. Robortellium de ***convenientia supputationis*** scripsit, quique in T. VI. ei. Sigonii opp. ed. Mediol. 1737. primo loco recensetur, fatetur quidem, annum ***alterum ab undecimo,*** non nisi ***duodecimum*** apud Virgilium significare: idem tamen, quod sane mireris, eo ipso poetae loco, itemque illo (Bucol. ecl. 5. v. 48.) ***Tu nunc eris alter ab illo,*** abusus, ita ratiocinatur: „***Quia*** alter ***dicitur de duobus, ergo*** alter a trecentesimo ***est*** trecentesimus primus. ***ut enim Virgilius dixit***: Tu nunc eris alter ab illo, ***id est*** secundus, ***non*** tertius, ***et annum*** alterum ab undecimo ***pro*** duodecimo . . . ***sic*** trecentesimus alter ***est*** trecentesimus primus.« Licebit igitur, Sigoni, ista ratione dicamus, ***secundum a trecentesimo,*** sive ***trecentesimum secundum,*** esse ***primum a trecentesimo,*** sive ***trecentesimum primum.*** nam certe ***secundus*** item ***de duobus,*** quemadmodum ***alter,*** dicitur. Verum ita se res habet, ut ***alter,*** itemque ***secundus,*** ita de duobus dicatur, ut ***unum,*** sive ***primum,*** proxime praecessisse, necesse sit. in annorum autem, reliquarumque rerum, quas numerando percurrimus, seriebus, ubi ab ***uno*** sive ***primo*** exorsi ad ***decem*** sive ***decimum*** pervenerimus, rursus ad ***unum*** sive ***primum*** novae, hoc est secundae, decadis redimus: quod idem in tertia reliquisque decadibus facimus. itaque annus ***trecentesimus,*** qui tricesimae decadis decimus ac postremus est, a consequentis decadis quadragesimae ***primo*** excipitur, isque solus, qui hunc ipsum primum consequitur, ***secundus*** sive ***alter*** ab eo est. non igitur ***alter a trecentesimo,*** sive

trecentesimus alter, est, quod Sigonius volebat, *trecentesimus primus*. Virgilii illi ipsi, quos affert, loci rem ipsam magis perspicuam faciunt.

Non calamis solum exsuperas, sed voce magistrum.
Fortunate puer! iam nunc eris alter ab illo:

Ita *alterum ab illo* (hoc est *a magistro*) in cantorum numero poëta puerum dicit, quemadmodum Liv. I. *secundum ab Romulo* in regum romanorum serie Numam dixit. nempe *unum* sive *primum* uterque respiciens, eum, qui proxime consequebatur, *alterum* Virgilius, *secundum* Livius appellavit.

Alter ab undecimo iam tum me ceperat annus:

Dixi iam supra, in undecimo inesse *unum*, sive secundae decadis *primum*. quid igitur mirum est, si *alter*, qui eiusmodi *uni* sive *primo* supervenit, *duodecimum* efficit? - Sed in Hor. Tursell. op. *de partic.* l. or. (Patav. a. 1715 ed.) scriptum ita video: „*Alter* pro *primus*, cum iungitur ordinaribus (corr. *ordinalibus*) nominibus. Cic. XII. ep. 25. *altero et vicesimo die*, i. e., vigesimo primo. Ubi tamen quidam malunt interpretari *vigesimum secundum*, quemadmodum et illud Virg. Ecl. 8. „Alter ab undecimo iam tum me ceperat annus" de decimo tertio. Sed respondere possis ex sententia Sigonii I. Emend. 16. si a vigesimo incipiamus, tum eum, qui proxime sequitur, alterum esse: sequitur autem vigesimus primus.« Rem quidem ipsam satis superiori oratione refutatam existimo. nunc breviter responsionem, quae esse dicitur *ex sententia Sigonii*, refutabo. *Si a vigesimo*, inquit, *incipiamus, is, qui proxime sequitur*, alter *est*. Quid tu mihi, rem, de qua inter nos controversia est, tamquam certam atque concessam sumis? negavi ego, *alterum* de *primo* in numerando dici, multis iisque perspicuis exemplis ostendi. tu eum, qui vigesimum proxime sequitur, esse *alterum* affirmas. nego iterum, cum, qui vigesimum proxime sequitur, esse *alterum*: est enim tertiae decadis *primus*; *alter* autem is est, qui proxime hunc ipsum *primum* sequitur, *secundus* nempe et *vigesimus*. vides igitur, nihil ad me refellendum aut ad rei demonstrationem a te esse allatum. Quod si satis est *a vigesimo* incipere, ut is, qui *vigesimum* proxime sequitur, *alter* dicatur, nullus non numerus *alter* dici poterit, quum nullus sit, a quo incipere ista tua ratione non possimus, quique, si *primum* exceperis, non alium proxime praecedentem sequatur. dicatur igitur *alter* non modo secundus, qui primum proxime sequitur, sed etiam tertius, qui secundum, quartus, quintus, reliquique omnes, qui proxime praece-

dentes deinceps sequuntur. quod sane risu potius excipiendum est, quam oratione refutandum.

p. 132. *potestas omnibus impartitur*] Patiendi significatione accipiendum hoc verbum est, pro *tribuitur*. Cic. III. in Cat. c. 14: viro forti.. laus *impartitur* (al. *impertitur*).

Ibid. *vectorum culpa*] Haec item vox *vectores* in eadem patiendi significatione accipitur, pro *ii, qui vehuntur*. Cic. Philipp. VII, 28. Summi gubernatores in magnis tempestatibus a vectoribus admoneri solent.

p. 152. *tantum enim quod librum aperueram*] Cic. VII, ep. 23. »Tantum quod ex arpinati veneram, cum mihi a te litterae redditae sunt.« Idem autem valet heic *tantum quod*, ac *commodum* in illis eiusdem Cic. ad Att. XIII, 11. »Commodum discesseras heri, cum Trebatius venit, paullo post Curtius.« et 19. »Commodum discesserat Hilarus librarius... cum venit tabellarius cum tuis litteris.“ Pro utroque autem usurpavit etiam *vix* et *vixdum* idem Cic. II, de orat. c. 89. »Vix annus intercesserat ab hoc sermone cohortationis meae, cum iste accusavit Norbanum.« et IX. ad Att. 2. »Vixdum epistolam tuam legeram, cum ad me, currens ad illum, Postumius Curtius venit.»

p. 153. *apud se loquentem*,] i. e. *domi suae*. Cic. I, de orat. c. 214. »M. vero Scaurus, quem non longe ruri apud se esse audio, iam, credo, huc veniat.« habitam autem in C. Cottae aedibus disputationem illam de natura deorum, prodidit idem Cic. 1. ei. op. c. 15: »Quod cum saepe alias, – –. aderat etiam Q. Lucil. Balbus.«

p. 155. *de interversa ... aedilitate*] *Interverti* latine dicuntur ea, non quae nobis debita in alios sive transferimus, sive transferri sinimus, sed contra, quae, aliis debita, avertimus, ad nosque transferimus. Cic. in Verr. act. II. l. 4. c. 68. »Multi reges... habent profecto in animo Capitolium sic ornare, ut templi dignitas imperiique nostri nomen desiderat, qui, si intellexerint, interverso regali hoc dono [candelabro scilicet pretiosissimo, quod, ab Antiocho rege Iovi capitolino destinatum, Verres abstulerat] graviter vos tulisse, grata fore vobis populoque romano sua studia ac dona arbitrabuntur.« Idem in M. Anton. II. c. 79. „Ille [Caesar] induxit [Dolabellam], ut peteret [consulatum]: promissum et receptum intervertit, ad seque transtulit: tu [Antoni] eius perfidiae voluntatem tuam adscripsisti.«

p. 155.–161. *Erunt, qui dicant eandem primam literam esse A. ut enim literarum omnium princeps est,*

sic etiam aedilitatis; ut intelligas, alterum, qui peteret aedilitatem, esse eum, cui esset eadem prima littera: quos nihil dicere arbitror.] Ego quoque, qui ita dicunt, nihil eos dicere arbitror. sed neque Pogianum nostrum quidquam in tota hac sua epistola, neque quemquam e tot Ciceronis interpretibus, multum in commentariis suis, quod quidem ad obscurissimum certe locum valeret, dixisse adhuc, existimo: de quo quidem loco, de eiusque aliorum interpretationibus audiendus Andr. Schott. l. 1. *Nodorum Ciceronianorum* c. 18. qui suas etiam de eo coniecturas affert. Locus, inquit, oratione *pro Domo* interpretes torsit haud dubie: sed silentio dissimulare, ut fit, ac praeterire, quam ignorantiam profiteri, maluerunt. ecquis enim, quod ignorat, explanaverit? in eius orationis parte extrema, P. Clodii, hominis flagitiosi, ut alibi saepe, vitam moresque dum orator recenset, rursum ille nobis ad partes vocandus est. Verba itaque apponere non pigebit: *Is, postquam intellexit, posse se, interversa aedilitate, a L. Pisone consule praetorem renunciari, si modo eadem prima littera competitorem habuisset aliquem, aedilitatem duobus in locis, partim in arca, partim in hortis suis collocavit.* Interrogatus aliquando ab eruditissimo amico ac diligenti Ciceronis lectore, quae haec tandem *prima littera* esset *αἰνιγματικῶς* dicta, de plano respondere ut non debui, sic nolui: non enim, ut ille aiebat, e numero sumus vomentium. nam et Lambinum, hominem doctissimum, hic ne haesitasse quidem, verbumque nullum commutasse, cetera non indiligentem, video: *οὐδὲ γὰρ γάρ.* alterum vero Dionysium Gallum, edito Ciceronis contextu, addita synopsi, et pandectis iuris egregie illustratis, ad oram scripsisse video *praematuri: talem competitorem.* quod quale sit, equidem non divino; nisi, ut suspicor, operarum culpa mendum est, locumque obscurat magis. Quid Manutius? Thomas enim Freigius Germanus pisce et hic magis mutus est. Paullus [Manutius] verbo quid verba sonent, sic nos edocet, nodum tamen non expedit. *ut reliquae,* inquit, *nominis litterae, prima tantum incolumi, corrumpi mutarique possent.* hoccine vulnus sanare est, aut obscuris lucem adferre? immo obscurare id est potius. Proponam, pace lectoris, in mentem quod venit, dum locum otiosus expendo, eo nimirum inclinante tandem animo, ut aut duo illa verba *prima littera* furcis eiiciantur fodianturve, aut certe, si obtorto collo retinenda atque emendanda sunt, *praetura* pro his subiiciatur. sic enim planus evadet locus, minimeque impeditus. haec

mea mens. plures tamen coniecturas adferre, quando libris scriptis ac membranis hic destituimur, quid prohibet? parva temporis et chartae iactura. fuit cum scripsisse Ciceronem hic opinarer *priva lege*. L. enim pro *lege* antiquitus scriptum Valer. Probus in Notis auctor est. *priva* autem *lex*, quod hodie *privilegium* nominamus, *praerogativam* Cicero. Quid si reponas *eádem primo licentia?* vel sic: *si modo, ea adempta, alterum competitorem habuisset.* Sed, verum ut fatear, hariolari hoc est ac divinare; placet, quod iam subieci, *τὸ praetura* reponi. *Schotti* haec omnia, inquit *Georg. Graevius*, reiicit Sam. Petitus Miscell. III. 6. et censet, *eádem prima littera competitorem* a Cicerone dici, qui eiusdem sit praenominis cum Pisone consule, id est, *Lucius* vocetur; quod praenomen prima tantum littera *L* scriberetur vulgo. itaque recte dixisse Ciceronem *eádem* cum Pisone consule *prima littera competitorem*, qui non minus quam Piso, *Lucius* appellatus sit, atque eâdem prima littera *L* designaretur. ludere autem M. Tullium in varia huius praenominis *Lucii* acceptione, dataque occasione Pisonem consulem, hostem suum, carpere et notare. *Lucium* igitur dici hominem vilem et improbum, id liquidum esse e Tertulliani verbis Apologet. III. . . . Dicere igitur Ciceronem, nobilem virum potuisse a Pisone praetorem renunciari, si modo *Lucium* aliquem, hoc est, vilem et improbum, non minus quam erat L. Piso consul, competitorem habuisset. Haec Samuel Petitus. sed sunt argutae nugae. Hactenus *Graevius:* qui, ut puto, ne ipse quoque *argute nugari* cogeretur, satis habuit Petiti interpretationem afferre, nullam ipse suam proferens.

M. Ant. Ferratius in ei. l. interpretatione non ille quidem nugatur (quid enim minus in praestantissimi interpretis, deque Cicerone praeclare meriti, gravitatem atque sapientiam cadere potest?) sed certe mihi non aeque atque in caeteris satisfacit. sic autem ait in ep. 4. l. III. ed. ven. a. 1738 (quam quidem temporis notam idcirco non praetermittendam putavi, ut quivis intelligat, italum quemdam Ciceronis interpretem, cuius adnott. in or. *pro domo* a. 1750 Venetiis itidem prodierunt, non suam h. l., sed Ferratii interpretationem, tacito Ferratii nomine, p. 628. attulisse, quod est hominis, alios, per quos profeceris, debita laude gratiaque fraudantis): „Quo melius ea, quae dicta sunt, omnibus pateant, explicabo locum illum orationis *pro domo sua*, quem proferebam: *Posse se, interversa aedilitate, a L.*

Pisone consule praetorem renunciari. Nemo dubitat, quin Ap. Claudius significetur. cum enim supra haec sint verba, *Quidam homo nobilis, non alienus ab hoc libertatis sacerdote,* ea non possunt, nisi ad unum Appium, P. Clodii fratrem, pertinere: quippe septem reliqui praetores illius anni Ciceronis partes defenderant. Appius igitur eo anno, quo Cicero exulabat, aedilitatem petebat, signaque ac tabulas ex tota Graecia atque omnibus insulis deportaverat Romam: ***etenim cogitarat omnes superiores muneris splendore superare.*** sed, mutata repente sententia, et omissa aedilitatis petitione, per fraudem factus est praetor. quą vero id ratione contigerit, orator sic exponit: *Is posteaquam intellexit* (sic enim inter Appium et Pisonem convenerat) ***posse se, interversa aedilitate*** (fraudans populum aedilitate, quam pollicitus fuerat, eam, quasi debitam, avertere videbatur) ***a L. Pisone consule*** (qui magistratuum omnium habiturus erat comitia) ***praetorem renunciari, si modo eádem prima littera competitorem habuisset aliquem*** etc. Fac, eodem anno petiisse praeturam *A. Postumium* quemdam. cum tabellis nequaquam inscriberentur integra nomina candidatorum, sed, brevitatis causa, primae tantum litterae nominis cuiusque, necesse erat, praetoriis comitiis, praeter alias aliorum multas, duas etiam tabellas dari, quarum una *A. P.* haberet pro Postumio, altera *A. C.* pro Claudio. promiserat autem Piso consul, se, in examinandis uniuscuiusque centuriae suffragiis, tabellas omnes, inscriptas *A. P.* pro Appio accepturum: quorum punctorum accessione facta ad ea, quae ipse (*Appius*) tulisset, dubium non erat, quin praetor fieret. Nam commentatoris (***Paulli Manutii***) opinio, ***potuisse reliquas nominis litteras, prima tantum incolumi,*** facile ***corrumpi,*** defendi non potest; tum quia litura apparuisset, tum etiam quia tot litteris corrumpendis in tam multis tabellis, neque tempus erat opportunum, si uno die comitia absolvenda erant, neque locus, cum universus populus romanus adesset.

Mihi quoque Manutii opinio tum ob has ipsas tum ob alias, in quas incurrit, difficultates, ***non posse defendi,*** videtur. sed vereor, ne tu quoque, Ferrati, tuam defendere, quamquam valde et ingeniosam et eruditam, non possis. iam illud, quo tota interpretatio tua nititur, ***nomina candidatorum, non integra, sed prima tantum littera inscribi tabellis*** solita, quem tibi daturum putas? de praenominibus, quae admodum pauca apud romanos erant, fortasse id verum est: quamquam in his ipsis, si una atque éadem littera duorum prima esset, ut *Auli* et

Appii, ut *Caii* et *Cnaei*, ut *Marci* et *Manii*, ut *Titi* et *Tiberii*, suo quamque discrimine ac veluti charactere notari, non modo in eiusmodi tabellis, sed in omni scriptorum genere consuevisse, certissimum est. neque enim *A.* aeque *Aulum* atque *Appium*, neque *C.* aeque *Caium* ac *Cnaeum*, neque *M.* aeque *Marcum* ac *Manium*, neque *T.* aeque *Titum* ac *Tiberium* significavit umquam; sed *A. Aulum* dumtaxat, *C. Caium*, *M. Marcum*, *T. Titum*: *Appii* autem nota haec semper fuit *Ap.*, *Cnaei* haec *Cn.*, *Manii* haec *M'.* denique *Tiberii* haec *Ti.* At vero in nominibus ac cognominibus, quae prope innumerabilia atque admodum inter se diversa erant, quanam, quaeso, ratione venire in mentem cuiquam potuisset, ad ea significanda, non nisi prima cuiusque littera in scribendo uti? *Brevitatis causa*, inquis. Crede mihi, non ita amantes brevitatis erant illi veteres, ut, quae scriberent, non intelligi, quam paullo esse longiores in scribendo mallent. quae si illis brevitas scribentibus tantopere probabatur, cur non etiam eam dicis ab iisdem ad loquendum fuisse translatam, ut propterea talium nominum nonnisi primam cuiusque litteram, brevitatis causa compressis reliquis, appellarent? octo praetores illa Ciceronis aetate singulis annis creabantur: cuius magistratus vel octoginta, atque adeo octingenti, si fors tulisset, petitores esse potuissent. nihil autem vetat, in tanta multitudine decem repertos, qui et eodem *Auli* praenomine, et eádem nominis prima littera essent. fac, suffragatorum alios A. Papirio, alios A. Papio, alios A. Petilio, alios A. Pinario, alios A. Plautio, alios A. Pompeio, alios A. Pomponio, alios A. Pompillio, alios A. Porcio, alios denique A. Postumio tuo favisse. tu, si praetoriis comitiis consul praecesses, tibique centuriarum multa illa suffragiorum millia examinanda afferrentur, in quibus non nisi *A. P.* inscriptum videres; quaeso, quid ageres? quem ex decem illis competitoribus designari litteris *A. P.* existimares? in quem plura suffragia conspirasse statueres? denique, qui non L. Piso esses, ulli Appio Claudio addictus ac venditus, sed summa fide constantiaque consul, quem potissimum ex toto illo *Aulorum P.* numero praetorem renunciares? tu vero, opinor, haereres, aestuares; quo te verteres, non haberes: tandemque faterere, eiusmodi tabellarum inscriptiones non tam breves, quam putaras, esse oportuisse.

Sed esto, prima dumtaxat cuiusque nominis littera fuerit suffragiorum tabellis inscripta. quaero ex te: quae tum in *Appii Claudii* atque *Auli Postumii* petitione illa praeturae, opportuna ac commoda Pisoni consuli facultas

data esset *Appium Claudium, Aulo Postumio* praeterito, praetorem renunciandi? Tum nempe, inquis, praeter tabellas inscriptas *A. C.* quae ad *Appium Claudium* pertinuissent, inscriptas etiam *A. P.* quae ad *Aulum Postumium,* eius competitorem, pertinebant, pro *Appio Claudio* Piso consul, praetoriis comitiis praesidens, duas illas tabellarum litteras *A. P.* dumtaxat adamarit ac requisierit, caeteras autem omnes, quasi consilio suo Appii praetoris renunciandi minime accommodatas, exceperit ac repudiarit? an non tabellas, quibuscumque tandem inscriptas litteris, pro *Appio* homo iniustus ac fraudulentus potuisset accipere? Non, inquis: si enim tabellas, aliis praeter quam *A. P.* inscriptas litteris, pro *Appio* a Pisone accipi vulgo esset animadversum, tum fraus hominis atque iniuria manifesto teneretur. Atqui non minus, inquam, eadem fraus atque iniuria deprehensa esset, si tabellas, inscriptas *A. P.* homines inspexissent, qui pro *Auto Postumio* accipiendas scirent, ac pro *Appio Claudio* acceptas a Pisone viderent. non igitur quidquam maioris commodi aut opportunitatis atque ansae ad Appium Claudium praetorem renunciandum ex *Auli Postumii* potius, quam ex cuiusvis alius candidati praeturae petitione Pisoni consuli, in eam renunciationem intento atque incumbenti, Ferrati, comparabatur: totumque hoc tuum de tabellis inscriptis *A. P.* tamquam vanum ac commenticium ab omnibus, atque a te in primis, omnium gravissimo veritatisque amantissimo, repudiandum est. quod quo magis intelligas necessario, esse faciendum, illa eadem, a te prolata, Ciceronis nostri verba recognosce. »Is (*Appius*) posteaquam intellexit, posse se, interversa aedilitate, a L. Pisone consule praetorem renunciari, si modo eádem prima littera competitorem habuisset aliquem etc.“ Vides, ad *Appii* renunciationem, *primam modo eandem* competitoris *litteram* fuisse necessariam. tu, nisi, praeter primam, etiam secundam, hoc est, praeter *A.* etiam *P.* in *Appii* competitore *eamdem* repereris, *Appii* renunciationem constituere atque transigere non potes: ut, si forte in praetoriis illis comitiis aliquis *Aulus* praenomine, sed nullus sive *Postumius,* sive alius eádem nominis prima littera, hoc est *P.* competitor repertus fuisset, *Appii* prima littera, in illius alterius competitoris praenomine *eadem* reperta, nihil *Appii* petitionem, sententia tua, adiuvare potuisset. atqui, Ciceronis sententia, prima una illa satis ad Appium praetorem renunciandum erat futura.

Nunc ego, ne tantum videar aliorum opiniones reprehendere, nullam meam interea proferre, de contro-

verso hoc loco quid sentiam timide verecundeque dicam. sic autem existimo, nullius heic fraudis aut iniustitiae in comitiorum suffragiis avertendis, sed summae in iis legendis imperitiae Pisoni notam Ciceronem inurere voluisse; cui contumeliae locus ut esset, totum illud de *prima* eius, qui Appii competitor futurus erat, *eádem* littera lepide atque oratorie ab eo excogitatum confictumque esse. *lepide,* inquam, atque *oratorie.* nam et oratorum est talia, praesertim in narrationibus, comminisci, et inest in iis elegans lepor atque festivitas. quod genus veteribus illis summis oratoribus et probatum et frequentatum fuisse, vel unum illud Iul. Caesaris apud Ciceronem II. *de orat.* c. 240. satis declarat: »Duo sunt,« inquit,“ genera facetiarum, quorum alterum re tractatur, alterum dicto. re; si quando quid, tamquam aliqua fabella, narratur: ut olim tu, Crasse, in Memmium, comedisse eum lacertum Largii, cum esset cum eo Tarracinae de amicula rixatus. salsa, attamen a te ipso ficta tota narratio. addidisti clausulam, tota Tarracina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse litteras, tria LLL, duo MM. cum quaereres, id quid esset, senem tibi quemdam oppidanum dixisse: *Lacerat Lacertum Largii Mordax Memmius.* Perspicitis, hoc genus quam sit facetum, quam elegans, quam oratorium, sive habeas vere quod narrare possis, quod tamen est mendaciunculis adspergendum, sive fingas?« Iam in controverso, quo de agere coepimus, loco, reliqua vera sunt; illud de *prima* competitoris *litera* sané *mendaciunculum* veris *adspersum* puto. ait igitur orator, Appium, qui aedilis (quo ex magistratu ad praeturam erat adscensus) esse nollet, ne aedilicii muneris sumtus, quos sibi reservare volebat, facere cogeretur, praetor autem fieri maiorem in modum optaret, quum vidisset, illo ipso anno, quo aedilitatem petiturus esset, L. Pisonem consulem praetoria comitia habiturum, hominem nimirum plane rudem ac rusticanum, et omnis litteraturae penitus expertem, statim, abiecta aedilitatis petitione, de petenda praetura cogitare, atque adeo de assequendo sperare coepisse. *intelligebat* enim, sibique persuaserat, quum illius consulis tanta esset hebetis ingenii tarditas tantaque litterarum inscitia, ut non nisi primam alphabéti, quod vocant, litteram *A* nosset (quam, si ne eam quidem nosset, non ita difficili negotio ab se doceri potuisset), *intelligebat,* inquam, facilem sibi atque expeditam adipiscendae praeturae, eo consule, rationem fore, *si modo* secum una eamdem praeturam aliquis peteret, cuius *prima* primi nominis (hoc est praenominis)

littera esset *eadem*, quae est *Appii*, quique, exempli causa, *Aulus* vocaretur. tum enim ipse Appius, de sua petitione Pisonem tempestive monens, id effecisset, ut, cum ad comitia ventum esset, quoties illitteratissimus consul in suffragatorum tabellis, quas ipse recognoscere solus debebat, nomen aliquod, ab *A* littera incipiens, offendisset, non nisi *Appium*, nihil de *Aulo* cogitans aut suspicatus, designari crederet: qua re fieret, ut suffragiorum puncta, quae, inspectis centuriarum tabellis, in codicem, (quam *tabulam* dicebant), consule dictante, deinceps referebantur, tam ea, quae ipsius Appii erant propria, quam ea, quae ad Aulum competitorem pertinebant, omnia uni sibi adscriberentur, sic, ut ex utrisque certissimus ipse praetor a bono illo minimeque malitioso consule, post initam omnium punctorum rationem, sine controversia renunciari deberet.

Video, nonnullos miraturos, tantam tamque insignem vel primorum elementorum inscitiam Pisoni obiici ab oratore potuisse, quae plane esset incredibilis. sed non abhorret hoc a caetera eiusdem oratoris consuetudine: qui in iis, quos vehementer oderat, palamque inimicos atque infensos habebat, insectandis, quo se illis acerbiorem ac molestiorem, eosque aliis magis despiciendos atque irridendos praeberet, incredibilia quaedam de iis comminisci ac narrare consuevit, non ut crederentur quae diceret, sed ut ii, de quibus diceret, contemni a se ac ludibrio haberi sentirent, idque ipsum ab iis, apud quos diceret, ita esse intelligeretur. an non huius generis sunt illa in Verrem act. II. l. I. c. 133? »Venit ipse in aedem Castoris: considerat templum: videt undique tectum pulcherrime laqueatum, praeterea caetera omnia nova atque integra. versat se: quaerit, quid agat. dicit ei quidam ex illis canibus, quos iste Liguri dixerat esse circa se multos; *Tu, Verres, hic quod moliare, nihil habes, nisi forte vis ad perpendiculum columnas exigere.* Homo, omnium rerum imperitus, quaerit, quid sit *ad perpendiculum?* Dicunt ei“ etc. Et ei. act. l. V, c. 27. „Cum autem ver esse coeperat, cuius initium iste non a favonio, neque ab aliquo astro notabat, sed, cum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur, dabat se labori atque itineribus.“ Et in M. Antonium Phil. II. c. 16. „O miserum! sive illa tibi nota non sunt (nihil enim boni nosti), sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare.“ et ib. c. 19. et 20. „Iam illud cuius est, non dico, audaciae (cupit enim se audacem dici), sed, quod minime vult, stultitiae, qua vincit omnes, clivi ca-

pitolini mentionem facere, cum inter subsellia nostra versentur armati?... Nec vero tibi de versibus respondebo. tantum dicam breviter, neque illos neque ullas te omnino litteras nosse.« et c. 42. »Haec ut colligeres, homo amentissime, tot dies in aliena villa declamasti? quamquam tu quidem, ut tui familiares dictitant, vini exhalandi, non ingenii acuendi causa declamitas.« et Phil. III. c. 21. „At in rebus tristissimis quantos excitat risus! sententiolas edicti cuiusdam memoriae mandavi, quas videtur ille peracutas putare: ego autem, qui intelligeret, quid dicere vellet, adhuc neminem inveni... Nonne satius est mutum esse, quam, quod nemo intelligat, dicere? en, cur magister eius ex oratore orator factus sit, possideat in agro publico populi rom. campi leontini duo millia iugerum immunia, ut hominem stultum magis etiam infatuet mercede publica.“ et Phil. V. c. 19. „Ipse interea decem et septem dies (ut digestio potius quam declamatio videretur) de me in tiburtino Scipionis declamitavit, sitim quaereus. haec enim ei causa esse solet declamandi.« Sed de nemine tam multa incredibilia Cicero, quam de ipso Pisone, contumeliae atque irrisionis causa, dixit: cum quibus si hoc de ignoratis ab eo elementariis litteris convicium comparetur, valde moderatum ac sane leve videatur necesse est. in ea oratione, quam post reditum ab exsilio habuit in senatu, »Ille alter,“ inquit, illum describens cap. 13. „Caesonius Calventius, ab adolescentia versatus est in foro, cum eum, praeter simulatam versutamque tristitiam, nulla res commendaret... Cum hoc homine, an cum stipite aethiope si in foro constitisses, nihil crederes interesse: sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanum negotium; cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres.“ An credibilius est, Pisonem *elinguem*, quam illitteratum fuisse, hoc est, loqui, quam legere nesciisse? In oratione autem, contra ipsum coramque ipso habita in senatu, sexcenta sunt eiusmodi omnem fidem superantia maledicta, quorum duo tantum exempli causa nunc proferam: unum ex cap. 67. »Nihil apud hunc (*Pisonem*) lautum, nihil elegans, nihil exquisitum, (laudabo inimicum) ne magnopere quidem quidquam, praeter libidines, sumptuosum. toreuma nullum: maximi calices, et hi, ne contemnere suos videatur, placentini: exstructa mensa non conchyliis et piscibus, sed multa carne subrancida. servi sordidati ministrant, nonnulli etiam senes: idem coquus, idem atriensis: pistor domi nullus, nulla cella: panis et vinum a propola atque de cupa: bibitur usque eo dum de

solis ortu nuncietur. ubi galli cantum audivit, avum suum (*maternum; qui natione Gallus fuerat*) revixisse putat: mensam tolli iubet.“ Si credibile est, id putasse Pisonem, sit sane incredibile, ignorantiam vel primorum omnis doctrinae elementorum eidem potuisse a Cicerone obiici. Alter locus est in eiusdem orationis capite 73. huiusmodi: „Verumtamen, quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poëtam armis persequare, scire cupio quid tandem isto in versu reprehendas, *Cedant arma togae.* Tuae dicis, inquit, togae summum imperatorem esse cessurum. Quid nunc te, asine, litteras doceam? non opus est verbis, sed fustibus. non dixi hanc *togam,* qua sum amictus, nec *arma,* scutum et gladium unius imperatoris: sed, quod pacis est insigne et otii *toga,* contra autem *arma* tumultus atque belli, more poëtarum loquutus hoc intelligi volui, bellum ac tumultum paci atque otio concessurum. quaere ex familiari tuo graeco illo poëta. probabit genus ipsum et agnoscet; neque, te nihil sapere, mirabitur.“ Et mirabitur quisquam, cum videat tam multa incredibilia de Pisonis inscitia a Cicerone dici, illud quoque de ignorata ab eodem legendi ratione, certe incredibile, non tam dici, quam latenter atque obscure significari potuisse?

p. 162. *sed ne quidem*] Usitatissimum Latinis est dictionem aliquam inter *ne* et *quidem* interiicere. sed quidam, non optimos fortasse veterum latinorum codd. sequuti, negant, id esse perpetuum.

p. 164. *perstringat tuae mentis aciem*] Ast alii *praestringat,* alii, quibus assentior, *praestinguat* mallent.

p. 175. *Accepi Aristotelis libros, quorum sex sunt corpora.*] Partes unius eiusdemque operis, in plurima volumina tributi, *tomi* graeco vocabulo dicuntur: diversorum vero operum volumina, sive unum sive plura sint, *corpora* latine appellantur. Cicero ad Q. Fratrem II. ep. 13. „Siculus ille (*Philistus*) capitalis, creber, acutus, brevis, paene pusillus Thucydides. sed utros eius habueris libros (duo enim sunt corpora), an utrosque, nescio.“ Scripsisse autem Philistum historiarum libros, alteros generatim de siculorum, alteros proprie de Dionysii, syracusanorum tyranni, rebus gestis, ex Dion. Hal. ad Cn. Pomp. ep. discimus.

p. 189–195. *mihi crede*] Video, Germanum quemdam non ineruditum scriptorem, serio ac diligenter suo quodam in lib. studiosos latinae linguae atque elegantiae monere, ne umquam in oratione soluta excidere sibi pa-

tiantur *crede mihi*, sed semper *mihi crede* (quemadmodum heic et alibi scripsisse Pogianum certe videmus), perpetuam in eo Ciceronis consuetudinem usurpantes, adhibeant. Atqui Ciceronis est illud ad Att. VI. 6. „Sed, *crede mihi*, nihil minus putaram ego.“ et VIII. 14. „Euntibus vero, domesticis praesertim, ut nihil ad te dem litterarum, facere non possum: et simul, *crede mihi*, requiesco paullum in his miseriis, cum quasi tecum loquor.“ Reperi etiam illa eiusdem Cic. ad Paet. IX. ep. 16. in aliquot editis et in ferme viginti mss. codd. ita script.: „Volo enim videre animum, qui mihi audeat ista, quae scribis, apponere, aut etiam polypum, Miniani Iovis similem. *crede mihi:* non audebis. quibus tamen ego codicibus, aliisque, si qui sunt, qui cum illis consentiant, non tantum tribuo, tribuendumve ab eruditis censeo, quantum uni illi, omnium, quotquot ubique terrarum, idem epistolarum corpus continentes, exstant, vetustissimo (et ex quo caeteros omnes, qui usquam sunt, tamquam e fonte ac capite manasse, et Ang. Politianus et Pet. Victorius memoriae prodiderunt), qui Florentiae in Med. - Lau. bibl. pl. XLIX. adservatur, n. IX. extra notatus: quo in cod. non *crede mihi*, sed *mihi crede* legitur. itaque duobus illis epp. ad Att. locis hoc tempore contenti erimus: nam alii nunc quidem mihi Ciceronis, similiter loquuti, nulli succurrunt: at vero Ciceronis familiarium, M. Caelii, et M. Bruti, nonnullos similes in promtu habeo: quos etiam profero. Caelius VIII. ep. 14. „Crede mihi,“ inquit, „est properandum.“ et ep. 17. „Sed, crede mihi, perire satius est, quam hos videre.“ Brutus XI. ep. 20. „Nam de tuo periculo, crede mihi, iactatione verborum, et denunciatione periculi, sperare eos, te pertimefacto, adolescente impulso, posse magna consequi praemia.“ et ep. 26. „Crede mihi, nisi ista omnia ita fiunt quemadmodum scribo, magnum nos omnes adituros periculum.“ quamquam Bruti duo haec non videntur esse ex eodem plane, ex quo illa sunt Caelii, genere. *)

---

*) Nunc, quae per hosce ipsos dies duorum item e Germania doctiss. hominum graviora, ut mihi quidem videntur, σφάλματα in alio quodam genere animadverti, studiosae iuventuti indicabo. quod quamquam alio et loco et tempore commodius atque opportunius a me fieri oportuisse non ignorarem, tamen, quum idem intelligerem, nullum non idoneum tempus, nullumque non aptum locum eripiendo aut prohibendo errori esse, rem non esse diutius differendam, aut alio reiiciendam existimavi. Alter igitur in V. vol. Act. soc. lat. Ien. a. 1756. ait, obliquos nominum casus, *barbaros* a Cicerone in Or. ad M. Brutum c. 48. (al. 160.)

p. 196. ***ne communis quidem, ... paucorum hominum***] Haec duo *pauc. hom.* pertinent ad superiora illa *ne communis q.* Valde autem latine *communis* cum patrio nominum casu coniungitur. Cic. pro Balbo c. 27. „Quod

---

appellari, *quasi*, inquiens, *barbarum sit quidquid recto oppositum est*. quod si valet, regulas, vias, caetera omnia, quae a recto aberrant, eodem iure *barbara* appellabimus. sed Ciceronis locum videamus. „Quin ego ipse, quum scirem, ita maiores loquutos esse, ut nusquam, nisi in vocali, adspiratione uterentur, loquebar sic, ut PULCROS, CETEGOS, TRIUMPOS, KARTAGINEM dicerem. . . . BURRUM semper Ennius, numquam PYRRHUM. VI PATEFECERUNT BRUGES, non PHRYGES, ipsius antiqui declarant libri, nec enim graecam litteram adhibebant: nunc autem etiam duas, et, cum PHRYGUM et cum PHRYGIBUS dicendum esset, absurdum erat aut tantum *barbaris casibus* graecam litteram adhibere, aut recto casu solum graece loqui. tamen et PHRYGES et PYRRHUM aurium causa dicimus."

Aio, *barbaros casus* h. l. a Cic. appellari eos, qui proprios, non graecorum, sed latinorum nominum declinatus atque exitus habeant. id antequam ita esse doceo, *casus* quid sint, dicendum est. Verborum ac nominum una quaedam prima positio est, ut *amo*, *doceo*, *lego*, *audio*, et *amator*, *doctor*, *lector*, *auditor*. hi omnes eorumque similes, *recti casus* vocantur. quod ne temere ac falso a me de verbis quoque dici, quis putet, doctissimi romanorum M. Terentii Varronis testimonium ex libro II. de analogia, qui de lingua latina octavus est, afferam. *Fit*, inquit, *ut rectus casus nonnunquam sit ambiguus, ut in hoc verbo Volo, quod id duo significat, unum a Voluntate, alterum a Volando. itaque a Volo intelligimus et Volare et Velle.* Ex huiusmodi *rectis* tum nominum tum verborum *casibus* alii, qui vocantur *obliqui*, nascuntur; quos itidem verborum esse, ex Quintiliani verbis illis lib. I. institutionum cap. 10. plane intelligimus: „Prima quoque aliquando positio ex *obliquis* invenitur: ut memoria repeto convictos a me, qui reprehenderant, quod hoc verbo usus essem *Pepigi*. nam id quidem dixisse summos auctores confitebantur, rationem tamen negabant permittere: quia prima positio *Paciscor*, cum haberet naturam patiendi, faceret tempore praeterito *Pactus sum*. nos, praeter auctoritatem oratorum atque historicorum, analogia quoque hoc dictum tuebamur. nam, cum in duodecim tabulis legerimus [malim *legeremus*: quemadmodum legere me Florentiae in antiquissimo bibliothecae mediceo-laurentianae codice memini] *Ni Ita Pagunt*, inveniebamus simile huic *Cadunt*. inde prima positio, etiamsi vetustate exoleverat, apparebat *Pago*. unde non erat dubium, sic *Pepigi* nos dicere, ut *Cecidi*." Sed nihil necesse est, nunc a me verba cum nominibus in hac disputatione coniungi. de nominum dumtaxat *obliquis casibus* dicam. quos quidem *obliquos* dici non solum ob eam causam puto, quod ad *rectos* ex altera parte referantur, illisque respondeant, sed etiam quod a *rectis* in extremis syllabis ferme deficiant, aliosque, atque illi, flexus atque exitus habeant; quos ipsos flexus atque exitus probabilem appellandorum *casuum* grammaticis dedisse causam existimo. apte enim atque concinne dici videntur nomina *cadere* in eas syllabas,

commune est liberorum populorum." et V. de fin. c. 66. virtutum reliquarum *communia*. et I. de legg. c. 23. *communis* deorum atque hominum.

p. 197. *a vobis solvere*] Hoc est *de vestro*. qui enim

---

in quas, alias deinceps atque alias, prioribus nihil admodum immutatis, migrant ac tamquam labuntur. *Casus*, inquit Sex. Pompeius Festus, *dicimus vocabulorum formas; quia in aliam atque aliam cadunt effigiem.* Hae nominum effigies, hae formae, hae figurae (quo etiam vocabulo a veteribus appellatas video), hi denique *casus obliqui*; non iidem vulgo, sed admodum dissimiles, in lingua latina, ac graeca sunt; quemadmodum non eadem, sed admodum dissimilia, ipsa ferme sunt nomina. fit tamen nonnumquam, ut graeca quaedam nomina, propria praesertim hominum aut locorum, in Latium translata, casibus, sive rectis sive obliquis, non latinis inflexa, sed graecis efferantur. quam quidem rationem latinis ipsis hominibus non omnibus fuisse probatam, tradit Quintilianus libro I. cap. 9. idemque sententiam suam de eiusmodi controversia atque iudicium auctor gravissimus interponit. „Sed haec divisio mea," inquit, „ad graecum sermonem praecipue pertinet: nam et maxima ex parte romanus inde conversus est; et confessis quoque graecis utimur verbis, ubi nostra desunt, sicut illi a nobis nonnunquam mutuantur. inde illa quaestio exoritur, an eadem ratione per casus duci [id est, *declinari*] externa [*nomina*], qua nostra, conveniat. ac, si reperias grammaticum veterum amatorem, neget quicquam ex latina ratione mutandum; quia, cum sit apud nos casus ablativus, quem illi non habent, parum conveniat uno casu nostro, quinque graecis uti: quinetiam laudet virtutem eorum, qui potentiorem facere linguam latinam studebant, nec alienis egere institutis fatebantur. inde *Castórem* media syllaba producta pronunciarunt, quia hoc nostris nominibus accidebat, quorum prima positio (id est, *nominativus*) in easdem, quas *Castor*, litteras exit (ut *amator*, *doctor*, *pictor* etc.) et, ut *Palaemo*, sic *Telamo* et *Plato* (nam sic eum Cicero quoque appellat) dicerentur (non autem, ut graece dicuntur, *Palaemon*, *Telamon*, *Platon*), retinuerunt, quia latinum (*nomen*), quod *o* et *n* litteris finiretur, non reperiebant. nec in *a* quidem atque *s* litteras exire temere masculina graeca nomina recto casu patiebantur. ideoque et apud Coelium legimus *Pelia cincinnatus*, et apud Messalam *bene fecit Euthia*, et apud Ciceronem *Hermagora:* nec miremur, quod ab antiquorum plerisque *Aenea*, et *Anchisa* sit dictus. nam, si, ut *Mecenas*, *Saffenas*, *Asprenas*, genitivo casu non *ae* littera, sed *tis* syllaba terminarentur; inde *olympo* et *tyranno* acutam mediam syllabam dederunt; quia, una aut duabus longis sequentibus, primam brevem acui noster sermo non patitur. sic genitivus *Achilli* et *Ulyssi* fecit, sic alia plurima. nunc recentiores instituerunt graecis nominibus graecas declinationes potius dare. quod tamen ipsum non semper fieri potest. mihi autem placet latinam rationem sequi, quousque patitur decor. neque enim iam *Calypsonem* dixerim ut *Iunonem*: quanquam secutus antiquos C. Caesar utitur hac ratione declinandi. sed auctoritatem consuetudo superavit. in caeteris, quae poterunt utroque modo non indecenter efferri, qui graecam figuram sequi malit, non latine quidem, sed

creditori non de suo, sed de alieno solvunt, ii *ab alio solvere* dicuntur. simile est Cic. illud V. ad Att. 21.: „Homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se *a me solvere*. quod enim praetori dare consuesseut,

---

citra reprehensionem loquetur.“ Vides, graecorum nominum rectos casus, ut *Platon*, *Aeneas*, *Anchises*, ac patrios, ut *Achilleos*, denique accusativos, ut *Calypso*, alio quodam modo terminari, et *hic Plato*, *hic Aenea*, *hic Anchisa*, *huius Achilli*, *hanc Calypsónem* reddere? eadem ratio, quae singularium, est etiam multitudinis. itaque nominis, exempli causa, *Phryges* (quae tamen graeca positio cum latina consentit) patrius casus graece quidem est *Phrygon*, dativus *Phryxi*, latine autem *Phrygum*, et *Phrygibus*. Huiusmodi igitur latinos graecorum nominum casus, qui non eosdem, quos graece elati, exitus habeant, sive recti, sive obliqui, sive singulares sive plurales sint, *barbaros casus* a latinis appellatos, aio, cum enim in nominibus caeterisque orationis partibus sua cuiusque linguae certa ratio, ac propria atque recepta consuetudo sit, ab ea quidquid abhorret, atque aliunde translatum est, *barbarum*, hoc est peregrinum atque exoticum, perquam apto vocabulo, et ab ipsis graecis primum invento atque usurpato, dicitur. ac Marcus quidem Plautus graecas comoedias duas, *Asinariam* atque *Trinummum*, cum latinas a se factas vellet intelligi, *barbare* a se *versas* dixit:

Nunc, quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam. huic nomen graece est Onágos fabulae:
Demophilus scripsit, Marcus vortit barbare. In Prol. Asin. 9.
Huic nomen graece est Thesauro fabulae:
Philémo scripsit, Plautus vortit barbare. In. Prol. Trin. 18.

Quam consuetudinem sequutus, M. Tullius latinas declinationes, nominibus graecis adhibitas, *barbaros* (id est, *non graecos*) *casus* appellavit.

Nunc ipsum Ciceronis locum, certe obscurissimum, cuius adhuc non nisi uni illi particulae de *barbaris casibus* lucem fortasse aliquam attulimus, universum illustrare conemur. videntur autem mihi quaedam, tamquam geometrarum postulata, esse omnino praemittenda, quo deinde res ipsa planius explicari et facilius intelligi possit. Primum est: priscos latinos adspiratione non nisi in vocali (ut in *hamus*, *hilaris*, *hebes*, *homo*, *humus*, *habeo*, *traho* etc.) usos. quam consuetudinem Cicero sequutum se aliquando, dicit, atque ita loquutum, ut *triumpos*, non *triumphos*, *palcros*, non *pulchros*, *Kartaginem*, non *Karthaginem*, diceret. Alterum est; litteram *p*, quae graecorum nominum prima esset, ab iisdem priscis latinis, quum eiusmodi nominibus latine uti vellent, in *b* fuisse aut semper, aut certe saepe, conversam. „Sed *b* quoque (inquit Quintilianus libro I, cap. 6.) in locum aliarum (*litterarum*) dedimus aliquando: unde *Burrus*, et *Bruges*, et *Belua*.“ Quae quidem postrema vox videtur corrigenda esse ex illo de eadem litterarum mutatione Sex. Pompeii Festi testimonio: „*Balaenae* nomen a graeco descendit. hanc illi *φάλαιναν* dicunt antiqua consuetudine, qua Πύῤῥον Burrum, *πύξον* buxum dicebant.“ Est hic locus certe corruptus, et a Paullo illo diacono, qui nobis Festi *viginti prolixa*, ut ipse ait in sua ad Karolum regem praefatione, *volumina* in compendium redegit, fortasse

quoniam ego non acceperam, se a me quodammodo dare."

p. 200. *non tam haec esse, quam audivisti,*] Vix latinum videretur, nisi Cicero I. ad Q. fr. ep. 2. c. 3. ita

---

corruptus, nam quo provocabulum *illi* referas, quum non praecesserint in oratione ulli, ad quos referri possit? an graeci intelligendi sunt? sed ii φάλαινας quidem, at non item *Burrum buxumque* dicebant. an vero latini? sed falso latini φάλαινα dixisse dicuntur. verum, quum videamus quid sive Festus sive Paullus dicere voluerit, quemadmodum id dixerit, non est laborandum. Tertium est: latinos non nisi duabus ex omni graecarum litterarum numero caruisse. Quintilianus iisdem et libro et capite, „At grammatici saltem, inquit, omnes in hanc descendent rerum tenuitatem, desinine nobis aliquae necessariae litterae, non cum graeca scribimus, tum enim ab iisdem duas mutuamur, sed proprie in latinis." Nihil igitur, quod graeci graecis litteris scriberent, non poterant latini litteris suis scribere, si modo duas ad graecorum quaedam vocabula scribenda mutuarentur. eae quae fuerint, idem Quintil. XII. 10. docet. „Iucundissimas," inquit, „ex graecis litteris υ et ζ non habemus, vocalem alteram, alteram consonantem: quibus nullae apud eos (*graecos*) dulcius spirant. quas mutuari solemus, quoties illorum nominibus utimur. quod cum contingit, nescio quo modo hilarior protinus renidet oratio, ut in zephyris, zopyrisque." Duabus hisce tantummodo graecorum litteris latini quum caruerint, necesse est eos tribus illis Φ, χ, ϑ non caruisse, et sane non caruerunt. quum enim et *p*, et *c*, et *t* consonantes litteras haberent, neque sive litteram, sive notam *h* non haberent, qua illis consonantibus adhibita, easdem adspirarent, profecto eiusdem potestatis sonique totidem litteras, ac tanquam graecarum illarum geminas habuerunt. neque enim graecae ipsae illae litterae aliud quidquam sunt, nisi π, κ, τ, adspiratione affectae: ipsosque antiquiores graecos, antequam non necessitate, sed celeritatis in scribendo, ut opinor, causa (neque enim reperire aliam aut cogitare possum) tres illae litterae, sive potius tres illi litterarum nexus excogitati invectique sunt, ita plane, ut latinos PHARUS, CHIUS, THASUS, sic illos ΠΗΑΡΟC, ΚΗΙΟC, ΤΗΑCΟC pro recentiorum ΦΑΡΟC, ΧΙΟC, ΘΑCΟC, scripsisse constat. Non igitur audiendus est Pet. Victorius, qui h. l. enarrans, legendumque in eo *Bruges*, non *Fruges*, iure defendens, libro XIV. Var. lect. cap. 3. affirmat, litteram Φ quae prima est nominis Φευγις, esse alteram e duabus, quas Cicero a priscis latinis fuisse adhibitas, contra quam aetate illa sua fieret, neget illis verbis, „nec enim graecam litteram adhibebant: nunc autem etiam duas." Non ita est. quam enim *graecam litteram* olim a latinis *non adhibitam* Cicero dicit, ea intelligi debet, quae in nomine Πυρρος secundum, in Φευγις tertium obtinet locum, nempe vocalis υ; pro qua latinam litteram *u* in iisdem nominibus, in latinum e graeco conversis, adhibitam fuisse, duplici illo ex Enni Annalibus allato exemplo, egregie idem Cicero confirmarat. quod optima ratione ab Ennio caeterisque priscis illis latinis factum quum iudicaret, suae aetatis hominum perversam consuetudinem atque adeo intemperantiam carpit atque reprehendit, qui, non contenti unam

plane loquutus esset. „Vide (inquit) per homines amantes tui, quod est facile, ut haec genera tollantur epistolarum, primum iniquarum, deinde contrariarum, tum absurde et inusitate scriptarum, postremo in aliquem con-

---

illam ipsam graecam litteram *v* latine loquentes scribentesve adhibere, alteram quoque, item graecam ac peregrinam, non quidem in *Phryges*, sed in aliis certe nominibus usurpandis, adhiberent. quam nam? profecto non aliam, quam qua una, praeter *v*, latinos caruisse, ostensum est, nempe ζ. Falsum igitur est, quod Victorius affirmat, Φ litteram esse unam ex iis graecis duabus, quas, a priscis latinis non adhibitas, Cicero queritur a suis aequalibus adhiberi.

Sed aliud quoque est, minime quidem a me praetereundum, in quo a viro illo doct. valde dissentio. ait enim, si non *Bruges*, ut ipse vult, ac recte quidem vult, sed *Fruges*, ut quibusdam placet, in hoc eodem Ciceronis loco scriberetur, tum fore, ut graeci nominis Φρυγῆς prima littera, in illam *f* latine conversa, formam quidem graecam amitteret, sonum vero plane graecum retineret: neque propterea *vere immutata* (immutatam autem ab Ennio affirmat Cicero) dici posset. nempe eamdem vim potestatemque fuisse olim graecae litterae Φ, quam latinae f Victorius putat. atqui longe aliam fuisse, ex duplici Quintiliani in Instit. orat. loco perspicue demonstrari potest. I, 6. „Atque haec (inquit) ipsa *s* littera ab his nominibus (scilicet, *arbos, labos, vapos* etc., quibus veteres latini utebantur) exclusa (siquidem recentiores *arbor, labor vapor* etc. dicere instituerunt), in quibusdam (*nominibus aut verbis*) ipsi altera successit. nam *mertare*, atque *pultare* dicebant (veteres; cum recentiores *mersare* atque *pulsare* dicant), quomodo *fordeum, foedusque* (iidem veteres item dicebant; quod recentiores *hordeum, hoedusque* dicunt) pro adspiratione, vau simili littera utentes (hoc est, adspirationis *h* loco, qua nunc in duobus illis nominibus utimur, aliam litteram, nempe *f*, adhibentes, quae non eundem illa quidem, sed similem litterae *vau*, seu digamma aeolico, sonum habet: qui sonus non alius est, quam qui in prima littera nominis *vulgus*, et in quarta nominum *servus, cervus*, similiumque auditur). nam contra graeci ita adspirare haec solent, ut pro Fundanio Cicero testem, qui primam eius litteram dicere non posset, irridet." quorum verborum haec sententia est. veteres latini, quorum auribus adspiratio omnis erat insuavior, litteram *f* pro *h* reponentes, ex *hordeum* fecerunt *fordeum*, et *foedus* ex *hoedus*. contra graecis eadem littera *f* sic absurda atque absona, pronunciatuque difficilis est, ut latina nomina, quorum illa prima sit, adspirare soleant, et eo ridiculo modo efferre, quo modo utentem graecum quendam testem videmus a Cicerone in or. pro Fundanio (quae una ex iis multis est, quae Quintiliani aetate exstabant, at postea interciderunt) irrideri, qui testis primam ipsius *Fundanii* litteram dicere recte ac latino sono non posset. potuitne igitur latinae litterae *f* eadem esse vis ac potestas, quae graecae Φ, si homo graecus rationem primae Fundanii litterae expediendae pronunciandaeque reperire non poterat? hic mihi sane testis non minus contra Victorium, quam contra Fundanium dixisse testimonium in iudicio videtur. sed et Quintilianus ipse XII. 10. testimonio

tumeliosarum. atque ego *haec tam esse, quam audio,* non puto: et, si sunt occupationibus tuis minus animadversa, nunc perspice, et purga.“ Ego vero aliud neque in Ciceronis neque in caeterorum veterum latinorum libris

---

quoque suo urget hominem, cogitque, magnum inter Φ et *f* soni discrimen olim intercessisse, confiteri. „Quae (graeca nomina *zephyrus* atque *zopyrus*) si nostris, inquit, litteris scribantur, surdum quiddam (fort. *quemdam*) et barbarum efficient sonum (heic mihi obiter nota, ita *barbarum* a Quintiliano dici sonum eum, qui latinus quidem sonus esset, at non graecus, quemadmodum latini nominum casus, qui latini quidem, at non item graeci essent, a Cicerone barbari dicti sunt), et velut in locum earum succedent tristes et horridae, quibus Graecia caret. nam illa, quae sexta est nostrarum (ea autem est *f*) paene non humana voce, vel omnino non voce, potius inter discrimina dentium efflanda est: quae etiam, cum vocalem proximam accipit, quassa quodammodo, utique quoties aliquam consonantem frangit, multo fit horridior.“

Sed iam ad Ciceronis locum explicandum, cuius causa tam multa praefari coacti sumus, veniamus. Ennius caeterique veteres latini in graecis nominibus *Pyrrhus* et *Phryges* usurpandis tria omnino immutarant. primum adspirationem *h*, qua nonnisi in vocalibus, iisque non multis, utebantur; abiecerant, ita, ut *Pyrrus* et *Pryges* relinqueretur. tum, consuetudini illorum temporum indulgentes, litteram *P* in *B* converterant, et *Byrrus* ac *Bryges* fecerant, denique, quum ab littera *y*, utpote peregrina, abhorrerent, pro ea latinam *u* subdiderant; atque ita duo plane latina nomina *Burrus*, *Brugesque* condiderant. rem haud aliter contigisse demonstraturus Cicero, locum illum ex Ennii Annalibus „*Vi patefecerunt Bruges*“ affert: neque de *Burrus* sibi amplius agendum existimans, in nomine *Bruges* considerando paullisper immoratur, in quo ipso nomine nihil aut de exclusa adspiratione *h*, aut de *P*, in *B* commutata, inquirens neque commemorans, de una littera *y*, ab eo remota, disputationem instituit; rectissimeque id ab Ennio caeterisque veteribus latinis factum docet: qui, quum graecae illi litterae nullum esse locum in suo sermone voluissent (contra quam ipsius Ciceronis aetate fieret: tunc enim non illi uni modo, verum etiam alteri, quam fuisse ζ supra dictum est, locus dabatur); excludere eandem ab illo quoque nomine debuerunt. id vero non oportuisse modo, verum etiam necesse quodammodo fuisse ita ab illis fieri, continuo perquam ingeniosa subtilique ratione ostendit. quum enim nomen illud e graeco latinum facere, hoc est a graecorum nominum inflexione ad latinorum rationem vellent traducere (qua in traductione genitivi quidem casus extremae litterae non *gon*, sed *gum*, dativi vero non *xi*, sed *gibus* essent futurae, sic ut non *Phrygon* et *Phryxi* graece, sed *Phrygum* et *Phrygibus* latine dicendum esset), valde absurdum fuisset litteram illam graecam usquam ab iis sive in recto sive in obliquis casibus retineri. nam, si eam a solo recto removissent, sic ut *Phruges*, non *Phryges*, diceretur, tum rectus quidem ex graeco latinus evasisset (recti enim ille exitus *ges* latinus est), sed in obliquis, latinum exitum caeteroquin habentibus, aliquid non latinum, graeca illa nempe lit-

reperiri simile huius exemplum puto: nec vereri unquam desinam, ne vox aliqua, puta *vitiosa*, post *tam* intercideri in antiquo illo cod., Fr. Petrarcae manu, ut opinio est hominum, descripto, unde reliquos omnes habemus, quique Florentiae in Med.-laur. bibl. pl. XLIX. custoditur, et no. XVIII. extra notatur. quod si nihil tale, quale suspicamur, neque scriptum a Cicerone est, neque a Ciceronis descriptore praetermissum, at illa certe, quae proxime praecesserunt, videntur omnino subaudienda, nempe *iniqua, contraria, absurda et inaudita,* postremo *contumeliosa*. quibus tamen aut similibus subaudiendis nullus in Pogiani nostri sermone locus relinquitur, quum nihil eiusmodi praecesserit.

p. 203. *humanitate par*] Admodum latine *par* sexto casu iungitur. Cicero de clar. or. c. 126. „Eloquentia

---

tera *y*, remansisset: quod certe erat absurdum. si vero a solis obliquis eamdem removissent, *Phrugum*, non *Phrygum*, et *Phrugibus*, non *Phrygibus* usurpantes, tum rectus nominis eius, cuius obliqui casus latini omni ex parte facti essent, nulla ex parte non graecus relinqueretur (*Phryges* enim plane atque omnibus litteris graeca positio est) quod item absurdum erat. recte igitur nullum in tota illius nominis declinatione graecae litterae *y* locum esse voluerunt, ne, aut si eam in recto casu retinuissent, graece loqui, eumdem casum plane graecum usurpantes, cogerentur, aut, nisi eam ab obliquis removissent, iis non plane latinis uterentur.

Brevior erit alterius illius Germani scriptoris, quem supra significavi, confutatio. is in opere, quod Francof. ad Moen. a. 1742 edidit, inscriptum Observ. crit. in varios gr. et lat. auctores LL. IV. ita I. 26. alt. Seneca fl. de ira, 35. „Senex, inquit, aut infirmi corporis est, qui, cum ambulare vult, currit." Nemini hic mendi suspicio suborta est, licet manifesto sese prodat: adeo ut fere pro menda typographica habuissem, nisi omnes, quas equidem vidi, editiones ita exhiberent. quis enim unquam audivit, senem, aut infirmi corporis aegrotum currere posse, aut cursum pro infirmitatis signo esse accipiendum? quare vix dubium, quin legendum hic fuerit, *qui, cum ambulare vult, corruit:* sensu, me iudice, manifesto et perspicuo. Immo vero tu, eruditissime vir, locum minime mendosum cum emendare velles, manifesto et perspicuo lapsu, me iudice, corruisti. agit eo in loco Seneca de ira: quae, cuius animum occupavit, eum suae potestatis esse non sinit; quem propterea illis comparat, qui, nervorum vitio atque imbecillitate, incessum suum regere non valentes, cum ambulare, hoc est, gradatim incedere, sibi proposuerint, praecipitatis tamen gressibus, et impetu currentium vel inviti feruntur. „Ea demum velocitas (inquit) placet, quae, ubi iussa est, vestigium sistit, nec ultra destinata procurrit, et quae flecti, et a cursu ad gradum reduci potest. aegros scimus nervos esse, ubi, invitis nobis, moventur. senex. aut infirmi corporis est, qui, cum ambulare vult, currit. animi motus eos putemus sanissimos validissimosque, qui nostro arbitrio ibunt, non suo ferentur."

quidem nescio an habuisset (*C. Gracchus*) parem neminem.“ et pro Plancio c. 27. „T. Torquatus, illi (*A. Torquato*) omni virtute et laude par.“ et in Philipp. I. 34. „Illa erat vita, illa secunda fortuna, libertate esse parem ceteris“ [ita enim legitur in antiquissimo omnium probatissimoque capituli S. Petri codice, non ut vulgo, *cum ceteris*], „principem dignitate.“

p. 210. *mediocriter in scribendi . . studio . . exercitatum*] Aeschinis graeca haec sunt: *ἀλλὰ καὶ γράφειν ἐλευθερίως, καὶ παιδείας φροντίσας τὰ μέτρια, καὶ λόγων κ. τ. λ.* In quibus quae vis sit *τοῦ γράφειν* intelligi satis non potest, nisi ante, quid Aeschini de ea re Demosthenes in eadem illa *περὶ στεφ.* or. obiecerit, cognoscatur. ait igitur: *τὸ κάλλιστον* (hoc nempe *εἰρωνικῶς* dictum est) *ἐξελέξω τῶν ἔργων ὑπογραμματεύειν καὶ ὑπηρετεῖν τοῖς ἀρχιδίκοις* (sic enim legendum censeo, non, ut est in vulgatis, *ἀρχιδίοις*): „*id tibi pulcerrimum opus delegisti, ut scriba esses ac minister eorum, qui iudiciis praesunt.*“ et sane *ἀθρόως* a Demosthene Aeschines *γραμματεὺς*, id est *scriba*, in eadem oratione appellatur. quod si *ἀρχιδίοις* vera lectio est, tum ea vox pro parvis atque infirmis magistratibus accipi debet, ut sit *ἀρχίδιον* diminutiva, ut vocant, nominis *ἀρχή* appellatio, ut est, *σκαφίδιον*, *navicula*, a *σκάφη*. Idem Demosthenes in or. *περὶ τῆς παραπρεσβείας* eam rem Aeschini eiusque consanguineis obiiciens atque exprobrans, *ἀρχαῖς* usus est: *ὑπογραμματεύοντες*, inquit, *οὗτοι καὶ ὑπηρετοῦντες ἁπάσαις ταῖς ἀρχαῖς, ἀργύριον εἰλήφεσαν.*

p. 213. *hic ego consedi*] Mallem *sedeo*, ut est in graeco *κάθημαι*. *sedere* autem est *otiosum plane esse*, et *nihil omnino agere*. Cic. V. Fam. ep. 7. „Iis enim ventis istinc navigatur: qui si essent, nos Corcyrae non sederemus.“ Hor. I. ep. 17. 37, „Sedit, qui timuit, ne non succederet.“

p. 218. *si in scribendo rudem aperueris*] *Aperire* usurpat Pog. pro *deprehendere*. an quisquam ex veteribus latinis id verbum in eadem significatione usurpaverit, nescio. Ciceronis illud ex V. ad Att. I. „De Oppio factum est ut volui, et maxime quod DCCC. aperuisti,“ neque satis certae lectionis, et incertissimae significationis est.

p. 219. *nosti os epistolae.*] *Os* pro *impudentia* accipi notum est. Cic. II. 2. in Verr. c. 48. „nostis os hominis, nostis audaciam.“ et IX. ad Verr. ep. 8. „Misi autem ad te quattuor admonitores, non nimis verecundos: nosti enim profecto os eius adolescentioris academiae.“

p. 222. *nisi forte*] *fortasse* exempl. Emendavi. non enim a bonis latinitatis auctoribus *fortasse* cum *si* aut *nisi* coniungitur. et certe aliud latinis est *forte*, aliud *fortasse*.

p. 231. *follis*] *Follem* lusorium omnes norunt, eumque non nisi validis lacertis expulsari posse constat: ut mirandum sit a Martiale XIV. 41. follem ita de se loquentem induci potuisse:

Ite procul, iuvenes: mitis mihi convenit aetas.
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Sed fortasse veterum romanorum *follis* non nisi ex agnina vesicula fuit, flatu oris intentus, pila pagauica aliquanto amplior, et manu in pugnum contracta facile vel a pueris (quod nostri etiam faciunt) excutiendus. at vero is, qui nunc in usu frequentiore est, ex crassiore multiplicique aluta confectus, humani capitis magnitudinem superans, vento, per aeream fistulam valide immisso, distentus, roboreo multarum librarum brachiali caestu propellitur.

p. 243, 244. *Credo te iam ruri .. esse*] Prisciani (lib. XV.) grammaticorum sine controversia doctissimi auctoritatem de dativo *ruri* Em. Alvarus, doctiss. item grammaticus modeste, quemadmodum par erat, reveritus, in lib. II. *de gramm. instit.*, p. 150. b. olyssipp. ed. a. 1572 quae omnium prima fuit, *Dativo*, inquit, RURI, *vel ablativo* RURE *utimur, cum huius est loci.* Plaut. Bacch. „Si illi sunt virgae ruri, at mihi tergum domi est.“ Liv. l. 8. dec. 4. „Morientem rure eo ipso die sepeliri se iussisse, ferunt.“ Idem tamen de ea ipsa re quid suspicaretur, continuo exposuit: „Quid si, inquit, RURI priscus est ablativus? maxime cum Iustinus l. I. dixerit: Igitur antelucano tempore ruri iter ingressus obvium habuit servum de ergastulo.“ Recentiores quidam Grammatici, non qui plus, quam Alvarus, scirent, sed qui sibi plus scire viderentur, plusque auderent atque confiderent, Priscianum in eo ipso mentitum esse affirmarunt, nec nisi ablativum esse casum *ruri* sine ulla dubitatione statuerunt. Atqui dubitandi satis iusta ac magna illa quidem causa est, quod Priscianus, tantae antiquitatis doctrinaeque grammaticus, quique, vetustiores se doctissimique grammatici de ea re quid senserint, multo melius, quam isti antiquitatis correctores, scire potuit, non ablativum, sed dativum esse casum *ruri* statuerit; ut, etiamsi deceptus fuerit (quemadmodum fortasse fuit), cautius prudentiusque sit assensionem sustinere, aut certe dissensionem dissimulare atque celare, quam tam libere contradicere, palamque reprehendere. Eadem controversia est de *Tyburi*

et *Anxuri;* quos ablativos esse casus iidem illi, quos significavi, recentiores grammatici nihil haesitantes confirmant. Alvarus, qui videret, dativos eos a compluribus existimari, in eaque sententia fuisse Servium, veterem luculentumque grammaticum, sciret, et tamen aliter ipse sentiret, a moderatione illa sua non recedens, *Fortasse,* inquit in eadem illa p. 150. b., *nominum Tybur et Anxur apud veteres et* e *et* i *ablativus terminabatur.* Hoc quidem est, non sane minus, quam recentiores illos nostros, videre, sed esse multo, quam illos, modestiorem, aut, ut ait poëta nescio quis

Non minus huic cordis, plus illis oris inesse.

Quam multi autem dativos, non ablativos, illos esse casus censuerint, ne sim propemodum infinitus, non dicam uno Io. Despauterio, cuius *commentarii grammatici,* a. 1514. primum editi, maguo in pretio, idque iure meritoque, sunt, contentus ero. is igitur p. 339. edit. lugdun. an. 1564. „„Nomina (inquit) propria oppidorum aut pagorum tertiae declinationis, aut pluralis numeri, ubi quaestio fieret per *ubi,* ponuntur pro adverbiis in dativo, vel ablativo, elegantius autem in dativo, cum appellativo *ruri,* ut: „Terentius natus est *Carthagine,*" et elegantius *Carthagini:* Ille studet *Tyburi*" per dativum eleganter, nec inepte *Tybure* per ablativum . . . „Iohannes est *ruri*" multo melius, quam per ablativum „est *rure.*" Quomodo probas, elegantiorem esse locutionem per dativum? Quia Servius, grammaticus doctiss., dicit, apud Horatium ablativum pro dativo poni „Romae Tybur amem ventosus, *Tybure Romam*": et apud Virg. „*Aulide* iuravi": et apud Ciceronem „Quum tu *Narbone* mensas hospitum convomeres." Quid si Servius erraverit, ut in pluribus, ut Bervaldus ostendit? In hoc praecepto Servium non errasse, probo auctoritate doctissimorum, qui per Dativum persaepe loquuntur. Suetonius „Lentulus Getulicus *Tyberi* (corr. *Tyburi*) genitum scribit." Plinius „Quum spectare antiqui moris supplicium *Tyburi* concupisceret" . . . Si adiectivum apponatur, potius per ablativum loquar, ut Virg. 4. Aen. „Tyria *Carthagine* qui nunc expectat." Servius ait „*Carthagine* pro *Carthagini.*" Ego etiam in prosa nollem dicere *Tyria Carthagine expectat.* Amplius de Dativo. Plaut. in Cist. „Fuere *Sycioni* iamdiu Dionysia." Cic. 17. ad Att. „Convento Antonio *Tyburi*" . . . Liv. l. 5. „Neglectum *Anxuri* praesidium." Terent. „*Ruri* sese continet." Columella „*Ruri* moratur." Licetne dicere „Petrus natus

est Tybure: Pater est rure" per ablativum? Licet certe: sed elegantior censetur loquens per dativum." "

p. 244. *apud Regulum esse*] *Apud Regulum* valet idem, ac *in domo*, sive *villa Reguli*. Cic. ad Att. I, 5. „Apud matrem recte est . . . Apud te est, ut volumus." et 5. ep. 7. „Ego cum triduum cum Pompeio et apud Pompeium fuissem. et pro Sext. c. 41. „Eiusque vitae a me insidias apud me domi positas esse dixerunt." et I. de orat. c. 214. „M. vero Scaurus, quem non longe apud se ruri esse audio . . . iam, credo, huc veniat." At vero *a se* significat *a suis aedibus*. Cic. ad Att. IV. 9. „Venit (*Pompeius*) etiam ad me in Cumanum a se." quemadmodum *ad se* significat *in aedes suas*: ut in illo Ciceronis ex lib. III. de rep. fragm.: „Cuius focum Cato ille noster, cum venerat ad se in Sabinos, visere solebat."

p. 245-247. *Laetor ea, quae ex praeceptore didiceris, memoriter dicere, non, ut tu scribis, recitare. est enim id fere de scripto dicere.*] Philibertus Monetius in egregio opere, quod *delectus latinitatis* inscripsit, ait: „*Recitare* est scriptum adstantibus clara voce legere, ac quod idem valet, *scriptum recitare, de scripto recitare* (corr. *dicere*): quo verbo perperam omnino vulgus utitur, quod idem esse putat, ac *dicere memoriter*. Tullius X. Fam. ep. 12, 16; XII, 25; XIII. ad Att. 9. Tullius, seu auctor ad Herenn. II. 5. 15. et pro Quinct. s. 89., tertia Verr. s. 37, 57, 83. 84, 95; pro Caecinna s. 54; secunda Agrar. s. 48.; p. Flacco s. 40; pro Cluent. s. 141.; II. de invent.; Liv. X, s. 37.; Plin. iun. II, 19. In hoc scripti genere, *recitandi* verbum frequenter usurpat Plinius et alii scriptores. *Recitare senatum, Legere senatum*, ex tabulis publicis legendo decurrere in conventu nomina senatorum, suo quaeque ordine. Tullius pro domo s. 84.; Liv. XXIII, 63. *Legere senatum* idem ac *recitare*, ut ante indicavimus. Liv. IX, 83. *Recitando senatu* cuius senatoris nomen taceretur, is senator *praeteriri* dictus est, eâque praeteritione senatu eiiciebatur, senator esse desinebat. Tullius pro domo s. 84. *Recito* adhibet vulgus pro *memoriter dico*. sed aberrat: nec eum tuetur locus unus Cornelii Celsi, qui mendosus est. quod tirones advertent, si volunt sapere." -

Celsi locus, qui a Monetio significatur, est III. Medic. c. 18. „Quorumdam (*insanorum*) discutiendae tristes cogitationes: ad quod symphoniae, et cymbala, strepitusque proficiunt. saepius tamen assentiendum, quam repugnandum est, paulatimque, et non evidenter, ab iis, quae stulte dicentur, ad meliora mens adducenda est. interdum

etiam elicienda ipsius intentio: ut fit in hominibus studiosis litterarum, quibus liber legitur aut recte, si delectantur, aut perperam, si id ipsum eos offendit: emendando enim convertere animum incipiunt. quin etiam *recitare*, si qua meminerunt, cogendi sunt." Quem quidem locum cur *mendósum* Monetius dixerit, non sane intelligo. mihi et emendatus, et ad verbi *recitare* non frequentissimam illam quidem, sed tamen non plane inusitatam, et certe satis latinam, significationem demonstrandam, valde accommodatus videtur: in eademque fuisse sententia Pogianum existimo, qui *recitare*, non semper, sed *fere*, pro *de scripto dicere* usurpari, affirmarit. est quidem *recitare*, quemadmodum Monetius ait, *scriptum adstantibus clara voce legere*. sed, ut scriptum ita legamus, dupliciter consequi possumus. uno modo, si oculis subiectum, deinceps clara illa voce legendo percurramus: altero, si ab oculis remotum, memoria, hoc est mentis alteris quibusdam oculis, illud ipsum repetentes, et quodammodo relegentes, totidem verbis eádem illa clara voce reddamus. illud simpliciter *recitare* dicimus: hoc, distinguendi causa, cur non *memoriter*, sive *ex memoria*, *recitare* dicamus? illa certe mulier, quae a Quintiliano, sive quo alio, in sexta *declamatione* legem quamdam *recitans* inducitur, oculis capta erat, neque propterea legendo, sed dumtaxat reminiscendo, quod sane idem valet atque *memoriter* sive *ex memoria*, legem illam *recitabat*. eádem ratione insani illi, quos *recitare*, si qua meminerunt, cogendos esse praecipit Celsus, sua illa *recitare* posse intelligendi sunt. ergo ea etiam, quae non leguntur, sed olim lecta, memoriaeque mandata, clara voce pronunciantur, *recitari*, non quidem ex lectione, sed *ex memoria* sive *memoriter*, dici possunt. At vero, non *memoriter recitare*, sed *memoriter pronunciare* Ciceroni placuit, idemque nobis placere prae altero debet. De divin. II, 14. . . Aratea *memoriter* a te *pronunciata* sunt. et I, de orat. c. 88. *memoriter* .. scripta *pronuncians*. Idem pro *recitare*, etiam *legere* posuit I. III, de orat. c. 213. „Quo mihi melius etiam illud ab Aeschine dictum videri solet, qui, cum propter ignominiam iudicii cessisset Athenis, et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis, *legisse* fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat. qua *perlecta*, petitum est ab eo postridie, ut *legeret* etiam, quae erat contra a Demosthene pro Ctesiphonte edita. quam cum suavissima et maxima voce *legisset*, admirantibus omnibus, Quanto, inquit, magis admiremini, si audissetis

ipsum?“ et II. ei. op. c. 223. „Cum enim Brutus duos *lectores* excitasset, et alteri de colonia narbonensi Crassi orationem *legendam* dedisset .... noster hic (*L. Crassus*) facetissime tres patris Bruti de iure civili libellos tribus *legendos* dedit.“ Quos heic *lectores* dicit, eosdem in orat. p. Cluentio c. 141. eadem Bruti ac Crassi facta commemorans, *recitatores*, et quod heic *legere*, ibi *recitare* dixerat.

p. 247. *quum semper tibi sic in ore ientatio*,] Haec vox mum Iul. Firmicum II. 10. auctorem habet. atqui minine bonus latinitatis auctor est Firmicus.

p. 247. *obnuntiatio*] Augurale verbum est. *obnunciare* autem augures dicebantur, cum, auspiciis captis, aliquid nali ominis in iis se vidisse nunciabant.

p. 249. *non vulgum adhibueris*] Masculini etiam generis *ulgus* est. Virg. Aen. II, 98., Hor. sat. II, 3, 62. *vulgum* rrori similem.

p. 270. *Adhibuisses magistrum tuum*] H. e. potueras, ive debueras, adhibere. *Potentialis* hic orationis modus grammaticis dicitur, estque cum non inusitatus, tum atinis auribus valde iucundus. Cic. p. Sext. c. 45. „Unum nim mihi restabat illud, quod forsitan non nemo vir ortis et acris animi magnique dixerit: restitisses, repunasses, mortem pugnans oppetisses.“ Virg. IV, Aen. 604.

Quem metui moritura? faces in castra tulissem,
Implessemque focos flammis, gnatumque patremque
Cum genere exstinxem, memet super ipsa dedissem.

p. 277. *idque fit modo sponte, tum aliorum hortatu.*] Lanum atque adeo Ciceronianum est *tum* ad *modo* relatum. e nat. deor. I, 31. „Atque etiam Xenophon paucioribus erbis eadem fere peccat. facit enim in iis, quae a Soate dicta retulit, Socratem disputantem, formam Dei aeri non oportere, eumdemque et solem et animum eum dicere, et *modo* unum, *tum* autem plures Deos.“ et p. 33. „Aristoteles quoque .... *modo* mundum ipsum eum dicit esse, *modo* quemdam alium praeficit mundo .. m caeli ardorem Deum dicit esse.“ et c. 34. „Ex eadem atonis schola Ponticus Heraclides, puerilibus fabulis rersit libros: et tamen *modo* mundum, *tum* mentem divim esse putat.“ et II. 102. „Isque (*sol*) oriens et occins diem noctemque conficit, et *modo* accedens, *tum* an recedens binas in singulis annis reversiones ab exmo contrarias facit.“

p. 281. *Studiis vacare*] Tertius casus est h. l. *studiis*, *vacare studiis* pro *studiis operam dare* Pogianus usurpavit. ntra Cicero eodem nomine non in tertio, sed in sexto su usus, *studiis vacare* dixit pro *studiis operam non dare*,

ab iisque tanquam *vacationem habere*. III. enim de orat. c. 43. „Athenis (inquit) iamdiu doctrina ipsorum atheniensium interiit: domicilium tantum in illa urbe remanet studiorum, *quibus vacant* cives, peregrini feruntur.“ Similiter apud eundem Ciceronem sexti, non tertii, casus sunt *muneribus*, *armis*, *populo*, cum verbo *vacare* coniuncti: primus in dial. de sen. c. 34. „Non sunt in senectute vires? ne postulantur quidem vires a senectute. ergo et legibus et institutis *vacat* aetas nostra *muneribus* iis, quae non possunt sine viribus sustineri“: alter in Philipp. XI. c. 38. „Quorum igitur veteranorum animos ne offendamus, veremur? an eorum, qui D. Brutum obsidione cupiunt liberare? quibus cum Bruti salus cara sit, qui possunt Cassii nomen odisse? an eorum, qui *utrisque armis vacant*? non vereor, ne acerbus civis quisquam istorum sit, qui otio delectantur:“ tertius denique in II. tusc. qu. c. 64. „Hoc igitur tibi propone, amplitudinem animi ... unam esse omnium rem pulcerrimam, eoque pulcriorem, si *vacet populo*, neque plausum captans, se tantum ipsa delectet.“ quibus sane tribus locis *vacare* nihil est aliud, quam *abstinere*. Semel quidem Cicero hoc verbum cum dativo casu coniunxit. sed neque tum pro *operam dare*, sed pro *vacuum*, sive *otiosum*, *esse* usurpavit, neque illum ipsum casum tamquam eius verbi proprium, sed tamquam quibusvis verbis communem, et, ut grammatici loquuntur, *commodi casum* adhibuit. exponens enim eum sermonem, quem cum Quinto fratre *de divinatione* habuerat, sic ait: „Atque ille (*Quintus*), Mihi vero (inquit) satis est argumenti, et esse Deos, et eos consulere rebus humanis, quod esse clara et perspicua divinationis genera iudico: de quibus quid ipse sentiam, si placet, exponam, ita tamen, si vacas animo, neque habes aliquid, quod huic sermoni praevertendum putes. Ego vero, inquam, *philosophiae* Quinte, *semper vaco*. hoc autem tempore, cum sit nihil aliud, quod libentius agere possimus, multo magis aveo audire, de divinatione quid sentias.“ Quum Quintus, ita se, de divinatione quid sentiret, expositurum dixisset, *si* Marcus *vacasset animo*, hoc est, si animo vacuo ac libero nullisque curis impedito esset, respondens illi Marcus ait atque confirmat, ita se philosophia delectari, ad quam illa de divinatione disputatio pertineret, ut eius gratia numquam non vacuo ac libero animo sit, numquam non ad audiendum, caeteris omnibus vel gravissimis occupationibus omissis, tamquam in summo otio paratissimus. ut enim Cato in dial. de senect. c. 32. ait, a nemine se unquam fuisse conventum, *cui* fuerit *occupatus*,

ita heic Cicero affirmat, se *philosophiae* philosophicisque disputationibus esse semper *otiosum: philosophiae*, inquit, *semper vaco.* est enim *vacare* idem atque *otiosum esse*, verboque *occupari* contrarium. quod plurimis Ciceronis ipsius locis ostendi potest, quorum unus ille XII. ep. 30. ad Cornificium nunc quidem sufficiat: „Quamvis enim *occupatus sis, otii* tamen *plus habes:* aut, si ne tu quidem *vacas*, noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere, et a me litteras crebriores, cum tu mihi raro mittas, flagitare."

p. 284. *Nos hic etiam mense idque amplius ... imbres habuimus*] Duriusculum hoc mihi videtur, omninoque *eoque amplius* mallem; quod certe ad optimorum latinorum rationem ac consuetudinem maxime accedit. Cicero in Verr. act. II. l. 2. c. 1. „Ego tamen, hoc onere suscepto, et recepta causa siciliensi, amplexus animo sum *aliquanto amplius*, suscepi enim etc." Caes. B. G. I, 15. „Ita dies circiter quindecim iter fecerunt, ut, inter novissimum hostium agmen et nostrum primum, *non amplius quinis aut senis millibus passuum* interesset." Sallust. Iug. 80. „Singuli, pro opibus quisque, quamplurimas uxores, denas alii, alii plures habent: sed reges *eo amplius*, ita animus etc." Sed quid sequutum Pogianum dicemus, qui *id*, quam *eo*, cum *amplius* coniunctum maluit? hoc, opinor, vidit illa Cic. pro Roscio or. c. 8. „*Amplius sunt sex menses*:" et in Verr. act. II. l. I. c. 14. „Cum eum Syracusis *amplius centum cives romani* cognoscerent:" et l. V. c. 155. „Cum *amplius centum cives romanos* haberet ex conventu syracusanorum." quae, eiusdemque generis alia multa quum videret, in iisque *amplius* pro *plusquam* usurpari animadverteret, non minus recte dici a se posse *id amplius*, quam recte *plusquam id* diceretur, existimavit. itaque, cum *mensem, idque amplius* dixit, nihil aliud nisi *mensem, et amplius* (sive *plusquam*) *mensem* voluit dicere, pro iterato nomine *mensem* demonstrativo pronomine *id* usus. neque movere eum debuit, quod neutrius generis pronomen ad masculini generis nomen ita loquens referret. videbat enim, Sallustium, in illo suo *uxores denas ... habent, sed reges eo amplius*, pronomen *eo* neutrius generis, singularisque numeri ad *uxores denas*, foeminini generis, pluralisque numeri nomina retulisse.

p. 289. *dialecticis imbui cupieram*] Haec est exemplaris nostri lectio, quam Gratianus in *incumbere* converterat. causam non video: quum praesertim *dialecticis* (pro *in*, sive *ad dialectica*) *incumbere* non satis latine, minimeque ciceroniano dicatur. quo modo primum dici coeptum est Quintiliani aetate, ipsi si credimus. ait enim IX. 3. „Ver-

borum vero figurae et mutatae sunt semper (fort. *saepe*), et utcunque valuit (fort. *voluit*) consuetudo, mutantur. itaque, si antiquum sermonem nostro comparemus, paene iam quicquid loquimur figura est: ut *huic rei invidere*, non, ut omnes veteres, et Cicero praecipue, *hanc rem*; et *incumbere illi*, non *in illum*; et *plenum vino*, non *vini*; et *huic*, non *hunc*, *adulari*, iam dicitur, et mille alia: utinamque non peiora vincant." Verum in eo, quod ait, Ciceronem non *huic rei*, sed *hanc rem invidere* dixisse, vehementer errat: quum contra Cicero sexcentis locis, immo perpetuo, *huic rei*, numquam *hanc rem*, *invidere* dixerit. cuius etiam aetate usque adeo insoleus praeterque consuetudinem erat *hanc rem invidere* dicere, ut, qui ita loquuti essent, *male latine*, ac tantum *poëtice*, atque adeo *audaciter* loquuti putarentur. cuius rei non iam alium, sed ipsum Ciceronem testem producam, qui III. tusc. qu. 20. „Ab invidendo (inquit) invidentia recte dici potest, ut effugiamus ambiguum nomen invidiae. quod verbum ductum est a nimis intuendo fortunam alterius, ut est in Menalippo: *Quisnam florem liberum invidit meum?* Male latine videtur. sed praeclare Accius. ut enim *videre*, sic *invidere florem* rectius, quam *flori*. nos consuetudine prohibemur: poëta ius suum tenuit, et dixit audacius."

p. 291. *promissa facias*] *Promissa facere* est promissis stare, eaque servare atque efficere. Cic. III. de off. c. 95.

p. 296. *te vix id egisse*] *Id agere* est serio de eo, quod agitur, cogitare, in eoque curam ac diligentiam adhibere. contrarium huic est *aliud*, sive *alias res*, *agere*. Cic. XV. ep. 18. „Oppius aliud agens, et nihil huiusmodi cogitans." et pro Sex. Rosc. c. 60. „Usque eo animadverti, iudices, eum iocari, atque alias res agere."

p. 307. *in tempestivis conviviis*] *Tempestiva* a veteribus latinis ea convivia dicebantur, quae ante consuetam ac legitimam cibi capiendi horam, iucunditatis praesertim causa, iniri erant solita.

p. 313. *periculi ratio, quam non vindicet*] Ciceronis nempe illum locum in Cat. IV. 9. sibi imitandum Pogianus proposuit: „Sed tamen meorum periculorum rationes utilitas reipublicae vindicat." Sed M. Anton. Mureto vacare mendo is locus non videtur: „Libri veteres (inquit) partim *vendicat*, partim *vindicat*. mihi, libere ut loquar, neutrum probatur; planeque legendum censeo *vincat*: ut respexerit ad illud dictum Curionis in causa transpadanorum: *Vincat utilitas*." Mureto Lambinus vehementer assensus, „M. Antonii Mureti," inquit, „coniecturam non potui non probare: quae ita certa est, ut

haec vera scriptura, vulgata autem *utilitas reip. vindicat*, sive *vendicat*, ferri non posse videatur.“ Ego ampliandum censeo.

p. 315. *quorum vitio male audierit*] *Male audire* dicitur is, cui, sive de quo, male dicitur.

p. 327. *ab amicis meis clam interire*] Ita dixit *ab amicis interire*, quemadmodum Cicero I. acad. qu. c. 29. „Nihil enim valentius esse, (*putant philosophi*), a quo intereat.“ et pro Mil. c. 56. „Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem, qui saepe spoliantem iam et exsultantem evertit, et perculit ab abiecto.“ et Ovid. de Mémnone XIII. Metam. 597. „Occidit a forti (sic vos voluistis) Achille.“

T. II. p. 138. *si qua sunt molesta*] *quae* exempl. Correxi et heic, et alibi non semel; quod, *quae* pro *aliqua*. quum ad plura refertur, non satis latine dici, existimem.

p. 184. *satietate urbis urbanarumque molestiarum*] Mallem *rerum*. nam *molestiarum satietatem* dici, rectum non puto. satietas enim eorum est, quae iucunda aliquando vel certe non iniucunda fuerunt. molestiae autem, siquidem molestiae sunt, numquam possunt esse aut iucundae, aut vero etiam non iniucundae.

p. 272. *non dubito, fore, quin*] – – Mihi *non quin*, sed ut dicendum hoc loco fuisse videtur, aut certe *fore* tollendum. etenim *non dubitare* sic latini veteres usurparunt, ut continuo verbum modi aut subiunctivi, praemisso adverbio *quin*, aut infinitivi subiicerent. itaque et *Non dubito, quin mirere* Cicero ad Atticum, et *Non dubito. fore olerosque* dixit Nepos. potuit autem et Cicero *Non dubito, te mirari* vel *miraturum esse*, et Nepos *Non dubito, quin olerique sint* vel *futuri sint* dicere. at utrumque, subiunctivum nempe et infinitivum modum, cum *non dubitare* quemquam veterum latinorum coniunxisse, non puto.

p. 283. *ex periculis pignerabitur*] Non dura mihi, sed durissima videtur esse haec oratio: *Deus talem virum vel ex periculis pignerabitur*. Quid est enim *pignerari?* an *liberare* atque *eripere?* primum, quid simile? deinde, etiamsi id esset, ecquidnam momenti vocula illa *vel* afferret sententiae? nam non ridiculum esset dicere, versantem in periculis a Deo *vel* a periculis ereptum iri? Omnino intellectum quemdam suum Pogianus verbo *pignerari* tribuit; quem ego neque assequor, neque a latinis tributum illi unquam fuisse, puto. Ciceronis locus Philipp. XIV. 2. quem fortasse ante oculos habuit, sive potius ipse significat, se sibi ad imitandum proposuisse, longe aliam

sententiam continet. *Mars ipse*, inquit, *ex acie fortissimum quemque* PIGNERARI *solet:* hoc est *suum facere, sibi seponere, adiungere, vindicare* etc. Est autem *pignerari*, ut mihi quidem videtur, militare verbum, cui italicum nostrum, a gallico sermone derivatum, *ingagniare* pulcre respondet. eius verbi vis propria ac significatio est, aliquid pecuniae alicui dare, quo tamquam pignore accepto suam is fidem atque operam in re militari addicat ei, a quo vel cuius nomine illi datur. Suetonius in Claud. 10. *Primus caesarum fidem militis etiam praemio pignerarus.* μεταφορικῶς autem illam ipsam, quam diximus, vindicationem ac tamquam mancipationem significat. Qua tota de re fusius in nostris ad eum Philippicae locum commentariis agemus. nam multa iampridem ad nostram sententiam, in qua neminem ad hanc diem video fuisse, confirmandam stabiliendamque collegimus.

p. 284. *cuius haereditatem ... cernere*] *Cernere haereditatem* pro *adire eam haereditatis partem, quae sibi obvénit*, valde usitate dici, notum est.

p. 299. *meritorum et officii dignam*] Non plane inusitate dictum est. Plaut. Trin. act. 5. sc. 2. v. 29. *Non ego sum dignus salutis.* Phaedr. 4. fab. 20. *Quidquid putabit esse dignum memoriae.* Balbus ap. Cic. ad Att. VIII. ep. penult. *Obsecro te, Cicero, suscipe curam et cogitationem dignissimam tuae virtutis.*

T. III. p. 4. *sed haec tu melius; cuius domi nascuntur.*] Quae nota alicui ita esse significamus, ut de iis alios docere ipse possit, ea *domi* eius *nasci*, latine dici solere, notissimum est.

p. 14. *neque ... librum, neque literas ... non vidisse.*] Vocilam *non* removendam omnino censeo. nam, quoties in oratione *neque* aut *nec* iterantur, negans alia particula praecedere quidem, at non subsequi ulla potest. itaque Ciceronis est ad Att. IX. 12. illud, „Non medius fidius prae lacrymis possum reliqua, nec cogitare, nec scribere:“ itemque illud ad Sextium V. ep. 17. „Nullo loco deero neque ad consolandum, neque ad levandum fortunam tuam.“ Pro quibus si quis ita diceret: Reliqua nec cogitare, nec scribere p. l. non possum, et loco ullo neque ad consol. neque ad lev. f. t. non deero, non bene latine diceret.

p. 19. *De Cytardi nepote*] Iterum heic adhibetur vox *nepos* pro *fratris filius*, praeter veterum latinorum consuetudinem.

p. 36. *mole molestiarum*] Est a Cicerone I. de Orat. 2. „Nam, qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore

videbatur, in eo maximae moles molestiarum, et turbulentissimae tempestates exstiterunt.“ Neque aliter legendum est. V. Victor. Var. lect. 16. c. 19.

p. 69. *commotiunculae istae*] *Commotiuncŭlas* h. l. Pogianus appellat leviculas ac minime periculosas aegrotationes illas, quibus frequenter hominum valetudo tentari solet: neque aliter videtur appellasse eas Cicero, cum XII. ad Att. 11. ait: „Atticae hilaritatem libenter audio: commotiunculis *συμπάσχω*.“ Itali dicunt *indisposizioncelle*, *alterazioncelle* etc.

p. 70. *percrebruit*] *percrebuit* exempl. et heic et alibi. Emendavi, tum auctoritate veterum mss. codd., in quibus ita haec vox perscripta est, ut edidimus, tum ratione. nam certe a *percrebresco* non *percrebrui* deducendum est.

p. 83. *praestringant*] *perstringant* exempl. Gratianus emendavit. Sed Dion. Lambino in suis ad Lucretium adnott. neque *perstringere*, neque *praestringere*, sed *praestinguere* probatur, fortasse non male: nisi quod non bene Nonio auctore sententiae suae utitur.

p. 84. *heri .. ad pontificem fui*] *Esse ad aliquem* pro *aliquem domi suae convenire, cum eoque congredi* satis latine dici non arbitror. .. Fluxisse hoc ex italicae linguae consuetudine videtur, recte enim dicimus: *Ieri fui dal tale.* nihil vero tam facile atque usitatum est, quam a latine sive loquentibus sive scribentibus aliquas vernacularum cuiusque gentis linguarum proprietates in latinum sermonem per imprudentiam transferri *)

p. 114. *cognosces . . tabellario*] Italicam consuetudinem, non latinam, hoc mihi redolere ac sapere videtur. italorum est enim illud *vi si farà sapere col primo ordinario.* certe non memini, similiter e bonis latinitatis auctoribus esse quemquam loquutum, qui res *cognosci*, non *tabellario*, sed *ex litteris*, tabellario *datis*, dicere consueverunt. Cic. ad Curion. lib. II. ep. 7. „De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim . . . cognosces ex iis litteris, quas Thrasoni, liberto tuo, dedi.“

p. 160. *quae attributa sint negotiis*] *negotii* Tabul. Sed exemplaris nostri lectio praeferenda fuit. Cic. I. de Inv. 34. „Omnes res argumentando confirmantur, aut ex eo,

---

*) Vol. I. p. 138. Cic. ad Att. X. 4. „Fuit ad me (*Curio*) sane diu.“ et ep. 15. „Commodum ad te dederam litteras de pluribus rebus, cum ad me bene mane Dionysius fuit.“ Hi me Ciceronis loci, quamquam millies a me lecti, nescio quo pacto fugerant, tum cum Tomo huius op. tertio p. 84. Pogianum ac Riccium, similiter loquutos, sane immerentes reprehendi.

quod negotiis est attributum . . . Negotiis quae sunt attributa, partim etc.“ Dicuntur autem *negotiis attributa* ea, quae *rerum circumstantiae* minus latine appellantur.

p. 263. *illi, qui tenent*] *Tenere*, pro *dominari*, *rerum potiri*, *summae reip. praeesse*, et heic et alibi Pogianus usurpavit; satisne usitate, alii definiant.

p. 264. *sunt lentuli*] Cic. ad Att. X. 11. (al. 13.) „An existimas, *inquit*, illum in isto genere lentulum, aut restrictum? nemo est minus.“ Dixit autem *lentulum* diminutive pro *lentum*. quamquam in antiquo med.-laur. bibl. cod., qui pl. XLIX. adservatur, n. 23. extra notatus, non *lentulum*, sed *lentum*, eo Ciceronis loco scriptum animadverti; quam eamdem scripturam Lambinus in par. Cic. opp. a. 1566. ed. retinuit.

p. 279. *eum pro causa et in causa religionis mortuum*] *Religionis causa*, et *in causa*, aut *pro religione mori*, valde latine dicitur. at, *pro religionis causa mori*, aequene latine dicatur, nescio.

p. 315. *quoniam facultas mihi non datur ulla tibi referendi gratias, agam saltem*] *Gratias agere*, at *gratiam*, non *gratias*, *referre* itemque *habere*, latine dicimus, nisi si quando cum *agere* verbum *referre* aut *habere*, ut hoc loco, coniungitur. tunc enim ea orationis figura, quam syllepsin graece dicunt, unum idemque *gratiarum* plurale nomen utrique verbo servit. semel, quod meminerim, *gratias referre*, seorsum ab *agere*, Cicero dixit, idque Philipp. III. extr.: „Senatui, *inquit*, magnae curae esse ac fore, ut pro tantis eorum in reimp. meritis honores eis habeantur, gratiaeque referantur.“ quod adeo insolens ac praeter Ciceronis consuetudinem D. Lambino visum est, ut in Cic. opp. par. a. 1566 ed. *gratiaque referatur* prope iure exhibuerit.

p. 322. *ad mercatum optimarum artium venisse*] Cic. III. c. 6. ad *mercaturam* bonarum artium. Ubi vides, non *ad mercatum*, quod Pogianus maluit, sed ad *mercaturam* Ciceronem scripsisse: quae quidem omnium Mss. et vett. edd. est lectio. At Manutius, similiter ut Pogianus, V. ep. 17. ad Anton. Rolandium, Parisios studiorum causa profectum, „Non dubito,“ inquit, „quin saepe tibi veniat in mentem, ex ista urbe, quo tamquam ad amplissimum artium ingenuarum *mercatum* libenter omnes confluunt, in anem redire, quam non deceat.“

p. 337. *Hinc inde* oppidulum. Nescio, an, praeter Lucanum 1), et illius ordinis unum aut alterum 2), quisquam praeterea sic locutus sit. nam Virgilius 3) *hinc atque hinc*, et *hinc et illinc* usurpat, Homerum 4) secutus.]

1) *Lucanum* fortasse pro *Martialem* posuit. certe de Lucano nihil mihi nunc quidem tale succurrit: at de Martiale multa. nam illius sunt haec: I, 98; II, 37; III, 57; denique alia alibi. Neque tamen *hinc et inde* sic Martialis adamavit, ut ab *hinc et hinc* abstinuerit. ait enim, ut alios locos omittam, I, 55. „Nam sunt hinc tibi, sunt et hinc amici:" et X, 83. „Raros colligis hinc et hinc capillos." – 2) Plures, quam unus aut alter illius ordinis, similiter atque Martialis, loquuti sunt. Stat. silv. II, 1, 39; Iuven. 1, 65; Sueton. Ner. 27. et 49; Tacit. IV. Hist. c. 62; Pallad. de re rust. multis locis. – 3) Aen. I, 166; VIII, 387; IX, 379, 440; Georg. I, 509; III, 257; IV, 441. – 4) Iliad. β. 462. *Ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται, ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσι.*

p. 360. *ut mihi de tua sententia operam hanc desinere liceat.*] Cicero l. VII. ep. I. ad M. Marium: „Quod si tam facilem populum haberem, quam Aesopus habuit, libenter mehercule artem desinerem." Quo tamen loco illud dicere non omittam, in duobus flor. mss. codd., quorum alter in S. Laurentii (pl. XLIX. ord. 16.), alter in S. Reparatae bibl. adservatur, pro *desinerem* legi *desererem.* sed reliqui omnes, quos plurimos vidi, mss. codd. *desinerem* retinent. mihi magis, quam hoc verbum, suspecta est illa vox *artem*, quam, ab aliquo imperito primam inculcatam, in reliquos deinde codices, ex illo primo propagatos, irrepsisse suspicor; qui videam, non modo unquam alibi similiter Ciceronem loquutum, sed in hac ipsa ad Marium epistola verbum *desinere*, voce illa *artem* praetermissa, paullo ante ab eodem fuisse in eadem significatione usurpatum. ait enim: „Deliciae vero tuae noster Aesopus eiusmodi fuit, ut ei desinere per omnes homines liceret." At vero, quod in Cicerone suspiciosum esse fortasse potest, id in C. Suetonio et A. Gellio perspicuum est. ille enim in *Tib.* c. 36. „Sed deprecantibus," inquit, „ac se artem desituros promittentibus (*mathematicis*) veniam dedit." hic autem XV. Noct. Att. 16. „Cum, *inquit*, iam natu grandis artem athleticam desiisset."

p. 383. *iudicii, quod de universo ordine .. fecimus*] Heic vero nihil de mendo suspicandum est. Cic. in Orat. c. 140. „De cuius meritis tanta senatus iudicia fecit," p. leg. Man. c. 43. „de quo vos homine ... tanta et tam praeclara iudicia fecistis?" Epp. fam. XI, 29. „Gravissimum vero iudicium de mea fide et constantia fecisti."

p. 386. *de suis provinciis discessuri*] Non *discessuros*, sed *decessuros* scripsit fortasse Pogianus, qui, *de provincia de-*

cedere usitatius de magistratibus dici, quam *discedere*, non ignorabat.

p. 421. *vel si sibi eam velit conciliare pecuniam,*] Positum *vel si* pro *etiamsi* videtur. exemplum mihi veterum nunc nullum succurrit, nisi Martialis illud l. 3. ep. 5. ad librum suum:

Est illi coniux, quae te gremioque sinuque
Excipiet, vel si pulverulentus eas.

p. 450. *laudibus prosequendis*] Cic. II. de legg. 62. „Honoratorum, *inquit*, virorum laudes in concione memorentur, easque etiam cantu ad tibicinem prosequantur.“ H. Ciceronis l. multis illum quidem partibus mendosum, prae oculis Pogianum habuisse puto, cum hoc suum *laudibus prosequendis* scriberet. sed aliud hoc, atque illud. *laudes* Pogianus dixit laudationem, praedicationem, praeconium, verba denique, quibus laus alicui sive rei sive personae tribuitur: quorum nihil *prosequi* quisquam satis latine dicitur. at vero *prosequi laudes cantu* usitatissime Cicero dixit, qui *laudes* non pro verbis, quibus sive res sive homines laudari solent, sed pro rebus ipsis, quibus laus debetur, usurpavit. quo ex genere est illud eiusdem I. off. 78. „Vir *bellicis laudibus* abundans Cn. Pompeius,« et illud II. ad Att. 25. „Is *laudes nostras* in astra sustulit.«

* *

T. IV. p. 1. *ex circeis vinculis evolare*] Virg. Aen. VII. 10.

Proxima circeae panduntur litora terrae,
Dives inaccessos ubi solis filia lucos
Adsiduo resonat cantu, tectisque superbis
Urit odoratam nocturno in lumine caedrum
Arguto tenuis percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum
Vincla recusantum et sera sub nocte rudentum,
Saetigerique sues, atque in praesepibus ursi
Saevire, ac formae magnorum ululare luporum.

Quibus in versibus describendis lectionem flor., ap. S. Laur., antiquissimi cod. lectionem religiose exhibui.

p. 49. not. *a*) *Sub antea quam tibi has literas scriberem* (Opp. *Bembi*, a. 1729. T. IV. p. 160.)] Fortasse non est hoc illorum [*editorum*], sed ipsius Bembi peccatum. qui enim Mss. veterum latinitatis auctorum codd. admodum delectabatur, iisque plurimum, neque summo semper iudicio exquisitoque delectu (quod una in re declaravit), tribuere solitus erat, eum credibile est in Balbi ad Ciceronem illas (IX. ad Att. 8.) litteras incidisse (qua-

rum in omnibus, quos plurimos vidi, mss. codd., itemque in omnibus primi post artis typographicae exortum saeculi edd. hoc initium est *Sub nostea quam litteras communes cum Oppio ad te dedi),* quumque a Balbo dici *Sub postea* pro *Paullo post* animadverteret, sive potius ipse sibi falso persuaderet, recte etiam dici posse *Sub antea* pro *Paullo ante* existimasse. Iam quidam, illo *Sub* in Ciceronis libris offensi, pro eo admodum fidenter *Subito* subdiderunt, ut fieret *Subito postea quam* etc. atque ita in aldinis 1540. 1548. 1554. 1559. atque aliis etiam posteriorum temporum edd. legitur. verum iampridem animadversum ab eruditis grammaticis est, illo Mss. *Sub* totidem vocabula, quot litteris constat, significari; neque in eo scribendo aliud peccatum a librariis fuisse, nisi quod singulis litteris punctulum adscribere praetermiserint, ita *S. v. b.* hoc est *Si vales, bene* (sive *benest*): quo salutationis, sive de valetudine gratulationis officio epistolas esse solitos auspicari veteres illos romanos ac latinos, scimus. Similiter peccatum in iisdem et mss. codd. et edd. est ad Att. II, 9, et VIII, 11. namque alteram ep. ita inchoarunt *Sub cum mihi dixisset Caecilius;* alteram ita *Sub tuas litteras libenter legi.*

p. 79. *nec vero te id movere debet, quod in principiis τῷ itaque aliquid aliud nonnunquam praeposueris.*] – Particulae *itaque* Corradus in latina indictarum litterarum interpr. illa sua, quam ad Cardin. misisset, aliquid in principiis aliquando praeposuerat, hoc est, ita vocem illam adhibuerat, ut non eam primam in novis deinceps orationis ambitibus collocarit; atque ita ex. c. scripserat, *cum itaque ille itaque* etc. postea vero animadvertens, se, illo modo scribentem, a bonorum latinitatis auctorum consuetudine recessisse, qui *τὸ itaque* in ipsis periodorum principiis collocare, nullam aliam dictionem praemittentes, soliti essent, de eo Pogianum admonendum putavit.

p. 114. *verum nihil tanti est, quo*] Videtur Pogianus ita scribens habuisse ante oculos Bruti illud ad Ciceronem in ep. quae est inter Cic. epp. ad M. Brutum XVI. *Sed nihil tanti fuit, quo venderemus fidem nostram et libertatem,* hoc est, nullis utilitatibus commodisque propositis adduci potuimus, ut fidem et libertatem venderemus. – – Caeterum *τῷ non tanti* non modo *quo,* verum etiam *ut,* idque frequentius, latine respondet. Cic. p. Q. Rosc. 22. [vid. etiam Vol. I. p. 224.] Nam .. *tanti non* fuissent, *ut* socium fraudaretis. Coelius VIII. Fam. ep. 14. *Tanti non* fuit ..., *ut* earum rerum .. spectaculo careres. Corn.

Gallus in pernobili illa Elegia ab Aldo Manutio *e tenebris*, quemadmodum ipse ait, *primum eruta*, et Flor. Ge. Marescotti typis a. 1588. edita:

Non fuit Arsacidum tanti expugnare Seleucen,
Italaque ultori signa referre Iovi,
Ut desiderio nostri curaque Lycoris
Heu! iaceat menses paene sepulta novem.

[VI] futura sit, tam apertum est, ut non putarim unquam exstiturum esse, cui de eo dubitandum videretur. Quo magis miratus sum, quum Thierschium, in prima illarum, quas posuit, regularum, indicativi usum ad solas res praeteritas vidi restringere. Difficile profecto sit, rationem vel aliquam huius rei excogitare. Sed nimirum exemplis ille rem conficere voluit. Quorum quum satis multa in rebus praeteritis, pauca autem in futuris vel praesentibus versari videret, haec explicando vel mutando removere studuit. Videamus vero. Od. σ. 272. *νὺξ δ' ἔσται, ὅτε δὴ στυγερὸς γάμος ἀντιβολήσει οὐλομένῃ ἐμέθεν.* Negat Th. p. 7. particulam hic temporalem esse, sed positam vult pro relativo *ἐν ᾗ*, quod equidem non video quomodo a temporali significatione diversum sit. Quin nemo, opinor, reperietur, quin, si quis quaerat, utrum rectius dictum sit, hoc, an illud, *ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ'* [VII] *ἂν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή*, magis in coniunctivo, quam in indicativo haereat. Porro quod ex h. Apoll. affert, *ὅτε φαίδιμα τόξα τιταίνει*, in quo particulam vult caussalem esse, primo, si ita esset, sententia esset eadem, ac si diceres *ὅτι τοξοφόρος ἐστί*, quod et alienum ab illo loco est, et a sermonis Homerici natura abhorret; deinde ipsa illa caussalis significatio nititur temporali, cadatque, nisi temporalis admittatur, necesse est. Nam quid aliud est *ἦ ὀλίγα ἔργ', ὅτε μ' ἐχθοδοπῆσαι ἐφήσεις Ἥρῃ*, vel *τί νύ σε ῥέζουσιν, ὅτ' ἀσπερχὲς μενεαίνεις*, quam, ***malum factum erit, quum tu me coges altercari***, vel *quid faciunt, quando tu sic irata es?* Luculentum exemplum in his est Od. ε. 356. *ὤ μοι ἐγώ, μή τις μοι ὑφαίνῃσιν δόλον αὐτε ἀθανάτων, ὅτε με σχεδίης ἀποβῆναι ἀνώγει.* Sed cave huc trahas Il. π. 52. *ἀλλὰ τόδ' αἰνὸν ἄχος κραδίην καὶ θυμὸν ἱκάνει, ὁππότε δὴ τὸν ὅμοιον ἀνὴρ ἐθέλῃσιν ἀμέρσαι, καὶ γέρας ἆψ ἀφελέσθαι, ὅτε κράτεϊ προβεβήκει.* Nam neque ὅτε particula est, sed antiquum pronomen pro ὅστε, et verbi tempus, manifesto vitiosum, optimam lectionem *προβεβήκῃ* revocari postulat. Ut redeam ad hymnum illum, nemo negabit, *τιταίνῃ* scribi potuisse, modo ne quis indicativum falsum esse pronunciet. Pariterque Latine et ***si arcum tendat***, et ***quum arcum tendit*** dicas. Sed videamus aliud exemplum; Od. ω. 87. *ἤδη μὲν πολέων τάφῳ ἀνδρῶν ἀντεβόλησα ἡρώων, ὅτε κέν ποτ' ἀποφθιμένου βασιλῆος ζώννυνται τε νέοι, καὶ ἐπεντύνονται ἄεθλα.* Putat Th. p. 188. poëtam necessitate coactum *ζώννυνται* dixisse, quod hoc verbum coniunctivo careret, ideoque certe *ἐπεντύνονται* in coniunctivum mutari debere. Malum vero, si poëta tam inops fuisset consilii, ut non aut coniunctivum declinare

aut verbo uti, quod haberet coniunctivum, potuisset. [VII] Hoc quidem in loco tam necessarii sunt indicativi, ut neque uti coniunctivis, neque non uti indicativis licuerit. Quod quum tam apertum sit, ut demonstratione non indigeat, satis habeo adiicere, quemadmodum Latine non dixeris, *multos vidi ludos, quum certamina instituerint iuvenes*, sed *quum instituunt*, ita cavendum esse, ne Graecos iubeas dicere, quod dici non potest. Sed quid verbis opus? Inveniuntur enim loci, qui tam sunt adversus omnes machinas muniti, ut, nisi nescio quo casu Thierschii diligentiam effugissent, regulam istam, sat scio, non fuisset propositurus. Od. σ. 217. *νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας ἐσσὶ, καὶ ἤβης μέτρον ἱκάνεις, φύκέτι τοι φρένες εἰσὶν ἐναίσιμοι.* 408. *ἀλλ' εὖ δαισάμενοι, κατακείετε οἴκαδ' ἰόντες, ὁππότε θυμὸς ἄνωγε· δώκω δ' οὔτιν' ἔγωγε.* Il. ν. 817. *σοὶ δ' αὐτῷ φημὶ σχεδὸν ἔμμεναι, ὁππότε φεύγων ἀρήσῃ Διῒ πατρὶ καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν θάσσονας ἰρήκων ἔμεναι καλλίτριχας ἵππους.* Sic etiam Od. ρ. 390. *οὐκ ἀλέγω εἴως μοι ἐχέφρων Πηνελόπεια ζώει ἐνὶ μεγάροις, καὶ Τηλέμαχος θεοειδής.* Ita ἕως etiam Il. ρ. 727. in oratione elliptica. Alios locos, quos attulit quidem Th., sed ut eos tentaret, tum videbimus, quum de comparationibus Homericis dicetur. Ille tamen non est hic praetermittendus, qui Od. ο. 195. exstat: *ἀλλὰ θεοὶ δυόωσι πολυπλάγκτους ἀνθρώπους, ὁππότε καὶ βασιλεῦσιν ἐπικλώσονται ὀϊζύν.* Ubi quum Th. p. 192. futurum recte, ut arbitror, improbaret, tamen non debebat codicum lectionibus ad coniunctivum restituendum abuti, quem sensus loci, in quo particula *ὁπότε* caussalis est, prorsus alienum esse ostendit.

Aliis in locis, quum coniunctivus vel optativus usurpari posset, indicativum praetulit poëta, quo res gravius affirmaretur. Od. θ. 317. *ἀλλά σφωε δόλος καὶ δεσμὸς ἐρύξει, εἰσόκε μοι μάλα πάντα πατὴρ ἀποδώσει ἔεδνα.* Quo tamen non velim quosdam locos trahi, in quibus *πρὶν* invenitur, ut Il. α. 29. et σ. 283. Nam ibi *πρὶν* non *priusquam*, sed *prius* significare, maioremque antecedere debere interpunctionem puto, sic: *τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω· πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν*, et, *οὐδέ ποτ' ἐκπέρσει· πρίν μιν κύνες ἀργοὶ ἔδονται.* Frequens est ille indicativi usus in pronominibus, ut Il. α. 174. *πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι, οἵ κέ με τιμήσουσι*, quocum compara ι. 155. 297. Od. ε. 36. Particula *κέν* in huiusmodi formulis respondet nostrae *wohl*, eoque a *που* differt, quod est *vielleicht*. Inde dicit poëta *ὅ δέ κεν κεχολώσεται* Iliad. α. 139. eademque ratio est in his, α. 523. ι. 61. 386. κ. 281. ξ. 102. 239. ο. 211. χ. 66. Od. γ. 255. δ. 80. 546. τ. 558. Ab his videat mihi quis quam diversum

[VIII] sit hoc, Il. χ. 41. *αἴθε θεοῖσι φίλος τοσσόνδε γένοιτο, ὅσσον ἐμοὶ τάχα κέν ἑ κύνες καὶ γῦπες ἔδονται κείμενον· ἦ* [IX] *κέ μοι αἰνὸν ἀπὸ πραπίδων ἄχος ἔλθοι.* Sensere grammatici, hic, ut in re prorsus incerta, non esse indicativo locum: unde alii *ἔδοιντο*, Aristarchus recte *ἔδοιεν* posuit. In ludis funebribus Patrocli Achilles pugilatus praemia proponit victori mulam, victo poculum. Surgit Epeus, mulamque prehendens, ita loquitur, Il. ψ. 667. *ἄσσον ἴτω, ὅστις δέπας οἴσεται ἀμφικύπελλον.* Audimus certum victoriae. Ita habebis, quo explices β. 229. ι. 167. φ. 70. 587. ψ. 675. Od. κ. 432. π. 306. Sed Il. ψ. 707. 753. 831. *ὄρνυσθ', οἵ καὶ τούτου ἀέθλου πειρήσεσθον,* indicativus non videtur idoneam rationem habere, potiusque requiri coniunctivus. Ita etiam in his Il. κ. 44. *χρεὼ βουλῆς ἐμεῖ, καὶ σὲ κερδαλέης, ἥτις κεν ἐρύσσεται ἠδὲ σαώσει Ἀργείους.* Od. δ. 207. *ῥεῖα δ' ἀρίγνωτος γόνος ἀνέρος, ᾧ τε Κρονίων ὄλβον ἐπικλώσει γαμέοντί τε γεινομένῳ τε.* ϑ. 147. *οὐ μὲν γὰρ μεῖζον κλέος ἀνέρος, ὅφρα κεν ᾖσιν, ἢ ὅ τι ποσσίν τε ῥέξει καὶ χερσὶν ἑῇσιν:* quorum ex primo vitium iam Th. sustulit p. 181. Eodem modo in his Il. ω. 553. *μή μέ πω ἐς θρόνον ἵζε, διοτρεφές, ὄφρα κεν Ἕκτωρ κεῖται ἐνὶ κλισίῃσιν ἀκηδής,* reponendum putem *κῆται.* Sed recte se habent, quamquam singulari modo conformata, haec, Od. π. 437. *οὐκ ἔσθ' οἵτος ἀνήρ, οὐδ' ἔσσεται, οὐδὲ γένηται, ὅς κεν Τηλεμάχῳ σῷ υἱεῖ χεῖρας ἐποίσει:* et α. 403. *μὴ γὰρ ὄγ' ἔλθοι ἀνήρ, ὅστις σ' ἀέκοντα βίηφιν κτήματ' ἀποῤῥαίσει, Ἰθάκης ἔτι ναιεταώσης.*

Alia indicativi ratio ex vitae communis usu repetenda est, qui etiam in nostro Latinorumque sermone saepe indicativum coniunctivo praefert. Od. π. 282. *ὁππότε κεν πολύβουλος ἐνὶ φρεσὶ θήσει Ἀθήνη, νεύσω μέν τοι ἐγὼ κεφαλῇ.* Poterat *θείῃ* dicere, quod Th. p. 195. reponi vult, sed recte etiam indicativus stabit. Multa enim huiusmodi apud Homerum inveniuntur. Ut Il. γ. 101. *ἡμέων δ' ὁπποτέρῳ θάνατος καὶ μοῖρα τέτυκται, τεθναίη.* 308. *Ζεὺς μέν που τόγε οἶδε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι, ὁππότεροι θανάτοιο τέλος πεπρωμένον ἐστίν.* κ. 394. *ἠνώγει δέ με ἀνδρῶν δυσμενέων σχεδὸν ἐλθέμεν, ἐκ τε πυθέσθαι, ἦέ φυλάσσονται νῆες θοαί, ὡς τὸ πάρος περ, ἢ ἤδη, χείρεσσιν ὑφ' ἡμετέρῃσι δαμέντες, φεύξιν βουλεύοιτε μετὰ σφίσιν, οὐδ' ἐθέλοιτε νύκτα φυλασσέμεναι.* In iisdem verbis v. 308. alter quoque indicativus *βουλεύοισι* positus est. Od. ϑ. 632. *ἦ ῥά τι ἴδμεν ἐνὶ φρεσίν, ἦέ καὶ οὐχί, ὁππότε Τηλέμαχος νεῖτ' ἐξ Πύλου:* quod non recte explicat Th. p. 190. ρ. 120. *εἴρετο δ' αὐτίκ' ἔπειτα βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος, ὅττευ χρηίζων ἱκόμην Λακεδαίμονα δῖαν.* Cf. Il. φ. 608. Eiusdem modi haec sunt Il. ϑ. 110. *ὄφρα καὶ Ἕκτωρ εἴσεται, ἦ καὶ ἐμὸν δόρυ μαίνεται ἐν παλάμῃσιν.* π. 242.

ὄφρα καὶ Ἕκτωρ εἴσεται, ἦ ῥα καὶ οἷος ἐπίστηται πολεμίζειν ἡμέτερος θεράπων, ἦ οἱ τότε χεῖρες ἄαπτοι μαίνονθ', ὁππότ' ἐγὼ περ ἴω μετὰ μῶλον Ἄρηος. Qui duo loci haud scio an alio etiam communis sermonis vestigio memorabiles sint, indicativo εἴσεται dico. Nam aliud agebat, opinor, Th., quum p. 180. εἴσεται in coniunctivis numeraret. Quod si quis ὄφρα, *ut* significans, cum futuro ferre nolit, poterit id pro *donec* accipere. Ita autem cognatae hae significationes sunt, quam rem attigit Pors. ad Eurip. Phoen. 89. ut in Odyssea ἕως non semel *ut* significet, v. c. δ. 800. ε. 386. ζ. 80. Nec sordes appellarim indicativos in his locis: Od. α. 316. δῶρον δ', ὅττι κέ μοι δοῦναι φίλον ἦτορ ἀνώγει, αὖτις ἀνερχομένῳ δοῦναι, ubi, quum modo obtulerit donum Telemachus, idonea caussa est, quare admitti indicativus possit; et Il. μ. 226. πολλοὺς γὰρ Τρώων καταλείψομεν, οὓς κεν Ἀχαιοὶ χαλκῷ δηώσουσιν, ubi ut praeferendus sit coniunctivus, at indicativus non est tamen falsus. Sed in illo Od. ε. 277. οὐδ' ἂν ἐγὼ Διὸς ἔχθος ἀλευάμενος πεφιδοίμην οὔτε σεῦ, οὔθ' ἑτάρων, εἰ μὴ θυμός με κελεύει, ut a sermone familiari excusatio sit, tamen sententiae caussa optativum anteponam.

Denique alius generis hoc est Od. ν. 385. ἀλλ' ἀχέων πατέρα προσεδέρκετο, δέγμενος αἰεί, ὁππότε δὴ μνηστῆρσιν ἀναιδέσι χεῖρας ἐφήσει. Non refrager, si quis cum Th. p. 192. ex cod. Vrat. ἐφείη praeferat, modo idem etiam v. 29. reponat: sed ἐφήσει qui defendere volet, eo uti argumento debebit, quod Graeci, quae ex aliena mente dicuntur, saepe velut ex praesentis ore proferant. Qui mos, frequens apud recentiores, ipse quoque radices suas in Homero habet. Itaque his quoque in locis ἐφήσει, si v. 39. compares, habebit, quo defendatur. Rara tamen haec sunt apud Homerum. Il. μ. 59. πεζοὶ δὲ μενοίνεον, εἰ τελέουσιν. Od. ν. 339. αὐτὰρ ἐγὼ τὸ μὲν οὔποτ' ἀπίστιον, ἀλλ' ἐνὶ θυμῷ ᾗδε, ὃ νοστήσεις, quod Minerva iam re- [xi] verso dicit. ρ. 360. αὐτὰρ Ἀθήνη ὦτρυν', ὡς ἂν πύρνα κατὰ μνηστῆρας ἀγείροι, γνοίη θ', οἵτινές εἰσιν ἐναίσιμοι, οἵ τ' ἀθέμιστοι. In illo ξ. 331. τ. 288. ὤμοσε, — ἑπαρτέας ἔμμεν' ἑταίρους, οἵ δή μιν πέμψουσι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν, postremus v. ut ab eo, qui haec narrat, adiectus aceipi potest.

Venio ad coniunctivum. Cui quoniam, ut supra demonstratum est, futuri significatio adhaeret, domicilium ille habet in rebus futuris, ideoque aut ad aliud tempus futurum, aut ad praesens refertur, non etiam, simpliciter quidem, ad praeteritum, quia praeteritis et futuris nulla est nisi per praesens communio. Quare ubi cum praeteritis iungitur coniunctivus, praesens aliquod, quo ille

[XI] referatur, lateat necesse est: quod quum pluribus modis fieri possit, de potioribus exponendum videtur.

Ac primo latet praesens, ubi per praeteritum designatur: *ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ,* Il. *α.* 218. Sic *ι.* 508. *κ.* 225. *ω.* 531. Od. *δ.* 357. Et cum particulis temporalibus: Il. *π.* 689. *ὅς τε καὶ ἄλκιμον ἄνδρα φοβεῖ, καὶ ἀφείλετο νίκην ῥηϊδίως, ὅτε δ' αὐτὸς ἐποτρύνῃσι μάχεσθαι.* V. *ρ.* 98. Od. *ο.* 409. cuius loci rationem non prorsus perspexit Th. p. 16. Eadem ratio etiam in negativis sententiis obtinet: Od. *κ.* 327. *οὐδέ γὰρ οὐδέ τις ἄλλος ἀνὴρ τάδε φάρμακ' ἀνέτλη, ὅς κε πίῃ, καὶ πρῶτον ἀμείψηται ἕρκος ὀδόντων. μ.* 66. *ἀλλ' οὔπω τις νηῦς φύγεν ἀνδρῶν ἥτις ἵκηται.* Difficilius hoc est, Il. *ξ.* 521. *οὐ γάρ οἵ τις ὁμοίως ἐπισπέσθαι ποσὶν ἦεν, ἀνδρῶν τρεσσάντων, ὅτε τε Ζεὺς ἐν φόβον ὄρσῃ,* ubi Th. p. 15. neque hanc lectionem, neque alteram *ὦρσεν* ferri posse iudicans, *ὄρσαι* scribi vult; non ille quidem primus: nam et alii viro docto ita visum erat, et mihi ipsi in diss. de praec. quib. Attic. p. 20. sed dubitare postea coepi, monente etiam optativo, praeter solitum particulam *τε* comitem habente, an haec saltem via deserenda esset. Nec sane damnem *ὦρσεν*, quia nihil impedit, quominus haec de Troianorum fuga intelligantur: quin prorsus id ex more poëtae foret: sed ne coniunctivus quidem plane spernendus est, si quidem *ἀνδρῶν* [XII] *τρεσσάντων* universe dictum accipiatur pro *ἐν τροπῇ μάχης*: ***nemo eum aequabat in persequendo, quum cedunt hostes, ubi terrorem incusserit Iupiter.***

Alius modus est, quum praeteritum tale est, ut ejus vis etiam in praesenti futuroque tempore permaneat. Il. *κ.* 88. *γνώσεαι Ἀτρεΐδην Ἀγαμέμνονα, τὸν περὶ πάντων Ζεὺς ἐνέηκε πόνοισι διαμπερές, εἰςόκ' ἀϋτμὴ ἐν στήθεσσι μένῃ, καὶ μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.* Sic Il. *υ.* 313. (coll. *φ.* 373.) *φ.* 229. *ω.* 175. et 194. (coll. 119. 147.) Od. *θ.* 44. *κ.* 21. *λ.* 432. *ρ.* 55. *ψ.* 267. *ω.* 201. Huius generis est etiam hoc Il. *η.* 394. *καὶ δὲ τόδ' ἠνώγεον εἰπεῖν ἔπος αἴκ' ἐθέλητε παύσασθαι πολέμοιο δυσηχέος, εἰςόκε νεκροὺς κείομεν.* Compara cum hoc *π.* 61. *σ.* 189. Vix opus est, ut adiiciam, eodem modo particulas finales construi, ubi effectus rei praeteritae adhuc praesenti tempore conspicuus, vel futuro exspectandus est. Od. *ω.* 359. *ἔνθα δὲ Τηλέμαχον καὶ βουκόλον ἠδὲ συβώτην προὔπεμψ', ὡς ἂν δεῖπνον ἑφοπλίσσωσι τάχιστα.* In apparanda enim coena adhuc illi occupati erant. V. etiam v. 479.

Porro quem supra in indicativo vidimus morem Graecorum, cogitata e praeterito tempore in praesens transferendi, is etiam in coniunctivi usu invenitur. Od.

r. 369. *ἐμίμνομεν ἠῶ δῖαν, Τηλέμαχον λοχόωντες, ἵνα φθί-* [XII]
ωμεν ἑλόντες. Il. o. 22. *ὃν δὲ λάβωμι, ῥίπτασκον τεταγὼν ἀπὸ*
ηλοῦ, ὄφρ' ἂν ἵκηται γῆν ὀλιγηπελέων. Ad hoc genus per-
inent duo alii loci, similes illi quidem inter se, sed ta-
nen quodammodo oppositi: Il. ξ. 161. *ἤδε δέ οἱ κατὰ θυ-*
μὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή, ἐλθεῖν εἰς Ἴδην εὖ ἐντύνασαν ἐ
ὐτήν, εἴ πως ἱμείραιτο παραδραθέειν φιλότητι ᾗ χροΐ, τῷ δ'
ὕπνον ἀπηνά τε λιαρόν τε χεύῃ ἐπὶ βλεφάρασιν ἰδὲ φρεσὶ
πυκαλίμῃσιν, ubi optativus et coniunctivus personis di-
tinguendis inserviunt, ita quidem ut *χεύῃ,* quod proprie
st ***an debeat,*** ad ipsam Iunonem referatur. Eadem per-
onarum distinctio, sed inversa ratione, et recte quidem,
nvenitur π. 646. de Iove: *καὶ φράζετο θυμῷ, πολλὰ μάλ'*
ἀμφὶ φόνῳ Πατρόκλου μερμηρίζων, ἦ ἤδη καὶ κεῖνον ἐνὶ κρα-
ερῇ ὑσμίνῃ αὐτοῦ ἐπ' ἀντιθέῳ Σαρπηδόνι φαίδιμος Ἕκτωρ
αλκῷ δηώσῃ, ἀπό τ' ὤμων τεύχε' ἕληται, ἦ ἔτι καὶ πλέονεσσιν
φέλλειν πόνον αἰπύν. Aliud huiusmodi exemplum exstat
. 595. ss. Ex hac significatione explicandus con- [XIII]
unctivus Od. ξ. 327. *τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα*
θεοῖο ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσαι, ὅππως νο-
στήσῃ Ἰθάκης ἐς πίονα δῆμον. Certe vulg. *νοστήσῃ* praestat
o, quod Wolfius dedit, *νοστήσει.* Sed ubi haec repetun-
ur, τ. 296. prorsus de more scriptum est, *ὅππως νοστή-*
σειε φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν. Eodem modo fortasse alii
uoque coniunctivi, ut Il. β. 4. defendi poterunt.

Denique commemorandus est is coniunctivi usus,
uo hic modus apud Homerum etiam solus per se futuri
ignificationem habet. Qui usus derivandus est ex signi-
icatione dubitativa, quam in coniunctivo esse satis con-
tat. Est autem haec significatio duplex. Nam aut in eo
ernitur, quod agendum sit, quam deliberativam signifi-
ationem dixeris: eaque Homerus, pariter ac caeteri scri-
tores, tantum in prima persona sive singularis sive plu-
alis numeri utitur, cuius rei rationem alio loco aperui;
ut spectat ad id, quod sit vel fiat, quam coniecturalem
ppellari licebit, qua Homerus in omnibus personis utitur.
Utraque non ubique eamdem vim habet. Nam ut in
mnibus linguis multa, quae tamquam incerta proferun-
ur, ita dici solent, ut potius maxime affirmari intelli-
antur, ita idem Graecis in coniunctivo videmus placuisse.
taque quum *ἴωμεν* proprie dubitantis esset, deinde ad ad-
ortationem decretumque translatum est. Eodem igitur
nodo in illa coniecturali significatione primo incertum
ntelligitur futurum. Telemachus in pr. lib. Odyss. ubi
on affectare se regnum dicit, quoniam multi sint in Ithaca
iri generis nobilitate conspicui, subiicit v. 396. *τῶν κέν*

[XIII] τις τόδ' ἔχησιν, ἐπεὶ θάνε δῖος Ὀδυσσεύς. Sic etiam δ. 691. ἦ τ' ἐστὶ δίκη θείων βασιλήων, ἄλλον κ' ἐχθαίρῃσι βροτῶν, ἄλλον κε φιλοίη. V. Il. β. 488. Od. β. 333. δ. 240. ν. 215. Interdum pene nihil a simplici futuro differt, ut Il. ε. 129. Od. μ. 383. Sed saepe habet fortiorem quamdam vim ac futurum, ita ut etiam a futuro distinguatur; Od. π. 437. οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνήρ, οὐδ' ἔσσεται, οὐδὲ γένηται. Germanice dicas, *der ist nicht, und wird nicht seyn, und soll* [XIV] *nicht seyn.* Similiter ζ. 201. μ. 191. Sed plerumque mollitur haec significatio, ut dubitanter loquendo affirmes. Il. ο. 349. αὐτοῦ οἱ θάνατον μητίσομαι, οὐδέ νυ τόν γε γνωτοί τι γνωταί τε πυρὸς λελάχωσι θανόντα, ἀλλὰ κύνες ἑρύουσι πρὸ ἄστεος ἡμετέροιο: quod eadem figura Germanice dicas, *sie sollen ihn wohl nicht bestatten.* Sic vero illud intelligendum est, ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἂν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή, Il. δ. 164. ζ. 448. ut ex priore potissimum loco intelligitur. Alia exempla v. Il. γ. 54. 417. λ. 386. 431. ξ. 235. σ. 308. χ. 244. 505. Od. δ. 389. κ. 507. σ. 265. Sic possis etiam intelligere ὅς κεν ἕπσι et similia Il. β. 365. ψ. 344. Od. δ. 756.

Perventum est ad optativum. Hic modus quoniam ea indicat, quae in sola cogitatione posita sunt, per se nullam omnino habet temporis significationem, sed pro cuiusque loci conditione vel ad praeteritum tempus, vel ad praesens, vel ad futurum refertur. Il. ν. 343. μάλα κεν θρασυκάρδιος εἴη, ὅς τότε γηθήσειεν ἰδὼν πόνον, οὐδ' ἀκάχοιτο. His verbis, quae ibi de re praeterita dicuntur, uti possis etiam in re praesente et futura. Ita fit, ut et illud de futuro recte dicatur, Il. ω. 519. ἔπειτά κεν αὖτε φίλον παῖδα κλαίοισθα, et hoc de praeterito Il. γ. 453. οὐ μὲν γάρ φιλότητί γ' ἐκεύθανον, εἴ τις ἴδοιτο, pro eo, quod plerumque dici solet, εἴ τις ἴδοιεν. V. ε. 311. 388. ρ. 70. τ. 90.

Quamquam autem omnis optativi usus eo redeat, ut quid in sola cogitatione positum esse significetur, tamen variae sunt rationes modique, quibus id fieri possit. Horum primus maximeque simplex is est, quum quid nulla alia notione adiuncta ut sola cogitatione fictum narratur. Ut in re praetérita Il. δ. 539. ἔνθα κεν οὐκέτι ἔργον ἀνὴρ ὀτρύσαιτο μετελθών, ὅστις ἔτ' ἄβλητος καὶ ἀνούτατος ὀξέϊ χαλκῷ δῃωθεὶς κατὰ μίσσον; in praesenti Od. φ. 139. ποῖοί κ' εἶτ' Ὀδυσῆϊ ἀμυνέμεν, εἴ ποθεν ἔλθοι; in futura Il. ω. 139. ὅς ἄποινα φέροι, καὶ νεκρὸν ἄγοιτο, i. e. *abducat licet.* Quoniam autem, quae sola cogitatione finguntur, ad experientiae veritatem comparata, non re vera fiunt, sed possunt fieri: consentaneum est, optativo, quae possint fieri, significari. Isque frequens apud Homerum usus est. Od. μ. 112. εἰ δ' ἄγε δή μοι τοῦτο, θεά, νημερτὲς ἐνίσπες, αἴ κως τὴν ὀλοὴν μὲν ὑπεκπε-

φύγοιμι Χάρυβδιν, τὴν δέ κ' ἀμυναίμην, ὅτε μοι σίνοιτό γ' [XV] ἑταίρους. V. Il. α. 60. ε. 192. (ξ. 299.) ζ. 452. η. 231. ϑ. 291. κ. 166. 171. ξ. 241. ο. 736. 738. ρ. 640. χ. 348. ω. 149. Od. α. 254. β. 52. γ. 319. δ. 167. 560. (ε. 17. 142. ϱ. 146.) ε. 166. ι. 126. s. κ. 434. λ. 366. μ. 287. ξ. 120. π. 257. 297. 305. ν. 383. χ. 138. ω. 189. s. 532. Hinc fit, ut saepe coniunctivus et optativus in eadem constructione coniungantur, ut Il. σ. 307. *ἀλλὰ μάλ' ἄντην στήσομαι, ἤ κε φέρῃσι μέγα κλέος, ἤ κε φεροίμην.* Germanice dices, *ob er siegen soll, oder ich siegen könne.* V. χ. 244 sqq. Od. μ. 156 s. Unde ξ. 183. scribendum: *ἀλλ' ἤτοι κεῖνον μὲν ἐάσομεν, ἤ κεν ἁλώῃ, ἤ κε φύγοι, καὶ κέν οἱ ὑπέρσχῃ χεῖρα Κρονίων*: compara Il. ϑ. 249. Non debebam in diss. de praec. quibusdam Att. p. 18. ad hanc constructionem illud referre Od. χ. 75. *ἐπὶ δ' αὐτῷ πάντες ἔχωμεν ἀθρόοι, εἰ κέ μιν οὐδοῦ ἀπώσομεν ἠδὲ θυράων, ἐλθωμεν δ' ἀνὰ ἄστυ, βοὴ δ' ὤκιστα γένοιτο.* Nam ibi maiore interpunctione post *ἄστυ* posita, quae sequuntur, non pendent ex particula *εἰ*, sed per se posita sunt, hoc sensu: *tum poterit auxilium advocari.* Sic eadem verba intelligenda sunt etiam v. 133. Eadem ratio loquendi saepius occurrit: exemplo in eadem diss. eadem pag. ex Il. η. 41 s. allato adde β. 160. γ. 53. λ. 802. videturque ea etiam in coniunctivi usu restituenda γ. 417. Ad hunc autem, de quo agimus, optativi usum pertinent illa quoque exempla, in quibus voluntatis quaedam significatio adiuncta cernitur, ut Od. δ. 637. *τῶν κέν τιν' ἐλασσάμενος δαμασαίμην.* Ea ad secundam tertiamve personam translata, saepe monentis vel iubentis est, ut Il. ω. 149. *κήρυξ τίς οἱ ἕποιτο γεραίτερος;* tum etiam optantis, quae quidem ratio etiam alias formas habet, ut interrogativam cum particulis *πῶς ἄν*, ellipticam cum particula *εἰ*, aliasque.

Sed redeo ad simplicem illum optativi usum, quo nihil nisi quae tantum in cogitatione posita sunt, indicantur. Is in primis inservit consilio rationique, ob quam quid fiat, significandae. Sed placuit Graecis, de praesenti futurove consilio fere tum optativo uti, si effectus dubius esset; sin minus, potius coniunctivo utuntur, ut qui rei vere futurae praesentisve notionem contineat. Con- [XVI] tra de praeteritis consiliis coniunctivum ibi usurpant, ubi effectus adhuc durat, vel exspectandus est, quum autem iam praeteriit, quoniam id diserte nullus verborum modus indicat, optativum adhibent, qui quum effectum non verum, sed modo cogitatum notet, saltem non significat eum adhuc manere, sed potius refert ad illud tempus, quo captum est consilium. Il. η. 438. *ἐν δ' αὐτοῖσι*

[XVI] *πύλας ἐνεποίεον εὖ ἀραρυίας, ὄφρα δι' αὐτάων ἱππηλασίη ὁδὸς εἴη.* Eadem verba exstant v. 339. sed quum ibi *ποιήσομεν* dicatur, etsi *εἴη* non est falsum, tamen nisi significari voles, ***ut possit esse***, coniunctivo usum esse poëtam credas. Frustra autem coniunctivi formam *εἴῃ* in Thierschii gramm. Hom. quaeras: quam tamen diligens poëtae lectio non uno loco, opinor, vindicare poterit: v. Il. *ε.* 245. Od. *ο.* 448. *ρ.* 586. neque aliter, nisi fallor, Il. *σ.* 88. Utrum autem *εἴῃ* an *ἧῃ* praestet, non diiudicarim. Illud certum est, Aristarcho et accuratioribus grammaticis (v. Etym. M. p. 787, 26.) *φανήῃ* aliasque similes formas etiam in his verbis, a quibus Th. eas abiudicare ausus est, probatas fuisse. Sed hoc obiter. Utrique modo locus est in hoc, Il. *χ.* 252. *νῦν αἴ τέ με θυμὸς ἀνῆκεν στῆμεναι ἀντία σεῖο, ἕλοιμί κεν ἢ κεν ἁλοίην*, prout ad tempus capti consilii, vel quo perficitur, referas. Sed patet hic optativi usus aliquanto latius, et saepe etiam in constructione particularum temporalium cernitur. Il. *δ.* 262. *σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ ἕστηχ' ὥςπερ ἐμοί, πιέειν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.* Od. *θ.* 69. *πὰρ δ' ἐτίθει κάνεον, καλὴν τε τράπεζαν, πὰρ δὲ δέπας οἴνοιο, πιεῖν, ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.* Significatur enim poculum ea mente appositum, ut quando vellet, biberet. Sed in priore loco quae praecedunt, *πέρι μέν σε τίω Δαναῶν, ἠμὲν ἐνὶ πτολέμῳ, ἠδ' ἐν δαῖτ', ὅτε πέρ τε γερούσιον αἴθοπα οἶνον Ἀργείων οἱ ἄριστοι ἐνὶ κρητῆρσι κέρωνται*, apparet, coniunctivum habere, quia res non ex cuiusquam cogitatione suspensa est. Quod si in eadem re v. 344. optativum videmus, is quomodo explicandus sit, infra dicetur. Sed accuratius quaedam ex hoc genere consideremus. Od. *σ.* 147. *μηδ' ἀντιάσειας ἐκείνῳ, ὁππότε νοστήσειε.* *Νοστήσῃ* si diceret, esse rediturum Ulyssem [XVII] indicaret: nunc, optativo usus, incertum reddit, an sit rediturus: ut si plene hoc velis exprimere, dicendum sit, ***quum redierit, si redibit.*** Sic *π.* 391. *φ.* 161. *ἦ δέ κ' ἔπειτα γήμαιθ', ὅς κεν πλεῖστα πόροι, καὶ μόρσιμος εἴδοι, β.* 335. *π.* 385. *οἰκία δ' αὖτε τούτου μητέρι δοῖμεν ἔχειν, ἠδ' ὅστις ὀπυίοι.* Aliter *ο.* 20. *οἶσθα γάρ, οἷος θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γυναικός· κείνου βούλεται οἶκον ὀφέλλειν, ὅς κεν ὀπυίῃ*: ubi quum de ea sermo sit, quae re vera habeat maritum, *ὀπυίῃ* scriptum oportebat. Frequentia sunt talia, ut Il. *ψ.* 494. *καὶ δ' ἄλλῳ νεμεσᾶτον, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι*: Od. *α.* 47. *ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.* Sed ad illud primo adspectu nonnihil offendas. Od. *ζ.* 286. *καὶ δ' ἄλλῃ νεμεσῶ, ἥτις τοιαῦτά γε ῥέζοι, ἥτ' ἀέκητι φίλων πατρὸς καὶ μητρὸς ἐόντων ἀνδράσι μίσγηται*: nam quae addita sunt, nihil nisi explicant priora, ut idem verbi modus videatur

adhibendus fuisse. Nihilo minus omnia recte dicta. [XVII] Nam prius illud ut prorsus incertum ponitur: tum illo posito, reliqua, ut inde vere consequutura, per coniunctivum adiiciuntur: quod utrumque Germanice sic dicas: *wenn eine das thun könnte, und gegen den willen der ihrigen einem manne folgte.* Porro recte positus optativus in his, Il. ε. 304. *νῦν γάρ χ' Ἕκτορ' ἔλοις, ἐπεὶ ἂν μάλα τοι σχεδὸν ἔλθοι.* τ. 206. *νῦν μὲν ἀνώγοιμι πτολεμίζειν υἷας Ἀχαιῶν νήστιας, ἀκμήνους· ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι τεύξεσθαι μέγα δόρπον, ἐπὴν τισαίμεθα λώβην.* ω. 226. *αὐτίκα γάρ με κατακτείνειεν Ἀχιλλεύς, ἀγκὰς ἑλόντ' ἐμὸν υἱόν, ἐπὴν γόου ἐξ ἔρον εἴην.* Od. δ. 222. *ὅς τὸ καταβρόξειεν, ἐπὴν κρητῆρι μιγείη, οὔ κεν ἐφημέριός γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν.* Od. ω. 254. *τοιούτῳ δὲ ἔοικας, ἐπεὶ λούσαιτο φάγοι τε:* de quibus locis duos neglexit Th., qui in his, quae p. 196 sqq. et 213. de particula *ἐπεὶ* disserit, immemor eorum, quae p. 186. ipse dixerat, regulas comminiscitur, in quibus haud scio an nihil omnino veri sit. Qui si, quum *ἐπὴν* cum optativo iungi posse negat, in illo solo, *ἐπὴν δαῖδας παραδεῖτο.* Od. β. 105. τ. 150. ω. 140. haesisset, non mirarer: hoc enim aliquam rationem habet: sed quod illa, quae supra posui, tentat, magno opere miror. Nam in istis locis omnibus quum non de eo, quod vere futurum fuerit, sed de eo, quod ut futurum cogitabatur, ser-[XVIII] mo sit, apparet, recte adhibitum esse optativum. Ut id statim in primo ostendam, non hoc dicit, *prosternere Hectorem poteris, quum ille tibi prope venerit:* neque enim venturum asseverat: sed *poteris, quum prope venerit, si quidem veniet.* Eadem et reliquorum locorum ratio est, et illorum, in quibus Th. p. 13. coniunctivum reponi vult: Il. γ. 54. *οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης, ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης.* Od. ξ. 372. *οὐδὲ πόλινδε ἔρχομαι, εἰ μή πού τι περίφρων Πηνελόπεια ἔλθέμεν ὀτρύνῃσιν, ὅτ' ἀγγελίη ποθὲν ἔλθοι.* Nam neque Helena mortem denunciat Paridi, sed hortatur, ut cum Menelao pugnet, salvum rediturum sperans: neque Eumaeus, ubi nuncius venerit, tamquam si hoc fieri soleat, se dicit in urbem ire, sed si forte veniat nuncius. Thierschius quidem utroque in loco coniunctivo, qui praecedat, optativum excludi dicit. Hoc quale sit, nescio. Sed viderit, quid faciat hoc loco, Il. λ. 386. *εἰ μὲν δὴ ἀντίβιον σὺν τεύχεσι πειρηθείης, οὐκ ἄν τοι χραίσμῃσι βιὸς καὶ ταρφέες ἰοί.* Alteri loco illustrando hic aptus est, Od. α. 415. *οὔτ' οὖν ἀγγελίης ἔτι πείθομαι, εἴ ποθεν ἔλθοι, οὔτε θεοπροπίης ἐμπάζομαι, ἥντινα μήτηρ, ἐς μέγαρον καλέσασα θεοπρόπον, ἐξερέηται.* Hoc enim, ut coniectores interrogaret Penelope, solebat fieri; illud, ut nuncius afferretur, et rarum erat,

[XVIII] et fortuitum. Sic etiam ρ. 539. *εἰ δ' Ὀδυσεὺς ἔλθοι, καὶ ἵκοιτ' ἐς πατρίδα γαῖαν, αἶψά κε σὺν ᾧ παιδὶ βίας ἀποτίσεται ἀνδρῶν.* Non est autem mirum, saepe utrovis modo loqui licere, modo, utervis sua propria vi aptus sit. Ut Il. κ. 305. *θώσω γὰρ δίφρον τε δύω τ' ἐριαύχενας ἵππους, οἵ κεν ἄριστοι ἔωσι θοῆς ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν, ὅστις κεν τλαίη, οἵ τ' αὐτῷ κῦδος ἄροιτο, νηῶν ὠκυπόδων σχεδὸν ἐλθέμεν.* Dicit, *si quis audeat,* incertum relinquens, an talis futurus sit: quod si *τλήῃ* dixisset, *qui fuerit ausus,* exspectare se indicaret, fore, qui auderet. Illud vero necessario dicendum erat, *οἵ κεν ἄριστοι ἔωσι, qui optimi reperti fuerint*: nam si, optativo usus, daturum se promisisset, si qui essent optimi vel possent esse, neminem tam incerti praemii spe permovisset. Od. η. 33. non erat satis idonea caussa, quare diceretur, *οὐδ' ἀγαπαζόμενοι φι-*[XIX] *λέουσ', ὅς κ' ἄλλοθεν ἔλθοι;* rectiusque in altera lectione ap. schol. Harl. ad ν. 119. coniunctivus est, *ὅτε κέν τις ἵκηται.* λ. 147. *ὄντινα μέν κεν ἐᾷς νεκύων κατατεθνηώτων αἵματος ἄσσον ἴμεν, ὅδε τοι νημερτὲς ἐνίψει· ᾧ δέ κ' ἐπιφθονέοις, ὅδε τοι πάλιν εἶσιν ὀπίσσω.* Valde dubitari potest, sic, an *ἐπιφθονέῃς* dederit; si optativum, hoc dicet, *si cui invideas:* colloqui enim Ulysses cum umbris cupiebat, quaesieratque, non quomodo eas arceret, sed quomodo perduceret ad colloquendum. Sed χ. 443. *θεινέμεναι ξίφεσιν ταναήκεσιν, εἰσόκε πασέων ψυχὰς ἐξαφέλησθε, καὶ ἐκλελάθοιντ' Ἀφροδίτης,* vix habet, quo defendatur. A poëta profectum puto *ἐκλελάθητ'*. Rationem habet illud, ο. 435. *εἴη μὲν καὶ τοῦτ', εἴ μοι ἐθέλοιτε γε, ναῦται, ὅρκῳ πιστωθῆναι, ἀπήμονά μ' οἶκον ἀπάξειν*: sed valde diversum est, quod legitur Il. ψ. 893. *ἀτὰρ δόρυ Μηριόνῃ ἥρωϊ πόρωμεν, εἰ σύ γε σῷ θυμῷ ἐθέλοις· κέλομαι γὰρ ἔγωγε*: quod modestiae est. V. diss. de praec. Att. p. 11. In illo vero, κ. 346. *εἰ δ' ἄμμε παραφθαίησι πόδεσσιν, αἰεί μιν προτὶ νῆας ἀπὸ στρατὸφιν προτιειλεῖν*, manifesto vitiosus est optativus, ut in re certo futura.

Reliquae sunt duae aliae loquendi formae, de quibus monendi tirones sint. Una cernitur in particulis *ὅτε μή*, quarum exempla haec sunt apud Homerum: Il. ν. 317. *αἶψά οἱ ἐσσεῖται, μάλα πέρ μεμαῶτι μάχεσθαι, κείνων νικήσαντι μένος καὶ χεῖρας ἀάπτους, νῆας ἐνιπρῆσαι, ὅτε μὴ αὐτός γε Κρονίων ἐμβάλοι αἰθόμενον δαλὸν νήεσσι θοῇσιν.* ξ. 247. *Ζηνὸς δ' οὐκ ἂν ἔγωγε Κρονίονος ἄσσον ἰκοίμην, οὐδὲ κατευνήσαιμ', ὅτε μὴ αὐτός γε κελεύοι.* Od. π. 196. *οὐ γάρ πως ἂν θνητὸς ἀνὴρ τάδε μηχανόῳτο ᾧ αὐτοῦ γε νόῳ, ὅτε μὴ θεὸς αὐτὸς ἐπελθὼν ῥηϊδίως ἐθέλων θείη νέον ἠὲ γέροντα·* ψ. 184. *τίς δέ μοι ἄλλοσε θῆκε λέχος; χαλεπὸν δέ κεν εἴη, καὶ μάλ'*

ἐπισταμένῳ, ὅτε μὴ θεὸς αὐτὸς ἐπελθὼν ῥηϊδίως ἐθέλων [XIX] θείη ἄλλῃ ἐνὶ χώρῃ. Ex his, quae paullo ante dicta sunt, facile intelligi poterit, recte adhibitos esse optativos. Nam in nullo horum locorum de re sermo est, quae exspectari possit, sed in omnibus fingitur aliquid, idque tale, quod eventurum esse ne credibile quidem sit. Quamobrem miror, quod Th. dum anceps animi pendet p. 8. denique eo inclinat, ut ubique coniunctivum reponi velit. Quas rationes affert, earum prima, quod per [XX] ὅτε conditio indicetur, qua tollatur, quod praecesserit, ea non video quorsum valeat: nam talis conditio, modo μὴ adiectum sit, aderit, quicumque verbi modus adhibeatur: altera autem, quod Apollonius Rh., qui ubique Homeri vestigia legat, coniunctivos tueri videatur, non una ex parte laborat. Primum enim tantum abest, ut Apollonius Homerum ubique sectetur, ut eius oratio ab Homerica mirum quantum discrepet: de qua re qui plura, quam quae obiter inspectis utriusque poëtae carminibus occurrerint afferre velit, satis magnum possit librum conscribere. Deinde (non enim contendo, nihil Apollonium ex Homero hausisse, sed aio plurima) est, ubi Apollonii auctoritas aliquid conferat ad Homeri usum cognoscendum; est vero etiam, ubi nihil utilitatis afferat, quia ille non ubique recte Homerum imitari videtur. Denique in hac re, de qua nunc agimus, quid valeat Apollonius, multo minus intelligi potest. Qui si erat commemorandus, non hic locus, I. 245. afferri debebat, (multo enim facilius unum Apollonii, corruptissimi scriptoris, locum ex quatuor Homericis, quam hos ex uno, eoque dubiae auctoritatis, Apollonii corrigas) sed IV. 409. Verum ne sic quidem quidquam efficietur, nisi ut appareat, Apollonium coniunctivo usum esse, ubi coniunctivus poni debebat, quemadmodum idem in eadem formula alibi recte optativo utitur.

Alter, de quo dicturus eram, usus optativi is est, quo frequens repetitio rei praeteritae significari putatur. Id vero prorsus falsum est; nec sequi hunc errorem, sed refutare debebat Th. Nam etsi negari non potest, ubi de re saepius repetita sermo est, tam crebrum esse optativi usum, ut rarissima sint exempla in quibus ille non inveniatur, (ap. Hom. non memini exemplum praeter Il. γ. 221. in quo ipso, sed male, nonnulli libri optativum habent) tamen ea non optativi vis est, sed verbi, unde pendet optativus: hoc enim ubique tale est, ut in ipso insit diuturnitatis vel repetitionis significatio: est enim plerumque vel imperfectum, vel plusquamperfectum:

[xx] Il. α. 610. Od. τ. 49. *ἔνθα πάρος κοιμᾶθ', ὅτε μιν* [xxi] *γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι.* Il. κ. 188. *πεδίονδε γὰρ αἰεῖ τετράφαθ', ὁππότ' ἐπὶ Τρώων ἅΐοιεν ἰόντων.* Ac plerumque Homerus frequentativis verborum formis utitur, ut Il. γ. 216. *ἀλλ' ὅτε δὴ πολύμητις ἀναΐξειεν Ὀδυσσεύς, στάσκεν, ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε.* Ad quam normam Aristot. Rhet. II. 9. 11. ex Il. λ. 549. affert, *Ζεὺς γάρ οἱ νεμέσασχ', ὅτ' ἀμείνονι φωτὶ μάχοιτο.* Frequentativis in eodem genere utitur Herodotus, ut VII. 119. Raro aoristum invenias, et sicubi, ita ut aliquid adiectum sit, quo repetitio declaretur, ut Il. γ. 232. *πολλάκι μιν ξείνισσεν Ἀρηΐφιλος Μενέλαος οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ, ὁππότε Κρήτηθεν ἵκοιτο.* Etenim optativus nullo modo potest repetitionem indicare, neque in istis locis omnibus, quorum millena afferri in eam rem possent, quidquam, nisi unum factum notat, sed ita, ut ex multis factis, quorum notatio verbo adiecto inest, illud designet, quodcumque alicui cogitare libuerit. Eadem ratio est coniunctivi in rebus praesentibus. Od. τ. 515: *αὐτὰρ ἐπὴν νὺξ ἔλθῃ, ἕλῃσι τε κοῖτος ἅπαντας, κεῖμαι ἐνὶ λέκτρῳ.* Nam si in his vertendis vocabulo *quoties* uti licet, ea non coniunctivi virtus est, sed verbi *κεῖμαι*, ex quo de re solita fieri sermonem esse cognoscitur. Sed quaeri poterit, an Graeci, ubi de repetitione agitur, etiam praesenti iunxerint optativum. Quod etsi in se ipso nihil habet, quod repugnet, tamen non videtur temere concedendum. Non retulerim huc illud Il. α. 549. *ὃν δέ κ' ἐγὼν ἐθέλοιμι θεῶν ἀπάνευθε νοῆσαι, μήτι σὺ ταῦτα ἕκαστα διείρεο, μηδὲ μετάλλα.* Mirum enim foret, ni Aristarchus hic, ut ι. 397. *ἐθέλωμι* scripsisset. Sed duo alii loci maius momentum habent: δ. 343. *πρώτω γὰρ καὶ δαιτὸς ἀκουάζεσθον ἐμεῖο, ὁππότε δαῖτα γέρουσιν ἐφοπλίζοιμεν Ἀχαιοί.* Th. quidem p. 194. *ἀκουάζεσθον* putavit imperfectum esse, in qua re nec ducem, quod sciam, habuit, neque habebit, opinor, qui sequatur. Quamvis autem facile ex simillimo loco v. 260. coniunctivus inferri possit, tamen ita constanter omnes optativum tuentur, ut eum, nisi qui temerarius sit, vix videatur mutaturus esse. Alter locus est Od. ω. 343. *ἔνθα δ' ἀνὰ σταφυλαὶ παντοῖαι ἔασιν, ὁππότε δὴ Διὸς ὧραι ἐπιβρίσειαν ὕπερθεν.* Hunc ut regulae accommodaret Th., inauditum [xxii] quid et pene incredibile commentus est, *ἔασιν* antiquum esse perfectum. In qua re alius adhuc, isque maior etiam inest error, quia, si non potest cum praesente construi optativus ista repetitionis significatione, non magis poterit cum perfecto: unde Thierschio hanc omnem rationem parum perspectam fuisse coniicio. Mihi quidem hos locos consideranti videtur optativus ita cum

praesente, quo aliqua repetitio contineatur, locum [XXII] habere, si non, ut in coniunctivo, ad futuram, sed ad praeteritam partem praesentis respiciatur. Nam in priore loco, quod hactenus factum sit, exprobratur; in altero autem de vitibus sermo est, quas puer Ulysses olim a patre acceperit: quas ille quum quotannis uvis abundasse sciret, quoniam adhuc cultas videt, utrumque tempus coniungit. Quare si quis vim verborum interpretando exprimere volet, ita dicendum erit: *primi adestis, quoties epulas apparabamus: omnis generis uvis abundant, quoties anni tempestas fecundarat.* Qualia sermoni familiari facile condonari possunt.

Postularet institutus ordo, ut etiam de illo conditionum genere explicarem, quo sumitur aliquid esse, quod simul non esse fatemur, vel contra. Cui rei indicativum aoristi, imperfecti, et plusquamperfecti destinatum esse, supra indicavi. Sed hoc ita et planum et pervulgatum est, ut rectius praetermittatur. Quo magis miratus sum, quum Thierschium in epimetro illo, quod, pace viri amicissimi dixerim, totum retractari ab eo velim, ita in hoc genere vidi offendere, ut p. 211. monstruosum esse diceret illud Apollonii Rh. I. 281. *αἴθ' ὄφελον κεῖν' ἦμαρ αὐτίκ' ἀπὸ ψυχὴν μεθέμεν, κηδέων τε λαθέσθαι, ὅφρ' αὐτός με τεῇσι φίλης ταρχύσαο χερσίν*: quod rectissime dictum esse, et sic, ut aliter ne potuerit quidem, nisi aliunde, certe ex adn. ad Vig. p. 767. IV. et 805. notum esse credebam.

[Diss. II. Lipsiae, a. 1813. 4to. pp. 20.]

Non inepte mihi videtur Thierschius, quum de modis verborum, qui temporibus indicandis apud Homerum inserviunt, dissereret, seorsim tractasse eos locos, qui sunt in comparationibus; non quod harum alia sit, quam reliquae orationis, ratio: nam qui hoc fieri posset? sed quod quaestio illa, ad unum, idque haud amplum genus revocata, multo minus habere difficultatis potest, quam si per immensam loquendi formarum varietatem diffundatur. Non recte tamen, universa tractaturus, ordiare a tali aliquo genere: quoniam in parte aliqua consistenti proclivior ad errorem via est, quam universa, quantumvis varia et dissimilia, consideranti. Quare quum de modorum usu apud Homerum disserere instituerem, malui, priusquam de comparationibus dicerem, universam

istius rei rationem describere, quam ab his initio facto, etsi id maxime perspicuum exemplum esse intelligebam, ad reliqua explicationem transferre. Etsi autem totus hic locus, qui est de comparationibus, facile potest ex iis intelligi iudicarique, quae iam sunt universe de usu modorum dicta, tamen habet ille etiam propria quaedam, non illa quidem recondita, sed quae tamen adnotasse non fuerit supervacaneum. Neque enim probo Thierschium, qui particulas temporales in comparationibus, si res ut praeterita narratur, cum indicativis praeteritorum; si ut praesens, cum coniunctivo; nusquam autem cum optativo construi contendit: a quibus regulis solam dicit particulam ἤϋτε recedere, quae etiam praesentis indicativum admittat, et ita quidem, ut excludat coniunctivum. Nam haec ego ut non esse vera existimem, rationes habeo gravissimas, unam, exempla, quorum multa, nisi violentius mutentur, repugnant regulis istis; alteram, graviorem etiam, rei [IV] ipsius naturam, quae talis est, ut non posse veras esse regulas istas evincat. Ab hac vero re, ut par est, capiendum nobis erit disputationis exordium.

Ac nemo non videt, posse quid comparari vel cum eo, quod re vera est, vel cum eo, quod potest esse. Hoc alterum duplex est. Nam aut eo posse esse intelligitur, quia, si casus tulerit, re vera evenire solet; aut sola cogitatione, tamquam quod fiat, sumitur, etiamsi forte ne possit quidem fieri. Apparet, plane easdem hic cerni diversitates, quas supra in modis verborum esse vidimus. Unde consentaneum videtur, quum quid cum re, quae vere est, comparatur, indicativo utendum esse; ubi autem cum eo, quod aliquando eveniat, coniunctivo; denique si cum eo, quod cogitetur tantum esse, nec sit, optativo.

Primum igitur de iis rebus dicatur, quae vere sunt. Has quis volet tali verbi modo indicare, quo non vere esse, sed posse esse significentur? Sed de tribus temporibus, quibus omnia eveniunt, unum, futurum dico, natura sua ad comparationem parum idoneum est. Quum enim declarandae rei inserviant comparationes, consentaneum est, potius cum eo, quod est vel fuit, comparandum aliquid esse, quia hoc, quale sit, novimus, quam cum eo, quod futurum sit, quod quoniam nondum cognovimus, ipsum potius aliqua comparatione illustrandum erit, quam ut ipsum aliam rem illustret. Quare futurum vix invenietur in comparationibus, nisi in locis corruptis: veluti Il. ν. 707. Reliqua igitur sunt praeteritum et praesens. Utrumque seorsim consideremus.

Ac praeteriti indicativo primum in re vere facta [IV] necessario utendum esse, nemo non videt. Sic Od. v. 6. *ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρας ἀνέλοντο θύελλαι*, et quae nulla ibi de his narrantur. Deinde vero alium usum hic indicativus habet, qui talis est, ut regulae supra positae repugnare videatur: usurpatur enim etiam de his, quae non revera esse, sed aliquando evenire intelliguntur. Non repugnat vero. Nam hoc ipsum maxime proprium est orationis poëticae, ut certa pro incertis commemoret, [V] quaeque vel possunt fieri vel solent, ut vere facta referat, eoque rem, ex generis infinitate in singularis facti arctos fines contractam, certo in exemplo contemplandam exhibeat. Est autem haec ratio, ut modo indicavimus, duplex: nam aut ea, quae solent fieri, complectitur: unde in his locis frequens est praesentis admixtio: Il. ε. 902. *ὡς δ' ὅτ' ὀπὸς γάλα λευκὸν ἐπειγόμενος συνέπηξεν, ὑγρὸν ἐόν, μάλα δ' ὦκα περιστρέφεται κυκόωντι*: aut de re est, quae aliquando fit, ut Il. γ. 33. *ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν μετάνορσος ἀπέστη οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα, αψ τ' ἀνεχώρησεν, ὠχρός τέ μιν εἷλε παρειάς*. Quoniam autem etiam in tali facto sunt, quae ut solita consequantur, his quoque saepe admiscetur praesens. λ. 558. *ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν, ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας, νωθὴς, οἳ δὴ πολλὰ πέρι ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγη· κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον· οἱ δέ τε παῖδες τύπτουσιν ῥοπάλοισι· βίη δέ τε νηπίη αὐτῶν· σμυδὴ τ' ἐξήλασσαν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς*.

Venio ad praesentis indicativum, quem quum Th., ubi cum particulis *ὡς ὅτε* coniunctus invenitur, coniunctivo cedere iubet, vereor ut huius rei rationem exploratum habuerit. Tantum abest enim, ut coniunctivus ex articula *ὅτε* pendeat, ut potius ex ipsa re et natura comparationis explicandus sit. Quid enim? Unde eum petere dicemus, ubi, quod saepissime fit, sola particula *ὡς* vel *ὥστε* praecedit? Immo sive harum aliqua particularum, sive articulus praecedit, res ipsa doceat necesse est, qui verbi modus vel potuerit vel debuerit adhiberi. Quod ut planum faciamus, de utroque modo simul dicendum videtur. Atque indicativus (de praesente autem loquor, etsi quaedam horum, quae dicam, etiam in praeteritum quadrant) is igitur natura sua primo id indicat, quod re vera est vel fit; deinde notat, quod permanet in eo statu, in quo est; denique etiam, quod solet esse, significat. Coniunctivum autem, qui modus ita aliquid cogitari iubet, ut id non omnino et simpliciter, sed, si quando fit, esse intelligatur, eum si cum indicativo comparares, huic, pro triplici eius significatione, tribus [VI]

[VI] modis oppositum videbis. Primum enim, ut indicativus rem, tamquam quae vere fiat, proponit, ita eam coniunctivus non omnino, sed sic tantum fieri, si quando fiat, significat. Il. ζ. 506. o. 263. olim legebatur, *ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ, δεσμὸν ἀπορρήξας, θείει πεδίοιο κροαίνων.* Nuper editum *θείῃ*. Neutrum falsum: sed si indicativo usus est poëta, rem, ut quae vere fieret, narravit, talem dicens rupto capistro equum luxuriare; sin coniunctivo, ut incertam commemorat, talem cogitandum esse equum, quando eveniat, ut aliquis equus se a stabulo proripuerit. Deinde, ut indicativus permanentem statum significat, ita coniunctivus, ut qui, an aliquid vere sit, incertum relinquat, transeuntem statum, i. e. factum singulare indicat. Il. ρ. 434. *ἀλλ' ὥστε στήλη μένει ἔμπεδον, ἥτ' ἐπὶ τύμβῳ ἀνέρος ἑστήκῃ τεθνηότος, ἠὲ γυναικός.* χ. 93. *ὡς δὲ δράκων ἐπὶ χειῇ ὀρέστερος ἄνδρα μένῃσιν, βεβρωκὼς κακὰ φάρμακ'.* In priore loco graviter falleretur, qui coniunctivum putaret admitti posse: nam de permanente statu sermo est, cuius status contrarium ob id ipsum non est pravo verbi modo infereudum, quia sic is status tolleretur: nec Latinus sermo hic coniunctivum ferat. Contra in altero exemplo, ut in commemoratione facti singularis, quod non semper exstet, sed aliquando eveniat, recte posuit coniunctivum. Eamdem ob caussam in priore loco posui *ἑστήκῃ* pro *ἑστήκει*, quod si praesens verbi *ἑστήκω* esset, ferri posset: sed non est ita: quare in coniunctivum mutetur necesse est. Fortuitum enim est, statui columnam. Sic etiam Od. χ. 468. scribendum, *ὡς δ' ὅτ' ἂν ἢ κίχλαι τανυσίπτεροι, ἠὲ πέλειαι ἕρκει ἐνιπλήξωσι, τό θ' ἑστήκῃ ἐνὶ θάμνῳ*: ubi bona lectione, quam prima manus in cod. Harl. offerebat, uti nesciens Porsonus, in magnum errorem incidit. Eodemque modo Il. δ. 482. *αἰγειρὸς ὥς, ἣ ῥά τ' ἐν εἰαμενῇ ἕλεος μεγάλοιο πεφύκῃ* scribendum, non *πεφύκει*. Imperfecti enim, quodque eodem redit, plusquamperfecti usus in talibus locis plane monstruosus foret, quippe quo certa praeteriti temporis pars designaretur. Quod fugit Thierschium, qui in epim. [VII] p. 216. in his Il. λ. 474. *ὥξει τε δαφοινοὶ θῶες ὄρεσφι ἀμφ' ἔλαφον κεραὸν βεβλημένον, ὅν τ' ἔβαλ' ἀνὴρ ἰῷ, ἀπὸ νευρῆς· τὸν μέν τ' ἤλυξε πόδεσσιν φεύγων, ὄφρ' αἷμα λιαρὸν, καὶ γούνατ' ὀρώρῃ*, scribi iubet *ὀρώρει*. Nempe praeteritum praecessisse dicit, unde non esse coniunctivo locum. Itane vero? Immo, ut supra observatum est, in comparationibus ubique praeteritum et praesens commiscentur, idque in primis in fine indicando locum habet. Sic Il. δ. 465. in eadem, cuius paullo ante mentio facta est, com-

paratione, *τὴν μέν θ' ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ αἴθωνι σιδήρῳ* [VII] *ἐξέταμ', ὄφρα ἴτυν κάμψῃ περικαλλέϊ δίφρῳ. ε.* 522. *νεφέλῃσιν ἐοικότες, ἄς τε Κρονίων νηνεμίης ἔστησεν ἐπ' ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν ἀτρέμας, ὄφρ' εὐθῆσι μένος Βορέαο καὶ ἄλλων ζαχρηῶν ἀνέμων.* Optativum ibi tantum hoc genus constructionum in comparationibus habet, ubi de re eo fine suscepta, ut quid possit fieri, agitur. Il. *σ.* 321. de leone ereptos catulos quaerente: *πολλὰ δέ τ' ἄγκε' ἐπῆλθε μετ' ἀνέρος ἴχνι' ἐρευνῶν, εἴ ποθεν ἐξεύροι.* Et post praesens, ut quidem rhetores, Dionysius Hal. et Hermogenes, legebant, Il. *μ.* 434. *ἥ τε σταθμὸν ἔχουσα καὶ εἴριον, ἀμφὶς ἀνέλκει ἰσάζουσ', ἵνα παισὶν ἀεικέα μισθὸν ἄροιτο,* nescio an recte. Sed ex eadem observatione apparet, recte Ixionem Od. *ε.* 488. legisse: *ὡς δ' ὅτε τις δαλὸν σποδιῇ ἐνέκρυψε μελαίνῃ, ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς, ᾧ μὴ πάρα γείτονες ἄλλοι, σπέρμα πυρὸς σώζων, ἵνα μή ποθεν ἄλλοθεν αὖῃ,* non *αὖοι.* Similia v. in sup. diss. p. XII. sq. Ita coniunctivum praeterito iunctum videas Il. *η.* 5. *ν.* 64. *ο.* 363. *ρ.* 728. *υ.* 168. Od. *δ.* 357. 792. *ξ.* 65. *τ.* 206. ex quibus locis eum, qui Il. *ο.* exstat, frustra vitio, quod nullum est, liberare studuit Th. p. 196.

Sed redeundum in viam est. Tertio enim quemadmodum indicativus solere aliquid fieri indicat, ita coniunctivus ad unum refertur ex pluribus factum. Od. *τ.* 518. *ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρηΐς ἀηδὼν καλὸν ἀείδησιν, ἔαρος νέον ἱσταμένοιο, δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν· ἥ τε θάμα τρωπῶσα χέει πολυήχεα φωνήν.* Quod dicit, *χέει,* id significat, *fundere solet:* nam si hoc vellet, nunc ipsum lusciniam, quum ita, uti dicit, in arbore sedens canit, fundere sonoram vocem, coniunctivo ut- [VIII] endum erat, quemadmodum non *ἀείδει,* sed *ἀείδῃσιν* dixerat, non quamcumque canere solitam intelligens lusciniam, sed unam, eamque aliquo, quo cui libeat, temporis momento canentem describens.

Posuimus regulas et genera, quibus etiam si nihil amplius adderemus, sat lucis ad hanc rationem allatum arbitraremur. Sed iuvabit tamen singula explicatius pertractare. Et primum genus, quod est rerum vere existantium, indicativum sibi postulare diximus. Il. *θ.* 540. *τοίμην δ', ὡς τίετ' Ἀθηναίη καὶ Ἀπόλλων.* Referri huc possunt *η.* 438. *οἵος τε πελώριος ἔρχεται Ἄρης. ν.* 298. *οἵος δὲ βροτολοιγὸς Ἄρης πολεμόνδε μέτεισιν.* Od. *ζ.* 102. *οἵη δ' Ἀρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα;* et avium descriptio in Asio prato considentium Il. *β.* 459. Quamquam haec scio etiam aliter posse intelligi. Certa vero haec sunt *χ.* 318. *οἵος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ. ε.* 5. *ἀστὲρ ὀπωρινῷ ἐναλίγ-*

[VIII] *κιον, ὅς τε μάλιστα λαμπρὸν παμφαίνησι λελουμένος ὠκεανοῖο.* Sensere accuratiores grammatici, quum de Sirio sermo sit, non esse coniunctivo locum, quem alii admiserant, sed indicativum requiri: eo spectat schol. Ven. adnotatio, supplenda ex Etym. M. p. 650, 7. Confirmatur hoc *χ.* 26. *παμφαίνονθ', ὥςτ' ἀστέρ', ἐπεσσύμενον πεδίοιο, ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν· ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ φαίνονται πολλῖσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ· ὃν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσιν. λαμπρότατος μὲν ὅγ' ἐστί, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται, καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν:* et his Apollonii III. 957. *ὑψόσ' ἀναθρώσκων, ἅτε Σείριος ὠκεανοῖο, ὅς ῥ' ἤτοι καλὸς μὲν ἀρίζηλός τ' ἐσιδέσθαι ἀντέλλει, μήλοισι δ' ἐν ἄσπετον ἧκεν ὀϊζύν.*

Porro ubi permanens status significandus est, negamus, quaecumque particulae adhibeantur, alii modo, quam indicativo locum esse. Il. *ι.* 14. *π.* 3. *ὥςτε κρήνη μελάνυδρος, ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ. μ.* 132. *ὡς ὅτε τε δρύες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι, αἵτ' ἄνεμον μίμνουσι καὶ ὑετὸν ἤματα πάντα, ῥίζῃσιν μεγάλῃσι διηνεκέεσσ' ἀραρυῖαι. ο.* 614. *ἠΰτε πέτρη ἠλίβατος, μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα,* [IX] *ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα, κύματά τε τροφόεντα, τά τε προσερεύγεται αὐτήν. ρ.* 747. *ὥςτε πρὼν ἰσχάνει ὕδωρ, ὑλήεις, πεδίοιο διαπρύσιον τετυχηκώς· ὅς τε καὶ ἰῆθίμων ποταμῶν ἀλεγεινὰ ῥέεθρα ἴσχει, ἄφαρ δέ τε πᾶσι ῥόον πεδίονδε τίθησιν πλάζων, οὐδέ τί μιν σθένεϊ ῥηγνῦσι ῥέοντες.* Od. *ι.* 190. *οὐδὲ ἐώικει ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι ὑψηλῶν ὀρέων, ὅ τε φαίνεται οἷον ἀπ' ἄλλων.* Nullus horum locorum coniunctivum admittit: quo posito fieri non posset, quin, quae nunc permanere significantur, fluxa et transeuntia intelligenda essent, ut illud Il. *ε.* 161. *ὡς δὲ λέων ἐν βουσὶ θορὼν ἐξ αὐχένα ἄξῃ πόρτιος ἠὲ βοός.* Quorum similia ingenti numero afferri possent: sed satis habeo adnotasse, indicativum futuri, qui ex huiusmodi exemplis saepius a Wolfio eiectus est, nondum, ut oportebat, cessisse coniunctivo Il. *β.* 147. 395. (ubi non debebat Th. p. 177. *ὅτ' ἐκίνησεν* obtrudere) *κ.* 183. Od. *ε.* 368. Iam vero existimari poterit, quid sentiendum sit de his locis: Il. *λ.* 492. *ὡς δ' ὁπότε πλήθων ποταμὸς πεδίονδε κάτεισιν χειμάρροος κατ' ὄρεσφιν, ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρῳ.* Zenodotus, cuius plurimae feruntur pravae correctiones, *πεδίονδε δίηται* scribebat. Id arripiens Th. p. 199. dum mire laborat, ut insolentem huius verbi usum aliquo modo defendat, quid aliud quam facit, ut iam torrentem non iugi perpetuoque cursu ferri, sed, leporis instar, simul et venire et evasisse videamus? Non multum differt illud *ρ.* 263. *ὡς δ' ὅτ' ἐπὶ προχοῇσι δυσπετέος ποταμοῖο βέβρυχε*

μίγα κῦμα ποτὶ ῥόον, ἀμφὶ δέ τ' ἄκραι ἠιόνες βοόωσιν, [IX] ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω. Hic Th. p. 20. βεβρύχῃ legi iubens cum Aristarcho, hunc festinans auctorem nominavit lectionis, quae Aristophanis erat. Aristarchus enim, opinor, intelligebat, βέβρυχεν dictum oportere, ut de re, quae non interdum, sed perpetuo fieret. Coniunctivo usus est poëta in simili loco, ξ. 16. ὡς δ' ὅτε ποφρύρῃ πέλαγος μέγα κύματι κωφῷ, θσσόμενον λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα: hoc enim non fit semper. Sed non est praetereundum aliud genus comparationum, quod etsi commemorationem continet rei transeuntis, tamen iure ad illas refertur, quibus permanens status describitur. Nam quum quis quid potest facere, id si facit, factum est singulare; quum [x] autem non potest, is perpetuus est et permanens status: omninoque negativae sententiae non ubique eamdem, quam affirmativae, rationem habent. Ita in his locis: σ. 161. ὡς δ' ἀπὸ σώματος οὔτι λέοντ' αἴθωνα δύνανται ποιμένες ἄγραυλοι μέγα πεινάοντα δίεσθαι. χ. 199. ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν, οὔτ' ἄρ' ὁ τὸν δύναται ὑποφεύγειν, οὔθ' ὁ διώκειν.

Venio ad tertium genus, quod est eorum, quae solent fieri. Hoc quoque indicativum postulat. Iliad. β. 87. ἠΰτε ἔθνεα εἶσι μελισσάων ἀδινάων. Ita cum eadem particula γ. 3. cum ὡς ε. 499. ι. 4. π. 765. φ. 22. Od. τ. 205. υ. 14. cum ὥςτε δ. 433. μ. 278. ν. 703. π. 633. ρ. 755. Od. ν. 81. cum ὡς ὅτε Il. β. 210. μ. 451. π. 364. σ. 219. χ. 162. ψ. 692. Od. ν. 31. cum οἷος Il. ζ. 146. λ. 62. Od. σ. 193. τ. 233. cum ὅσσος Il. β. 468. ο. 358. π. 589. ψ. 431. 517. ω. 317. Od. ϑ. 124. cum ἅτε Il. χ. 127. Sed quoniam, quae solent fieri, etiam ut semel facta narrari possunt, unde aoristi frequens usus hac in re est, non est mirum, si pleraque huius generis exempla etiam coniunctivum admittunt: quare ambiguum esse nonnumquam potest, uter modus usurpatus fuerit, v. c. Il. β. 210. ὡς ὅτε κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης αἰγιαλῷ μεγάλῳ βρέμεται. Sed cur ad coniunctivum confugiamus, ubi nihil in indicativo vitii est? Nam si quis ὡς ὅτε cum indicativo praesentis construi neget, ei satis iam supra responsum arbitramur. Et respondebitur iterum infra. Quae quum ita sint, tantum abest, ut Thierschium probem, qui p. 19, sqq. Il. π. 384. τ. 357. φ. 12. Od. ε. 433. μ. 253. ω. 7. coniunctivos reponi iubet, ut etiam ubi libri hunc modum offerunt, ut Il. δ. 131. non sine dubitatione recipiendum putem. At non omnes indicativi tam facile removeri possunt. Quare alias quoque vias tentandas duxit Th. Il. ψ. 759. ἔπι δ' ὦρνυτο δῖος Ὀδυσσεύς, ἄγχι μάλ', ὡς ὅτε

[x] *τίς τε γυναικὸς ἐϋζώνοιο στήθεός ἐστι κανόϊν, ὅν τ' ἐν μάλα χειρὶ τανύσσῃ, πηνίον ἐξέλκουσα παρὲκ μίτον, ἀγχόθι δ' ἴσχει στήθεος.* Quis credat, haerere quemquam in his potuisse? Nam quemadmodum *τανύσσῃ*, ut in singulari [xi] facto, dici debebat, ita, quum, quid soleret fieri, indicandum esset, *ἔστι* dictum oportebat. At Th. *ὅτε* non posse cum indicativo praesentis construi ratus, *ἔστι* p. 22. mutat in *ἄγχι*, ut ad *ὡς ὅτε* verbum *ὦρνυτο* mente repetatur, cuius repetitionis quae quatuor exempla affert, iis etiam si adiecisset hosce sex alios locos, Il. *ν.* 471. 571. *π.* 406. Od. *ε.* 281. *λ.* 368. *τ.* 494. nihil tamen omnes probarent, quia in omnibus idem verbum, quod adiectum est, etiam in comparatione apte poni potuit: quod in hoc loco, cuius caussa illos attulit, non est: quare horum nullus, sed Il. *ψ.* 712. afferri debebat. Sed potuissent tamen isti loci certe hanc utilitatem habere, ut ne in epim. p. 206. Pindarum Th. reprehenderet. Sed si posthac, ut speramus, illud *ἐστὶ* immotum manebit, multo magis manebunt haec, Il. *δ.* 422. *ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυήχεϊ κῦμα θαλάσσης ὄρνυτ' ἐπασσύτερον.* *Θ.* 555. *ὡς δ' ὅτ' ἐν οὐρανῷ ἄστρα φαεινὴν ἀμφὶ σελήνην φαίνετ' ἀριπρεπέα.* Nam quum imperfectum his in locis infert Th. p. 6. non cogitavit, id quod supra iam ostendimus, imperfectum prorsus a comparationibus alienum esse. Neque id diligentem Homeri lectorem fugere potest. Illud enim non vereor, ne quis *ἦεν* Il. *ο.* 254. *ϙ.* 493. vel *ἔπεφνε* *π.* 487. *ω.* 759. vel *ἐπέχραεν* et *ἔχραεν* *π.* 352. Od. *ε.* 396. ut imperfecta afferat, vel *πίπτον* ex vitiosa interpunctione Il. *μ.* 156. tueatur. Unum proferri poterit *ἐσσεύοντο* Il. *λ.* 549. *ο.* 272. sed Aristarchus, ut in posteriore loco, ita sine dubio etiam in priore legebat *ἐσσεύαντο*. Non autem sic nomino Aristarchum, ut qui quemcumque vel obscurissimum grammaticum, vel recentissimum cod., si suae alicui opinioni faveat, auctorem testemque afferunt. Tam enim vir ille admirabili fuit ingenio, ut vix putem ad illustrandam Homeri dictionem, quod recte acuteque animadversum sit, afferri posse, quin illi cognitum perspectumque fuerit: ut haud sciam, an perinde habendum sit, Homerum atque Aristarchum intelligere. Redeo ad indicativum praesentis. Et abunde iam demonstratum est, eum recte cum particulis *οἷς ὅτε* construi. Quod si *ἂν*, [xii] ut et ab nobis alibi dictum est, et a Th. p. 186. concessum, nihil ad verbi modum pertinet, non opus erit, quod ille vult p. 187. Il. *μ.* 41. *ὡς δ' ὅτ' ἂν ἔν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρευτῇσιν κάπριος ἠὲ λέων στρέφεται,* de coniunctivo cogitare, aut Od. *κ.* 410. *ὡς δ' ὅτ' ἂν ἄγραυλοι*

όριες περὶ βοῦς ἀγελάίας, ἐλθούσας ἐς κόπρον, ἐπὴν [XII] *ροτάνης κορέσωνται, πᾶσαι ἅμα σκαίρουσιν ἐναντίαι,* bration em utare abrumpi: quamquam si quis pertinacius contendat, non magnopere repugnabimus.

Dictum est supra, quae soleant fieri, per indicativum designanda esse. Quod quoniam tale est, ut quasi ratiocinatione quadam contineatur: nominatur enim, non secus atque in aoristo, unum factum pro pluribus: facile intelligitur, hanc totam rationem non aliter veram esse, nisi si etiam unum et singulare factum per indicativum significari possit. Neque vero, opinor, reperietur, qui hoc negatum eat. Quare etsi plerumque in singularibus factis coniunctivum deprehendimus, tamen feremus etiam indicativum. Il. *β.* 455. *ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην οὔρεος ἐν κορυφῇς, ἔκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή.* *φ.* 573. *ἠΰτε πόρδαλις εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο ἀνδρὸς θηρητῆρος ἐναντίον.* *δ.* 452. *ὡς δ' ὅτε χείμαῤῥοι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες εἰς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄβριμον ὕδωρ.* Ita cum particula *ὡς* *υ.* 490. *ψ.* 222. Od. *π.* 17. cum *ὥςτε* Il. *μ.* 421. *ο.* 410. cum *οἷος ρ.* 53. Eodem referri potest illud *φ.* 522. *ὡς δ' ὅτε καπνὸς ἰὼν εἰς οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει ἄστεος αἰθομένοιο,* ubi tamen si quis cum Th. p. 20. alteram lectionem *ἵκηται,* quae in simillimo versu *σ.* 207. est, praeferat, non repuguabo, modo ne id propter particulam *ὅτε,* sed ob aliam caussam, de qua hic dicere nihil attinet, faciat.

Quae quum ita sint, sic statuemus, in comparatione a singulari facto petita et indicativo et coniunctivo locum esse, sed indicativo rem simpliciter, tamquam quae fiat, describi, coniunctivo autem ita fieri, quando fiat, significari. Et coniunctivo sane saepissime utitur Homerus. Locos, in quibus hic modus cum particulis *ὡς ὅτε* sic iungatur, ut neque vitiosa lectione obscuratus sit, neque correptam vocalem habeat, Th. p. 19. numerat [XIII] septem et viginti, in quibus est Il. *ο.* 80. *ὡς δ' ὅτ' ἂν αἰξῃ νόος ἀνέρος,* ubi cur vulgatam *ἀναΐξῃ,* iure nuper expulsam, revocari velit, non assequor. Sed omnino festinantius haec omnia videtur scripsisse. Ita quem ex Od. *φ.* 347. affert locum, non in Od., sed in Il. legitur, quem autem ex Od. *ψ.* 233. profert, in eo non *ὡς ὅτε,* sed *ὡς ὅτ' ἂν* est; nec septem et viginti sunt huius generis loci, sed paullo plures: addi enim poterant Il. *δ.* 141. *λ.* 292. *ο.* 624. *υ.* 495. *φ.* 257. Od. *ι.* 391. Porro coniunctivus iungitur particulis *ὡς ὁπότε,* et saepe nudis *ὡς* et *ὥςτε,* quin etiam particulae *ἠΰτε* Il. *ρ.* 547. ubi non debebat Th. p. 203. lectionem suspectam habere. Sic enim etiam Apollonius I. 1049. ac satis ex his, quae hactenus dispu-

[XIII] tavimus, apparet, modum verbi ex loci potius natura, quam ex particula pendere. Hinc supra pronomina *οἷος* et *ὅσος* commemoravi, ubi de indicativo agebatur. Quod ne imperitior aliquis cur fecerim, miretur, non abs re fuerit adiicere, posse illa pronomina etiam coniunctivo iungi, ut factum ab Hom. Od. *ε*. 249. et Apoll. III. 876.

Videamus denique paucis de optativo. Nam quum non repuguet, comparari quid cum eo, quod non est quidem, sed esset, si casus ita ferret: apertum est, si tali quis comparatione utatur, ei adhibendum esse optativum. Od. *ι*. 383. *ἐγὼ δ' ἐφύπερθεν ἀερθεὶς δίνεον, οἷς ὅτε τις τρυπᾷ δόρυ νηΐον ἀνὴρ τρυπάνῳ.* Th. p. 22. neminem laturum hoc vitium putat, nisi qui omnia licita esse sibi persuaserit. Immo vero qui mutatam volet optimam lectionem, omnia sibi licere credat necesse est. Nam cur mutetur? An quia *ὅτε* cum optativo iungi nequeat? At saepe iungitur. An quia non in comparatione? Sic certe p. 20. existimare videtur Th. Quid vero, solisne exemplis, quid Graecum sit, quid non, efficiatur? Hoc mihi simile videtur, ut si quis linguam, quam nesciat, scire se dicat, si lexicon secum portet: quem rectius manu, quam mente tenere linguam dixeris: nam quod in scripto non habet, habet nusquam. Absit tam excors anxietas, ut, quod [XIV] necesse est dici posse, negemus posse dici, nisi exemplorum copia adsit. Et quaero, quot exemplis opus sit. Nam unum si est, corrigi video: video vero etiam corrigi, si plurima. Interea, donec, ut in testamentis condendis, lege constitutum fuerit, quot testes requirantur, ego uni fidem habebo. Nam quidni dici possit, *ut si quis carinam terebraret?* qua forma poëta propterea utitur, quia in mente habet, *ita Cyclopis oculum torquebamus, tamquam si trabem terebraremus.* Non semel autem, etsi aliis cum particulis, illa forma usus est. Il. *β*. 780. *οἱ δ' ἄρ' ἴσαν, ὡς εἴ τε πυρὶ χθὼν πᾶσα νέμοιτο.* *λ*. 389. *οὐκ ἀλέγω, ὡς εἴ με γυνὴ βάλοι ἢ πάϊς ἄφρων.* *χ*. 410. *τῷ δέ μάλιστ' ἄρ' ἔην ἐναλίγκιον, ὡς εἰ ἅπασα Ἴλιος ὀφρυόεσσα πυρὶ σμύχοιτο κατ' ἄκρης.* Od. *ι*. 313. *αὐτὰρ ἔπειτα ἀψ ἐπέθηκ', ὡς εἴ τε φαρέτρῃ πῶμ' ἐπιθείη.* *κ*. 415. *δόκησε δ' ἄρα σφίσι θυμὸς ὥς ἔμεν, ὡς εἰ πατρίδ' ἱκοίατο.* 419. *ὡς ἐχάρημεν, ὡς εἴ τ' εἰς Ἰθάκην ἀφικοίμεθα.* *ρ*. 366. *πάντοσε χεῖρ' ὀρέγων, ὡς εἰ πτωχὸς πάλαι εἴη.*

Possem hic finem facere. Sed addam tamen alias quasdam observationes de modis verborum in comparationibus. Ac primo Th. *ὅτε* cum indicativo praesentis construi negans, etiam eos locos tentavit, in quibus haec particula non praecedente *ὡς* in comparationibus inveniatur.

Il. β. 471. *ἠΰτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλά, αἵ τε* [XIV] *κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκουσιν ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει.* π. 641. *ὡς ὅτε μυῖαι σταθμῷ ἔνι βρομέωσι περιγλαγέας κατὰ πέλλας, ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει.* Od. χ. 299. *βόες ὡς ἀγελαῖαι, τὰς μέν τ' αἰόλος οἶστρος ἐφορμηθεὶς ἐδόνησεν, ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τ' ἤματα μακρὰ πέλονται*: cum quo loco hunc comparat σ. 366. *εἰ γὰρ νῶϊν ἔρις ἔργοιο γένοιτο ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τ' ἤματα μακρὰ πέλονται.* Il. π. 384. *ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθὼν ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεύς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ, οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας, ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.* Omisit ν. 334. *ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ λιγέων ἀνέμων σπέρχωσιν ἄελλαι ἤματι τῷ, ὅτε τε πλείστη κόνις ἀμφὶ κελεύθους, οἵτ' ἄμυδις κονίης μεγάλην ἰστᾶσιν ὀμίχλην*, credo, quod etiam coniunctivus subintelligi posset. Neglexit ψ. 598. *ὡς εἴ* [XV] *τε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση λήϊον ἀλδήσκοντος, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι.* In his igitur locis, quos attulit, omnibus p. 17. sqq. audacter coniunctivum reponi vult. Quod ego iudicium vehementer miror, tum propter usum Homeri, tum propter rationem grammaticam. Nam Homerum quidem quis nescit multa talia addere generatim, rei accuratius describendae caussa: quae ob id ipsum, quod generatim dicuntur, per indicativum adiicienda sunt: et ita semper fit: veluti Il. ι. 440. *νήπιον, οὔπω εἰδὸθ' ὁμοίου πολέμοιο, οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσιν.* Deinde vero in illis locis, qui allati sunt, ne propter sensum quidem ubique coniunctivus reponi potest. Possit ille ferri in his, in quibus est, *ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι*, si non universe intelligantur de eo, quod in vere, in auctumno, in segete fieri soleat; sed si de muscis tum vasa obsidentibus, quum fuerint madefacta lacte; de turbine tum oriente, si quando largos imbres fundat Iupiter; de rore tum spicis adhaerente, si quando segete horreant campi. Plane vero abhorret coniunctivus ab reliquis. Nam, ut hoc utar, quid longi dies ad oestrum? aut quis Latine dicentem ferat, oestro boves agitari verno tempore, quum fuerint longi dies, nec videat dicendum esse, *quum sunt longi?* In altero autem loco, in quo eadem verba sunt, sensum quidem praeberet coniunctivus, sed alienum ab loci istius natura. Nunc enim Ulysses, indicativo usus, hoc dicit, si sibi certandum cum Eurymacho sit opere faciundo veris tempore, quo longi sunt dies, diuque manere in opere licet, victorem se esse futurum. Quod si coniunctivo usus esset, hoc diceret: *si certandum nobis sit tempore verno, quum dies longi*

[XIV] *fuerint, vincam ego:* quo videretur Eurymachum in proximum ver ad certamen provocare. Quod si his in locis falsus foret coniunctivus, in reliquis autem mori poëtae contrarius, posthac immotos spero indicativos mansuros esse.

Quae modo de particula ὅτε, supra autem de iis particulis et pronominibus, quibus ad similitudinem indicandam utitur Homerus, dicta sunt, eadem omnia dicta [XVI] volo de pronominibus ὅς et ὅς τε. Nam haec quoque tetigit Th., qui in primo illorum, de quibus modo disputatum est, locorum, p. 17. legi vult, *αἵτε κατὰ σταθμὸν ποιμνήϊον ἠλάσκωσιν*, similemque mutationem etiam aliis in locis se facturum significat. At rectissime positus est indicativus, ut quo solere ita fieri indicetur. Nam ubi de re certa vereque exstante, vel de ea, quae solet fieri, vel de permanente statu sermo est, necessarius, ut ubique, ita etiam in pronominis usu indicativus est. Ubi autem de singulari facto agitur, coniunctivo locus est, nec tamen, ut excludatur indicativus, nisi si admissus rem ambiguam reddat. Il. ψ. 517. *ὅσσον δὲ τροχοῦ ἵππος ἀφίσταται, ὅς ῥά τ' ἄνακτα ἔλκησιν πεδίοιο τιταινόμενος σὺν ὄχεσφιν.* Licuisset hic etiam indicativo uti, quo res ut praesens describeretur. Sed π. 259. *αὐτίκα δὲ σφήκεσσιν ἐοικότες ἐξεχέοντο εἰνοδίοις, οὓς παῖδες ἐριδμαίνουσιν ἔθοντες*, si indicativo usus esset, ambiguum foret, utrum solere vespas a pueris irritari, an, quae eius mens erat, vespas, si quando irritatae essent, proruentes describere voluisset. Sed clarius apparebit hoc discrimen ex locis, in quibus uterque modus coniunctus est, ut Il. γ. 60. *αἰεί τοι κραδίη πέλεκυς ὡς ἐστὶν ἀτειρής, ὅς τ' εἶσιν διὰ δουρὸς ὑπ' ἀνέρος, ὅς ῥά τε τέχνῃ νήϊον ἐκτάμνῃσιν.* Non recte enim legitur *ἐκτάμνησιν*. Animum dicit durum esse, ut securim. Durities ergo proprium in securi est et permanens: quod quum lignis rumpendis cernatur, indicativo id exprimit: sed etsi semper adest illa in securi durities, at non apparet, nisi quum quis ea aliquid caedit: hinc per coniunctivum addit, *qui arborem caedat.* Quod si pluribus verbis ista eloqui voles, dicendum erit, animum durum esse, ut securim, cuius hoc proprium sit, lignum perrumpere, si quis ea ad caedendum utatur. Satis esse arbitror, haec uno in exemplo ostendisse. Plura qui requiret, ὅς τε cum indicativo in re certa et vera positum inveniet Il. ε. 5. ι. 5. λ. 270. ρ. 674. χ. 27. 29. de eo quod solet autem γ. 151. 198. ε. 525. η. 209. 257. ν. 102. 336. ξ. 399. π. 157. ϱ. 21. 571. 757. υ. 253. τ. 521. ila denique, ut nihil nisi rei natura describatur λ. 298. 550. μ. 146. 434.

a day ago, yes, — just now, a very few days ago, — the Grand Duke Constantine Nicolaievitch, the Emperor's brother, was in Paris, and he was received by the Emperor Napoleon. Now, I ask you, what is the meaning of this? Is it not a sign that the Emperor Napoleon is not afraid of the Emperor Alexander, and that he is not afraid of the Russian army

[XVIII] *σεῦ κλέος οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει, ὥστέ τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅς τε θεουδὴς ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων, εὐδικίας ἀνέχῃσι· φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα πυροὺς καὶ κριθάς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ, τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς, ἐξ εὐηγεσίης· ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ.* Quae si verae sunt lectiones, Ibycum ipsum, non Homerum, hos versus fecisse credas. Vulgo *ἀνέχῃσι, φέρῃσι, βρίθῃσι,* et sic etiam ap. Plat. II. de rep. p. 363. B. ubi tamen ex cod. affertur *βρίθουσι.* Deinde *τίκτῃ* quoque et *παρέχῃ* ap. Plat. est, nisi quod Bas. sec. *τίκτει*: *τίκτῃ* etiam Homeri cod. Harl. ex emendatione, et Vindob. 50. *παρέχῃ.* Et *ἀνέχῃσι* quidem coniunctivus omnino probandus. Quamquam enim hic indicativo videri possit locus esse, ut in descriptione regis boni, nec sermo sit de facto aliquo, sed de permanente conditione, tamen, quia non describitur rex, qualis unusquisque est, sed si quis talis sit, ut iustitiam colat, recte poni coniunctivum apparet. Quae autem sequuntur, si de more per indicativum adiecta essent, *φέρει δέ τε* dedisset, opinor, poëta, et deinde *βρίθουσι, τίκτει, παρέχει.* Nunc, si genuina sunt *φέρῃσι* et *βρίθῃσι,* coniunctivi sint necesse est, ut credibile sit, etiam *τίκτῃ* et *παρέχῃ* esse genuina. Nam quod Th. p. 185. dicit, coniunctivum semel tantum ultra particulam *δὲ* extendi, Il. *ρ.* 520. sqq. non est verum. Nam etiam Od. *ξ.* 65. habemus, *ὅς οἱ πολλὰ κάμῃσι, θεὸς δ' ἔπι ἔργον ἀέξῃ.* Eodemque referri poterit Il. *κ.* 360. *ὡς δ' ὅτε καρχαρόδοντε δύω κύνε, εἰδότε θήρης, ἢ κεμάδ' ἠὲ λαγωὸν ἐπείγετον ἐμμενὲς αἰεί χῶρον ἀν' ὑλήενθ'· ὁ δέ τε προθέῃσι μεμηκώς.* Quamquam dubitare me fateor, an etiam post indicativum [XIX] inferri coniunctivus possit. Certe in Il. *ν.* 703. *ἀλλ' ὥστ' ἐν νειῷ βόε οἴνοπε πηκτὸν ἄροτρον ἶσον θυμὸν ἔχοντε τιταίνετον· ἀμφὶ δ' ἄρα σφὶν πρυμνοῖσιν κεράεσσι πολὺς ἀνακηκίει ἵδρως· τὼ μέν τε ζυγὸν οἷον ἐΰξοον ἀμφὶς ἐέργει, ἱεμένω κατὰ ὦλκα· τεμεῖ δέ τε τέλσον ἀρούρης,* ubi nec *τεμεῖ* nec *τέμνει* ferri potest; ex scholiastarum adnotationibus colligas fuisse, qui *τεμῇ* legerent, is ut esset coniunctivus aoristi secundi passivi: quam opinionem priusquam quis ut absurdam reiiciat, reputet velim, quae pro ea dici possint. Alia modi mutatio est in his Il. *o.* 80. *οἷς δ' ὅτ' ἄν ἀΐξῃ νόος ἀνέρος, ὅς τ' ἐπὶ πολλὴν γαῖαν ἐληλουθὼς, φρεσὶ πευκαλίμῃσι νοήσῃ, ἔνθ' ἧην* (hoc vulgatae *εἴην* praeferendum videtur) *ἢ ἔνθα· μενοινήσειέ τε πολλά.* Wolfius ex Aristarchi sententia edidit *μενοινήῃσι*: sed quum haec aperte correctio sit, eo ipso efficitur, ut a poeta optativum profectum credamus, qui habet idoneam rationem, si sic intelligas, *ut subito transsilit mens viri, qui multis itine-*

ribus exercitus cogitet, hic fui vel illic: possitque [XIX] *multa cogitare.*

Sed semel mota quaestione de mutatione modorum non potest regula praetermitti, quam Th. p. 185. protulit, post particulam *δὲ* novam institui structuram posse, non etiam post *τέ*. Unde ille *β*. 149. ex cod. Townl. *ἐπί τ' ἤμυ'* (ita vqlebat) *ἀσταχύεσσιν*, *θ*. 340. *ἑλισσόμενον δὲ δοκεύει*, *λ*. 156. *πάντῃ δ'*, et p. 20. Od. *ω*. 8. *ἔχωνται*, quoniam paullo ante *ποτέωνται* ei placebat, scribendum censet. At longe alia est ratio, qua harum usus particularum in comparationibus continetur. Etenim *τέ*, sive idem, sive alius sequitur verbi modus, hunc usum praestat, ut partes comparationis coniungat eas, quae nullam inter se oppositionem continent, sed tantum alia alii accedunt. Il. *γ*. 33. *ὡς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλίορσος ἀπέστη οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὕπο τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα, ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὠχρός τέ μιν εἶλε παρειάς.* *Δὲ* autem vel oppositioni inservit, ut *ε*. 136. *ὥστε λέοντας, ὅν ῥά τε ποιμὴν ἀγρῷ ἐπ' εἰροπόκοις οἰέσσιν χραύσῃ μέν τ' αὐλῆς ὑπεράλμενον, οὐδὲ δαμάσσῃ· τοῦ μέν τε σθένος ὦρσεν, ἔπειτα δέ τ' οὐ προσαμύνει, ἀλλὰ κατὰ σταθμοὺς δύεται, τὰ δ' ἐρῆμα φοβεῖται.* *π*. 299. *ὡς δ' ὅτ' ἀφ' ὑψηλῆς κορυφῆς ὄρεος μεγάλοιο κινήσῃ πυπινὴν νεφέλην* [XX] *στεροπηγερέτα Ζεύς· ἔκ τ' ἔφανεν πᾶσαι σκοπιαὶ καὶ πρώονες ἄκροι, καὶ νάπαι· οὐρανόθεν δ' ἄρ' ὑπερρήγη ἄσπετος αἰθήρ.* Vel ad declarationem praecedentium adhibetur, ut *β*. 455. *ἠΰτε πῦρ αἰθηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην οὔρεος ἐν κορυφῇς· ἔκαθεν δέ τε φαίνεται αὐγή.* *δ*. 75. *οἷον δ' ἀστέρα ἧκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω, ἢ ναύτῃσι τέρας, ἠὲ στρατῷ εὐρέϊ λαῶν, λαμπρόν· τοῦ δέ τε πολλοὶ ἀπὸ σπινθῆρες ἵενται.* 275. *ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδεν νέφος αἰπόλος ἀνὴρ ἐρχόμενον κατὰ πόντον ὑπὸ Ζεφύροιο ἰωῆς· τῷ δέ τ' ἄνευθεν ἐόντι μελάντερον ἠΰτε πίσσα φαίνετ' ἰὸν κατὰ πόντον· ἄγει δέ τε λαίλαπα πολλήν· ῥίγησέν τε ἰδών, ὑπὸ τε σπέος ἤλασε μῆλα.* Sed quid exempla in huiusmodi re congeram, quum praesertim verendum sit, ne vel sic multa attulerim, quae diligentem Homeri lectorem non lateant. Non poenitebit me tamen haec attigisse, si illud effecero, ut ne quis iusto calidius de hoc genere pronunciet. Quod si hic illic, ut mihi videtur, factum est a Thierschio, non sum nescius, accidisse id obruto distractoque magna negotiorum et multitudine et varietate, ut qui saluberrimum susceperit opus instaurandi in Bavaria strenui antiquarum litterarum studii: quod opus successus habere felicissimos, egregiamque iuventutem navi et industrii ducis solertia efflorescere, satis Acta illa testantur Monacensia.

XXXV.

Dan. Wyttenbachii Oratio de coniunctione Philosophiae cum Elegantioribus Litteris. *)

Habita Amstelaedami in aede sacra Remonstrantium, cum in eorum Schola Philosophiae Professionem auspicaretur, a. d. 19. Novembris an. 1771.

Cum ex eo tempore, quo ad humanitatis studia animum appuli, hoc semper a Deo O. M. precatus essem, primum ut aliquid proficerem, deinde si quid profecissem, hoc non solus mecum tacitusque perfruerer, sed quam suavitatem ipse percepissem, eandem etiam cum aliis possem communicare, facit me compotem huius voti hodiernus dies. Cum enim a Vobis, VV. S. VV., quorum iudicium magni facere debeo, et lubens semper faciam: cum igitur a Vobis et dignus iudicatus essem, qui in Vestra schola docendi munere fungerer, et ad idem humanissime vocarer, agnovi tandem Diuinae Providentiae vestigia, quae mihi munus offerret, quod cum ad suavitatem fructuosum, tum ad laudes honorificum, tum vero tale esset, quod meis votis ab omni parte responderet. Sed in hac tanta laetandi copia duplex me angit sollicitudo, instantis rei timor et futurae metus. Hunc mihi Vestri de me iudicii benevolentia iniicit, cuius onus sustinere, atque praestare ut ei satis respondere videar, intelligo profecto quam sit difficile. Verum in hoc quidem et ipse tantum efficere conabor, quantum consilio atque industria effici potest, et Deum immortalem mihi spero futurum adiutorem. Sed timorem etiam concipio, qui quo praesentior eo gravior est. Nam et Vestra frequentia, HH. AA., Vestrique oculi me movent, hominem non solum dicendi rudem, verum etiam nunc primum publice dicentem: et huc accedit, quod vereor, ne sint quibus non satis fausto omine mei muneris auspicia capere videar, nisi orationem afferam, quae et ingeniose excogitata et magno elegantiae cultu exornata sit. Ego vero me, primum quidem, huius artis ignarum profiteor; deinde argumentum, de quo dicerem, elegi vulgare atque e medio desumtum, sed et rei praesenti in primis accommodatum, et tam late patens, tam sua ubertate utilitateque diffusum, ut, si iustis laudibus exornari debeat, dicendi genere opus sit eximio quodam ac paene diuino. Dicam enim *de Philosophiae cum elegantioribus litteris coniunctione.* Quare si minus erudite minusque eleganter dixero quam vel

*) *Dan. Wyttenbachii* opuscc. varii arg., T. I. p. 91—130.

pro Vestris ingeniis vel rei ipsius gravitate, hoc a Vobis peto, ut oratoris quidem a me officium et praestantiam ne exigatis, sed mediocritatem et infantiam meam aequi bonique consulatis.

Ac Philosophia quidem, quae recte ab antiquis rerum divinarum et humanarum scientia definita est, et ipsarum rerum, quarum scientiam pollicetur, magnificentia, et utilitatis abundantia reliquis omnibus doctrinis adeo praestat, ut maior neque esse neque cogitatione effingi possit. Haec enim, cum et nos ipsos, et huius universi naturam, et omnium rerum auctorem Deum cognoscere nos doceat, veritatis ac virtutis est magistra, errorum, superstitionum ac vitiorum expultrix, hominum ingenia ad inveniendum et diiudicandum verum acuit, denique res, quae cogitari possunt, singulas atque universas sua magnitudine complectitur, suaque vi pervagatur, ut sine eius subsidio in nulla disciplina magnopere quis proficere possit. Sed huic tam praeclarae doctrinae tantum abest ut suus semper habitus sit honos, ut potius nulla aetate defuerint, qui eam vexarent, deriderent, exagitarent. Cuius contemtus caussa in ipsam Philosophiam cadere profecto non potest. Nemo enim facile tam inhumanus ferreusque reperiatur, quin cognita eius praestantia, veluti divinitatis quodam splendore perculsus, eam ex animo veneretur summoque honore prosequatur. Verum ipsi, qui eam profitentur, hanc Philosophiae adsperserunt labem; qui cum in ea docenda commendandaque perversam sequerentur rationem, hominum error ad ipsam disciplinam traductus est, ac Philosophia, cum omnis felicitatis esset conciliatrix, nugarum somniorumque opifex dici haberique coepit.

Huius calamitatis veluti fontem si indagare velimus, a duplici hominum genere manasse videatur. Cum enim essent, qui se et Philosophos dici et imperito vulgo venditare cuperent, abstrusae reconditaeque scientiae speciem affectarunt, hac se iactarunt, et sanctissima Philosophiae sacraria opinionum inanitate, distinctionum futilitate, verborumque barbarie repleverunt atque conspurcaverunt. Sed hos quidem irato, quo nati sunt, Genio relinquamus! Alterum genus eorum est, qui cum animo quidem ad Philosophiam accederent meliore, errore tamen laberentur non minus gravi. Visi enim sibi sunt ad summum eius fastigium adscendere posse, si, omni omnino aliarum disciplinarum instrumento destituti, nil nisi contemplationis, ut vocabant, usum atque exercitium adferrent. Atqui Philosophia tam late patet, ut, qui eam mente comprehendere velit, is non intra humani ingenii augustias

subsistere, sed, quantum fieri possit, eius etiam limites velut transgredi et aliunde nova auxilia arcessere debeat. Deinde, ut omnes disciplinae quodam affinitatis continentur vinculo, neque altera alterius subsidio facile carere potest, eo magis aliarum disciplinarum adiumento habet opus Philosophia, quo res copia atque varietate plures ipsa complectitur.

Est profecto ita uti dixi, H. H. A. A., tanta est vis et maiestas Philosophiae, ut eius perfectam absolutamque scientiam mortalis naturae infirmitas capere omnino non possit, et recte antiqui dixisse videantur, unicum summum Philosophum esse Iovem. Neque tamen propterea homines desperatione debilitatos totum hoc studium abiicere par est; sed potius quidquid in nostro ingenio viget atque valet, quidquid in eo est reconditarum adhuc virium, id omne excitandum, acuendum, expromendum, ut naturae claustra perfringamus, et vel aliquam huius divinitatis partem assequamur. Itaque cum aliarum disciplinarum instrumento ingenii vis corroboranda est, tum, de quo dicere constituimus, elegantiorum litterarum studio.

Equidem non dubito fore, qui mirentur, duas res a nobis coniungi, quas communis error adeo disiunxit, ut vel in utrâque valere, vel eas ad mutua auxilia flectere, nemo quisquam posse videatur, et quo quis Graecarum Latinarumque litterarum rudior est, eo aptior ad Philosophiam habeatur. Sed nos non ita nostram mentem accipi velimus, ac si verbis Graecis et Latinis ea inesset vis, ut, quo quis maiorem eorum copiam memoria comprehenderit, eo maior etiam sit Philosophus; verum hoc dicimus, si quis antiquorum Philosophorum, Historicorum, Oratorum ac Poëtarum lectione ingenium subegerit atque excoluerit, eum ad suscipiendam assequendamque Philosophiam egregium sibi comparasse adiumentum. Atque hoc quidem primum experientiae testimoniis omni exceptione maioribus iam comprobabimus, deinde rationibus ex rei ipsius natura ductis evincemus.

Sive igitur nostram aetatem consideremus, sive antiquitatis memoriam repetamus ultimam, veram Philosophiam cum elegantiorum litterarum studio et stetisse et cecidisse reperiemus. Nam, ut a Graecis ordiar, primum apud ipsos Poësis floruit, cumque Philosophia paulatim subnasci coepisset, ipsa quoque non pedestri sermone sed carminibus illustrabatur. Neminem facile fugiant Solon, Simonides, Epicharmus, Empedocles, Parmenides, Critias, alii, qui simul et Philosophi et Poëtae exstiterunt. Sed eo tempore ipsa Philosophia arctis continebatur finibus,

aucos sui habebat studiosos, populoque cum esset su-
pecta, neque scholas aperire, neque nomen suum in pu-
licum profiteri audebat; et qui eius studium colebant, ii
: Sapientes, Sophistas aut Philosophos nominare non
istinebant, sed, ut nominis invidiam effugerent, musicam
actabant, et prae se ferebant, et in eius appellationis
onestate latebant. Sed ecce! ortus est Pericles, quem
nter magnos viros, quos Graecia multos tulit, fere ma-
imum iudicem; cui Athenae debent quod Athenae sint,
omnem ingenii atque elegantiae laudem acceptam re-
erunt; cuius et animi magnitudinem, et incredibilem in-
enii vim, et res gestas nulla unquam aetas satis admirari,
emo mortalium laudando aequare possit. Is igitur cum
naxagorae disciplina acerrimum, quem a natura nactus
rat, pulcri verique sensum acuisset, humanitatis studia
x Poëseos angustiis, quibus erant circumscripta, liberavit,
arum imperium dilatavit, et in omnes disciplinas, ac vi-
ae humanae partes induxit. Eloquentiam excoluit, ut
ose omnium iudicio summus habitus sit orator. Musicam
uxit atque expolivit. Urbem aedificiorum, statuarum et
icturarum exornavit magnificentia, et omnis generis spe-
taculorum exhilaravit festivitate. Omnium denique ha-
um artium summos accivit magistros, civium ingenia ad
ulcritudinis sensum iudiciumque assuefecit, elegantiam
d mores vitaeque consuetudinem traduxit ac popularem
flecit. Quo factum est, ut Athenae omnis humanitatis,
t urbanitatis mater, magistra atque sedes et esset et habe-
etur. Tunc vero in Philosophia quanta rerum facta est
ommutatio! Scilicet ea, cum hucusque ad paucorum ho-
inum notitiam fuisset adstricta, et rerum abditarum te-
ebris involuta, nunc ipsa quoque in lucem erumpere,
opularis fieri et ad hominum ingenia accommodari coepit.
Hinc orti primum Sophistae, qui de omnibus propositis
uaestionibus copiose et eleganter dissererent, eloquentiae
raecepta traderent, eiusmodique se sapientiae magistros
rofiterentur, quam si quis teneret, is in omni vitae ge-
ere excellere posset. Quod si praestitissent, quis est
ui eos de hominum genere egregie meritos esse neget?
Verum plerique eorum cum non sapientiae veritatem,
ed fictam speciem, traderent; venit, tamquam a coelo
emissus, Socrates, qui Sophistarum fas tum retudit atque
xagitavit, homines, qui se ad suam disciplinam applica-
ent, ab opinionis inanitate ad scientiae veritatem revo-
avit, admonuitque, ut se ipsos nosse discerent, ne ultra
umani ingenii vires sapere conarentur, et, si in aliqua
re profiecre vellent, periti esse potius quam videri stu-

derent. Ex huius disciplina, veluti ex sapientiae fonte, magnus effluxit discipulorum numerus, Xenophon, Plato, Aeschines, Antisthenes, Aristippus, Phaedon, Simmias, Cebes, aliique, qui, quantum doctrinae subtilitate, tantum disserendi valuerunt elegantia; ut eius artis ab omni aetate summi haberentur magistri Socratici. Ac Xenophon quidem ob orationis dulcedinem Attica apis dictus est. Platonem vero quis nescit tanto studio in Poësi, Oratoria, et omnis pulcritudinis disciplina versatum esse, ut fere proverbii loco ab hominibus diceretur, Deos, si humana voce loqui vellent, non nisi Platonis usuros fuisse sermone? Huius ingenii ubertas duas effecit Philosophorum scholas, Academiam et Lyceum, quae, cum placitis inter se discreparent, venustatis tamen studium commune sequebantur. Et Academiae adeo constans haec fuit laus, ut cum eius quis nomen diceret, elegantiae officinam diceret, et Academicus nec esset, nec haberetur, qui non idem elegans homo esset. Lycei vero conditor Aristoteles, motus Isocratis oratoris gloria, prudentiam cum eloquentia coniunxit, et tantum effecit, ut nemo distinctius politiusque scripsisse dicatur. Eius autem discipulus Theophrastus a divino dicendi genere nomen invenit. Hinc brevi Philosophia per omnes Graeciae partes diffusa florere coepit. Atqui cum constet, omnes hos Philosophos infinitam elegantiorum litterarum vim animo comprehendisse, et omni pulcritudinis studio ingenia excoluisse, nonne magno argumento e se debet, Philosophiam per elegantiae disciplinas crevisse, floruisse, hominibusque commendatam fuisse?

Transeamus ad Romanos, apud quos Philosophiae incrementa iisdem intervallis distincta videbimus. Etenim cum ab Urbe condita continuus belli armorumque strepitus Musis omnem praeclusisset aditum, primum Livius Andronicus fabulas docendo, post Naevius, Plautus et Ennius, Romanorum ingeniorum duritiem carminibus mollire, eaque ad hilaritatem traducere, atque adeo Philosophiae et viam munire et facem praeferre coeperunt. Quod clarissime eluxit, cum Atheniensium legati Carneades, Diogenes et Critolaus, trium Philosophiae scholarum principes, Romam venissent. Hi enim cum magna eloquentia suam caussam in Senatu perorassent, adeo cepit haec suavitas Romanos iuvenes, ut nobilissimus quisque maximo studio ad eos audiendos advolaret, et brevi tanta eorum scholae celebrarentur frequentia, ut metuens M. Porcius Cato, ne iuvenes paulatim a veteris disciplinae severitate desciscerent, auctor esset Senatui, ut Philoso-

hos honeste domum remitteret, et lege lata horum et ratorum scholas urbe prohiberet. Verum, sparsis semel n Romanorum ingenia his seminibus, generosos eorum mpetus reprimere haud potuit legis iniquitas. Quin Laelii et Scipionis auctoritate restitutus est suus Philo- ophiae honos; neque ab eo tempore repertus est facile Romanus quin alicui Philosophorum familiae nomen ope- amque daret. Mittamus alia, hoc unum observasse suf- iciat: omnes hos Philosophiae apud Romanos statores nstauratoresque elegantioribus litteris in primis deditos uisse. Quid de Laelio et Scipione, quos nominavimus, licam? Quid de Lucullo, Catone, Nigidio Figulo, Var- one, Bruto et Cicerone? Quin ii, qui se in Epicuri castra, in quibus elegantiae minus quam in ceteris tribue- batur, contulissent Romani, humaniorum litterarum stu- liosissimi fuerunt. Non est quod haec multis demon- strem; noti sunt Pisones, Papirii, Trebatii, Cassii, et superest adhuc Lucretii divinum carmen. Ac Attico qui- dem ipso hoc argumento persuadere conatur Cicero, eum Epicureum non esse, quod nimium elegantiae tribuat. Itaque, Amafanius aliique, qui disserendi genus sequeban- tur horridum et incultum, brevi explosi et a ceterorum venustate obruti sunt.

Veniamus ad nostram aetatem, quae exemplum nobis praebet, quo excogitari illustrius nullum omnino posse vi- detur. Cum enim iam fere ab eo tempore, quo barbarae gentes in Romanum invaserant imperium, extinctum esset doctrinarum lumen, hominumque ingenia ignorantiae, su- perstitionis et barbariei veluti servitute oppressa iacerent, nonne humaniorum literarum studio lux libertasque resti- tuta est? Signum ad eam rem primus extulit Dantes Alige- rius, primarius inter Italos Poëta, qui plurimas Platonicae doctrinae suavitates suis adspersit carminibus, hominesque ad elegantem ac popularem Philosophiam adducere studuit. Prodiit ex eius disciplina elegantissimi vir ingenii Franciscus Petrarcha, qui ut omnis venustatis doctrinas cognitas per- spectasque habebat, ita Philosophiam vitae morumque magistram pulcherrimo exornavit orationis genere. Ad huius imitationem cum se conferrent Ioannes Boccacius, Leonardus Brunus, Angelus Politianus, Philelphus, Pon- tanus, Graecas Latinasque litteras revocarunt, ruptum- que illud diu Musarum cum Philosophia vinculum re- stituerunt. Quod quidem clarissime in Laurentio Valla apparuit, qui maximo studio Philosophiam a sordibus purgavit, et veteris barbariei defensores salsissime exagi- tavit. Quo factum est, ut, capta a Turcis Constantinopoli,

Graeci, qui in Italiam confugerent, benigsissime exciperentur, aliique ad excolendas litteras acerrimo laudis stimulo excitarentur; quorum in primis Marsilius Ficinus, Iacobus Faber, Marius Nizolius, Ludovicus Vives, et divini ingenii infinitaeque eruditionis viri Petrus Bembus, Iacobus Sadoletus, Picus Mirandolanus, et Erasmus Rotterodamensis, felicissime veteris Graeciae Latiique praesidia ad emendandam Philosophiam adhibuerunt. Itaque inventa chalcographia, cum Platonis, Aristotelis, Ciceronis, similiumque libri in lucem ederentur, tanto et studio excepti, et fructu frequentati fuerunt, ut ad veram doctrinam sine eorum assidua lectione pervenire nemo quisquam posse crederetur. Hoc lumine homines, tamquam ex somno excitati, circumspicere, quid et ubi essent cognoscere, ac, veluti eos longi soporis poeniteret, omnibus viribus eniti, ut quantum priora secula ignorantiae tenebris immersa iacuissent, tantum ipsi ad cognitionis lucem emergerent. Tum vero contra antiquae Pontificiae superstitionis tyrannidem, quae hominum ingenia foedissima servitute constricta tenebat, eorumque animos veluti superne a coeli regionibus dira horrendaque facie terrebat; contra hanc igitur oculos attollere, eius fulminis murmura ridere, fabularumque nugacitatem explodere ausi sunt. Itaque Scholastica barbaries, qua veluti mimimento ista superstitio septa erat, eodem casu tremefacta concussaque est. Nam Scholastici, qui iam sibi solis Philosophiae vindicarant nomen, idque somniorum inanitate et verborum sordibus infame reddiderant, deiecti tandem sunt ab iniustissima possessione, et factum est, ut Philosophia suum nomen reciperet, neque amplius disputandi fallaciarum, sed bene cogitandi ac vivendi magistra haberetur. Et ab eo inde tempore hoc constans certissimaque experientia comprobavit, primum, quo quaevis gens plus tribuit studiis humanitatis, eo magis in ea verae Philosophiae floruisse rationem; deinde omnes eos viros, qui ad augendam emendandamque Philosophiam aliquid operae adtulerunt, et quos Eclecticos vocamus, quod nulli se Sectae in servitutem addicunt, sed ubique quod verum bonum pulchrumque sit eligunt: hos igitur omnes maximo studio elegantioribus litteris ingenia excoluisse reperiemus. Infinitum est singulos enumerare, primarios nominasse sufficiat. Gratissimum inter Reformatores Musis fuit nomen Melanchthon. Eandemque sibi vindicant laudem Ioachimus Camerarius et Conradus Gesnerus. Quid divinum Scaligeri ingenium, et Belgici nominis aeternum decus Hugonem Grotium dicam, quorum uterque de bonis litteris

et humanitate immortaliter meritus est? Quid Angliae sidus Baconem Verulamium? Quid Petrum Gassendum, virum omnis elegantiae et antiquitatis peritissimum, acerrimum Democriti et Epicuri defensorem? Vigent adhuc et omnium manibus teruntur scripta Montani, Vayerii, Huëtii. Neque defraudandus est sua laude Ioannes Clericus, vir ut in omni doctrinarum genere versatus, ita Philosophiae in primis peritus, et nostrae quondam Scholae singulare ornamentum. Possem et alios memorare, et veneranda nomina, Cartesium, Leibnitium ac Newtonum, qui omnes elegantioribus litteris, veluti iacto fundamento, Philosophiae aedificium superstruxerunt.

Cum igitur videamus, in tribus maximis iis post hominum memoriam ingenii humani commutationibus, apud Graecos, Romanos, et nostra aetate, ad expellendam barbariem restituendamque humanitatem elegantiores litteras primam machinam movisse, Philosophiae praeivisse, praeluxisse, ad hominum mentes aditum aperuisse, earumque studia a summis viris copulata fuisse; necesse profecto est in eam cogitationem incidamus, naturale esse quoddam vinculum quod eas connectat atque contineat. Hoc quale sit, age consideremus. Ac primo quidem hoc quivis statim videat, Philosophiam, cum suavitatem utilitatemque suam non ita in promptu sitam habeat, ut cuilibet primo obtutu in oculos incurrat, non nisi rerum, quas pollicetur, magnitudine amatores sibi comparare posse. Verum earum rerum fructus cum non ab initio appareat, sed superata demum magnarum tenebrarum difficultate percipi possit, eo fit ut quamplurimi, qui hoc taedium devorare nequeunt, absterriti aufugiant. Viderunt ergo antiquissimi sapientiae magistri, Philosophiae severitatem elegantia quadam mitigandam, ad eiusque studium homines dulcedine alliciendos, allectosque detinendos esse. Hinc primum orta est Poësis Philosophica; hinc postea omnes Philosophi, qui eleganter et copiose disserebant, plurimos nacti sunt sui studiosos, qui vero horridum et incultum sequebantur disputandi genus, mox in contemtum devenere explosique sunt. Neque mihi quis forte Stoicos et Epicureos obiiciat, quorum scholae magna hominum frequentia floruisse dicuntur, qui venustatis non admodum studiosi fuerunt. Nam Stoici quidem, cum per suam disciplinam aditum ad sapientiam patere dicerent, quam si quis teneret, idem beatus, dives, pulcher, rex esset; his iactandis promissis efficiebant, ut ad sua castra multi se conferrent. Epicurei eo quod eorum ratio hominum imbecillitati accommodata esse videretur, et

blandae voluptatis illecebris, plurimos ad se alliciebant. Sed praeterea, quantumvis hoc neglecti cultus vitium utrisque obiici posse non diffitear, hoc tamen de vulgari eorum turba solummodo valet; nam meliores quidem adeo non ab elegantiae studio remoti fuerunt, ut potius eo haud mediocriter exculti ornatique essent. Solum scribendi genus eorum non erat arte factum, aut leniter fluens, aut luminibus frequens, sed simplex, purum castumque, quale vel hodieque in fragmentis Zenonis, Chrysippi, et Epicuri conspicitur. Denique supersunt monumenta, quae utrique Scholae elegantiae laudem efficacissime vindicent, Stoicis Seneca, Epicureis cum alii, tum Lucretius, Lucianus, ac Celsus ille, contra quem scripsit Origenes. Sed non est profecto, quod horridae hispidaeque Philosophiae exempla in veterum nonnullis culpemus. Heu! nostra aetate quam sunt obvia, quam incurrunt in oculos! nostra aetate, quae feracissima fuit eorum hominum, qui se Philosophos dicerent, et, tamquam sapientiae involucro, disserendi barbarie atque obscuritate se involverent. Sed hi quidem cum aliquamdiu hominum studia tenuissent, eorum scilicet, qui quid pulchrum utileque esset nescirent, mox ab iniusta gloria depulsi sunt. Nimirum clarum apertumque est, Philosophiam, cum ipsa doctrinarum sit pulcherrima, non nisi naturali via, id est, pulchritudinis commendatione, in hominum ingenia se insinuare posse.

Sed elegantiores litterae Philosophiam non solum suavem et iucundam, verum etiam utilem et fructuosam generi humano reddunt. Quod ut clarum fiat, Philosophum nobis parumper animo et cogitatione fingamus. Primum igitur cum omnes res, quae Philosophiae subiectae sunt, ad tria universalia revocari possint capita, ad verum, bonum, et pulchrum, noscat haec tria genera. Quamquam ab innumeris iam annis usque ad nostram fere aetatem hic error invaluit, ut doctrina de pulchro potius ad aliam quamvis disciplinam, quam ad Philosophiam, pertinere putetur. At viderat iam Anaxagoras, esse universalem quandam notionem ac vim pulchritudinis, quae per totam rerum naturam adeo diffusa sit, ut in singulas minimasque res influat, eam diversam esse a bono, vero, ac perfecto, propriamque sibi ac definitam habere essentiam. Inde varia elegantiorum litterarum genera oriuntur: inde officii, virtutis, atque honestatis ratio nascitur, quam nisi aut totam, aut maiorem partem, ex hoc fonte derivet, nae is virtutem efficiat, quae parum isto nomine digna videatur. Ad hanc Anaxagorae descriptionem totam vitae rationem instituit Pericles, hanc

secutus est Plato, hanc Stoici, hanc omnes veteres, qui omnibus ingenii viribus in pulchritudinis veram notionem inquisiverunt; eaque deserta per longum tempus et relicta, tandem novissima hac aetate ab elegantibus quibusdam hominibus in Philosophiae gyrum redacta revocataque est. Primum igitur teneat Philosophus haec tria genera veri, boni, et pulchri, ut, ex omnibus rebus, quaenam ad eorum quodvis pertineat, notum perspectumque habeat. Deinde humani ingenii vires cognoscat, quomodo acui augerique possint, quinam omnis cognitionis sint et fontes et limites, qua via ad certitudinem, sive ad eam eius metam, ultra quam homo progredi nequit, perveniri possit. Denique in Divinae Naturae ac coelestium rerum consideratione versetur, quae ut omnium maximi momenti, sic naturale quoddam animorum pabulum, et plena honestissimae voluptatis est. Sed in ista contemplatione si subsistat Philosophus, sibi sapiens, aliis non sapiens erit. Unde iam Thaletis temporibus hoc Philosophiae vitio datum fuit, quae in coelo sunt eam cernere, cum vero mentis aciem ad res communes et in medio positas convertat, tum vero caecutire et vertigine corripi. Hoc ille, quem nos fingimus, non faciat. Cum enim duplex sit Philosophiae officium, alterum quod in contemplando, alterum quod in agendo consistit, turpe sibi ducet alterutrum desertum relinquere; a contemplatione ad actionem progredietur, ex umbra in solem prodibit, operamque dabit, ut sua bona cum aliis communicet. Hic se ad observandos hominum mores actionesque dabit, experientiam, certissimam rerum magistram, et eius vicariam, vitae lucem, historiam, in auxilium vocabit, conversionum mutationumque momenta nosse, ingeniorumque varios recessus indagare studebit, ut sciat qua ratione quaevis res efficiatur; et hominum animi ad quamcunque rem quomodo flecti, quomodo a vitiis deterreri, ad virtutemque impelli debeant. Tum vero videbit, subtilissimas illas de bono et malo demonstrationes ad commovendum perexiguam habere vim, et, quamvis certam, tamen non nisi levissimam, et quae animum non tangat, efficere persuasionem; contra omne momentum esse in exemplis, quorum vis tum vehementi motu ingenia percellit, tum iis leniter virtutis amorem instillat, et usu exercitioque firmum stabilemque reddit. Sic summus ille Pericles, cum ex Anaxagorae disciplina accuratissimam mentis humanae, veri, pulchri, et boni cognitionem hausisset, ingenii aciem, quam rerum reconditarum et intelligibilium consideratione exercuerat, ad res populares

communisque utilitatis tradixit, et a contemplatione ad civium suorum ingenia emendanda excolendaque transiit. Id vero quomodo adgressus est? An forte scholas aperuit, in quibus magistri praecepta subtiliter explicaret? Minime vero! Noverat enim hanc rationem austeriorem esse, quam ut universo populo placere posset; Poësin, Musicam, Comoediam, Tragoediam, Oratoriam, et omnis elegantiae studium induxit, ut Athenienses pulchri honestique sensu imbuerét, et penitus inficeret. Atque his suavitatibus tantum abest ut eorum animos enervarit debilesque reddiderit, ut potius ad maximas quasque res capessendas excitati impulsique fuerint. Itaque bello Peloponnesiaco, cum Athenae extra obsidione premerentur, intra gravissima fame ac peste laborarent, tanta prudentia animorum habenas tenuit et moderatus est, ut Athenienses potius famem, pestem, funera, caedes, incendiaque suorum, invicto et incredibili animi robore perferrent, quam vel parum a laudis et constantiae tramite recedere vellent. Nec vero Plato solum de Ideis disputavit; sed eam Philosophiae rationem, quae divinarum rerum amorem, humanarum contemtum adfert, Dialogorum suavitate commendavit, et elegantiarum floribus conspersit. Prodierunt ergo ex eius Schola non solum Philosophi, in quorum se disciplinam venustissimus quisque lubentissime daret; sed duo etiam nobilissimi iuvenes, qui patrias suas a tyrannorum dominatu liberarent, Chion Heracleënsis, et Dion Syracusanus. Et Chion quidem, cum occidisset patriae praedonem Clearchum, ipse quoque occubuit, generosissimique odii conatum sua morte sedavit. Dion vero, Platonis obtemperans consiliis, maxima fortuna Dionysium expulit Siciliamque liberavit. Neque Aristotelis Categorias aut Topica Alexandro ediscenda dedit; sed de virtute, de animi magnitudine, de republica gubernanda disserit; et exemplis, ex Poëtis omnique historia desumtis, eam rerum humilium despicientiam, cum magnarum excelsarumque amorem ei ingeneravit, quo totum terrarum orbem domuit, et litterarum humanitatisque lucem in remotissimas barbarorum diffudit gentes. Quare teneamus hoc, HH. AA., Philosophiae subtilem rerum intelligibilium cognitionem, veluti fundamentum, sine quo consistere nequeat, esse subiectum; sed ut nomen suum absolvat, ut humano generi ad virtutem, ad sapientiam, ad vitam denique beatam dux esse possit, ad hoc vero experientiae atque historiae luce opus esse, ne in vitae ratione caecutiat, sed ut ipsa, cum quibus agendum est, hominum ingenia noscat, neque

nudae veritatis austeritate deterreat, sed suavitate alliciat et retineat; cuius utriusque rei omne profecto momentum in elegantioribus litteris positum est.

At, dicat quis forte, fuerit ut ad suavem popularemque reddendam Philosophiam multum conferant elegantiae studia; quid vero dices de Logica, Metaphysica, aliisque severioribus disciplinis, quibus cum elegantia nil commune esse videtur? Utrum has quoque ludicrarum tuarum artium adiumenta requirere ais? an hoc potius clarum perspectumque est, eas graviores augustioresque esse quam quae tam levia auxilia desiderent? Huic placide ita respondeamus. Recte mones, o bone, sed non tam recte quam tute tibi videris. Quod si enim, ut apud Scholasticos fuit, et adhuedum apud quosdam est, inexplicabilia somnia his scientiis continentur, fateor, lubensque tibi accedo, elegantiae studia cum iis commercium habere nec velle nec posse; et te harum nugarum opificem futurum eo maiorem, quo magis a doctrinae elegantia remotus sis. At si Metaphysicam eam vocare lubeat, quae cognitionis humanae certa contineat principia, Logicamque, quae veri inveniendi diiudicandique rectam monstret rationem, ac si omnino rerum veritatem, non opinionis inanitatem, quaerimus, harum omnium percipiendarum egregias esse moderatrices elegantiores litteras, id vero magna asseveratione contendo. Idque ut tibi planum faciamus, hoc nobis des, ut via nostra procedere liceat, primumque experientiae testimonia proponamus, deinde rei naturam explicemus. Etenim, quod diligenti observatione certum est, qui ab ineunte aetate soli litteraturae studio se dediderunt, ii plerumque Philosophiam rident, neque de his rebus aliquid statui, aut omnino ad absolutam veritatem perveniri posse, arbitrantur. Cum enim in Critica arte quid verum pulchrumque sit non Mathematica ratione demonstretur, sed quodam probabilitatis sensu iudicetur, qui non ut percipitur ita semper explicari potest, eo maiori inconstantia versari et fluctuare res Philosophicas putant, quo ipsae sunt ceteris abstrusiores. Contra qui se iuvenili aetate ad Philosophiam applicuerunt, neque, quodam veluti temeritatis freno, litteratura coërcentur, ii, propter iudicii imbellicitatem, cum in quamcunque opinionem incidunt, eam arripiunt mordicusque tenent, tum ad quemcunque et magistrum et sectam sunt tanquam vento delati, ad eum veluti ad scopulum adhaerescunt; tum si forte Logices Metaphysicesque praecepta percepisse sibi visi sunt, de totius Philosophiae maiestate ex compendii, quo inclusi

sunt, iudicant angustiis; tum vero sibi pulchri beatique videntur, iamque sapientiae arcem se tenere totumque veritatum et opinionum regnum suis pedibus subiectum esse putant, et, veluti quidam tyranni, in eo superbe grassari conantur. Nulla res adeo difficilis abstrusaque est, de qua non in alterutram partem audacter pronuntient, et dissentientes sine misericordia damnent. Denique se solos sapere credunt, reliquos, eiusdem insanientis sapientiae expertes, tenues volitare ut umbras. Quid de his dicamus? Nonne utrumque ab alterutra parte a recto tramite aberrare? Quid vero si quis ab utraque parte bene temperatus sit, atque hunc asseverandi rigorem elegantiorum litterarum cautione ac dubitatione relaxaverit ac mitigaverit?

Quod si igitur quaeramus, cur antiqui tam egregios ediderint Philosophiae fructus, recentiores vero, saeculis illis Scholasticis, nil nisi sordes abortusque procreaverint, caussam reperiemus hancce verissimam; nimirum veteres primum elegantiae studia percipiebant, deinde se ad Philosophiam applicabant: recentiores contra et primum et solum se Philosophiae dabant. Nam Graeci quidem et Romani filios, quam primum per aetatem licebat, Grammaticis in disciplinam dabant, apud quos Poëtarum, Oratorum, Historicorumque admonitionibus, sententiis, et exemplis erudirentur: qua elegantia imbuti ad concipiendam Philosophiae magnitudinem idonei reddebantur, in eiusque studio intra iustos fines pulchrae utilisque veritatis continebantur, ne in nugarum vanitatem evagarentur. Contra Gothi, Franci, Alemanni, Longobardi, cum illam semel a mentibus abstersissent immanitatem, vel sic tamen litteris aut parum tribuerunt, aut earum studium Theologia circumscripserunt, sacerdotibusque reliqueruut. Nam honestissimi illi Caroli M. conatus irriti fuerunt, et lux illa accensa simul et exstincta fuit. Neque melior fere ratio apud Constantinopolitanos erat; nam et ibi ignorantia regnabat, veteresque scriptores et dicebantur et habebantur profani, eorumque lectio subinde impia, nedum honesta putabatur. Sed tamen cum expeditionibus illis contra Saracenos, quibus a Servatoris Cruce nominis honorem addiderunt, nonnulli ex Oriente in Occidentem apportassent studium Philosophiae, idque invalescere coepisset; ad hoc homines inculta rudiaque adferebant ingenia, quae de eius doctrinae magnitudine vix suspicari, nedum eam aut capere aut agnoscere possent. Hinc inani obscuraeque diligentiae se dabant! Hinc monstra pepererunt, quae nemo non stultissimus sine risu

audire possit! Hinc philosophia, lux veritatis, magistra superstitionis esse coacta est! Hinc germanus eius flos et foetus veluti siti exustus repressusque exaruit!

Sed ab experientia ad ipsam rem progrediamur, eiusque rationes altius repetamus. Perfecta eruditio ex duplici laude spectatur, altera rerum, quae cognoscuntur, copia atque praestantia, altera cognitionis ipsius subtilitate ac facilitate. Nam et rerum omnium, quae quidem utilitatem atque ornamentum afferant, cognitio adesse debet; et eam in mente non indigestam et confusam iacere, aut incerto motu fluctuare. sed certa sede fixam, diligenter ad scientiae ordinem dispositam et ad veritatis leges exactam esse oportet; ne, cum opus est, res diu quaerendae ac veluti tardo delectu conscribendae sint, sed ad nutum mentis celeriter ac instructae advolent. Haec felicitas quomodo sit comparanda videamus. Atqui sevit Deus in mentes nostras omnium, quas quidem per naturam capere potuimus, doctrinarum semina; ut nulla fere sit ars atque scientia adeo difficilis et recondita, quin ex humani ingenii segete, si recte colatur, procrescere possit. Haec igitur semina ne consopita pereant, sed suum fructum in lucem proferant, hoc opus, hic labor est. Sed ad ea excitanda quamnam adhibebimus disciplinam? Dicunt utilissimam esse Mathesin; hanc igitur experiamur. En, didicimus Mathesin. Quid ea consecuti sumus? Consuetudinem contraximus ordine cogitationes disponendi, et ratione ac via discrendi, quod profecto maximum est; sed aliam praeterea scientiam tantum abest ut adepti simus, ut potius in plurimarum utilissimarumque rerum ignoratione versemur. Quare Logicam et Metaphysicam adeamus. Ac in iis nisi quis veram sequatur rationem, non scientiae veritatem, sed opinionis vanitatem, audaciam arrogantiamque consequatur. Sed fac rectam adhibitam esse rationem; eodem tamen revolvamur, quo in Matheseos studio. Scilicet hae disciplinae quamvis res tradant dignissimas scitu, mentisque habeant utilem agitationem, et lucem ei inferant haud contemnendam, non satis tamen iis inest virium ad excitandum cognitionis florem ac varietatem, neque solae eo perducere possunt ingenium, ut aliquando suae naturae perfecto fruatur bono. Deinde habent fere eam vim, ut homines, qui earum rectum usum non intelligunt, ad se solas alligent suaque severitate constringant; unde fit, ut ad elegantiam frigeant, in vitae ratione peregrinentur, elegantiores litteras leve quiddam ac ludicrum, gravi certe homine indignum putent; neque suspicari omnino possint, eas filias

esse tertiae illius Philosophiae, cui Pulchritudinis regnum subiectum est. Quid igitur faciendum? Confugiamus ad ipsas has elegantiores litteras. Hae vero, quam primum ingeniis applicantur, tum ea fortiter movent, multimodis cogitationum curriculis exercent, ac in omnem cognitionis varietatem diducunt: tum inertia doctrinarum semina excitant, et internum sensum veluti ex morte ad vitam reducunt; unde brevi animi opportunitates evolvuntur atque explicantur, et omnigenae cognitionis elegantiaeque foetus efflorescit. Sed hic cavendum est ne sua fertilitate sibi ipsa obsit natura. Cum enim huic luxuriei indulgent ingenia, pervolitant Musarum hortos, flores undique quaerunt, decerpunt, pascunt; temere insiliunt, desiliunt, agitantur; unice illum, quem vocant, pulchritudinis sensum gustumque adfectant, hunc nutriunt, laudant; Philosophiam vero, reginam Disciplinarum, et eius ministram Demonstrationem, omnis certitudinis effectricem, nugarum somniorumque magistras vocant, rident, contemnunt, abiiciunt. Tum vero laboranti ingenio succurrendum, providendumque ne suas vires in auram effundat; neque forte exspectandum donec hi flultus sponte deferveant, et dies ipsa iudicii constantiam maturitatemque adferat; sed ratione temporis auxilium praecipiendum. Atque huius rei unica profecto verissimaque medicina a Philosophia petenda est. Ad hanc igitur accedamus, huic nos tradamus. Ac ea primum lascivientem ingenii agitationem sua severitate temperat, intra iustos fines coërcet, et legum suarum necessitati adstringit; deinde rerum caussas perspicere, dividendo ad minimas partes pervenire, partesque iterum ad summam componere, formas generaque rerum colligere, mentis aciem ab aspectabilibus avocare, et ad intelligibilia aeternaque exemplaria transferre, docet; denique non amplius in vehementia inconstantiaque perceptionis subsistere nos sinit, quam cum nec ipsi distinguere nec aliis explicare possumus, Sensum appellamus, in eo acquiescimus nobisque placemus; sed propius ad veritatem adducit, ut, quod sensu vago confusoque percipitur, id ratione iudicioque cognoscatur et perspiciatur. Ita vera, perfecta, absolutaque doctrina neque existere potest, nisi elegantiorum litterarum studio excitetur, neque perfici suumque statum obtinere, nisi Philosophiae luce illustretur.

Constat etiam, rerum notiones cum verbis aretissime esse connexas, neque solum eorum instrumento cum aliis communicari, sed etiam in anima ideas verbis veluti vinculis alligari, ne temere oberrent et inter se confundantur.

Cuius sententiae prima semina sparsit Plato, eamque ex hodiernis acutissimus Philosophorum illustravit Lockius. Quod si ita est, quis tandem neget, eius, qui verborum potestatem recte teneat, notiones non vagas, sed certas, fixas definitasque esse; deinde in disserendo ambiguitatem, errores et logomachias eum felicius multo quam ceteri effugere posse. Atqui huius rei optima profecto est magistra ea Critices pars, quae Grammatica vocatur, quae bene loquendi et scribendi viam aperit, idque maxime agit, ut cuilibet verbo iusta descriptaque notio subiiciatur.

Deinde elegantiae disciplinae, cum eas res tradant, quibus ad assentiendum non Geometrica vi cogimur, sed probabilitate adducimur, adsuefaciunt nos, ut veritatis numeros undique indagemus, et quid in utramque partem dici possit, id omne suis momentis ponderemus. Quae ratio ut in omni doctrinarum genere multum, sic in Philosophia plurimum valet. Cum enim duplex eius in indaganda veritate sit munus, primum ut res, quae sub sensus cadunt, diligenter consideret, et quid cuique insit attente observet atque examinet; alterum ut cogitationem a rebus sensibilibus ad res intelligibiles transferat, iustas certasque effingat notiones, perspiciatque quomodo cum aliis connexae sint; non video quomodo feliciter in eo genere versari quis possit, nisi eam viam sequatur, quam Critica praescribit. Nam primo quidem non temere cuilibet assentietur rei, sed rerum abstrusarum, in quas se immisit, magnitudinem ac difficultatem reverens omnia primum excutiet, ubique circumspiciet; ut erroris opinionisque effugiat insidias. Cumque in exquirenda aliqua veritate occupatur, non animo per immensum idearum regnum temere vagabitur, quo exitum reperire humana ratio nullum potest; sed ad res sensibiles semper respiciet, experientiamque et observationem certissimas sequetur duces. Denique ut omnium doctrinarum, sic etiam elegantiorum litterarum fundamenta et principia Philosophia continentur. Ac Rhetorica quidem, ut iam Zeno dixit, dilatata est Dialectica. Eique in dispari genere similis est Poëtica, quae et ipsa animorum movendorum rationes tradit. Historia cum conversionum momenta, et ingeniorum rationes variosque recessus explicet, ipsa quoque in Philosophiae aedificio sibi locum vindicat. De Grammatica idem iam Plato vidit, neque hodie post Leibnitium Lockiumque quisquam est qui dubitet. Sed hae omnes disciplinae cum veri pulchrique sensum et iudicium acuant, earumque domina, Critica, has res in-

veniendi diiudicandique sit magistra, quis non videt, et id unde veniunt, et viam qua progrediuntur, et ea ad quae tendunt quaeque efficiunt, haec omnia, quantacunque sunt, ad ipsam pertinere Philosophiam.

Sed quae hactenus disputavimus, AA. HH., eo spectant, ut generatim elegantiae disciplinis ad percipiendum, diiudicandum, inveniendumque quid in Philosophia verum pulchrumque sit, ingenia acui et idonea reddi demonstraremus. Neque haec laus adeo propria est antiquis litteris, ut recentiores in eandem societatem nequaquam admittant. Quin et his tanquam sororibus non parvam eius, veluti hereditatis, partem concedunt; sibi maiorem saltem vindicant, eoque maiorem quo plura perfectioraque elegantiae exempla Graecis Latinisque monumentis continentur. Nunc ad eam litteraturae partem venimus, quae ad solam antiquitatem pertinet; quae in veterum Philosophorum scriptis placitisque versatur, cuiusque ubertas tam late patet, ut ad veram et accuratam Philosophiae scientiam sine ea nemo quisquam pervenire possit. Ea enim cum antiquorum in Philosophia inventa tradat, commonstretque qua ratione alii veritatem assecuti sint, alii ab ea aberraverint, quibus gradibus ingenium humanum incrementa ceperit, non solum ipsarum rerum copia Philosophiam locupletat, sed plurima utilissimaque exempla praebet, quomodo via ac ratione progrediendum sit; eademque cum doceat, quanta sit in rebus illis obscuritas, quanta humanae mentis imbecillitas, ut maximi ab omni aetate viri de iis inter se dissenserint, animum ad modestiam conformat, adsuefacitque ut caute ac dubitanter pronuntiemus, aliorumque dissensum lenissime feramus. Quae res si, uti clara certaque est, ita a quolibet intellecta acceptaque esset, non erat profecto, quod de ea amplius diceremus. Nunc vero videor mihi eorum voces audire, qui veteres in Philosophia aut parum valuisse, aut ioculares errores commisisse vociferantur. Repetunt inde a Thalete Milesio eorum exempla, qui vel perversam philosophandi rationem secuti, vel ridiculas opiniones tutati sint; nullus est antiquorum illorum sapientiae magistrorum, cuius famae non aliquam labem adspergant; ut nil ab aegroto dormiente adeo absurdum somniari potuerit, quod non veterum Philosophorum aliquis serio vigilans asseruisse videatur. Quid prius conqueramur? Ipsorumne Philosophorum fortem, qui cum totius vitae studium in exquirenda veritate, superstitione et errore exstirpandis posuerunt, nunc tam iniustam immeritamque ferant mercedem? An vero istorum cou-

temtorum dementiam atque infelicitatem, qui cum uberrimos fructus ex antiquis capere possent, non satis habent eos negligere, sed ad excusandam suam desidiam turpissimo se inquinant invidiae atque maledicentiae crimine? . Age vero in istius erroris causas inquiramus, veteresque Philosophos, quantum in nobis est, in suae auctoritatis possessionem iustis vindiciis restituamus.

Ac video quidem me, cum iam ad finem mea spectat oratio, eam disputationem suscipere, quae si exhaurienda atque peroranda esset, et dies me et latera deficerent. Sed semel in altum ingresso vela nimirum danda sunt, allaborandumque, ut brevissimo cursu, quo tendimus, perveniamus; faciuntque mihi ingenia vestra hanc fidem, ut totam quaestionem in satis clara luce positam arbitrer, si eius vel praecipua capita leviter explicuero. Itaque reperiemus hos antiquorum Philosophorum vituperatores ex uno et altero eoque ieiuno historiae Philosophicae compendio de tanta re existimare. Sed, ut omittamus hos a male feriatis compilatos libellos, tantum abest ut ex diligentissimis hodiernis scriptoribus iusta absolutaque veteris Philosophiae notitia comparetur, ut ea vix ex ipsis antiquitatis fontibus abunde hauriri posse videatur; eo quod neque centesima pars ex veterum libris ad nostram pervenit aetatem. Nam ut a Pythagora incipiam, qui primus Philosophiae nomen et nomini famam peperit; nonne et ipsius ratio fabularum tenebris obvoluta est, et Pythagoreorum, qui per multa saecula magnam Graeciam auctoritate et disciplina tenuerunt, quid, quaeso, praeter paucissima restat fragmenta? Quid de Empedocle, Xenophane, Heraclito ac Democrito dicam? qui abstrusissima naturae penetralia mira sagacitate investigarunt investigataque explicarunt? Quid de Ionica schola, Thalete, Anaximene, Anaxagora et Archelao? quos mentis humanae ac mundi naturam sollertissime indagasse constat. Omnia horum scripta communi litterarum periere naufragio! Neque multo meliorem fortunam experti sunt qui ex Socratis schola prodiere Philosophi. Et de Socratis quidem dictis factisque unde constat quam ex Xenophonte et Platone? Nam illa elegantissimorum Dialogorum seges, quibus Aeschines, Antisthenes, Cebes, Aristippus, aliique, Socratis vitam disciplinamque illustrarunt, haec tota, quantacunque est, intercidit. Constat quanta felicitate ex eo tempore, variis sectis, Philosophiae efflоruerit studium, Academica, Peripatetica, Cynica, Stoica, Epicurea. Atque ex Academia et Lyceo quid, quaeso, habemus praeter Platonis et pauca quaedam Ari-

stotelis scripta? Ubi Theophrastus, Aristoxenus, Dicaearchus, Clearchus? Ubi illa vetus, media, et nova Academia? Omnia philosophorum usque ad Ciceronis aetatem scripta quidam velut aestus intercepit. Stoicam doctrinam eius principes Zeno, Chrysippus, Posidonius, Diodorus, Panaetius innumeris exposuerunt voluminibus; nunc eius cognitio ex Seneca, Epicteto et Marco Antonio est hauriendа, qui nec ipsi integri ad nos pervenerunt, nec Stoicae Philosophiae absolutam descriptionem tradiderunt, sed primaria tantum quaedam capita explicarunt. Epicurum ipsum, quis nescit, infinitam librorum vim conscripsisse? Hunc imitantes discipuli adeo omnia scriptis repleverunt, ut de eius molis magnitudine graviter quereretur Cicero. At iam suo tempore eam tantopere imminutam fuisse testatur Iulianus Imperator, ut fere tota evanuisse videretur. Dies profecto me deficiat, si vel nomina tantum Philosophorum, quos aliquid litteris mandasse constat, recensere vellem. At hi, proh dolor! omnes longi temporis iniquitate consumpti absorptique sunt. Nunc unicus harum rerum, neque is locupletissimus scriptor restat Diogenes Laërtius. Reliqua cognitio cum petenda est ex iis, qui eius aliquam partem attigerunt, Cicerone, Plutarcho, Sexto Empirico, Galeno, tum eruenda ex brevibus, iisque per universos veterum libros dispersis, commemorationibus atque fragmentis, quae et ipsa summa cura diligentiaque sunt investiganda, conquirenda, colligenda, collectaque acri iudicio examinanda et suis quaeque momentis ponderanda. Neque tamen haec difficultas eam vim habere debet, ut nulla sclertia vinci posse putetur, hominesque desperatione fracti a comparanda hac cognitione deterreantur, sed ut eo magis ad eam assequendam omnes ingenii ac industriae vires excitent atque expromant. Hoc enim si quis egerit, is profecto videat, quantum utilitatis ex accurata Philosophiae historia ad ipsam eius scientiam redundet, quam multa, quorum inventores se hodierni iactant, ab antiquis aut inventa, aut melius tractata sint; et ex iis ipsis coniecturam faciat, quanta fuerit Veterum in Philosophia facultas. Quod si enim in tam paucis, quae naufragium effugerunt, reliquiis tanta inest rerum praestantia, dubitari profecto nequit, si pars multo maior ad nos pervenisset, thesaurum nos habituros fuisse infinitum ac paene divinum. Equidem quamvis mihi persuasum sit, me non esse ea doctrina et ingenio, ut eius me rei idoneum iudicem profiteri possim; hoc tamen audacter adfirmo, multa, quae nos ut recens inventa admiramur, antiquis esse vindicanda.

Nam v. c. quod, in quadam Schola, de Idearum aeternitate et Mundo optimo docetur, hoc certe Platoni debetur. Idemque abstrusissimas illas notiones Entis, Substantiae, ac Pulchritudinis, adeo luculenter explicavit, ut magnopere dubitem an hodierni simile quid attulerint. Deinde eam partem, quae ad vitae morumque rationem pertinet, non solum elegantius uberiusque tradiderunt, sed eius etiam principia accurate explicuerunt. Itaque saepe mirari me subit eorum iactantiam, qui hodiernos iuris naturalis principia, seu fines bonorum ac malorum, et felicius invenisse et subtilius enucleasse clamant, et ad Ciceronis librum de Officiis, veluti temerariae huius assertionis invictum testimonium, provocant. Quasi vero aut nunc dubiis minus impediti essemus, aut ipse Cicero in perfecti Philosophi exemplum proponi deberet, aut eius libri De Finibus non exstarent, aut Plato, Aristoteles, Stoicique omnes periissent, ex quibus vel solis, quam acute de ea re ab antiquis disputatum sit, existimari potest. Celeberrima illa quaestio de Fato ac Libertate eodem apparatu inter Stoicos et alias sectas agitata est, ut hodie nil novi de ea excogitatum videatur. Neque certe doctrina de Dubitatione, Evidentia et Nota veritatis, nostra aetate uberius tractata est, quam a Pyrrhoniis et Academicis. Verum enim vero cum ex iis, quae restant, veterum scriptis mihi persuadeo, tum ex iis, quae periisse novi, certa coniectura eo inducor, ut antiquis huius victoriae palmam deferam; et omnes spero eam in rem mecum consensuros; nisi quis et contra historiae fidem, et ipsarum rerum naturam contendere velit, nostros hodiernos tanta felicitate et solertia usos fuisse, ut per ducentos et quod excurrit annos plura invenerint, quam antiqui per bis mille amos maximis ingeniis et summis studiis efficere potuerunt. Sed ea quaestionis magnitudo cum in his temporis angustiis absolvi nequeat, verendumque sit ne nimis iam diu vestra abusus sim patientia; agedum vela orationis contrahamus, eoque nos conferamus, cuius rei caussa tota haec disputatio suscepta est.

Mandastis mihi, Viri summe Venerandi, munus et momento grave et laudibus honorificum, quod aliquam forte de me concepistis opinionem. Ego vero, qui meae mediocritatis ipse mihi sum testis, cum ab altera parte meos decessores, summos illos et omni doctrinae laude florentissimos viros, veluti praesentes oculis cernam; ab altera parte Vos, VV. S. VV., vestrumque de me iudicium reputem, non possum quin animo timorem concipiam, vehementerque commovear. Nihil profecto iis,

qui cum laude in aliquo munere versari cupiunt, tam officit, quam exspectatio, cui quidem tantum abest ut perfecte cumulateque respondere possim, ut ei vix ex una alteraque parte satisfacere posse videar. Verum tamen eo magis omnes consilii atque industriae intendam nervos, ut vel sic efficiam, ne Vos mei unquam omnino poeniteat. Praeterea eo Vos studio colam atque venerabor, ut nulli officio vel observantiae vel obsequii defuisse videar: non tam quia muneris caussa id mihi facere necesse est, quam quia Vestrae virtuti et doctrinae hic honos debetur. Ita Deus O. M. Vos, VV. S. VV., vestrasque laudes, fortunas atque familias conservet, augeat, amplificet, ut me et gratum semper, et memorem Vestri habebitis iudicii.

In Te vero cum intueor, Vir summe Reverende, Collega exoptatissime, quid tandem mihi animi putes esse? Neque enim communes illae tantum collegii rationes nos coniungunt, muneris, officii, laborumque societas, quae tametsi per se magnae sunt, sunt tamen aliae longe maiores. Sive enim in conciliandis amicitiis plus consilium quam fortuna valere debet; quid mihi de Te sperare fas est, qui me Tibi, quantum in Te fuit, tuo ipse elegisti suffragio? sive litterarum tanta est vis, ut remotissimos etiam inter se coniungant, harum in Te maxima est copia, in me summus amor; sive continendae consuetudinis vinculum est maximum morum probitas atque suavitas; haec, ut reliqua omnia, in Te profecto tanta sunt, ut mihi in istam societatem non casu fortunae incidisse, aut meo consilio pervenisse, sed ab ipsa Providentia adductus esse videar. Itaque hoc Tibi spondeo atque polliceor, me omni fide et constantia omnes meas curas et cogitationes in hoc collocaturum, primum, cum collega Tibi complectendus sit qualiscunque esset, ut me talem habeas quem libenter etiam complectaris: deinde, cum una omnium maxima gravissimaque res, Scholae huius utilitas, nostra studia continere debeat, ut quantum eadem decore, et felici ingeniorum proventu crescat, tantum semper ad nostram amicitiam novae gratiae, suavitatis atque firmitatis accedat: denique, in hac opera, me Tuae auctoritati tantum tributurum, quantum ipse tum usu atque experientia vales, tum ingenio atque doctrina praestas.

Tandem ad Vos me converto, humanissimi suavissimique Commilitones, spes Patriae ac Reverendae Societatis. Vos honestissimus laudis atque doctrinae amor in eam accivit Scholam, in qua et ego nunc Doctor con-

stitutus sum, et ad vos oratio nostra maxime spectavit excitandos atque commovendos, ut exculta probe et subacta elegantioribus litteris ingenia ad Philosophiae studium adferatis. Sed praeterea Vos hortor et obtestor, ut omni cura caveatis, ne a recto tramite mala consilia et exempla Vos avertant. Duplex omnino est via, quae in eruditorum civitate frequentari solet; altera brevis, facilis, plana, qua leves et ignavi homines incedunt, qui se imperitis venditant, neque ipsam doctrinam, sed fictam speciem ac gloriolam variis artificiis adsequi student. Sed brevis eius est fructus, nec enim aliquid veritatis isti consequuntur, et, si forte in aliquam existimationem pervenerunt, vel ab ipsis hominibus, quorum opinionem eluserunt, vel a posteritate, quae incorruptius iudicat, deridentur, explodantur, et ab iniusta laudis possessione deiiciuntur. Altera via difficilis, ardua, laborisque plena est; hanc vero ii tenent, qui non ad vulgi opinionem sua studia comparant, sed ad scientiae veritatem contendunt; hi sapientes non videri sed esse student, eoque magis se proficere sibi persuadent, quo magis cognoscere incipiunt, quantum illud sit quod nesciant. Itaque suae se involvunt virtuti, non aliunde quam ex se ipsis laudis ac felicitatis rationes suspensas habent, proprio conscientiae testimonio contenti in sinu gaudent, hominumque iudicia infra se posita existimant. Hanc Vos viam, suavissimi Commilitones, ut facitis, teneatis, ab eaque nec popularis aurae illecebris, nec levium hominum voculis, Vos deduci patiamini! hac progrediamini! hanc persequamini, donec in templa verae, absolutae ac gloriosae doctrinae perveniatis. Hoc agite, et me praeclarae huius operae vobis vel socium vel adiutorem adsumite. DLXI.

XXXVI.

C. A. Lobeckii diss. de *Cercopibus* et *Cobalis*. P. I.

[Regimontii 1820. pp. 12. 4to.]

Inter priscorum regum *ἀθύρματα* et nugas curiales celebre olim fuit scurrarum nomen, de quibus multa scripsit C. F. Floegelius, vir industrius, sed in persequenda huius instituti origine non eo, quo potuisset et par erat, progressus. Nam si rem alte et a capite repetimus, ipsos heroes et semideos velut cohorte quadam sannionum nullicorum stipatos offendimus, Bacchum Cobalorum, Cer-

unsere Wirthschaft, wenn wir Wirthschaft haben, ist nicht
unsere, sondern wir haben sie für Andere, und wir
sind nicht Herren, sondern Knechte. Wir sind Knechte
der Gesellschaft, Knechte der Gesetze, Knechte der
Meinung, Knechte der Mode, Knechte der Sitte, Knechte
der Convenienz, Knechte der Etikette, Knechte der
Gewohnheit, Knechte der Vorurtheile, Knechte der

et Photius, Cercopes a Iove, quem et ipsum eorum insidiis petitum narrant, in simiarum speciem transfiguratos et in insulas Pithecusas habitatum missos esse. v. Wernsd. ad Lucil. Aetn. Exc. III. p. 356. sq. T. IV.

Hinc in tota antiquitate nihil famosius ignominiosiusque fuit Cercopum nomine, in adulatores, sycophantas et perditissimos quosque fraudum et fallaciarum machinatores communiter translato; in quos et Plato et Hermippus comici Cercopes suos scripserunt. Ab atticis oratoribus, hoc convicio in adversarios usis, rei notitiam accepisse videntur recentiores sophistae, quorum complures memorat A. Schottus ad Zenob. p. 96. Adde Liban. Ep. MCCCXXI. 615. Aelian. Hist. An. VI. 58. *ὦ Σισύφων καὶ Τελχίνων καὶ Κερκώπων ζηλωταὶ ἄνθρωποι.* Lucian. Alex. IV. 66. *τῶν ἐπὶ κακίᾳ διαβοήτων ἀκρότατος ἀπετελέσθη ὑπὲρ τοὺς Κέρκωπας, ὑπὲρ τὸν Εὐρύβατον ἢ Φρυνώνδαν ἢ Ἀριστόδημον ἢ Σώστρατον,* de quibus hominibus infra dicendi locus erit. Interim docto Graeco operam dare vacat, qui ad h. Luciani l. nova quaedam et a prioribus dissita in medium protulit. *Οὗτοι,* inquit, *οἱ Κέρκωπες ἐν Βοιωτίᾳ διέτριβον, Οἰχαλιεῖς ὄντες γένος, Σίλλος καὶ Τριβαλλὸς ὀνομαζόμενοι, ἐπίορκοι καὶ ἀργοί· ἀπ' αὐτῶν δὲ καὶ τὸ παροιμιαζόμενον, Κερκώπων ἀγορά· ἀπελιθώθησαν δ' οὗτοι,* etc. De patria quod tradit, cum Diotimo convenit, cuius ex *Ἡρακλέους ἄθλοις* sumtos versiculos Suidas apposuit s. *Εὐρύβατος.*

Κέρκωπές τοι πολλὰ κατὰ τριόδους πατέοντες
Βοιωτῶν σίνοντο· γένος δ' ἔσαν Οἰχαλιῆες,
Ὦλός τ' Εὐρύβατός τε, δύω βαρυδαίμονες ἄνδρες.

Tum carminis argumentum ex Heracleis repetitum tum Oechaliae mentio indicium affert, ab hoc quoque auctore Cercopum cum Hercule congressum celebratum fuisse. Neque dubitaverim, quin ei antiquius poëma eiusdem argumenti, Homero inscriptum, ante oculos fuerit. Certe non improbabilis videtur Kuesteri coniectura, tres vv. a Suida s. *Κέρκωψ* appositos

ψεύστας, ἠπεροπῆας, ἀμήχανά τ' ἔργ' ἐάσαντας
ἐξαπατητῆρας· πολλὴν δ' ἐπὶ γαῖαν ἰόντες
ἀνθρώπους ἀπάτασκον, ἀλώμενοι ἤματα πάντα,

quorum aperta est cum illis Diotimeis similitudo, ex Homeri Cercopibus depromptos esse, unde Harpocratio haec verba protulit: *ἐξαπατητῆρες ἦσαν καὶ ψεῦσται οἱ Κέρκωπες,* quae sola inter fragmenta retulit doctissimus Homeri editor, praetermissa Kuesteri ratione. Sed pro *ἔργ' ἐάσαντες* non idem mihi, quod huic, scribendum videtur *ἀνύσαντες,* sed *ἔργα δαέντας,* simile illud homerico *ἄκοσμά*

τε πολλὰ τε εἰδώς et propria significatione in Hom. H. Vulc. v. 5. ἔργα δαέντες. Neque praetereundum videtur h. l. Homericum carmen, Οἰχαλίας ἅλωσις, ultima Thebani herois facinora complexum, cui illud de Cercopibus poematium, veluti embolium quoddam ludicrum, fortasse attextum erat. Quousque autem fama Cercopum pervagata fuerit, ostendit locorum, in quibus grassati dicuntur, diversitas. In Locridis confinia rem transfert, incolarum indicia sequutus, Herodot. VII. 216. ubi viam Anopaeam κατὰ Μελαμπύγου καλεόμενον λίθον καὶ κατὰ Κερκώπων ἕδρας, in angustissimum tramitem exire scribit. Hic, nisi Melampygi et Cercopum nomina sedes suas permutarunt, Μελαμπύγου λίθος lapidem, in quo Hercules requieverat (notus est λεῦς καππώτας) ἕδραι autem eum locum significare videtur, unde Cercopes Herculem ἐνήδρευσαν, dormientem aggressi. Hoc enim non obscure significatur ab Eunapio Vit. Aedes. p. 34. Commel. οἱ δὲ παραδυναστεύοντες ἐγγνύμενοι φθόνῳ τὸν κερκώπων ἐπετήρουν καιρὸν, οὐ τὸν Ἡρακλέα καθεύδοντα μόνον ἀλλὰ καὶ etc. Rursus alio nos ducit Schol. Aeschinis ad Or. de Fals. Leg. p. 224. Κέρκωπες γένος τι ὑπῆρχον λῃστῶν καὶ πανούργων περὶ τὴν Λιβύην, οὓς ἐτιμωρήσατο Ἡρακλῆς διὰ τὴν κλοπὴν τῶν βοῶν τοῦ Γηρυόνου ἦσαν δὲ δύο. Hic, ne quis forte Λυδίαν emendare tentet, Λιγύην rescribendum est; nam in hac terra Herculem, quum Geryonis armenta adigeret, a raptoribus circumventum esse Apollodorus scriptum reliquit II. 5. 9. Neque obest nominum, quae illis tribuit, Halebionis s. Helebionis et Dercyni, diversitas; nam ut locis disparati ita appellationibus disiuncti fuere. Suidas T. II. 301. modo Passalum et Acmonem, modo Candulum s. Candolum et Atlantem nominat. cf. Eudoc. Viol. p. 47. et Nonn. in Greg. Or. IV. p. 508. T. II. Schol. Luciani Alex. IV. 66. Sillum et Triballum, quae nomina unde inventa sint, coniectura facilis est; nam Σίλλος scurram, Τρίβαλλος, cognatum huic genus, sycophantam, significat. Tzetzes Chil. V. 69. cf. II. 330. Cercopes Molionidis, Herculis hostibus, componit; sunt etiam qui Eurybatum (b), notissimum veteratorem, in Cercopum numero referant, quivis ut intelligat, nomen illud circa alios atque alios vagatum, denique omnibus, qui pravis facinoribus pernotuissent, assignatum fuisse. Postremo ne quis procul aspiciens Manil. IV. 664. Cercopes Libyam repetere credat, adum ait:

(b) Hesychius Εὐρύβατος — Κίχανψ.

Et portentosos Cercopum ludit in ortus

non illi sunt in fabulis traditi, sed simiae germanae. Quod autem illo loco pro *Cercopum* ante Scaligerum *Cyclopum* legebatur, est illud quidem recte e cod. Gemblacensi receptum, sed tamen iste pristinae lectionis corruptor, quisquis fuit, habuisse videtur, quos sequeretur. Nam et Etymologus M. *Κέρκωπες· οὕτω πρότερον οἱ Κύκλωπες*, sive illud errore quodam appellationis, ex *Κέρκωψ* i. e. *Κύκλωψ* depravatum, sive in utroque genere eadem distorti vultus foeditas notata est. De numero Cercopum fere consensum est; nisi quod Diodorus IV. 31. quum eorum partem ab Hercule occisos, alios in vincula coniectos tradit, grassatorum quandam catervam inducere videtur. Ut Lydia iis veluti propria sedes assignaretur, evicit fortasse Aeschrio Sardianus, Ephesidos auctor, a quo hoc ita traditum esse refert Harpocratio. Nam Mausaci emendationem, pro Aeschine Aeschrionem reducentis, adversus ipsius auctoris dubitationem vindicat Phavorinus *s. Νῆσος γιγάντων*, Aeschrionem memorans in septimo Ephesidis de antiquissimis Pithecusarum habitatoribus tradidisse. Ephesum autem antiquitus Lydiae adscribi multo ante docuit Rutgersius Varr. Lectt. p. 83. cuius spoliis se ornavit Lamb. Bosius Obs. Cr. p. 145. Unum nobis ad explicandum restat, de *Κερκώπων ἀγορᾷ*. Hoc nomine Grammatici docent forum fuisse Athenis prope Heliaeam, ex eo cognominatum, quod ibi res furtivae veno positae essent. v. Intpr. ad Hesych. s. v. *Ἀγορὰ Κερκώπων*. Equidem crediderim forum scrutarium significari, quo et res furtim surreptae et homines contemptissimi commeare solent. Huic Galenus *ψευδέων ἀγορὴν* comparat, quam Hippocrates in Epidemiis semel iterumque non addito urbis nomine commemorat III. 5. 242. 9. 252. D. *τὸ ζητεῖν*, inquit, *ἐν ποίᾳ πόλει καλεῖταί τι χωρίον ψευδές (ψευδέων ἀγορὰ) καθάπερ Ἀθήνῃσιν ἡ τῶν κερκώπων οὕτως ὠνόμασται, ὅσα τ' ἄλλα τοιαῦτα καθ' ἕκαστον τῶν ἀῤῥώστων ἔνιοι τῶν ἐξηγητῶν ἔγραψαν, οὐκ ἂν ὑπερέβαινον εἴ τι χρήσιμον ἐν αὐτοῖς ἑώρων εἰς τὰ τῆς τέχνης ἔργα* Comment. II. 243. B. cf. 253. A. T. IX. Non dissimilis illi in eadem urbe fuit *φώρων λιμήν*, cuius a Demosthene mentio iniecta est p. 932. 16. Verum ne quis ea intuens, quae a similibus rebus translata in alium feruntur intellectum, *ἀγορὰ μυρμήκων* Lucian. Icarom. XIX, 28. T. VII. *ἀγορὰ δικῶν*. Id. Bis. Accus. p. 53. *ἀγορὰ κυνῶν*, quod Thomas M. p. 894., inter alios rhetorum *ὡραϊσμούς* refert, ne quis ergo Grammaticorum indicia aspernatus *ἀγορὰν Κερκώπων*,

perinde ut *ἀγορὰν θεῶν* (c) et *forum furinum* apud Plautum, non locum aliquem unum significare, sed figurate de hominum improborum colluvie dici existimet, obstat Diog. Laertii auctoritas, qui Timonem narrat, quum Arcesilaum, hominem luxuria corruptum, per Cercopum forum transeuntem videret, *τί σὺ δεῦρο*, dixisse, *ἔνθα περ ἡμεῖς οἱ ἐλεύθεροι;* IX. 124, 601. Quo significavit, in hoc demum plebeiorum hominum diversorio verae libertati locum relictum esse, a divitum consortio, quibus Arcesilaus se emancipaverat, longe exclusae.

Hinc iam tempus videtur Cobalos, Liberi patris collusores, in medium producere. Harpocratio: *Κόβαλοι δαίμονές τινες σκληροὶ περὶ τὸν Διόνυσον.* Lex. Sangerm. in Nott. ad Hesych. s. h. v. *Κόβαλος ὁ σκιρράπωδης καὶ ἀηδής, Ἀρίσταρχος Βατράχοις*, quae eodem modo edita sunt in Anecdd. Bekk. p. 101. Sublato nominis vitio, quod neminem fallet, scribendum est *ἀηδής* et *σκιραφώδης*, quorum illud Cercopibus, idem munus scurrandi apud Herculem professis, consensu tribuitur, hoc eandem potestatem habet, quam *σκληρός* in Harpocr. loco et iis qui a nobis in Diss. de Thriis Delphicis indicati sunt. Sed quae ab eodem Glossographo afferuntur Philochori verba *οὐ γὰρ ὥσπερ ἔνιοι, βωμολόχον τινὰ καὶ κόβαλον γενέσθαι νομιστέον τὸν Διόνυσον*, ordine immutato illis quae sequuntur: *Κόβαλοι — Διόνυσον*, quae a nobis paullo ante apposita sunt, postponi atque in hanc sententiam accipi debent, falso a quibusdam Cobali nomen a grege satellitum ad deum ipsum transferri. His auctoribus usi sunt, qui superiore aetate Graecorum fabulas pertractarunt, Natalis Comes Myth. p. 507. et hoc disertior Oth. Heurnius Philos. Barb. p. 101: „Daemones etiam sub humana spe»cie secum duxit Satyros et Cobalos dictos, qui de rebus »omnibus ipsum certiores redderent, hostiumque consilia »revelarent (d) quales et hodie Sarmatia frequentes habet, »quos Drullos Sarmati, Coltkos Rutheni, Germani Co»baldos vocant, qui se occultant in aedium penetralibus »aut lignorum acervis, colunturque a domesticis magna »veneratione, quod frumentum ex alienis horreis in ipso-

(c) Grammatici locum Eleusini adiacentem hoc nomen habuisse vix persuadent.

(d) Ductum hoc videtur ex recentioribus chronographis, unde isti pendent; *Διόνυσος κικοσμημένος στρατῷ, οὓς σκίρτους καλεῖ οἱ γεργοὺς καὶ ἐξαλλομένους, ἦσαν γὰρ ἐκ τῆς Βασσικῆς χώρας καὶ σαφίᾳ μυστικῇ πεπαιδευμένοι* etc. Malel. Chronogr. L. II. p. 17.

[illegible] [illegible] [illegible] [

proprium, et pro κομβακεύεται, κόμπους λέγει fortasse κομβαλικεύεται i. e. κοβαλικεύεται, quo Aristophanes usus est. Ita continuo sequitur κόμβαλα, πήγματά τινα, quorum hoc Ruhnkenius recte in παίγματα transformat, sed priori nihil necesse erat κόβαλα subrogare. Sic enim τύπανον dicitur et τύμπανον, κύβη et κύμβη. v. Ad. Lampe de Cymbal. Vett. p. 3. καχάβη, καχάμβη, de quo plura attulimus ad Phryn. p. 427. Quomodo autem Cercopum nomen a simiis translatum esse notavimus (v. Lichtenstein de Gener. Sim. quae ap. vett. 15.) ita Cobali cum noctuarum genere (f) et nomine et re ipsa h. e. nequitia (g) et gesticulatione orisque ridicula depravatione, quam inter praecipua scurrarum artificia numeratam scimus (h), congruunt.

Aliam eiusdem nominis scripturam κόβειρος ab eadem stirpe ortam asservavit Hesychius: Κόβειρος, γελοιαστής, σκώπτης, λοιδοριστής, quae quum forte cum Cabirorum nomine congrueret, Gutberlethum in eum induxit errorem, ut Cobalos cum Cabiris et Dis Samothracibus confunderet de Myst. Cab. p. 42. nixus ille Herodoti testimonio, qui Cambysen narrat Cabirorum imagines combussisse, πολλὰ κατασκώψαντα, speciem autem eorum esse Pygmaeis similem. Atque ex eo coniecturam ducit, Cabiros Aegyptios ob ridiculam oris deformitatem regi risui fuisse, eaque re cum Cobalis congruere. At enim vero ipsa staturae brevitas homini Persae, qui ne humanam quidem formam, quamvis proceram, dis satis decoram putaret, contemtui esse potuit, neque, etiamsi hoc ipsum Gutberlethio concederemus, quod Herodotus nullo verbo significavit, Cabiros ridicule deformes fuisse, tamen necesse est cum forma ridicula ingenium scurrile et ad ludum iocumque factum, quali Cobalos fuisse accepimus,

---

(f) Ἔστι δὲ κόβαλος ὁ αὐτὸς (quem alii νυκτικόρακα vocant) καὶ μιμητής Aristot. Hist. An. IX. 14, 371. Schneid. Σκῶπτις κόβαλον καὶ μιμητὸν ζῶον Etym. M.

(g) Κόβαλοι (i. e. πανοῦργοι) δοκοῦσιν εἶναι Dio Cass. L. LIII. 3. 698. πονηρὸν καὶ κόβαλον Schol Lucian. Iup. Trag. p. 282. T. VI. unde hodieque manet verbum κομβαλῶ i. q. ληστεύω, ut Coraïs tradit ad Isocr. p. 62. et τὰ ἀλλότρια μισθοῦ κατ' ὀλίγον μεταφέρω. Schol. Arist. Eqq. p. 302. κόβαλοι οἱ λησταί· τοὺς αὐτοὺς καὶ κερμηφόρους καλοῦσι· quod convenit cum *latronum* nomine, res hodie diversissimas, milites, raptores et satellites complexo, neque abest a ministerialium (Minstrels) professione temporis progressu in ioculatorum s. scurrarum aulicorum insolentiam degenerante.

(h) v. Salmas. ad Tertull. Pall. p. 336. sq.

coniunctum, eosdemque et facie et facetiis ridiculos esse. Praeterea Cabiros, Deos potentissimos, sanctissimisque caerimoniis cultos pro scurris habitos esse, tum per se absurdum est credere, tum ne tenuissima quidem huius rei suspicio a veteribus prodita est. Scio equidem virum egregie doctum, Reinesium, in ea opinione fuisse, ut Samardaces, quos Chrysostomus, et Sarmadacos, quos Augustinus memorat, *transpositione caninae e genuino Samothraces formatos* putaret Syntagm. Inscript. p. 360. eundemque etiam rationem quandam exsculpsisse, qua Samothraces cum impostoribus illis barbaris conciliaret. Nam in Ep. ad C. A. Rupertum XXXVI. p. 304. rursus Samothraces suos, tacite, quo facilius cum Samardacis societatem inirent, in *Σαμοθράκους* diffingens, »hoc no»mine, inquit, alii moriones et ridicularios scurras, alii »plebem in circulis ductitantes planosque deorum Samo»thraciorum consecraneos intelligunt" coniecturam subiariam, quam ipse neque premere neque praestare susinebat, aliorum nomini inscribens. Verum nullo cuiusquam testimonio constat, deorum Samothracum sacerdotes siacorum et Bellonariorum ritu aeruscando et ariolando rices et oppida obiisse. Extat quidem Plutarchi locus, quo Reinesius et Gutberlethus causam suam confirmare potuissent, Samothracum nomen in vernas Spartanos, um communi universae gentis doricae in imitando alioum gestu habituque sollertia, tum aetatis propria vernitate et lepore insignes traducentis: *δύο τῶν συντρόφων οὓ Κλεομένους, οὓς Σαμοθρᾶκας καλοῦσι* Vit. Cleom. VIII. 63. Sed et hoc fulcrum subtraxit Valckenarii emendatio, Iutteno incognita, *μόθακας* substituentis Diatr. Eur. p. 23. neque alius eiusdem scriptoris locus, quo Aeschylum Cabiros *παίζοντας* induxisse scribit (de quo loco a priorius neglecto plura nobis dicenda erunt in alia libri parte) uidquam ad probationem confert. Sed posteaquam illi ugaces Cobali hoc furtivo aditu semel in Cabirorum omen et ditionem subrepserunt, ingenio suo obsequuti unt, neque destiterunt mythosophos improbe ludificari em offerentes fallacem et nequam, posse aliquem, Gutrlethum expilando et pervertendo, eo pervenire, ut antiquitate plura scire videatur, quam didicisse se iat.

XXXVII.

Variae lectiones in *Ptolemaei Geographia.* L. I. c. 1—14. e cod. ms. enotatae a *Fred. Sylburgio.*

Extract from a Letter adressed to Mr. *E. H. Barker* by Mr. *Churchill* of Blickling, Norfolk.

"In seeking to give the desired explanation, I was led to examine an edition of Ptolemy by P. Bertius with Ms. Notes on the margin. In a Letter, affixed to a blank leaf, et written by Dr. *Ward*, the Historian of Gresham College, to Sir *Richard Ellys*, is written as follows: —

'I have examined the Ms. readings et cannot but think several of them preferable to the printed ones. It came too late for Mr. *Horseley's* book, or it might have been of use there. I can find no account, whence these readings were taken. One could suspect from a line or two written at the end, as if *Sylburgius* had transcribed them from a written copy of *Mich. Apostolius* in the Palatine Library. But Bertius in the end of his Preface sais, that *Sylburgius* communicated to him his Collations from the Palatine Copies, which he often refers to in the work. It is pity but the account, from whence they were taken should be preserved, which will add weigt to their authority, should any of them be made use of in any future Edition.'

"At the end of Ptol. Geogr. is written.

Ἐκ τῶν Κλαυδίου Πτολεμαίου Γεωγραφικῶν βιβλίων ὀκτω τὴν οἰκουμένην πᾶσαν Ἀγαθοδαίμων Ἀλεξανδρεὺς μηχανικὸς ὑπετύπωσα. Τέλος σὺν Θεῷ ἁγίῳ. Ἀμήν. Ἐτελειώθη ἡ παροῦσα βίβλος διὰ χειρὸς ἐμοῦ νοταρίου τοῦ Δούκα διὰ συνδρομῆς καὶ ἐξόδου τοῦ ἁγιωτάτου καὶ καθολικοῦ τῆς συνόδου πατρὸς ἡμῶν Ἱερομονάχου φρα Ἰωάννου, ὁ ἀπὸ τὴν Ῥαγουζίαν.

Fredericus Sylburgius e Ducae Autographo exscripsit et recognovit.

"On the cover of the book is written: —

Μιχαὴλος Ἀποστολι Βυζάντιος πενία συζῶν ἐξέγραψεν.

Fr. Sylburgius ex Apostolii Autographo exscripsit et recognovit.

Whether the above is the hand-writing of Sylburgius or not, the book answers the description of having Ms. Notes on the margin, et therefore likely to be of use to you."

Has lectiones ab *E. H. Barkero* secum communicatas ad me transmisit *Fr. Creuzeri*, V. Cel., benevolentia. Utinam esset, qui Ptolemaei Geographiam, diu neglectam illam, tandem aliquando ea, quam meretur, diligentia tractaret, ac paene evanescentem ex hominum memoria pristino honori restitueret.

Brunovici, Cal. Mart. 1824.

Fr. Tr. Fr.

Ms. Readings in Bertius's Ed. of Ptolemy. [Lugd. Bat. exc. typis suis Is. Elzevirius, Sumptibus Judoci Hondii. A. 1618.

Lib. I. Cap. I. l. 6. „*αὐτὴ*" – *ἄὐτη*. p. – l. 21. *ἀπογραφομένοις* – *ὑπογραφομένοις*. p. – l. 27. *ἴν' ἅπαν*. – *ἵνα πᾶν*. p.

- 42. *κατ' αὐτὸ τὸ - κατὰ τὸ.* p. - l. 48. *οὐ δεῖ. - οὐδέν τι δεῖ.* p. - *τῶ περὶ οἰκήσεων λόγω* - l. 53. *τόπων - τῶ τόπω.* pp. *πόσον ἐστι καὶ ποῖον. - πόσον ὄν ἐστι καὶ ποῖον.* p. - l. 54. *ουρανίου. - ὀυρανοῦ* p. - l. 55. *τοῦ περὶ οἰκήσεως λόγου.* p. - l. 59. *προσδιαλαμβάνειν - προδιαλαμβάνειν.* l. 62. *ὅτι δύναται. - δύνασθαι* p. l. 65. *ἀθρόως - ἀθρόαν.* p.

Cap. II. l. 4. *καταγράψαι - ἀναγραψαι* p. In the margin before the word *Σκιόθηρος* are these Mss. Marks. „.·. d p." Before the word *τριγώνον.* „*Δ Δ* p." which are repeated where *τριγώνων* occurs again. l. 26. *ἀδύνατον ἐστι τὺ τοιοῦτον - ἀδύνατον δε ἐστι τὸ τοιουτο.* l. 32. *βεβαίως - - βεβαίαν* pp. l. 45. *ἀναμέτρησις - ἡ ἀναμέτρησις* p marg. l. 50. *τε καὶ τοῦ ἰσημερινοῦ - ἤ οἱ ἰσημερινοὶ.* p. l. 54. *διὰ τοῦ - δι' αὐτῶν.* p. l. 56. *μέτρων - μερῶν. και* d. pp. l. 66. *ταύτης - αὐτῆς.* l. 79. *συμβαίνει - συμβαίνειν.* pp.

Cap. III. l. 4. *ἐπιπέδω - ἐπιπέδου.* p. l. 9. *ἐφημεν. - ἔφαμεν.* l. 27. *τὰς - τὰ* p. l. 33. *τοῦ ἰσημερινοῦ περιφέρειαν. - d. p.* The Margin beginnin, *Εὑρόντες - d. p.*

Cap. IV. l. 4. *ποιῆσαι - ποιεῖσθαι.* p. l. 12. *τοῦ ἰσημερινοῦ - Δ μορίου.* p. l. 15. *ἐπιβαλλόντων - ἐπιβαλόντων.* p. l. 32. *συμφώνως - συμφώνους.* p.

Cap. V. l. 9. *συνεχούσης γῆς τὴν - συνεχοῦς γῆς τῆς κατ' ἡμᾶς οἰκουμένης.* p. l. 10. d. *πω.* p. l. 11. *ἔχει - ἔχουσι.* p. l. 12. *ἐκλαβόντων - ἐκβαλόντων.* p. l. 16. d. *ὡς ἐπίπαν.* p.

Cap. VI. l. 7. *θεούσης - τυχούσης.* p. l. 12. *πλειόνων. - πλεόνων.* p. l. 14. *μόνον. - μόνων.* p. l. 29. *τὴν ἀπ' ἀνατολῶν - τὴν μεν ἀπ'.* p.

Cap. VII. l. 1. *Ἐπὶ - ἐπεὶ.* l. 3. *πέρας - μέρος.* p. in marg. l. 5. *δείκνυσιν - δεικνύουσιν.* p. l. 9. d. *την.* p. *Πράσον - Πρασσον.* p. l. 11. d. *και.* p. l. 15. *μοίρας - μοιρῶν.* p. l. 27. *ἐξῆρται μοίρας ια. - ἐξήρτητα μοῖρας ια.* p. in marg. *ιβ.* l. 31. *ἐπὶ τὰν θερινὰν τροπικὸν.* pp. l. 38. *μόνοις. - μόνον.* p. l. 45. *τῶν μὴ φαίνεσθαι. - μηδ' ὅλως.* p. l. 46. *γινομένου - γιγνομένου.* p. l. 55. *οὐ δὲ - ουδ'.* p. l. 57. *ὁ ὡρίων - ὡρίων.* p. et sic infra. *ὅλως - ὅλος.* pp. et sic infra. l. 69. *ἡμῖν - ἡμῶν.* p. l. 71. *ἵππον - τὸν ἵππον.* p. *ἄλλου δὲ - ἀλλ' οὐδε.* p. l. 77. *μέχρι σὴνης - σοήνης.* p.

Cap. VIII. l. 3. *λέπτεως - πτέλεως.* p. l. 8. *Πρασον - Πρασσον.* p. et infra. l. 18. *κρᾶσιν - κρᾶσιν.* p. l. 25. *γρ. ἐν ἄλλω. μονασι παριςας.* p. in margin. l. 28. *γρ. επι* p. in margin. l. 29. *Σεπτίμιον - Σεστίμιον.* p. l. 33. *λέπτεως - πτέλεως.* p. l. 35. *ὀδευσαντα παντα.* pp. sed alterius margo *οδευσαντων* ut in textu. l. 48. *δι ὧν εἰκὸς ἦν - δι ὧν ἤ εἰκὸς ἦν.* p. l. 50. *εἰώθασιν - εἰώθησαν.* p.

Cap. IX. l. 10. *ἀναχθῆναι* – *ἐληλυθῆναι*. p. l. 16. *δια* – *δια και*. l. 19. *ὅλος* – *ὅλως*. p. l. 20. *ἀπαρτία* – *ἀπαρτίας*. p. l. 33. *πράσον* – *πράσσον*. p. l. 36. *ὑπὸ ἰσημερινόν* – *ὑπὸ τὸν*. pp.

Cap. XI. l. 12. *μερῶν*. – *μικρῶ*. pp. sed *μερῶν* alter in marg. l. 14. *ἱεράπολιν*. – et pp. l. 21. *μοιρῶν* 7 ξ. – d. p. l. 32. ∴ *σταδίων δὲ* – ∴ *ὥστε στιχοῖ τῆ μιᾶ σχοίνω σταδιους λ. Γ* in marg. l. 34. *σήρας* – *σηρῶν* p. *τῆ δὲ καθ'. ὁδὸν ἡμέρα σταδίους ρξξς μυ ἔγγιςα*. p. in marg. l. 51. *εὐδιεινὴ* – *δεινὴ*. p. l. 55. *τούτου* – *τοῦτο*. p. l. 56. *ἐμπορίας* – *ἐμπορείας*. p. l. 67. *ἐμπορίαν* – *ἐμπορείαν*. p.

Cap. XII. *ὁδοιπορῶν* – *ὁδοπορειῶν*. p. l. 5. *στασιασμου* – d. p. l. 7. *ἡμίσεως*. – *ἡμίσεος*. p. l. 17. *δυναμένους* – *δυναμένας*. p. l. 25. *λέγω* – *λέγω δέ*. p. l. 29. *πεπιστεύθω*. – *πεπιστεύαθω* p. l. 30. *κατὰ* – *κατὰ τὰ*. p. l. 35. *Γαραμαίων τῆς Ἀσυρίας καὶ Μηδίας* – *Γαραμάντων της Ασσυρίας καὶ Μηδείας*. p. l. 37. *παρθείας* – *παρθίας*. p. *Ἑκατόνπολον*. et p. l. 54. *Κωμηδῶν*. – et p. l. 60. *ἀντικρὺ* – *ἀντικρὺς*. p. l. 61. *ἐντευθεν* – *ἐντεύθεν δὲ*. pp. l. 66. *Ἰμάῳ* – *Ἰμαῷ*. p. l. 70. *τῆς Σήρας* – *τῆς Σήρας μοίραις* p. l. 75. *Ἰσπανίας* – *Ἰσπανίας*. pp. l. 78. *ἴσων β ἡμίσους*. – *ἰσσῶν δύο ἡμισείας* p. l. 79. *ἀπὸ πορθμοῦ* – *ἀπὸ τοῦ*. p. *μοιρῶν κε* – *κε μοῖραι*. p. l. 80. *Λιλύβαιον*. – *Λίβαιον*. p. l. 81. *μοίρας* – d. p. l. 83. *μοίρας*. – *μοιρῶν*. p. l. 86. *οβ* – *ιβ*. p. l. 88. *ταυτο* – *τὸ αὐτό*. pp.

Cap. XIII. l. 4. *τῶν* – d. p. l. 7. *γαγγητικὸν* – *καλχικὸν* p. in marg. *γρ. Γαγγητικὸν καὶ Αργολικὸν*. l. 8. *Ἀγαρικὸν* – *Γαργαρικὸν* p. l. 9. *Κούρουρα*. – *Κόρουρα*. p. *Κόρουλα* p. l. 10. *Κούρουραν* – *Κάρουραν* et in marg. *Κόρουλα*. p. l. 18. *ἀπηλιώτην* – *ἀφηλιώτην*. p. l. 19. *ἡμίσεως* – *ἡμίσεος*. p. l. 24. *μετὰ τούτων τῶν τόπων* – *κατὰ τοῦτον τὸν τόπον*. p. l. 27. *Παλούρων* – *Παλδυρῶν*. p. et Liu. 38. l. 51. *Μετὰ δὲ ταῦτα ἀπὸ* – *Μετὰ δὲ ταῦτα τὸ ἀπὸ*. p. l. 58. *Χερρονήσου*. – *χερσονήσου*. p.

Cap. XIV. l. 1. *χερρονήσου* – *χερσονήσου*. p. l. 9. *τινὰς*. – et *το* ante *τινας* ht. p. l. 13. *ἔχη* – *ἐπέχη* p. l. 16. *Ραπτῶν*. – *Ράπτων*. p. *Πράσον* – *Πρασσον* p. l. 20. *παραλάβωμεν* – *παραβάλωμεν*. *χερρονησου* – *χερσονησου*. l. 22. *των* – *τον* p. l. 23. *τον* – *το* p. l. 24. *Πρασον* – *Πρασσον* p. *συγκείμενον* – *συγκειμένω* pp. l. 25. *αὠτὸν* – *αὐτω*. p. *Πράσον* – *Πράσσον*. l. 31. *διέστηκε δὲ καὶ* – d. *καὶ*. p. l. 34. *Πράσον* – *Πράσσον*. p. *μοιρῶν* – *μοιρας*. p. l. 36. *ἀπὸ τῆς χρυσῆς* – *ἀπὸ τῆς χρυσῆς χερσονήσου*. p. l. 39. *τῶ ισημερινω* – *τῶν ἰσημερινῶν*. l. 51. *θέσεως μοι*. – *μοίρας* p. *μοιρων*. p. l. 65. *ἐπὶ τὸ αὐτὸ*. d. p. l. 55. *ὅλων* – *ὅλον*. p.

Blickling Sept. 21. 1819.

MISCELLANEA

MAXIMAM PARTEM

C R I T I C A.

CURAVERUNT

FRID. TRAUG. FRIEDEMANN

ET

J. D. GODOFR. SEEBODE.

VOL. II. PARTIC. IV.

MDCCCXXVII.

PROSTANT

WITTENBERGAE APUD ZIMMERMANN,
LONDINI, PARISIIS ET ARGENTORATI
APUD TREUTTEL ET WUERTZ.

BRUNSVIGAE,
IMPRESSUM
TYPIS IOAN. HENR. MEYERI.

XXXIX. De *Carrhoduno Ptolemaei* scr. *Frid. Kruse.*

Quum primum inciperent docti homines in Ptolemaei, viri laudatissimi, geographiam inquirere, visum est urbium, quae ibi inveniuntur, nomina cum recentioribus locorum nominibus conferre, ratione non habita temporum et populorum, qui ibi degerent, diversitate. Quo celebriora autem oppida recentioris aevi fuerunt, eo magis falso patriae amore ducti primordia urbium patriarum augustiora reddere conati sunt, ut origines quam remotissimis temporibus adscriberent. — Ita factum est, ut et Carcovia jam pridem pro Carrhoduno Ptolemaei haberetur; nam si quaeras, quibus rationibus haec communis fere opinio firmetur, aliam non invenias, nisi nominis aliquam similitudinem.

Equidem cum me ad Ptolemaei Geographiam explanandam accingerem, facile cognovi, alio modo verum esse cruendum. Mox Ptolemaeum non nisi metiendo itinerum intervalla illustrari posse intelligebam; itaque primus justam mensuram adhibui, et itinera vetera, quae in tabulis suis Ptolemaeus satis dilucide exposuit, in nostras tabulas geographicas transtuli. *) — Hoc modo omnes errores me vitasse credo, qui in pristinos geographorum libros ex nimio etyma sectandi studio manarunt et mathematicum virum, ut res postulat, secutum me esse censeo. —

Tali modo contigit mihi, ut plurima veteris Germaniae oppida in recentioribus nominibus paullum mutatis retegerem et quae ibi invenirentur antiquitates, iis reddere possem populis urbiumque civibus, a quibus profecti sunt. Primum quod scripsi hoc in genere opusculum a primaria, in tractu quem explanavi, urbe, Budorgis nomine editum. Hoc in opusculo, itinera Ptolemaei per orientalem veteris Germaniae plagam secutus, omnes hujus regionis urbes certis locorum vestigiis adscribere

---

*) Si qui sunt, qui Mannertum *primum* hujus Ptolemaeum explanandi methodum adhibuisse autument, errant. Mannertus primus inter Germanos recentiores itinera Ptolemaei monstravit digito, sed non emensus est. Ego primus regulam adhibui.

conatus sum. Subsecutus est alter libellus (Archiv. etc.), in cujus III parte haec per Germaniam orientalem itinera resumpsi, et latius explanavi. Mirum in modum veterum et recentiorum nominum distantias bene servavi et congruentiam inveniens, audax usque ad maris Suevici litora, unde succinum invehebatur in Italiam, progressus sum, et omnibus priorum Geographorum opinionibus, cum nullo fulcimine niterentur, spretis, Cimmerica quae dicebantur nubila Germaniae proprio Marte repuli.

Quibus praemissis facile intelligi potest, qui me impugnet, eum prae caeteris omnibus probare debere, methodum meam Ptolemaeum explanandi, i. e. astronomicas ejus positiones in distantias resolvendi, erroneam et falsam et aliam quamcunque methodum substituendam esse. Quam ob rem, mi Friedemanne, valde miratus sum, quum in docto tuo et eruditionis plenissimo opusculo, quod cum Sebodio aestumatissimo edis Vol. II. p. 1. p. 125. sqq. virum Cracoviensem pro ara et foco parum idoneis armis pugnantem invenirem. Guilielmus enim Münnich partem itineris Ptolemaei a me dilucidati per antiquae Germaniae magnae occidentalia confinia labefactare studet, quum Carrhodunum Ptolemaei Cracoviae attribuit (p. 130.) iis argumentis, quae pro plane diversa sententia attuli, neglectis, nova autem pro explosa, quam amplectitur, opinione non afferens.

Mea argumenta, Carrhodunum Ptolemaei non in Cracoviam, sed in Czarnowize, hodiernum locum, 8 a Cracovia milliaria in septentrionem distantem, quadrare, sunt haec.

1) *Distantia* 18 *Milliarium Germ. ab Asanco, hodierna Sandecia* (Alt Sandek), quae quum in Ptolemaei tabulis tum in nostris mappis geographicis invenitur. Huic opposuit vir doctissmus: a) „*Nescire se*, utrum Asanca recte a me locata sit, nec ne? b) *Nunquam* rectam Cracovia per Zarnowezim in Silesiam fuisse viam.“ Quod autem ad primum attinet, haud difficile intelligitur, nullum esse, quod ex inscitia petitur, argumentum. Secundum autem nil amplius probat, cum primum idoneis historiae testimoniis careat, et secundo loco non opus sit, ut *recta* via per Zarnowezim Cracovia in Silesiam fuerit. Totum enim iter a Danubio ad Mare Suevicum a Ptolemaeo indicatum, non recta progreditur (ut hodiernis etiam temporibus recta via fere nuspiam inter oppida longe distantia proficiscimur), sed ut locorum natura et urbium sive stationum celebriorum situs postulant, mox hinc, mox illinc declinat. — De *distantia non omnino*

tacet, sed quae de hac objicere mihi videtur, levissima sunt, quum ipse viam nec pedibus nec regula emensus sit. Ipse enim fatetur. „Nec sufficiunt 18 vel 19 milliaria Zarnowezia *Wolczynum*, sed *certe* aliquot milliaria amplius emetienda erunt.“ Haec loquendi ratio non critica mihi videtur, sed plane ab veritatis studio abhorrens.

2) Cum in illa distantia, quae a Ptolemaeo definitur, urbem recentiorem invenirem, cujus *nomen persimile* mihi videretur, si, quod saepius factum est, Lingua Slavorum nonnulla mutaret, in voce Carrhodunum prima recentioris nominis vestigia reperi. Huic vir doctissimus scite opposuit, litteras radicales Z. Cz. et C, neque easdem neque homonymas esse, et quod ad ultimam syllabam *dunum* attinet, quam a Slavis in synonymam *wice* (Gothis *wich*) mutatam esse contendo, *monstrum* Celticae et Slavicae linguae appellat, quod inde proveniat. Recte quidem! monstrum enim est, quod ex diversis linguis confunditur. Sed talia monstra innumera in Hispania, Francogallia, Britannia occurrunt, ubi Romanos alia hominum stirps secuta est.

Nam Pax Augusta in Badajoz, Caesar Augusta in Saragossa mutata nomina alia sunt monstra? C Latinorum autem sive K. Graecorum a Slavis saepius in Cz mutatas esse litteras, idoneis probavi argumentis, iisque in eodem adeo vocabulo, quod et alibi occurrit in Ptolemaeo. Ut enim *Carrhodunum Pannoniae* in *Cza*konthuru Stiriae inferioris (non est error typographi, sed error Münnichii, qui Ungariae oppidum appellat) *Carrhodunum* Bastarnarum (non Bastarparum) in *Czay*kowice Galliciae, promotis Slavorum sedibus mutari poterat, ita etiam *Carrhodunum* Gothinorum facile in Slavorum *Czarnowize* invenitur.

3) *De Cracovia* mea sententia haec est. Nomen Cracau non repeti debere ex vetusta Carrhoduni nomine, sed merum Slavicum esse vocabulum, saepius occurrens in omnibus terrarum regionibus, quae serius Slavorum imperio suberant. In hoc consentit criticus, et plura exempla hujus generis adjecit. Sed de Cracoviae incrementis a me dissentit. Coalnisse hanc urbem sensim sensimque in hodiernam magnitudinem ex quatuor urbibus, Cazimiria, Stradom, Cleparia et Cracovia ipsa, dixi, ut ostenderem, hodiernam magnitudinem olim non fuisse. In hoc incuriam meam rerum Slavicarum vituperat, sed ipse incuriae obnoxius Dlugossii Hist. (Libr. 1. p. 39.) citat, quem locum probare affirmat Clepardiam olim suburbium fuisse, inde autem a Casimiro Magno a. 1345 jus

civitatis obtinuisse. Hunc locum si evolvas, plane alia probantem invenies. Dlugossus enim p. 39. de Cracoviae antiquitatibus disserens „in tres divisam esse *urbes*“ (lin. 11) confirmat. *Cracoviam* mediam, alteram *Casimiriam* a secundo Polonorum rege, suum illi imponente nomen, tertiam *Florentiam* a B. Floriano dictam fuisse. De Clepardiae s. Clepariae origine nihil hic invenio, neque omnino annus 1345, quo suburbium civitatis a Casimiro II. acceperit, expressus est in tota hac pagina. Alter locus de Casimiria, quem autor ignorat, est in Sarnicii Annal. Polonicorum lib. VII. p. 1142, quo de Casimiri Magni rebus gestis agitur. Ibi ad a. 1346 notatur: Cazimirus novum oppidum Cracoviae junctum condidit et de suo nomine Cazimiriam appellavit; cum antea Bavolus pagus diceretur. Ex Dlugossii autem, quem supra laudavi, loco, satis superque ostenditur, plures fuisse civitates, ex quibus Cracovia coaluerit, et si de nominibus disceptatur et de magistratibus diversis, nihil est quod huic certamini arma miscere conar. Ante annum 1792 plures adhuc fuerunt magistratus in his urbibus (cf. Le Laboureur voy. de Pologne P. III. p. 30.) et, ipso auctore confitente, (p. 131) tum demum omnes uni magistratui parere coeperunt. — Luce itaque clarius historia docet, Cracoviam hodiernum splendorem sensim sensimque obtinuisse, neque propter pristinam ejus auctoritatem necesse esse, ut Cracoviam ab antiqua urbe Carrhoduno originem traxisse arbitremur. Cracovia secundum optimos rer. Polon. scriptt. a Slavis condita, et ultra Saeculum VIII. historiam ejus prosequi non potes. Ptolemaei Carrhodunum autem, quod Gallicam originem nomine suo jam profitetur, in remotissima tempora recedit, quibus magna Gallorum cohors, solo natali derelicto, novas ad Danubium inferiorem (forsitan Brenni temporibus, cf. Koeppen. Inscr. Olbianam) sedes quaererent. Quos populos, cum Scythae et Graecorum ad Pontum Euxinum coloniae fortiter resisterent, magis boream et occidentem versus signa tulisse ibique consedisse credibile est. — Illis temporibus Lugidanam, Medoslanium, Eburum, Eburodunum, Casargim, Meliodunum, Carrhodunum Bastarnarum (Gallo-Germanorum) et Carrhodunum nostrum, quod Gallo-Gothinis non destitutus, ut credo, argumentis, adscripsi, ut et caetera omnia hujus tractus loca, quorum nomina Gallicam indicant originem, condidisse credo. Sed haec mea sententia tantum est; non pro certo, quod verisimile mihi videtur, haberi velim, ne, quod exploratum est ex idoneis historiae testimoniis, cum minus certis confunda-

tur. Ultra hos fines *historia* Carrhoduni prosequi non possumus, nam nemo ceterum scriptorum de primordiis urbis locutus est. *Certum* est Carrhodunum Gallicum (si malueris Celticum) esse nomen; inde autem elucet, Gallos conditores hujus urbis fuisse.

XL. De ratione inter *ictum rhythmicum et accentum* vocabulorum in *spondeum* exeuntium in senariis *Plautinis*. Scr. *Fr. Zelle*, phil. Dr. praecept. sup ord. in gymn. Berol. Colon.

Praefatio.

Fructus aliquot studiorum primum in publicum edituro duplex mihi fuit consilium, alterum, amicis et fautoribus, quorum ope ad hanc perveni vitae conditionem, ostendendi, quibus uterer studiorum et rationibus et eventibus; alterum, percipiendi eruditorum virorum de conatibus meis sententias, ut earum habita ratione reliqua aut emendarem aut persequerer studia. Qui tamen hac de commentatione, quae quam sit imperfecta, me non fugit, judicare voluerit, eum reputare cupio (id quod me explicare non oportet, cum bene jam de eo disseruerit F. G. Riemerus in cel. lexici Gr. prooemio), molestissimam litteris studendi rationem esse magistro scholastico, quae eo grăvior in me accidit, cum adhuc sim juvenis. Scr. Berolini d. XXVIII. m. Aug. MDCCCXXIII.

Constat inter omnes, nullam litterarum latinarum partem majori adhuc versari in depravatione quam poetas Romanos antiquissimos. Neque nostris temporibus incognitus est ille fons, ex quo tantum profluxerit malum, cui medendi nunc tandem salubris inventa esse videtur medicina. Longum enim per tempus iisdem fere legibus usi sunt docti homines ad restituendos antiquissimos Romanorum scriptores, quas veras probaverunt in emendandis posterioribus. Tantum tamen abfuit, ut hac processerint via ad eum, quem petebant, finem, ut contra eorum studiis in graviorem illi poetae delapsi sint depravationem. Leges enim, quas illi editores sequi solebant, ad Gr. linguae normam conformatae erant, quippe quibus aureae aetatis poetae, et qui eos secuti sunt, utebantur. Cum antiquiores poetae ex uberrimo suae linguae fonte leges sibi eligerent, necesse fuit, ut omni aliunde haustarum regularum usu, qui emendare voluerint, eos depravarint.

Maxima igitur laude dignus est Car. Lingius, qui,

quamvis in arctioribus mihi finibus remansisse videatur, in lib. doctissimo: *de hiatu in versibus Plautinis* ex hoc ipso scriptore leges derivare conatus est, quibus ejus emendandae sint comoediae.

Mihi quoque pervolventi suavissimas Plauti comoedias lex reperta esse videtur, cujus quidem similem acutissimus jam reperit Bentlejus. Bentlejus enim docet, accentum rhythmicum in universum ultimas verborum syllabas occupare non potuisse, quae tamen lex non adhibenda sit in prima et ultima trimetrorum dipodia, ubi ictus in ultimas syllabas cadere possit (cf. Bentleji schediasma de metris Terentianis p. XIX. XX. XXI. ed. Ter. Lips. 1791). Equidem, cum versus scandens Plautinos animum ad rationem semper adpellerem, quae esset inter ictum metricum et accentum verborum, legem reperisse mihi videor, quae non omnino similis est Bentlejanae, ita ut Bentlejus non semper verum perspexisse videatur. Quod superbius dictum non putabit, qui reputaverit, quantis in erroribus cum de re metrica in universum tum de metris antiquorum poetarum Romanorum Bentleji temporibus quisque fuerit vir doctissimus. Quomodo tamen mea discrepet lex a Bentlejana, h. l. non omnino explicare possum, cum totam non jam proferam legem, sed quandam ejus solummodo partem. Sed huic etiam inest parti, quod Bentleji contrarium sit regulae.

Hic enim disserere libet de ratione, qua accentus vocabulorum, quae in spondeum desinunt, in versibus senariis antiquae comoediae conformandus sit cum ictu rhythmico. Haec autem de illa ratione est regula: *Vocabulum, quod spondeum efficit, sive in spondeum desinit, penultimam habet in arsi cujusque pedis*, ultimam igitur in thesi pedis sequentis.

Hujus est regulae exceptio legitima: *In primo et quinto senarii pede syllaba penultima vocabuli sive spondeum efficientis sive in spondeum exeuntis in thesi, ultima in arsi esse potest.*

Ut de exceptione primum disseram; saepissime ea occurrit. In primo pede.

Amphitr. prol.

v. 22. *Scibāt* facturos: quíppe qui intelléxerat.
v. 33. *Jūstām* rem et facilem esse, óratum a vobís volo.
v. 42. *Vīdī* Neptunum, Vírtutem, Victóriam.
v. 43. *Mārtém*, Bellonam cómmemorare, quaé bona.
v. 44. *Vōbis* fecissent? Quís benefactis meús pater.

In quinto pede:
Amphitr. prol.

v. 2. Emúndis vendundísque me *lāetúm* lucris.
v. 10. Quae máxime in rem vóstram *commūném* sient.
v. 18. Dicám, simulque ipse éloquar *nōmén* meum.
v. 20. Pater huc me misit ád vos *orātúm* meus.
v. 21. Tamétsi pro imperió vobis quod *dictúm* foret.
v. 27. Non mínus, quam vostrum quívis for*mīdát* malum.
v. 38. Justám rem et facilem esse, óratum a *vōbís* volo.

Quaeritur itaque, quae hujus exceptionis sit causa. Bentlejus, ubi in sched. (p. XIV. et XV.) de more agit comicorum Latinorum, in prima sede corripiendi syllabas nonnullarum vocum per vocalem quidem breves, longas tamen factas positione et consonantium concursu, hujus rei excusationem requirit: „cum actor, in fine prioris versus anima recepta, plenum rapidumque spiritum posset effundere.“ Quae ratio, quanquam non omnino eam rejectam volo hac ab disquisitione, tamen non sufficit, cum ea, de qua loquimur, exceptio non solum sit primi, verum etiam quinti pedis. Altera causa eademque gravior haec esse videtur. Thesis, ubi ab ea incipit versus, non statim satis percipitur, cum arsis non jam antecesserit; eamque thesin fuisse, non arsin, haud prius intelligimus, quam sequenti jam audita arsi, ita ut fraus (si eam ita liceat nominare) appareat, non ubi perpetratur, sed postquam jam est perpetrata. Eadem mihi etiam causae esse videtur, ut in Germanorum poëmatis jambici versus saepissime incipiant a trochaeo:

Nenné mich nicht! Nach jener unglückselgen Schlacht.
Preisé dein Glück, dass es ein fühlend Herz.

et alibi sexcenties; quod, ubi rarissime in mediis versibus occurrit, vitio dari debere mihi videtur:

Den harten Fels gesprengt, *übér* den Abgrund.

Haec causa eandem licentiam non solum in primo, verum etiam in quinto senarii pede excusare videtur. Quod ut explicare possim, de totius versus senarii structura, qualis mihi quidem videtur, nonnulla me disserere oportet.

Satis constat, singulas cujusque pedis partes arsis et thesis ratione inter se conjunctas esse. Eadem autem ratio est inter singulos pedes ad eundem ordinem con-

junctos, et inter singulos ordines, quibus unus fiat versus. Quomodo illa adhibita ratione sex senarii pedes in tres coalescant ordines, hic explicandi non est locus, sed quomodo hac ratione singuli ordines binorum pedum senarium efficiant, docendum est. Tres enim senarii ordines ita conjuncti sunt, ut primum pro arsi habitum secundus quasi thesis excipiat, quem tertius ut clausula sequatur.

arsis *thesis* *clausula*
Emundis ven | dundisque me | laetum lucris.

Quia arctissima est conjunctio, qua arsis cohaeret cum thesi, nunquam in tertio pede illa, de qua agimus, licentia reperitur. Clausula autem, cum non solum minus arcte, sed etiam, quae ejus est natura, modo satis soluto praecedentibus adjungatur, in prima illam licentiam patitur sede, cujus thesis ab arsi praecedente, ut ita dicam, remotior est, quam alibi thesis ab arsi praecedente.

Regulam locum habere non posse, ubi vocabulum spondiacum, sive in spondeum exiens, enclitica adjecta, ictum rhythmicum in ultima habeat, elucet, quia accentus vocabuli ipsius hac enclitica in ultimam trahitur syllabam. Amph. prol.

v. 2. Emúndis vendun*dísque* me laetúm lucris.

Tamen accentus, ubi enclitica eliditur, penultimam occupat. Amph. prol.

v. 8. Et úti bonis vos *vóstros*que omnis núntiis.

Reliquum est, ut senarios Plautinos, in quibus illa regula laesa videtur, aut lectionis depravatione, aut poetae consilio, lustremus, et alterum ubi factum sit, genuinam restituere conemur lectionem, altero autem viso, qua mente poeta ita fecerit, explicemus. Quem in finem perlegi Amphitruonem, Asinariam, Aululariam.

Amphitruo Prol. v. 30. Multis legimus in edd.

Contágione meaé *mātris* metuó malum.

Pareus h. l. ad marg. notat, „omnes MSS. legere mei patris.“ Quod non omnino verum esse, et ipse ex edit. principis vidi lectione, *meae matris*, et Grut. et Bothius docent, qui in uno codice *meae matris*, in duobus aliis *mei matris* dicunt reperiri; unde Gruterus opinatur, fortasse legendum esse *matrem*. Qui autem praecedentia perlegerit, sine ulla alia, quam quae ex ipsis verbis facillime sumitur, interpretatione *mei patris* legendum esse censebit, ita ut totus sit versus:

Contágione mei *pătris* metuó malum.

Bothius scribit *patris mei*. Satius erat, inquit, in ἄρσει poni vocem graviorem. Gravitatem vocis *patris* non video, quippe quae neque matri, neque aliis opponatur vocabulis; nisi fortasse Bothius hic intellexerit gravitatem, qua omne substantivum adjectum superet pronomen. Quae si respici deberet, ubique pronomina possessiva scribenda essent post nomina.

v. 42. Omnes legunt libri:

Vidí Neptunum, Vírtūtém, Victóriam,

Haec quidem exceptio nostrae est regulae; quae ipsam regulam confirmet. Duplex enim hic afferenda est causa, qua tollatur vitium lectionis *Vírtūtém*. Altera est *enumeratio nominum* eorundemque hic *propriorum*, quae, quia minorem orationis componendae praebent licentiam, minus arctas etiam postulant regulas metricas (de propriorum nominum licentia cf. Herm. elem. doctr. metr. p. 190.). Alia hujus generis exempla praebentur Aulul. 1, 2; 17. 2, 8; 9. Altera causa eademque non minoris momenti est, ubi poeta efferri vult vocabulum majori vi atque gravitate. Quod eo potissimum fieri potest, ut rhythmus, qui hucusque leniter fluebat, nunc subito perturbatus, vocabulum, cui gravitas quaedam inesse debet, ad aures etiam minus attentas ita afferat, ut eae, etiamsi multa fortasse non percepta praetermiserint, quasi coactae audiant (Aulul. 2, 5; 10.). Ubi autem res complures enumerantur, nunquam fere gravitas quaedam orationis desiderari solet. Utramque igitur causam illud *vírtūtém* effecisse putes.

Hac exceptione arrhythmia efficitur, quae, ut supra jam diximus, nostram etiam confirmat regulam; cum doceat, poetam sensisse, neglectam regulam contra rhythmum facere, ita ut ea usus sit ad insolitum proferendum effectum.

Bothius sine ulla codd. fide copulam *et* post virtutem inculcavit.

v. 46. Sed mós illic *nūnquám* fuit patrí meo.

Versus impeditissimus videtur. Pro vocabulo *illic* legendum est *illi*, quod omnes praebent codd. Praeterea omnes, nec non edit. princ. legunt *nunquam* ante illi. Versus tamen, si ita eum restitueres:

Sed mos nunquam illi fuit patri meo.

tamen multis etiam modis laboraret. Quod pertinet ad laesam nostram regulam in vocabulo *ille*, hoc ferri posse mihi videtur, quia *ille* saepius prope est pyrrhichius

quam trochaeus (cf. prol. 148. 149. Act. 3, 2; 41. Asin. 4, 1; 43, 44.) *Illi* igitur jambus est habendus. Vocabulum autem nunquam sive dactylus esse potest, sive antibacchius. Dactylus, ubi legitur *nunqüam*, quod tamen scribendum est post illi, ita ut scandas:

Sed mós illí nunqŭam fuit patrí meo.

Simili modo *qüi* legitur Amph. 3, 1; 3. *reliqüus* Trucul. prol. 15. Capt. prol. 16. Cistell. 1, 3; 40. Terent. Andr. prol. 25. Eun. 2, 2; 9. Heaut. 1, 2; 19. Adelph. 3, 2; 48. Hec. 4, 1; 55. Phorm. 1, 1; 3. *loqüar* Amph. 2, 1; 9. *qüam ob rem* Amph. 2, 1; 2. *quidqüam* Amph. 1, 1; 5. (cf. Linge de hiatu in verss. Plaut. p. 47.) Antibacchius vox *nunquam* fieri potest, si veteres dixerint *nunquamde* eadem ratione, qua Festo et grammaticis auctoribus *quamde* pro *quam* dixerunt (cf. Both. ad h. l.). Tum scandendum est:

Sed mós nunquamde illí fuit patrí meo.

Tamen etiam nunc laborat versus, quia, quoque pede uno absoluto vocabulo, omnes desunt caesurae praeter leviorem illam primi pedis: *Sed mos.* Eam ob causam Bothius scripsit:

Sed illi nunquam mós fuit patrí meo.

v. 54. Ne scandas:

Eándem hanc *sí voltís* faciam éx tragoédia.

sed elisione *faciam ex* neglecta:

Eandem hánc si vóltis fáciam éx tragoédia

cf. quae notavimus ad Asin. 1, 1; 85.

v. 69. Pro vulgari

Sive étiam qui *ámbīssént* palmam hístriónibus

legendum est, quod caesura poscit:

Sive etiam qui ambiíssent palmam hïstriónibus

prima syllaba vocabuli histrionibus correpta (cf. Grut. ad h. l.). *Etiam*, quod ego retinui, quia nihil mihi compertum est de codd. auctoritate, nisi quod omittitur in edit. princ., multae edd. omittunt. Quod si deesse debeat, legas:

Sive qui ambiíssent pálmam hístriónibus

omissa elisione post *palmam.*

Act. I. Sc. II. v. 28. Falso ita legeres:

Et clándestina ut *célētúr* suspício.

Pro vocabulo *suspicio* Pareus nonnullas secutus edd.

legit *huc-itio.* Quod si in textum recipiatur, legendum est neglecta post *clandestina* elisione:

Et clándestina út celetur húc-itio.

Eadem tamen distinguendi ratio retinenda est, ubi suspicio in versu remanet. Ipse enim sensus poscit caesuram post *clandestina*, neque tamen post *ut*; quippe quod vocabulum (*ut*) arctissime cum sequenti *celetur* conjunctum est, quam ob rem pessime a *celetur* dirimitur, caesura interjecta versus gravissima. *Clandestina* contra vocabulum etiam rhetorico accentu aliquantulum a sequentibus est secernendum, quia periodus, ab hoc vocabulo jam ingressa, novum quasi initium propter gravitatem sumit a conjunctione *ut*, quae, simpliciori et jejuniori ubi poeta usus fuisset oratione, antecessisset ante *clandestina* Versus igitur ab initio ita est scandendus:

Et clándestina út celétur. . . . . .

Atqui *suspicio* quomodo versui inseri potest? Saepissime hujus vocabuli syllabae *suspi* aut primum aut quintum efficiunt pedem, ita quidem, ut vocabuli antepenultima sit producta (*suspīcio*). Asin. 4, 1; 29. Merc. 4, 4; 55. Trin. 1, 2; 42. 45. 3, 3; 54. Pseud. 1, 5; 149. Bacch. 4, 8; 50. Epid. 3, 4; 53. Terent. Andr. 3, 2; 21. Eun. 1, 1; 15. 3, 3; 8. Heaut. 4, 5; 53. Quamvis autem his locis numquam praeter duas syllabas *suspi* tertia etiam antecedens admittatur in eundem pedem, tamen non dubito, quin nostro loco quintus pes legi possit: . . . tŭr sŭspī. . . . . Saepissime enim apud comicos in quinto senarii pede breves habentur syllabae, quarum productio a positione est sumenda; cf. Bentl. ubi loquitur de licentia Terentiana (p. XIV. in sched.). Totum igitur ita scandas:

Et clándestina út celetur suspício.

Eodem modo scandendus est versus, ubi pro *suspicio* legas *consuetio*, quod Scioppius Donato et Verrio Flacco auctt. hic legendum esse opinatur (Sciopp. ad h. l, v. in ed. Plaut. Gron.). Utra lectio sit vera, nostri non est propositi, disserere.

Act. III. Sc. I. v. 14.

Esse ássimulabo, atque ín *hōrúm* familiam.

Camer. dicit: O inelisum retinendum est. Talis igitur est versus:

Esse ássimulabo, átque in horum fámiliam.

De hiatu post *assimulabo* v. Ling. l. c. p. 5. seqq.

Act. III. Sc. II. v. 16.

Et éccum video illúm, qui me miseram árguit.

Illum, quamvis pro jambo ferendum esset, ut supra (prol. 46.) docuimus, additum est Grutero auctore versus causa (ad vitandum hiatum post *miseram*). Alii aliud scripserunt, Bothius ita:

Et eccum ipsum video, miseram qui med arguit.

Legas potius cum ed. princ. et Gronov.

Et éccum video, quí me miseram árguit.

De hiatu legitimo in hoc v. cf. Ling. l. c. p. 16. sqq.

Asinaria. *Act. I. Sc. I.* v. 85. Multi edd. legunt:

Tibi nón *offútūrúm* si id hódie efféceris.

Tibi non invenitur in vett. edd. et codd., et a Camer. primum ex versus prioris fine repetitum. Alii legunt cum ed. princ.

Non offuturum si id hodie effeceris.

Ita versus retinendus est mutato solummodo ordine vocabulorum *si id*, quia hiatus post tertii pedis finem nunquam est legitimus. Hoc enim l. rhythmus ruit ad caesuram post sequentem thesin, quae haud inusitata est, tantamque habet vim ad versus totius rhythmum, ut aut ipsa, aut secundi pedis caesura opus sit cuique senario. Post thesin autem quarti pedis facillime hiatus tolerari potest, ibique est legitimus, quanquam Lingio hoc non probatur, qui eam ob causam duos mutat vv. (l. c. p. 65. 66, sqq.) contra omnem librorum auctoritatem. Hiatum post arsin quartam legitimum habeo hanc ob causam: Senarius cum longior sit, quam qui integer aut indivisus in partes aurium sensui accommodatas possit recitari, divisionibus quibusdam indiget. Quae tamen divisiones non omnes in ordinum finibus, h. e. per diaereses fiunt. Quod ubi esset, duriorem redderent rhythmum satis jam durum magnaque exstructum vi propter arsin, thesin non antecedentem, sed sequentem. Quam ob causam prima versus divisio esse non potest post primum ordinem, i. e. in secundi pedis fine, neque in medio secundo ordine, h. e. post tertium pedem. Post secundum ordinem (sive post quartum senarii pedem) incisio quidem major esse potest, ut postea pluribus explicabimus, quae tamen, quia jam sub finem est versus, non satis magnam habet vim ad totum versum. Igitur versus dividendus est etiam alibi, neque nimis procul a parte media, quia divisioni in prima dipodia factae ea non inest vis, qua totus ver-

sus auribus acceptus fiat. Haec divisio saepissime invenitur in tertii pedis post arsin caesura, praeter quam alia etiam saepe invenitur caesura post quinti pedis thesin, qua efficitur, ne versus pars posterior languescat, ubi deest diaeresis post secundam dipodiam. Hae duae gravissimae caesurae hiatum legitimum efficiunt post arsin vel tertii vel quinti pedis. In quaque enim senarii caesura, quae ad totius versus pertinet rhythmum, hiatus est legitimus. Ubi post tertiam thesin nulla est caesura, quod rarius tamen invenitur, post quartam thesin eam adhiberi necesse est. Cum autem altera caesura, post tertiam thesin, multo sit consuetior, altera, post quartam thesin, minus est usitata atque consueta. Quam ob rem hiatum post quartam thesin rarius inveniri, eundem tamen legitimum haberi necesse est. Hanc caesuram gravissimam esse, eo quoque probatur, quod multi versus post quartam thesin aut finem sententiae praebeant, aut personarum mutationem (v. plurimos locos ap. Ling. l. c. p. 37. sqq. 43.); quod non fieret, nisi post quartam thesin gravissima placuisset versus divisio. Ergo legitimus est hiatus hoc loco; praeter duos illos versus, quos Ling. codd. invitis mutavit, nonnullos jam supra attulimus (prol. 54. 69.). Versus noster est scandendus:

Non ófluturum íd si hodie efféceris.

De hiatu post offuturum cf. Ling. l. c. p. 7. sqq. 40. sqq.

Afferendum est insuper, quam ob causam gravior etiam incisio esse possit post quartum pedem. Ea autem fit, quia ultima dipodia, cum sit veluti clausula totius versus, minus arcte cohaeret cum secunda dipodia, quam haec cum prima; id quod supra copiosius explicare conati sumus.

V. 87. Falso scanderes:

Venári autém reté jaculo ín medió mari.

Omnes enim abessent caesurae, quibus versus senarius instructus esse debet, ut suaviter aures praetervolet. Videamus igitur, quomodo versus sit distinguendus. Voc. *rete* et in ed. princ. et, Bothio auctore, in multis codd. iisdemque optimis desideratur, praeterea, ut Bothius bene monet, ineptum h. l. esset, ubi de venatione, non de piscatione fit mentio. Hoc itaque l. inculcatum videtur ab iis, qui voc. *medio mari* in errores deducti hic piscaturam intelligi credebant, quam ob causam retis genus nominandum esset, quale est rete jaculum (cf. Taubm.

et Par. ad h. l.). Ineunte versu ex Bothii auctoritate facillime mutato, lego:

Venárier autem jáculo in medió mari.

De hiatu post *jaculo* cf. ad v. 85. huj. sc.

v. 99. Ne quíd nocere míhi *põssít*, quum tú tua.

Hunc v. antiquitus jam corruptum esse, ex ed. pr. videdemus, quae ita legit:

Ne quid nocere mihi possit, quam tua oratione.

Multae legunt edd., quanquam nihil dicunt de codd. auctoritate:

Ne quíd nocere póssit, cum mihí tua.

quam lectionem probem, ubi ex MSS. promanarit. Quod ubi non sit, scandas:

Ne quíd nocere póssit mihi, cum tú tua.

Act. IV. Sc. I. v. 55.

Nec úlli verbo máledícát, si díxerit.

Ita praeter ceteras etiam ed. princ., neque ullam codd. variantem lego lectionem. Hoc quomodo excusari possit, non video. Unum tamen senarium in Ter. Eunucho legi (2, 3; 49.), ubi prima verbi *dicere* syllaba in thesi est ejusdem pedis, in qua noster eam praebet versus. Bothius legit:

Nec úlli verbo dícat male, si díxerit.

nullam afferens lectionis suae neque auctoritatem, neque rationem.

v. 62. Tot réddat spurcas, quót *pūrás* habúverit.

Ita in multis edd. Ed. princ. et Gruteri contra legunt:

Tot noctes reddat spurcas, quot puras habuerit.

Bothius dicit, voc. *noctes* primum a Camer. omissum esse. Quo autem deleto, nullo modo locus intelligi potest. Lego igitur cum Bothio (an cum codd. auctoritate, nescio) *pure* pro *puras*. Puras scriptum videtur analogiae causa cum voc. *spurcas*, ita ut scriptores non respexerint versum antecedentem:

Si forte *pure* velle habere dixerit.

scandas igitur:

Tot nóctes reddat spúrcas, quot pure hábuerit.

Act. V. Sc. I. v. 1. Arg. Agedúm decum*bāmus*, sis páter. Dem. Ut jússeris.

Versum contaminatum jam indicat sententiae finis

post tertium pedem, quam poetam in caesura post arsin ejusdem pedis posuisse, primo intuitu suspiceris. Plerique codd. legunt: *Age decumbamus.* Alii, inter quos ed. princ., *Agedum cubamus.* Itaque scandas:

Arg. Age décumbamus, sís pater. Dem. Ut jússeris.

De ultima vocis *pater* producta propter mutatas personas cf. Ling. l. c. p. 47; ubi hic ipse allatus est versus.

Aululariа. *Act. I. Sc. I.* v. 17.

Cultrúm, securim, *pistīllum*, mortárium.

Bothius eadem ratione, qua usus est in Amphitr. prol. 42, scripsit *pistillum aut.* Omnes hunc versum talem praebent codd., qualem nos eum dedimus. Quae adnotanda sunt, supra diximus ad Amph. prol. v. 42, cujus loci hic simillimus est.

Act. II. Sc. V. v. 9.

Huccíne de*trusīsti* me ad senem parcíssimum.

„Versus requirat *detrusti.*“ Acidal. Ubi Ac. dicit *versus*, non tam intelligendum est metrum quam caesura. Quod enim ad metrum attinet, *ad senem* pro tribracho legi potest. Legas igitur:

Huccíne detrusti me ád senem parcíssimum.

v. 10. Ubi *sí* quid poscas ád *rāvim* poscás prius.

Ravim contra regulam accentum habet rhythmicum in ultima. Tamen in libris nihil est, quod versum emendandum indicet, nisi quod Gronov. multique codd. Gruteri legant *poscam*, unde orta mihi videtur principis lectio ed. *poscamus.* Ego malim legere *poscam*, quam tritius illud *poscas.* Quod tamen ad *ravim* pertinet, locus hic esse videtur illius exceptionis, qua vocabulum, cui magna quaedam inest vis et gravitas, suo rhythmo contra rhythmum metricum obnitatur (cf. quae diximus ad Amph. prol. 42.). Voc. *ravim* magna quidem vi pronunciari, sensus docet. Versus scandendus est sua cum arrhythmia:

Ubi *sí* quid poscam, ád ravím poscam prius.

Gronovius ad hiatum (legitimum tamen) vitandum, post *poscam* addidit *usque.*

Act. II. Sc. VIII. v. 2.

Ut béne *habērém* meaé me filiae in núptiis

Legi dicit Gruterus:

Ut bene haberem filiae nuptiis

consensu omnium MSS. et edd. vett., nisi quod V. C. intra lineas scriptum habeat: Habere me filiae. Recentiores intulisse de suo, quae vulgatam effecerint lectionem; simpliciorem forsan esse medicinam:

Utí bene habérem filiái nuptiis.

Illud igitur praeter dubitationem, versum jam antiquitus corruptum ad nos pervenisse. Neque dubito, quin nulla levior, eademque acceptior inveniri possit emendandi ratio quam Gruteri.

v. 5. Vitulínam, cetum, *pórcīnám*, cara ómnia.

Vid. quae notavimus ad Amph. prol. 42.

v. 7. Abeo *illinc iratus*, quoniam nihil est, qui emam

Bothius, qui nullis numeris ita legi dicit, mutavit:

Abeo inde iratus, quoniam nihil est, quid emam.

Tamen recte se habet versus, qualis in MSS. praebetur. Nempe vv. *Abeo illinc* primum efficiunt pedem. Bentlejus jam observavit, „syllabas per vocalem quidem breves, per positionem longas factas saepe corripi, idque potissimum in primo versuum pede fieri (sched. p. XV.)." Quam ob causam ea sede saepe quatuor syllabarum pedem invenias, plerumque tamen ita compositum, ut alia vel alia ejus syllaba tam sit brevis, ut omnino prope in pronuntiando elidatur. Qualis h. l. penultima est voc. *Abeo*. Eam si sequaris rationem primi pedis constituendi, caesura etiam suo loco restituitur, qua versus vacaret, si legeres: Abeo íllinc íratus . . . . In altera versus parte *quoniam*, prima syllaba in duas soluta, legas quadrisyllabum. Totus versus scandatur:

Abeo illínc iratus qŭoniam nihil ést, qui emam.

Act. II. Sc. IX. v. 9.

Fugiam íntro, ne quid híc *tūrbaé* fiát itidem.

Ed. princ. hanc exhibet lectionem:

Fugiam intro, ne quid turbae hic fiat itidem.

Bothius, qui ita scripsit:

Fugiam intro, ne quid turbai hic itidem fuat.

notat, in omnibus fere MSS. et vett. edd. legi: *ne quid turbae hic itidem fiat*, Ed. Lugd. 1587 habet: *turbae hic fiat itidem*, et in marg.: *L. hic turbae f.* Ego scribo:

Fugiam íntro, ne quid túrbae hic fiát itidem.

Hiatum post quarti pedis thesin legitimum mihi videri, jam supra explicui (cf. adn. ad Asin. 1, 1; 85.).

Act. III. Sc. VI. v. 10.

Plus plusque sospitent *istúc*, quod nunc habes.

Ita multae edd. Aliae legunt: . . . *istuc sospitent*. . . . In ed. princ. *istuc* plane est omissum. De codd. auctoritate nihil reperi. Mihi quidem videtur lectio *sospitent istuc* orta ex altera *istuc sospitent*, quippe quae versui contraria esse credebatur. Bothius legit *istucce*. Nonne liceat legere plusqüe trisyllabum? Quod si fieri possit, scandas:

Plus plúsqüe istuc sóspitent, quod núnc habes.

Act. IV. Sc. V. v. 3.

Namque hic non audebit aurum abstrudere.

Ed. princ. et aliae multae legunt:

Nam hic jam non audebit aurum abstrudere.

Bothio teste Camer. scripsit *namque*. Quod ubi sit in codd., scribendum est, ita ut legas cum Bothio:

Namque híc jam non audébit aurum abstrúdere.

Ubi tamen codd. non inest *namque*, vocabulo *nam* non eliso scandas:

Nam híc jam non audébit aurum abstrúdere.

de qua vetustissimorum poetarum Lat. licentia, litteram m non subtrahendi, disserit Priscian. ed. Putsch. p. 556. Prisciani locum et exemplorum, quae Plautus praebet, magnum numerum Bothius affert in ann. ad Amph. v. 341. (1, 2; 36.).

Act. IV. Sc. VIII. v. 11.

Nam ego módo *declināvi paūlúm* me extrá viam.

Multis in codd. omittitur *modo*, quorum major pars legunt hujus vocis loco: *non*. Scribo igitur cum Bothio:

Nam ego nón me declinávi paulum extrá viam.

XLI. *Varietas lectionis e Q. Curtii R. Codd. Parisinis* enotata a *Dronke.*

In nova Q. Curtii R. ed. adornanda, quam „Collectioni Auctt. Class. Lat." paravit *N. E. Lemaire*, Prof. lat. poes. in Acad. Paris.. duo consulebantur codd. Parr., de quibus editor in praef. t. I, p. XLV. haec disserit. „Textum ad fidem Codd. regiae Par. bibl. recensui, variasque lectiones, si quid dignum videbatur, quod memorarem, notis ipsis adjunxi. Duos praecipue, qui inscripti sunt 5717 (A), 5718 (B), antiquissimos quidem et valde inter se similes integros legi. Unum eorum eundem esse credo, quem commendant *Bern. de Montfaucon*, praef. ad Palaeogr. Gr. p. 3; *Dan. Maichelius* de bibl. Par., p. 56: *Journ. littér.*, t. XII., p. 95, 96; et *annorum octingentorum* esse dicunt. Ambo multas lectiones referunt iis, quas dant Voss. 1 et 2, Bongars. Palat. 1, 2, in ed. Snackenb. consentaneas. Quasdam ex his lectionibus in textum recepi, quem ad fidem Codd. redigere et omnibus conjecturis quam maxime liberum habere volui." De ipsius ed. ratione v. quae disseruntur in Biblioth. crit. rei schol. Hildes.

L. III. c. 1. § 10. *Caeterum Dario imminens, quem nondum* etc. A. B. § 13. *quae nunc dividit maria committeret* CC. ambo. § 17. *Quippe series vinc. ita ad stricta ut . . . . . solvere aggressus injecerat curam ei, ne . . . .* CC. ambo; editor scripsit: *Quippe, serie v. i. ad., ut unde nexus inciperet . . . . . percipi posset, solvere aggressus injecerat curam, ne* etc. c. 2, § 5. *peditum decem millia equitem pari armatu sequebantur* CC. RR. § 6. *Hyrcanis e. ut i. illas g. sex millia expleverant additis equitibus militatura. Idem vicies quadragena peditum millia armati erant.* CC. ambo. § 8. *pedester exercitus venerat, ducenti equites. Cum his erant ignobiles aliae gentes: duo millia* etc. Ita h. l. restituit ed. e CC. A. et B. § 15. *cibus quem occupati parant* B. § 16. *atque aurum* omittit B. § 17. *nisi etiam naturam;* hanc Modianam lect. ed. recepit e cod. B. c. 3, § 5. *quodve regnum Asiae occupare habuisset; haud ambiguae rei, quum in eodem* etc. A et B. Hanc lectionem paucis exceptis ed. defendit locumque ita scripsit: *quod vero regnum Asiae occupaturum esse, haud ambiguae rei, quoniam in* etc. c. 4, § 10. *Monstrabantur urbium sedes Lirnesi et Thebesthi Pontis quoque specus et Corytium nemus.* CC. PP. c. 5, § 6. *quas vicioria peragrassent.* CC. PP. § 10. *Animi autem aegritudo corpus urgebat,* ita cum Modio Lémaire edidit e codd. A et B. c. 6, § 7. *sig. an. sui impresso* CC. PP. § 12. *et nunc crede me* CC. A et AB, quod L.

cum Schmiedero recipere non dubitavit; mox scripsit: *non minus pro t.* § 17. *hujus utique regis* CC. PP. § 19. Vocem *etiam*, quae in vulg. praecessit *actus quoque* cum CC. PP. Lémaire ejecit. c. 8, § 3. *Minus hoc regi*; voc. *consilium* a Codd. RR. omissam L. pro glossemate habuit atque omisit. § 9. *bellorum obtulerunt* et § 10, *se occulerint* CC. RR.; Lem. dedit: *obtulerint — se occulerent.* § 16. *quanto maximo* CC. RR., quod L. recepit. § 19. *decernendum fore* edit. scripsit cum CC. RR., in quibus paulo ante legitur: *expetierat.* § 20. *quamque mutabilis esset* CC. RR., quod Ed. cum Schmiedero praetulit et hunc locum ita distinguit: *verebatur, nec injuria ex his, quae tribuisset sibi; quamque mutabilis esset, reputabat.* § 24. *aciem ordinat* e codd. RR. editor recepit. c. 9, § 4. *assueta corporis custodia* e codd. RR. scripsit Lémaire, assentiente modio. § 5. *Medique equites his proximi* e codd. RR. Lémaire scribere non dubitavit et e Snackenburgii conjectura interpungere. § 6. *aliarum feminarum gregem* CC. RR. § 8. *Thessalis adjuncti* CC. RR. *Peloponnensi* B. § 10. *abesset acies montibus* CC. RR. § 12. *lateribus* sine praepos. *a* CC. RR. c. 10, § 2. *Redditur et a M. major exercitus numero, jugis montium etc.* o codd. RR. editor recepit. c. 11, § 3. *quod is impetrasset* A., sed ab altera manu in margine, *imperasset*; B. omittit verbum *imper.* § 4. *egregie tuebuntur* CC. RR. § 8. *ei cerneret*, omisso v. *instare* B. Post *paucissimis* Lém. abstulit cum cod. B. distinctionem finalem. § 9. Conj. *ut* ante v. *circa* abest a codd. RR. § 10. *Atizies et Throimites et Sataces.* CC. RR. § 12. *et quae cuique* B. *auxilia formidat* CC. RR. quod ed. recepit. § 15. *inulti occupaverant* e codd. RR. in textum, quem vocant, ed. revocavit. c. 12, § 1, *et assequendi*, omisso pron. *eum* CC. RR., iique mox § 2. *in femine* pro *in femore.* § 6. *qui Sardes tradiderat* CC. RR. et ita Schmiedero praeeunte ed. scripsit; in media nota addit: „mox (§ 7.) pro (*doloremque*) *renovaret*, quod e nostris codd. restitui, cur vulgo scriberent *gravaret*, caussam non video;“ sed in textu legitur *gravaret.* § 10. *qui se introduceret* CC. RR. *nemo producere* CC. RR. § 17. *ex spadonibus* CC. RR. c. 13, § 1. *Atque quum praecessisset et Darii satrapa comperisset* etc. B. § 13. *Iloneo* B. § 15. Legatorum nomina ita leguntur in codd. RR. *Aristogiton, Rhopides, Leucrathes, Passipus et Onomastorides cum Omaio et Callicratide.* § 16. *duo millia et sexcenta* e codd. RR. scripsit ed. § 17. *dii* abest a codd. RR.

L. IV. c. 1, §. *Jam regius tum ad Euphraten contendit* CC. RR. § 11. *Rursus Xerxes*, omisso nomine *rex* CC. RR. § 16. *quem fastigio Sidonis dignissimum arbitraretur* CC. RR. § 19. *Abdalonymum*, ita Lém. cum codd. RR. hoc nomen scripsit. § 23. *sero* CC. RR. § 25. *eorum infestos* pro *infensos* restituit ed. e codd. RR. § 30. *ad* ante *hoc ipsum* non agnoscunt codd. RR. § 31. *ac* omittunt codd. RR. et mox *positis dis.* c. 2, § 4. *ipsi vocent* A. *vocant* B. § 6. Vox *amici* ante *coeperunt* abest a codd. RR. § 8. *pulsu illisa mari — enixus operum — exstitit.* CC. RR. § 18. *materies — advehebantur* A. § 21. *urbique admovebantur* A; *ubique admovebatur* B. § 22. Post *converterant* codd. RR. e § 19. rescribunt hanc sententiam: *et quo longius — absorbebat mare*, quam supra omiserant. C. 3, § 6. *ventus totum* et mox *laxavere*, omisso pronomine *se*, codd. RR., quod edit. praeeunte Modio in textnm recepisse se dicit, sed impressum est, *se laxavere.* § 11. *Aegro animi Alexandro, nec perseveraret, an abiret, satis certo, classis Cypro advenit, eodemque tempore Cleander c. G. m. in Asiam nuper advectis. Centum et nonaginta navigium* (quod ed. mutavit in *navigia*) *in duo* etc. CC. RR., quam lectionem ed. recepit. § 24. *corvos et ferreas manus cum uncis ac falcibus* desunt a codd. RR. c. 4, § 5. *abripuisse* ed. cum Schmiedero e codd. RR. scripsit. § 17. *occidendis defecerat rabies* e codd. RR. ed. in textum revocavit. c. 5, § 1. *se fore.* Haec verba omittuntur in codd. RR. § 3. *Vereri se ne* codd. RR. § 5. *ne — Arachosios nominem* codd. RR., quod ed. mutavit in *nominaret*, repudiata lectione vulg., *vel — nomine tantum notos.* § 7. *Alexander iis*, omisso altero pronomine *illis*, codd. RR., quod ed. abjecit. § 13. *Miletum.* „In codd. RR. multisque aliis codd. legebatur: *duas militum, duo millia militum.*“ Haec editor. Hac lectionis varietate confirmatur Cunzii sententia, cui h. l. de mendo suspectus fuit. § 15. *Tenedon quoque receptaculum* codd. RR.; ed. recepit lectionem Gron. § 18. *triginta inanes* pro *naves* e codd. RR. c. 6, § 2. *Bactrianor. p q* sic in codd. RR., quare ed. Gronovii conjecturam amplexus est. § 6. *magnam rem magis* codd. RR. § 9. *movendis — turribus* codd. RR. § 12. *vates consuleretur — intacta ea* CC. RR. *periculum esse*, sine verbo, *inquit* CC. RR., quod ed. quoque delendum censuit. § 26. Codd. Regii in lacuna nihil lucis afferunt. *sed quidquid* CC. RR. omisso nomine *tormentorum*, quod ed. expunxit. § 29. *Iram* CC. RR., quos ed. secutus est.

c. 7, § 4. *Oron amne* CC. RR. § 12. *cameli vexerant* CC. RR. quod ed. recepit. § 13. *erant ora* CC. RR.; ed. cum Modio et Schm. non dubitavit scribere, *et adusta erat ora.* § 17. *verno tepori* CC. RR. quod ed. praetulit *tempori.* § 19. *spoliis copiosa* B. § 26. *vates* omittitur in B. § 28. *ut ipsi victorem regem divino honore colerent;* haec verba, quae ll. editi post *adjecit* inferunt, non a codd. RR. absunt eaque ed. delevit. c. 8, § 1. *a mari* post *ut* omittitur in codd. RR. et recte quidem, ut ed. censet; in codd. A est: *rediens in Mareot.* § 2. *qui exaedificandae urbi,* editor e codd. RR. aliisque tribus revocavit. § 11. *e muris* ante *ob injurias* non agnoscunt codd. RR. quare ed. delevit. § 13. *regionem finium adjecit* CC. RR. c. 9, § 10. *Boumelo nomen* CC. RR. § 13. *ad reparandos*, CC. RR. quod admissa Schefferi explicatione ed. servavit. § 20. *invicem nutantium mutuus clamor.* Sic in textu; in nota vero ed. haec dixit: cum — nostris antiquissimis (codd.) et Schmiedero scripsi *nutantium mut. invicem clamor.* § 23. *Audaciae quoque, qua maxime viguit, ratio minui potest; quia numquam in discrimen venit, an temere fecisset — Mazaeus* etc.; ita in textu legitur; in nota ed. hanc proposuit lectionem: „Servata omnium codd. — lectione, quam in nostris Regg. clarissime legere est, scriberem, *audaciae quoque — ratio m. potest, q. n. i. d. v., an temere fecisset Mazaeus: qui* etc. c. 10, § 18. *unus* abest a codd. RR. c. 11, § 5. *finem* ante v. *destinabat* e cod. B. ed. restituit. § 13. *intervalloque desertas* CC. RR. § 16. Quae vulgo post verba *naturae meae* leguntur: *nec adversus calamitates sed adversus hostium vires contendo* a codd. RR. absunt editorque e textu exsulare jussit. § 19. *nempe obliti estis, nempe ultra Euphr. sum* CC. RR. c. 12, § 4. *deinde cum Scythis* CC. RR. c. 13, § 23. *quod solutum se curis somnum cepisse dicitur* CC. RR. § 25. *Raro admodum* etc. CC. RR. nihil ad illustrandum sensum exhibent, quare ed. Schmiederi conjecturam caeteris anteferat. c. 14, § 1. *praeeuntibus* CC. RR. § 7. *pervenisse eo* CC. RR. § 9. *circumstantia agmina* CC. RR. § 22. *genitum principem* CC. RR., quod ed. recepit, et mox idem e suis codd. dedit *majore mei parte.* c. 15, § 1. *qui cornu* A et B, omissa v. *laevum.* § 9. *Arripiunt* pro *rapiunt* ed. scripsit cum suis codd. § 11. Part. *sed* ante *sedit* cum codd. RR. omisit editor. § 12. *Inter haec Menidas* cum codd. RR. et Schm. ed. legendum censet. § 22. *et a fronte — ab Agrianis equitibus* CC. RR., quod ed. recepit.

L. V. c. 1, § 6. *se usu didicisse.* Cod. Reg. 1. (fortasse A.) § 7. *dedi certantibus* CC. RR. § 11. *a parte laeva Arabia* CC. RR. § 19. *excipit* cum Codd. RR. et Schmiedero. § 22. *patrium carmen*, quod in plerisque ll. editis post v. *more* legitur, cum codd. RR. ed. delevit. *Laudes hi* CC. RR. § 24. *non ut plerique* CC. RR. § 27. *per LXXX stadia* CC. RR. § 34. *undecim intervallo* B, omissa voce *pedum.* § 39. *damnum sentirent* CC. RR. § 45. *mensum*, omisso *est.* CC. RR. c. 2, § 9. *dedicata, ut f. e., vehementem aqua* aut *aquam* CC. RR. (cum quatuor aliis). c. 3, § 2. *centum et quinquaginta millia stadia mollioris soli* CC. RR., quod absurdum est. § 3. *millibus* et *militibus*, quod a nonnullis ed. post v. *mercenariis* inseritur, non agnoscunt codd. RR., quare ed. neutrum recepit. § 9. *simul admovens. Inter haec eminus petebatur — milites qui ut inde* CC. RR.; editor Freinsh. et Schm. secutus est. § 12. *sororis ejus* e codd. RR. § 23. *densatis ordinibus* e codd. RR. ed. receepit. c. 4, § 15. *eum* ante *intrare* non habent codd. RR. c. 5, § 13. *ubi horribiles cicatrices celet exsilium.* Haec verba absunt a codd. RR. c. 7, § 3. *apud omnes Graecos* e codd. RR. ed. scripsit. § 4. *ferente* CC. RR. c. 8, § 4. *maxime Parthienorum* CC. RR., et iidem mox *Bactrianae regionis*, omissis vv. *urbis* et *que*, quos ed. secutus est. c. 13, § 3. *non* ante equidem omittit B.

L. VI. c. 1, § 2. *inulti cadebant* CC. RR., quorum auctoritatem ed. secutus est, approbantibus Modio et Schm. — Mox ex iisdem CC. scripsit *stare possent.* § 6. CC. RR. *effusi*, male. § 10. *ingredi* restituit ed. ex omnium fere CC. consensu. § 11. *ut, urgente hoste, apertius fugeret.* CC. RR. cum reliquis CC., sed inepte. § 16. *Lacedaemoniorum quinque millia et CCC, ex Macedonibus haud amplius mille.* Hanc lectionem, quae est in codd. RR., ed. veram habet eamque in textu admisit. (Citatur antiquissimus Curtii interpres, *Vasquez de Lucene*, Lusitanus, (cujus gallica translatio prodiit a. 1503, Par.), qui h. l. habet: „Illec cheurent trois mille cinq Lacedemons, et de Macedons ung pou plus de mille.“) § 20. CC. RR. nihil lucis afferunt in loco corruptissimo; ed. assentit Tellier et Schmieder. c. 2. § 2. *lapsa (sunt) morem.* Mediam v. cum bonis Codd. expunxisse se dicit ed., sed est in textu. § 4. (ipsius deinde) *nunc ira.* Has voces, quas omiserunt Freinsh. Schm. aliique, e Codd. RR. ed. restituit. § 5. *interpellabat* Codd. RR. — *e Graecia exciverat* pro *excitaverat*

τι τῶν καλλίστων ὁρᾷν. μήτε ἀρωμάτων ὀσφραίνεσθαι μήτε μελῶν (Cod. μελᾶν, et recte quidem.) ἀκούειν ἁρμονικῶν. ἀλλ' ἀντὶ πάντων. εἰς ἀρκοῦσαν τρυφὴν τὴν σὴν ἔχειν ψυχήν. οὐ γυμνήν, ἀλλὰ μετὰ τοῦ μεγαλοπρεποῦς καὶ ἡρωικοῦ σώματος. σὺ δὲ ὥσπερ οἱ ἐρώμενοι ὑποκνίζεις ἐμὲ τὸν σὸν ἐραστήν. ὁμοῦ τε ὁρώμενος καὶ ἀποκρυπτόμενος. κἄν ἐπιλάβωμαί σου ποτέ, σὺ δέ μοῦ διολισθαίνεις καὶ τῶν χειρῶν. εἶτα δὴ θύραν ἐκ θύρας ἀμείβων, ἐντὸς τῶν ἀδύτων γίνῃ. κἀμὲ διείργεις τῷ βασιλείῳ καταπετάσματι. τί ποτ' οὖν σοι τὸ σόφισμα τοῦτο; ἢ δέδιας μὴ σου προσκορὴς τῶν τε ὀφθαλμῶν καὶ τῆς γλώττης γενόμενος, εἶτα δή σοι καταλύσω τὸν ἔρωτα. φιλότητος μὲν γὰρ καὶ εὐνῆς κόρος ἐστί τε καὶ λέγεται. ἔρωτος δὲ νοεροῦ καὶ ἐκ ψυχῆς εἰς ψυχὴν διαβαίνοντος, οὐκ ἄν τις εὕροι τὸ πέρας ποτέ. μὴ τοίνυν κρύπτε σαυτὸν ἐμοὶ τῷ νοητῷ ἐραστῇ. ἀλλά σου τὸ κάλλος λαμπρῶς ἐπιδείκνυε, καὶ τὰς ἁρμονικὰς χάριτας. καὶ τὰς ἀπεριηγήτους τῶν σῶν πλεονεκτημάτων ὑπερβολάς. εἰ δέ τις ἐστὶ καὶ ψυχῆς συγγένεια καὶ χαρακτὴρ ὁμοιότητος καὶ νοερῶν συνθημάτων ἐμφέρεια, θαρρήσας, ἐρῶ ὡς αἱ ψυχαὶ ἀμφοῖν ἥ τε ἐμὴ καὶ σή, ὁμόθεν γεγάασι: καὶ ἀπὸ τῆς αὐτῆς πηγῆς συνερρύησαν ὅθεν ἀλλήλας ἐπιγινώσκουσι καὶ βούλοιντ' ἄν μήποτε διεσπᾶσθαι, ἀλλὰ συμφυεῖς εἶναι τοῖς ἀῤῥήκτοις τῆς ὁμοφροσύνης δεσμοῖς. διὰ ταῦτα σὺ τὲ βλέπων ἐμέ, εὐθὺς ἐνθουσιᾷς, κἀγὼ σέ που ἰδὼν, αὐτίκα κορυβαντιῶ (V. Ruhnken. ad Tim. p. 163. sq.) καὶ ἀκάθεκτοι γινόμεθα ταῖς ὁρμαῖς. οὐ γὰρ ἐπηλυγάζει (Ruhnk. ad Tim. p. 117. sqq.) τὸν τῆς ψυχῆς ὀφθαλμὸν προκείμενον τὸ σωμάτιον. ἀλλ' αἱ πεμπόμεναι ἀκτῖνες ἐκεῖθεν, ῥᾷστα τοῦ σωματικοῦ ἀποπάλλονται ὄγκου καὶ οὐδὲν αὐταῖς τῶν πάντων ἐφόδιον: —: — στίχοι. *XXXII.* Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸ φλάμουλον τοῦ μονομάχου, ἔχον ἱστορισμένους τὸν ἅγιον γεώργιον, τὸν βασιλέα ἔφιππον. φέροντα λόγχην τε *) καὶ βαρβάρους διώκοντα: — *XXXIII.* Μάρνυς βασιλεῦ. ἵππε. λόγχη. βάρβαροι. σύμπνει. δίωκε. σπεῦδε. πλῆττε. πίπτετε. **)

---

*) τὲ, quod hic est, non habet Allat. p. 59. qui τοὺς praefigit ante βαρβ. *Friedem.*

**) *Allat.* l. l. in duos versus iambicos haec digesta scribit. *Friedem.*

XXXIV. (Tot epistolas recenset Fr. Sylburg. catal. p. 105. sed quum ea verba, quae contineret epist., epigrammatis, quamvis disjecta esse viderentur, ut et illa quae sequuntur *σύγκελλος κ. τ. λ.*, tantum Pselli videntur numerari posse.) *Τοῦ αὐτοῦ εἰς τὸν* $\overline{\alpha}$ (*ἅγιον*?) **) σύγκελον: — XXXV. Σύγκελλος ὡς σίνοικος ἀλλὰ τοῦ λόγου (καὶ πρῶτος ὡς πρόεδρος, ἀλλὰ τοῦ πόλου πᾶς οὖν τις αὐτὸν ἀσύγκελον λέγει) ὡς οὐρανοῦ πρόεδρον, ὡς θεοῦ φίλον: — : —*

XLIII. Variae Lectt. ex Cod. *Nonii Marcelli* Guelph. depromptae.

[V. *Miscell.* Vol. I. P. IV. p. 669. *G. Seebode.*]

Ed. Mercer. p. 190. Incipit de indiscretis generibus. *Per litteras id est per* A *litteram.* — Anguiportus (corr. *Angip.*) — anguiporta (corr. *angip.*) purg. — parvium — in anguiportum — s. masculi — as. in quadriduo — accep. tum his arbitr. s. comburat si velit — vivius tu pasc. — quinquatribus — absentium ut — leveque r. — admonitum — aud. dicuntur (suprascr. *ducuntur*) — menecmis — ego cujus membra — pinnatos — tota (supr. *torta*) — devinctum — alius altum funda — obstavit — nec mons atque adeo — epin. umandriam undam — obtexus — in omni corpore — harenosos — hoc (corr. *hos*) — evertite (corr. *everrite*) — ar. casus (corr. *casses*) — ut operas ar. — jusin. colum̃. (*sic*) deici — trinummi — pugnas sedere sunt — arvos (corr. *arvas*) caluitur — cavo Jonte — *THPΩC* — exima (corr. *extima*) att. me (corr. *metam*) aev. — ad dispensatorem — ex is (supr. *his* m. alt.) — acin. arebat — peri arceresion — inâni tetrach. — Albus generi (supr. *Alvus generis*) — fragil. aluo sed alius — Acubitionem gen. — haberet [vv. *convivium nominaret* desunt.] —

---

*) Imo *Πρωτοσύγγελον*, ut habet *Leo Allat.* l. l. p. 47. qui eadem verba, quod *Roetherus* quoque fieri debere senserat, refert iambicis versibus descripta: *Σύγγελος — λόγου, καὶ — πόλου, πᾶς — πρωτοσύγγελον λέγε, Ὡς — φίλον.* De mensura v. *σύγγελος* cf. *Struv.* de leg. pros. et metr. serior. iambogr. Gr. p. 30. sq. ***Friedem.***

Incipit per B *litteram.* — ad balln. pallacenas red. — unde in balneas cyrus inde hic veni — umero cum — tragica v. — maceras — nobilis blandit. —

Incip. p. C. *litt.* — est ne ardua nit. fortunae scendere (*sic*) — viri decima (*sic*) — Cons. generis feminini — consetura (corr. *consit.*) — juppiter — culto (corr. *cultro*) quoquinari — hannibal laudacium pectore — quam (corr. *quem*) cred. — colloc. omni - varro cei (*sic*) lib. II. — Certamen generis — accolis celeriter — cons. agladios (*sic*) — Cuaerellae — titte (supr. *tithe*) — compositum (corr. *comptum*) — consortione femini — lib. XXVIIII. (corr. XVIII.) — scribiturum — Clipeus (*sic ubiq.*) — laverius — clipeus contra — proici — caementa cadunt — amnis converterit omnis — atheris terras sufferre — hisť caelus — quanquam — generis (corr. *generes*) masculino — livius l. XII. — porcorum (corr. *pecorum*) caelius filumena — hyporistioos — in bucolico — quid tud eilla (supr. *ecilla*) mea — pol accubituram — magi (supr. *magis*) sum — rare igitur et — temporis curris curiculum (corr. *curric.*) — ade pol — donum dedit — contagia neutro — mala vici (corr. *vicini*) — ut accubo (corr. *accubes*) ferro — corium masculini — virg. lib. XII. — disperivit — a carcere intimo missum levi inoff. per ecor cand. ad c. sibit — aritudine (corr. *amaritudine*) id. est tithono — *THPΩC* — fetontiadas — nominanda est — calorem (supr. *caloremque*) — Caseus neutri· novius maccho (corr. *macchi*) pec. — Coll. masculino — em presto est — modo sursum (in marg. m. vet. add. *modo deorsum*) tamq. coll. cernis cecil. sarpazomane — idem soenefebis — barra collus — umens — optume — abtorq; prim ac suppa — id. ẽ lib. XVI. — avi et aui n. — flebile sit — lacrimosa — sinape cepa — magna contentio — de offic. l. IIII. milia quae est dol. — intervertit ad coricum — conata exequar — meletricẽ — feminino graius — desulata (corr. *desoluta*) crine pillis (supr. *capillis*) — commi (supr. *Cummi*) gen. —

Inc. p. D *litt.* — tutus (corr. *totus*) — masc. nam decentiam femini — et tusculan. l. II. — et de off. l. I. — generis (supr. *masculini*) habetur ut (corr. *et*) saepius — virg. l. VIIII. — ad diluvium rev. — oratius carm. — cultus diluviem minatur — — *Inc. p.* E *litt.* . . eventum ici poterit quocunque — Erbum gen. — — *Inc. p.* F *litt.* . . . ermafroditns (supr. *herm.*) — gestas· feminino pacuvius· voce suppraessa innato — coloratilem frontem h. petulis — lucretius primo et — ceratam finem

esse vident — Aen. l. IIII. — qui fine — humanitas quae ag. — maleagris — haec q. haec facere — feminino lucret. — aureas de caelo — tant. geris esse — concitatū ris (*sic. u* add. ab alt. m.) — lucilius saranacaecili (corr. *ser.*) — fundania — Favor generis · feminino — agustam adh. faventiam more obsc. dictis segregens — Georg. l. III. — bucolicon femin. — futurae (corr. *fet.*) ab illis nec — virg. l. VIIII. — binā ceus quae — pary — iub. supponi fico — vessuvium — transgr. fluvium — ex virili. —

Inc. p. G *litt.* — masculino plautus — obteras inferior — livius ipsi (corr. *pisi*) — laus genu — sub divo — lib. II. libri quia qua tum — iudentur — atq. solum fer. — exidunt eum — tripolo (corr. *tripoli*) — *KAIHCEΩC* nec coriscus — sesq: ulixes (*sic ubique*)· qui — generis masculi sunt. femini Lucr. l. IIII. — et quorum duell. — — *Inc. p.* H *l.* . . . . feminini claud. — in quintium — murena ulla orrea — — *Inc. p.* I *l.* . . . parlmentaria ut intubus — al. et id genus — Philipp. l. III. gneum dom. — insaniam affret (*sic*) — qualeis (corr. *quale eis*) put. est masculinum — porcae verre idragogiae clauaca int. — perfectum video hanc primum ingr. — sermone est famil. disserendus — protesilao · dam iniunt — cacinnos ioca dictarii sitantis. —

Inc. p. L *litt.* — virg. gn̄ l. 1. — aspernabare (corr. *aspernabere*) — masculino plautus — Lauium — lauiumque — labeare rursum — bibosti (corr. *bibisti*) — macho — ergo dedita — tonderem — zopirion — cedit ut. — veribus — devenire (corr. *devenere*) ingentia (supr. *cernis*) moen. — belli punici — assumptis — ex feminino — toto (corr. *tanto*) subl. — Luxus v. ludus — paulum proc. — idem in oratore qui — propriae palestrae — in culine (corr. *culice*) — pentuntur (corr. *pet.*) — masculino nig. de dis — quattuor — de re pr̄ l. l. — in paupertatem eo licentatus — Latrinas genere — gustis ex cinyca — luctus (corr. *lutus*) erat multis (corr. *multus*) — laverius — — *Inc. p.* M *litt.* . . . ad mercatim (corr. *mercatum*) eo vilice — sexagesi· sūmptum comitia — mercaturam eam ven. — mercaturam peiorem faciet — mercatore (c. *mercature*) — hoc coepi — si (c. *sis*) prof. — in ūris vultis — ur̄m merc. — acc.· vaccis — tesiantem (c. *thes*) fremita — rithmus — cato valde liberis — primus seminis — phures quam — *OTCIΩC* — margariti *KANAIKANTIA* feminino — *ΠAΠAI* — conca vid. — se modum m. — masculino luc. — magnum esse non pr. vinde media (*sic*) — ad Attic. l.

II. — non corrigeris — feminini m. tull. — mundosa d. litora — magni intus tumultis — possidet· ennius nim. tilla ten. — masculino varro s. iacciti — mulieris generis — miseriae mumium (*sic*) —

Inc. p. N *litt.* — ii (corr. *hi*) pusillini qui spectant — magister dimittus sum (*sic*) m. — paucarum (c. *paucorum*) — quotiens — tafe minippi (*sic fere ubique*) — marcosioe non qui — iliada neptos (c. *nepos*) netulisti (*sic*) — neutri apud — ẽ (*est*) tendamus — breseidem — traciare — Georg. l. II. — novales (c. *novalis*) — — *Inc. p.* O *litt.* . . . Obsequelā fem. — faciunt — turpil. etglero (*sic*) set neq. — errari — suae parum obsequelae — Historiae l. II. — scarique — illius obseq. — nec multum — ex sala c. helaps — capta quivit — concas — in ortensio (*sic fere ubique*) — ostrinam lucr. — ac cenum . . cena — milibus (*sic ubique*) — varro eos pote *περι ωρων* — ecinos — masculi varro — ait *πομοια OEC* idem — est eum ego —

Inc. p. P *litt.* — currente in elignis — et putei et — cogis pist. — vas (c. *vasta*) videtur — virum postica — perr. interioris partis dom' (*domus*) — per post. vallem feci — paritudo et p. feminino — pactitudo prope — proiiceret (c. *proic.*) — feminino plautus — cessum ad praesepim suam — intra intra praesep. — varro de re rustica — ũnam (*sic*) praesep. — cellam vin. — Pinqguae est pro — perd. ueotios — dici vult (verba a *Palpebrae . . . pilorum* post *Purpuris* in cod. exstant.) — gen. macculini — palpebrae quae cadunt poplitisque cavenți (c. *cauanti*) — calliblefaron — vallatoi mobilis septos — m. tull. de oratore l. II. — palpebrae quae tamquam — manlius· nouius neutri — plautus baccidibus qui enim — de vitae quo — unum *et* (delet.) ex ore — langor obressitque — accititesemestra (supr. *accius tit.*) — neutri varro — *περι εναρχιον* — vid. in niveis (*vineis* corr.) — sirpibus et h. — utilitatis — peruos spatio — dogali unum penum quae — meam (corr. *mea*) penum (supr. *im*) — neutri caelicius plochio — umida mella — ferumque — pauperem (c. *papaverem*) — Pilleus (*sic ubique*) — plaut cornice te obsecronide (*sic*) pilleum — licilius (c. *licinius*) macer in hornithogonia — femininо — varro erti (*sic*) pr̃ divinar. — im (*sic*) mensam p. — feminino pl. — tunc ornix (corr. *cornix*) — pluvia voc. — masculino — masc. nominia (c. *novius minia*) m. — cadunt (c. *cadent*) — follonibus (c. *full.*) — gratius — geminini ea — ennius bonis unde — utaeque prop. —

Inc. p. R *litt.* — nudantes dentes — attitius (c. *attrit.*) — sepulcro — feminino pl. — in verrinarum siciriemsi (*sic*) reticul. — tenuiissimo l. pleno ros. — claudius primo — corn. cessum omn. — disperre ctesifontem — audivi flumina (c. *filum.*) aff. — aescino — Reditus geris masculi (*sic*) — Aen. l. III. nostri — ejecerent (c. *eicer.*) — — *Inc. p.* S *litt.* . . . Specus masc. — neutro Sall. — spectus (c. *specus*) per vias — specus populi — cum admissam — animadvertissent quendam — latet specus — niptris — m. aetam — fabi pictoris — legi mustes fit et sale quo sale' — et ollam r. fac idem adject. — sera (c. *serra*) ferreo — nevius pell. — saxa et stridor ubi atque erunt — agitur (c. *igitur*) — molis umeris — labere sanguen — parum (c. *patrum*) — idem in aeneadis — varro cosmototine *περι etc.* — non fugiat — Subcuboneum — subcuboneam — nevius gemnast. pol aut — simile est — natus est — levius (c. *Nevius*) ligurgo — tyssigere brehcae modo — gemnasio — fodiendo — Singrafas.. symgrafas qua nost. — sic canis fit — tritrico — frigibus (supr. *frug.*) — calmoque (c. *culm.*) — l. moenia — aliquod bonum — pro di immort. — ciade et squaliisdine (*sic*) — luctuque — scale (supr. *squale*) — illuviae — vastit. squalitate — obruta — tetigit (c. *tegit*) — *ανθ. τενεθλιαχης* — insolam chrisam (c. *chriam*) — meapolis — seplesiae — masc. stupiditatē accius aep. — Styrpem — aen. l. VIII. — masculino enn. — suppremo — dubito quam ins. — in tirpe m. — favis s. — conmemor. —

Inc. p. T *litt.* — et oculorum tact. — talis etiae (*sic*) — screpitus — vulgani vorax — epinausimace — braches saga — aureae scuta — manli torq. — eam evertit — de vita pr̃ (*sic ubique*) — et facere (c. *fare*) quae — timid. territ — affictas — tumiditate — incauti propter praest. prud. crastina deleg. e. — mascul. varro motū̃ — cotidie — georgicon — trahaeque — dirigentur — masculi sunt — feminino (c. *feminini*) — masculino varro — pedatas (c. *pedatus*) v. tardu (c. *tardor*) — pritymon c. Tibi (supr. *Tibia*) masculi v. medio — vilingoos (c. *bilinguos*) — leva — — *Inc. p.* V *litt.* . . . diis peri mis. — et georgicon — ennium (c. *ennius*) adv. semper vivos vostraque — spergere (c. *sparg.*) — ambigas (c. *ambiguas*) — antem ne — discit — pontificos plus — combureret — immelle (*sic*) — sic centum — de orat l. II. — feminine plaut. — coepit — dum usioni — op. orabant — vepraes (c. *vepres*) feminino — decelo (c. *decedo*) cacatum — fufidius — masculini pl. —

aethra vesp. — tã ne ma domo (*sic*) — flacchi — facere ne homines — vigilius — quid vidit aliud c. —

XLIV. H. C. A. EICHSTADII,

Theol. D. Eloqu. ac Poes. Prof. P. O. in Acad. Jen.,

Deprecatio latinitatis academicae.

[Jen. a. 1822. 4to pp. 11.]

Latinitatem academicam hoc loco non dicimus eam, quam singuli fortasse doctores academici, Latinarum litterarum incuriosi, suis in scriptis tamquam propriam sibi vindicant, sed quae, communi quodam Academiarum usu et auctoritate recepta, jam dudum ita invaluit, ut non modo pessimae notae vocabula, verum etiam proba improbo, hoc est, antiquae consuetudini prorsus contrario sensu usurpentur. Nihil enim non indulgeri solet in disputationibus vel scriptionibus academicis, dummodo, quae absona sunt, ad academicam consuetudinem, sive, ut dicere malunt, ad terminos technicos Academiarum referantur, in quibus verba valeant sicut numi, et vitiosa quaeque in usus vel potius abusus diuturnitate paratissimam excusationem habeant. Quorum vocabulorum ne quis aut vituperationem temerariam, aut fugam putidae et obscurae diligentiae indicium censeat, quid sit, quod deprecandum hac in re videatur, breviter exponam.

Vehementer enim abhorreo ab stulta morositate illorum, qui res, veteribus incognitas, a recentioribus inventas in usumve introductas, circumloquendi ambiguitate obscurare malunt, quam vocabulis novis, vel novo modo compositis, interdum quoque hibridis, sed dilucidis tamen rerumque notioni aptis *), ad communem omnium

---

*) Huc pertinent etiam vocabula Graeca, quibus recte uti licet in iis doctrinis, quarum explicationi non sufficit lingua Latina. Sed Graeca admiscere elegantiori orationi Latinae, non minus barbarum est, quam Germanicam dictionem inquinare verbis Latinis vel Francogallicis: quod ab elegantiae studiosis merito reprehenditur. Et Cicero quidem quo in scribendi genere, quibus in libris, quas ob caussas Graeca immiscuerit, nondum satis quaesitum, certe non ita enucleatum est, ut, quantum ab exquisito illius judicio et recta ratione abierint sequiores scriptores, ab omnibus intelligatur. Frontonis, ineptissimi scriptoris, dictionem quum eo nomine vituperas-

intelligentiam patefacere. De rebus mathematicis, physicis, chemicis, (quamquam de his omnibus vernacula lingua scribi consultius existimamus), sed Latine de iis scribentem quis ferat, qui longis ambagibus utatur Latinarum loquendi formularum, quibus res nón exprimantur, sed utcumque describantur? Afferam exempla quaedam. Numeros primos inter se, denominatorem, numeratorem, regulam alligationis, lineam normalem, pondus relativum, pondus absolutum, tubulos capillares, indicem mercurialem (*Elasticitätszeiger bei der Luftpumpe*), tubum reflectentem (*Spiegelteleskop*), acidum sulphuricum, aquam regis, arcum semidiurnum (*halber Tagebogen*) et centena hujus generis alia quis, qui Latine scribit, non ausit scribere? Aut quis, qui legit, amandet scriptorem ad Noltenii Lexicon antibarbarum, cujus novam et vocabulis ejusmodi refertam editionem curare, nobis quidem multo difficilius videtur, quam post Lipsiensem librarium novum Lexicon conversationis edere, ad quod vituperator iste rursus a scriptore amandetur. Haud dissimilis est ratio in rebus philosophicis, iis quidem, de quibus novissimarum scholarum vel auctores vel sectatores primum explicaverunt. Facile assentimur viris eruditissimis, qui Latinam linguam in philosophia tamquam normam quamdam et regulam commendavere judicandarum notionum, quae, quo clarius cogitatae sint, eo facilius peregrino etiam idiomate exprimi possint: quandoquidem obscuritas saepenumero proficiscitur non tam ex paupertate linguae, quam ab inopia illorum, qui neque cogitare recte, nec recte scribere didicerunt. Sed non cadit id crimen in Kantios, Fichtios, Schellingios: qui, quae divino ingenio reperta nova protulerunt, quis sana mente praeditus obducere sustineat caligine ac tenebris verborum, ad alias signandas notiones a Romanis procusorum? Aut, ut exemplum petamus ab ea re, quae apud omnes pervulgata est, quis novos novorum munerum atque honorum titulos, antiquo Latii velut colore tinctos, sine interprete intelligat extra patriam, in qua noti sunt homines, titulorum illorum ornamentis insignes? Stiglizio Ernestius Ciceronem ita inscripsit, ut patronum suum appellaret in regio judicio, ad quod provocatione certatur, consiliarium, in collegio, quod in Academia Lipsiensi de jure respon-

---

sem, docuerunt me Berolinenses editores, pleraque Graeca verba esse, quae vituperandi causam dedissent. Id ego tenebam adhuc ex puerili institutione: sed male fecisse Frontonem, Graecis ita usum, existimabam; neque nunc aliter sentio.

det, assessorem, denique a sacris rei bellicae consiliis. Intelligimus nos Germani omnes, quos titulos honorum indicare vir summus voluerit: nec poterat verbis aut propriis magis aut clarioribus uti. Britanni, Batavi, Itali, Francogalli num pariter intelligant, nescimus, neque magnopere curamus: nam posita sunt ea verba, quibus non licebat aptiora substituere. Sed *conrectorem* scholae, *verbi divini ministrum*, *concionatorem*, qui dicere verecundatur, propterea quod duo priora vocabula Romanis scriptoribus inaudita, postremum autem nomen contumeliosum fuerit tribuni plebis et concitoris reipublicae, is, ne gravius quid dicam, nimis superbus et fastidiosus est in judicio ac delectu vocabulorum. Et condonandum fortasse ejusmodi fastidium est Christophoro Saxio, seni nonagenario, qui legendis unice veterum libris impalluerat, ab eorumque auctoritate ita pendebat, ut ne *voluminis* quidem vocabulo utendum putaret de aliqua parte libri, iuberetque potius, quia libri hodie non volvantur, hac in re *codicis* nomen usurpare. At non sunt illico Saxii, qui, quum relata ista in ejus Onomastico legerunt, κακοζηλίᾳ ducti, eamdem in scribendo judicandoque severitatem affectant: nec singula verba faciunt artificem scribendi, sed verborum compositio, orationis, sententiis congruae, habitus colorque Romanus. Nos quidem, si profiteri hoc liceat, non pudet in scribendo perspicuitatis majorem quam elegantiae rationem habere, ita, ut saepenumero haud inscii committamus, quae carpendi reprehendendique copiam faciant iis, qui Ciceronianum morem et sectam instaurare cupiunt, et in oratione Latina non nisi singula verba aucupantur. Quid velim, ipsa hujus libelli inscriptio docet. *Deprecationem* dixi significatione non Ciceroniana, sed qua primus, nisi fallor, Quintilianus usus est. Deinde non dubitavi *Augustanam Confessionem* dicere, quamquam neque *confessio* hac significatione dicebatur Romanis, neque *Augustana* proprie dici potest religionis formula, non scripta, sed recitata, in consessu imperii Augustae Vindelicorum. Poteram hac ipsa circumscriptione uti: sed malui rem brevius dicere quam obscurius. Neque quod apposui *in memoriam*, satis Latinum est: id quod Vossius et Noltenius jam dudum docuerunt: et in aliis hujus generis programmatis alia loquendi forma usus sum. Abhorret item ab antiquo scribendi usu, quod paullo ante perspicuae brevitatis caussa scripsi, Lexici *editio*, Lexicon *conversationis*. Sed in talibus dandum est aliquid consuetudini nostrae

aetatis, neque ex hoc genere, quod apud Ciceronem non reperitur, illico damnandum.

In his itaque faciles sumus eamdemque, quam legentes damus veniam, nobis scribentibus vicissim petimus. Verum alia sunt, quae non tantum perperam dicantur, sed perverso etiam sensu mentique scribentis contrario. Haec et possunt vitari, quum in promptu sint proba et propria verba, et vero diligenter vitari oportet, ne, qui Latine sciunt, scripta secus, quam scriptor voluit, intelligant atque interpretentur. Ea qualia sint, exemplis aliquot, ex latinitate academica depromptis, declarabo.

Quotiescumque muneris ratio ita tulit, ut novarum scholarum indicibus, qui singulis semestribus academicis emittuntur, more majorum praefaremur: toties animum offendit mala consuetudo Academiarum, quae eo scholarum nuncio utuntur, cujus ipsa frons erubescat. Quid enim? *Lectiones* indicunt, per aestatem vel hiemem instituendas. Quod vocabulum sive de iis intelligatur, qui scholas habent (quo modo intelligi certe volunt, qui *praelectionum* vel *recitationum* *) nomina substituunt), seu de his, qui obeunt, non tantum abhorret ab usu veterum, sed etiam pessimi vocabulum ominis est. Tardissimum enim atque inertissimum oportet esse doctorem, qui, quando apud eos, qui audiunt, pensa academica do scripto *legerit*, vel ex alio libro *praelegerit* ac *recitarit*, suo se officio satisfecisse arbitratur. Nae ille, etiamsi *proprium* librum (ut loqui hodie amant, qui suum, hoc est, conscriptum a se, non, suo aere redemptum, intelligi volunt) etiamsi igitur *suum* librum ad praelegendum adhibeat, indignus est hac saeculi luce, amandandus, si fieri possit, ad eos, qui de arte typographica ne fando quidem audiverunt. Antequam enim ars illa, litterarum summa auxiliatrix et patrona, exsisteret, quaecumque via quadam et ratione multis simul essent tradenda, necesse erat praelegi de scripto, atque adeo dictari iis, qui discere cuperent: ut ejusmodi praelectio, quatenus cogitata ad plurimorum notitiam proferret, non solum magno in pretio, sed etiam instar esset typorum. Nunc autem, nobilissima arte inventa, et crescente in dies librorum typis impressorum numero, permira res foret, si qui adhuc ait doctores academici crearentur, qui artem illam

---

*) *Recitationem* et *recitare* quo sensu dixerint veteres, satis constat, etiam ex Juvenal. I, 4. Caveant tamen tirones, ne ad scholas academicas afferant eam verbi notionem, quae expressa est in novissima poetae illius interpretatione. Vertit enim Donnerus: *vorkaun*.

ignorarent, aut creati salariis alerentur ea scilicet de caussa, ut ignorandi artem soli vel jus vel beneficium haberent. Immo vero, quod Schleiermacherus in libro, quem de Academiarum ratione scripsit, vere monuit, commodius erat ad discentium opportunitatem, et accommodatius ad doctorum istorum modestiam, dictata illa exscribi formulis litterarum lithographicis, ut domi possent otiose ab iis legi, qui nunc ad audiendi chartisque consignandi laborem in acroateria convocantur. Apertum est igitur, *lectionum* vel *praelectionum* vocabula non cadere in doctores, certe eorum personam non decere: discentibus autem multo minus conveniunt. Nam quis ita stolidus fuerit pater, qui filios, summa cum fide et cura educatos, magnoque saepe viatico ornatos, lares ac penates jubeat relinquere eo consilio, ut apud exteros *legant*, quae parvo empta, multo salubriore pretio etiam eas per provincias, quae enormi portorio morari et impedire quodcumque commercium litterarium satagunt, in patriam mittantur? Sed non lubet his diutius inhaerere, praesertim quum idemtidem nobis redeundum sit ad id, quod primo negavimus, comprobari hanc latinitatem veterum scriptorum auctoritate. Quamobrem, ne aut nimia in verbis facilitate peccemus, aut perverso vocabulorum usu nobismet ipsi injuriam faciamus, animo sumpto, inposterum *scholarum* vobis indices offeremus, Cives, non *lectionum*.

Utar alio exemplo, quod magis ad vos spectat, *Ornatissimi Commilitones*. Ita enim appellare vos solemus, qui, scholarum minorum spatiis decursis, litterarum caussa in Academiis versamini. Miraretur haud dubie, si audire posset, Cato aliquis aut Cotta, adolescentulos jam praefectos iis muneribus fuisse, quae qui cum dignitate gessissent, proprie apud Romanos et simpliciter, non adjecto alio vocabulo, *ornatissimi* dicerentur. Nam M. Caecilium illum, lectissimum atque *ornatissimum adolescentem*, quem Cicero vocavit Div. in Caecil. c. 9, ne stare vobiscum putetis, cavebit Manutius, recte monens ironiam non abesse. At erit aliquando, quum amplissima munera administrabitis. Audimus et speramus. Verum ne ad rem futuram, ideoque fortuitam et incertam, detorqueamus vocabulum, quod Romanis de praesenti aut praeterito usurpabatur, nos quidem inposterum *humanissimos* appellare vos malumus ab illa humanitate litterarum et morum, quam appetere vos omnes diligenterque sectari et volumus et gaudemus.

Academia vel societas *scientiarum* non condita est

Jenae: quae si esset, eam hoc ipso nomine redargueret Societas Latina, quod appellationis barbariem affectaret. Sed habemus *facultates*, quibus qui adscripti sunt, ex iis senatus academicus constituitur. Habemus facultatem theologicam, juridicam, medicam, philosophicam. Distinguimus facultates superiores loco et inferiores. Apud Romanos *ordines* erant. Quod vocabulum quidni perpetuo servabimus in re, quae exprimi aptiore verbo non potest? Cur dicere gravabimur *ordinem* theologorum, jurisconsultorum, et sic porro: eum fere in modum, quo Romanorum more et *curiam*, et *senatum*, et *patres* dicimus, et ex novissimo instituto etiam *conscriptos* dicere licebit. Expulso *facultatum* nomine, curabimus tamen, ut cujus generis *facultatem* in senatu maximam Cicero praedicavit (pro Sulla cap. 42), ea numquam in academico senatu desideretur.

Cicero si quando resciscerct, reperiri in doctoribus academicis, qui candidatos *in doctores promoveant*, eaque re summam illorum auctoritatem contineri, doleret haud dubie vicem hominum, ad excitandas contentiones auctoritate sua abutentium, ipsamque civitatem academicam intestinis bellis laborare judicaret. Nobis nullum formula illa belli metum aut terrorem injicit, qui in satis pacata civitate nos vivere sciamus, in qua more ac lege ita receptum est, ut candidati summis in arte sua honoribus ornentur, ac disciplinarum, quas amplexi sunt, Doctores creentur. Nempe quod scriptores argenteae aetatis novo modo dixere, *in ordinem, ad munus promovere* aliquem, id latinitatis academicae auctoribus ita placuit imitari, ut ex horum ratione candidati adeo *in doctores* promoveantur.

Restituta nuper apud nos academicarum disputationum opportunitate et frequentia, valde veremur, ne mox in usum revocentur vocabula, quae semper nobis visa sunt cerimoniam illam, qua nulla est in Academiis solemnior, quam maxime dehonestare. Petita sunt enim pleraque ab iis hominibus, quorum neque conditio neque occupatio apud Romanos magno in honore fuit. Nam quis, qui litterarum cultu ingenium mentemque exornavit, aequiparari se gladiatoribus et lanistis aequo animo ferat? Attamen qui hodie in academicis cathedris constituti, dissertationem suam defendunt ab eruditorum objectionibus, petunt et flagitant, ut adversarii secum *in arenam descendant*, ut non tantum (quod Florus ait [II, 21, 1.), in urbe media et foro, sed in ipso etiam Sapientiae templo, quale est acroaterium academicum,

quasi arena, gladiatorio more *concurrant*. Quam provocationem audientibus una tandem illa relinquitur consolatio, quod hac in arena non fluunt sanguinis fluvii, solatioque etiam laetitia nonnumquam accedit, si disputatio publica, etsi nullius sanguinis est, habet tamen succum aliquem, qui ex ingeniis concertantium profectus, ad illorum, qui spectatum venerunt, ingenia permanat.

Sed sufficiant haec, quorum tenuitatem excusabit et temporis brevitas, quo exarata sunt per aliquot dies feriarum in angulo terrarum, qualem Horatius *) descripsit, sed libris paene omnibus destituto, et vero etiam metus, ne pertractando graviori argumento praescriptos his libellis fines iterum transgrediamur.

XLV. Variae Lectiones e Cod. Livii *Cracoviensi* excerptae. **)

Lib. XXI. c. 1. liceat — memorabile omnium — Annibale — periculo — c. 2. Ital. injecturos fuisse — profecto anni — quae apud patres pl. — in imperio positus — auspiciis regul. — interfecit ab eo d. obtruncati — amn. Liberus — c. 3. intra praetorium — pleb. sequebatur — accersierat — Barchinis — sub magistratib. *doc.* — c. 4. Hann. assentiebant — Hamilcarem viventem redd. — parandum atq. imp. — h. fac. discerneres — aut exercitui — accersita — consecto proelio — Dei metus — meruit. — nulla re — c. 5. declaratus, etiam velud — protelandum rat. — Hiberum — Cartajam — in Vaxaeos — Arbocala Carthorum urbes — adhortique — ex Vaxaeis procul T. — eleph. autem quod. disponit. Carpentanorum — Vaxaeorum — priusquam tanto pav. — Carpentanes — Hyberum — c. 6. legati introducti a consulibus in curiam, a Saguntinis — quibus si ita vider. — Tunc delata — intenderant — Q. Fabius Pamphilus, Sag. — c. 7. Hyberum — Oriundi a Sagunto — periculi ac timoris — c. 8. Habundabat — obeunda multimoda arte detineri — prociderunt - consciri solent: sed junctae acies —

---

*) Od. II, 6. v. 13 sqq.

**) Hunc cod. membran. descripsit *Bandke* in Bibliothecae Cracov. Historia, quam nuper vir ille doctissimus edidit. *G. Seebode.*

ne relicto a se loco host. — et confertim m. utrinq. pugnabatur — Thalarica erat — cetero tereti — Si id maxime - - c. 9. Cum ergo diu anc — a Roma leg. — Brachyinae praem. — c. 10. auditique non sunt — cum assensum aud. — Brachini quisq. — velud mat. — Carthag. circumsedeb. — Quo lentius — Aegatis ins. — sed tunc Tarento atque Italia, non abst. (*ex correct.*) — Annibal. (*sic semper*) — si nemo deposcit — ablegandum eo — c. 11. paucorum his — structurae antiquo genere — Itaque lat. — cum jam procul — in Horetanos — Carpentanosq. — c. 12. Maharmale — quem praefecerat — Temptata — Alcon commotus (*corr. hoc verb. addidit*) inconsciis Sag. — ab irato auctore — Postulabat autem — Turditanis — c. 13. id quod admittitur — inhermes — Equidem haud spero — Sed haec patienda censeo — c. 14. semet ipsos praecipit. — signum imperator ded. — ex his — c. 15. tamen ex pretio — pugnam ad Treb. — Gn. Servil. et Cons. Flaminii — creatus Ti. Sempron. — c. 16. ab Carthagine, Romam et retulerunt — peremptorum — Histros. . Hillyrios — tumultuatum magis, quam — militia usum natura, naviter [*corrector cancellasse videtur*] inter Hisp. — duci acerrimo — Hiberum — c. 17. ante consulibus — et socium tantum quantum — classes quanta — milla subscripta et octingenti — sociorum quadraginta quatuor milia peditum, quadringenti equites — ador. Dii, bene ac felic. — consulum alter — et ipse se cum — diminutus — Duas legiones et CCCL. sociorum peditum, mille equites socios DC Romanos. . Gallia provincia eodem versa — c. 18. C. Licinium — ad percunctandas — percunctatus ess. — unus proeceps [*alii princeps.* corr.]: vestra — nunc a nobis — nostrum est, quod nostro ut suo f. a. — in quo caveretur utr. — ego nihil dicturus — foedus iecit. — nob. insciis iecit — Hieri — et quum his iterum — hiisdem se 9. — c. 19. percunctatio — quod foedus — priore foedere commutatum est — his, qui tunc — Hiberum — ex his in consilio — verec. est, vos Romani, postulare, uti v. — praeponamus amicitiae — cum vos feceritis Saguntinis crudelius, quam Poenus hostis, qui eos interfecit, nos socii prodid.? — c. 20. Sedato tamen (corr. *tandem*) — stipendiumque pendi — in expectatione belli — Hiber. P. transsisse — c. 21. quaeque Carthagini — partitis dividendisque — ibi cara sint — aut etiam exhaustos — Gallis — atque parcendum bell. — Hispani in Africa — c. 22. atque ideo autem minus — millibus, octingentis quinquaginta Liguribus; trecentis Baliaribus. ad haec — ad

tuendas maritimas oras — sed aptae . . . . . et triremes quinque [*Haec desunt in textu; sed Corr. ea ad marginem reposuit.*] — praeter Omissam urbem, ad Hiber. maritimam oram d. — temperare animo oculis neq. — post se serpentum — c. 23, Ilergentes, inde, Bargutiosque . . et Aquitaniam — horaeque huic — exercitus coeptus est — domum remisit — c. 24. ad oppidum Illibertum [vel *Illiberum*] — propius Ullibrum — Illiberum extemplo — haud gravati — praeter [alii: *per.* Corr.] Ruscinonem opp. transmiserunt in Italiam. Interim — c. 25. Hyberum — A. Servilius — M. Annius — Aulo Servilio et T. Annioque Acil. — C. Papir. Nasonem — legati, ad postulandum missi ad Boios, v. s., incertum aut in triumv. — L. Mallius [in marg. corr. *Manlius*] — quanquam accedisse satis — per impaciencia loca — septingentos milites — Gallis interritandi — ut saltu invio — propinquum pago — Brisianorum in Gallos auxilio — c. 26. insuper Gallicum bellum actum Patres — delectu novo consulis conscr. — Tanentum pervenit — missa cum Praetore, transscripta — jam in Vulgarum — Rod.: et diffisi citeriore agro — rip. amnis obtinebant. — dummodo ignare (alii: *innare.* corr.) — raptim faciebant, quibus se suaque transveherent. — c. 27. terrebat ex adverso hostis — equitesque virique obt. — Hamulcaris filium — ubi primo possit — trajecto amne — duc. Galli educunt — flumen transnatavere — fumo significante transisse — c. 28. nautarum militum, et qui *nitebantur* — et navibus tanta v. — improv. premebat acie. — facere conati sunt — qua parte revisum max. it. — Elefant. — refugientem eum in aq. — altitud. destitueret vadum — pluribus retinaculis validis — ut cum elephanti — urgentes iter secedentibus extr. — trepidationem aliquantum — ipse timor circumspicientibus — c. 29. simulque omen belli — incruenti ancipitisque — portendit. Re ita gesta — legatorum reguli a Mucalo acciti venerunt — timebat quidem hostes — c. 30. gentesque et terras eas — Hiberum — ad exortum intenderent — pervias paucis, esse exercitibus? eos ipsos — q. laboris exhaustum est? — c. 31. minus obviam fore — Rhodanusque amnis — in unum. In Mediis campis. Insulae — Braneus nomine, minor erat fratre — qui jure minus, eum qui plus poterat, pellebat [alii: *nunc ab eo, qui plus poterat, pellebatur.* Correct.] — dejecta esset [alii: *erat.* Corr.] — sententia, futurum imperium — ob id meritum commeatum copiamque rerum vestis aditus, quod infames — tetendit in Trigonos — novosque gurg.

— adhoc saxa glareosa — et cum forte imbribus — tumultum facit — c. 32. fere postquam — assecuturum videret; ad m. — Gn. Scipion. — eo, circa Padum er. — priusquam incerta in majus oratio ferri solet — repente, fugam stragemq. — tantum obsedere salt. — interdiu vim per ang. — c. 33. oculis animis immobiles — suosque ipso tumultu m. — constern., quibus quidquid adicc. ipsis terroris — sibi cuique tendenti, ut — Equis maxime — qui et clamoribus dissensionibus, quos — adeo consternati sunt, ut str. — praecipites diruptaeque — quosdam et armati; inde ruinae maximae; modo [alii: *quidam armati per ruinas maximas et jumenta cum oneribus devolvebantur.* Corr.] — esse: exutum impediment. — incolumen traduxisse — hostem, ipse quoque um. [ante *quis*; at cancellatum] — mox omnis traducti — erat, vicosque circumjectos — et captivo ac pecorius — nec locis magnopere — c. 34. nec temere credendum, nec — circumspectans sollicitansque — insuper imminente — a fronte, et ab tergo cohorti — accip. clades uerat — Hann. dimittere — erupto medio agmine. — —

LVI De *legibus prosodicis* et *metricis*, quas *seriores Graecorum Iambographi* secuti sunt. Scr. *C. L. Struve.*

[Regimonti Prussorum a. 1820. pp. 34. 8vo.]

] Quemadmodum iis, qui varias per terras aut ut animum exarent corpusve reficiant aut negotiorum causa peregrinantur, n semper datum est, in solis amoenissimis regionibus pedem ere ibique vagari, verum adeundae etiam sunt plagae aspectu rridiores, coeli intemperie inclementiores: sic omnibus iis quoe, qui literas Graecas Latinasque tractant, non conceditur, ut nper optimorum tantum exemplarium consuetudine delectentur; descendendum nonnunquam est ad monumenta illa seriorum ıporum, ubi marcescente antiquo illo spiritu, senescente ipso ɔerio, literae quoque, quippe quae a vilibus ingeniis coli not, prisco illo vigore destitutae omnisque et gravitatis et suavis expertes, ad inanem verborum strepitum delapsae sunt. Sed um, qui iter faciunt per tales regiones, duo sunt genera; alii, ıbi hanc necessitatem sibi impositam vident, quam celerrime et si fieri potest dormientes pervolare quasi gestiunt; alii vero ioso oculo etiam hic multa lustrant, gaudentque, si quid novi e in diaria referre possunt, quod sive ad faciem terrae melius ioscendam, sive ad leges naturae creatricis rimandas, sive ad

[2. 3. 4.] mores aliorum hominum perspiciendos utilitatem adferre possit. Similiter multi, quibus fato cogente hi aut illi scriptores e faece infima labentis jam Graeciae perlegendi sunt, quam celerrime inde se expediunt, neque quicquam novi inde aut ad historiam linguae Graecae aut ad grammaticam ejus conformationem et quae alia hujus generis praeterea sunt referre consueverunt. Sed tamen in his quoque vulgo neglectis scriptoribus plura hucusque nondum animadversa latent, quae perspecta habere uniuscujusque interest, qui non angustis istis finibus contineri se patitur, quos magna pars eorum, qui docti audiunt, nunquam egredi conantur. Quid quod ignoratio harum rerum editores istorum scriptorum saepissime in errores, editoribus sane vix excusandos, induxit, quod uno nunc sed illustri exemplo docebimus.

Aliam ob causam mihi per hos menses legenda erant Philae carmina, quae ad nostram aetatem pervenerunt. Noram recentiores hos ab antiqua illa syllabarum mensura descivisse, persuasumque mihi erat, quod ita alios semper statuisse videbam, versus hos iambicos solum syllabarum numerum servare, quemadmodum etiam metra, quae vulgo *politica* vocantur. „*Philae poëmata sunt „politico metro confecta pleraque: quod quamvis iambicum appella„tur, non tamen iambis pedibus currit, sed syllabarum numero di„mensum est: de quo conferas Is. Vossium de viribus rhythmi p. „21. sq. et Dorvillium miscell. observatt. II. p. 432 sqq.*“ Wernsdorfii haec sunt verba in praef. ad Phil. § VIII. Mirus est Wernsdorfii error hac in re. Versus hi iambici recentiorum Graecorum nunquam ab ipsis Graecis metris politicis, quibus Tzetzes aliique usi sunt, annumerantur, quod ipse Dorvillius l. a W. cit. p. 434 satis docet contra Pauwium. Neque tamen Is. Vossius in lib. supra cit. (qui sine ejus nomine prodiit Oxonii 1673, et inter rarissimos habetur) ab hoc errore immunis est, politicos versus duodecim quoque syllabarum extare contendens, qui ipsi hi iambici sunt.

Verum inter legendum statim animadverti, quam falsa *haec* opinio fuerit, atque in quam graves errores eadem W. in textu emendando pellexerit. Vidi enim his quoque iambis certas leges scriptas fuisse; quaeque his legibus adversarentur, ea vel facilem ubique correctionem admittere vel necessariam excusationem habere. A Wernsdorfiana sylloge progressus ad alterum Philae opus de animalium proprietate easdem leges observatas ubique deprehendi; sed additamenta ista, quae ex cod. Oxon. Pauwius hic illic inseruit, saepius has leges violant; huc si addideris particularum, quae vulgo expletivae dicuntur, frequentissimum et ineptissimum positum, cum genuina Philae carmina inopia potius particularum laborent, addideris praeterea nonnulla ab indole linguae Gr. ita abhorrentia, ut ipsi Philae stomachum movissent, (ut *πλανωμένη τὰς ὄρνεις* pro *πλανῶδα* 48, 6. p. 186), nihil certius esse potest, quam haec additamenta Philen auctorem non agnoscere, quod et ipse Pauwius jam vidit p. 15, frustra reluctante Dorvillio l. c. p. 427, qui semper, etiam ubi forte fortuna Pauwius verum viderat, iniquus huic est obtrectator. Neque audiri meretur doctus Anglus, qui in iisdem observatt. miscc. 6, p. 160. Dorvillii sententiam secutus est. De Bersmanni vano conatu, hoc carmen ad antiquam iamborum mensuram refingendi, nil hic dicetur, nisi id unum, Pauwium, qui gnaviter ubique in infelicem Bersmannum invehitur, ubique etiam hac in re suam ipsius ignorantiam festive nobis ob oculos ponere.

[4. 5. 6.] Sic duo mihi genera recentiorum versuum iambicorum reperisse videbar, alterum satis severa lege adstrictum, alterum libere ad lubitum evagans. Circumspicere tum coepi alios ejusdem aetatis iambographos, aut novum praesidium hinc opinioni meae advocaturus aut eam ut inanem derelicturus. Theodori Prodomi carmen amatorium in hac nostra urbe, quantum scio, non exstat, lectum quondam mihi ante hos ipsos decem annos Petropoli, quum ibi hospitio *Köhleri*, viri doctiss. et illustr. atque in scientia antiquitatis fere unici, uterer, qui ex sua collectione optimorum et rarissimorum librorum illud mecum communicavit. Sed, ut fit, cum mens longe aliis rebus intenta est, — animum enim percellebant et urbis ipsius, vere imperatoriae sedis, magnitudo ac pulcritudo, et monumenta praestantissimarum artium ibi collecta, quorum numerum et splendorem nisi oculis ipse perlustraveris, vix narranti fidem habeas, et vagi illi discursus hominum ex diversissimis gentibus totius fere orbis terrarum ibi convenientium; avocabant animum praeterea viri celeberrimi et doctissimi, quibus Petropolis abundat, quosque antea fama notos tum coram quoque salutare suave officium erat — itaque praeter sermones de nostris studiis cum *Koehlero* et *Graefio* communicatos perexigua tantum temporis pars libris legendis impendi potuit, atque vel tum animus praeoccupatus semper alio distrahebatur, ita ut de Theodori metro non sollicitus pauca tantum inde in schedas subitarias referrem, maxime ad grammaticam linguae spectantia. Sed extat aliud Theodori carmen, inficetum sane, *amicitia exulans*, editum a Conr. Gesnero una cum Stobaei sententiis; usus sum ed. tertia, Tiguri 1559. ubi legitur p. 622 — 628. Inde conjici potuit, in majori quoque illo carmine τῶν κατὰ Ῥοδάνθην καὶ Δοσικλέα poëtastrum severiores istas leges secutum fuisse, neque repugnabant huic conjecturae pauca illa fragmenta, quae Coraius inde ad Heliod. attulit. (T. 1. praef. p. 19. T. 2. p. 10. 16.). Tum lustravi carmina et carminum fragmenta illa, quae Fabricius hic illic voll. quinto, sexto, et septimo bibl. Gr. inseruit. Nec minus in his statim duplex illud recentiorum iamborum genus se obtulit, de quo antea locuti sumus. Atque hic jam subsistere poteramus; nulla enim causa erat, cur reliquos hujus aetatis iambographos, quorum nonnullos certe mihi bibl. Regiomontanae subministrare potuissent, perlustrarem. Satis enim erat, reperisse has leges, quas meliores inter malos recentiores secuti sint; omnes vero propterea evolvere, ut constaret, quinam iis se regi passi essent, et qui iis se teneri negassent, nec tempus ferebat et vero animus refugiebat, in veterem Graeciam redire cupiens. Verum propter Pauwii et Dorvillii cruentam de Georgio Pisida litem hujus quoque hexaëmeron et carmen de vanitate vitae una cum fragmentis ed. Commelini a. 1596 adjectis examen subierunt.

Igitur ad prosodiam recentiorum horum poëtarum quod attinet, sequitur haec in multis communem receptumque veterum morem, longas esse syllabas aut natura, aut positione, quae vocatur. Natura vero producuntur syllabae, in quibus aut longa vocalis aut diphthongus inest; positione vero, ubi brevem vocalem duae consonantes excipiunt, quae si muta cum liquida sunt, syllabam brevem manere patiuntur; saepe tamen producunt quoque. Natura vero longae vocales sunt η et ω;

[7. 8.] breves ε et ο. Atque harum vocalium discrimen accuratissime servant meliores e recentioribus, ut multum ii fallantur, qui eos syllabas tantum, nulla quantitatis ratione habita, numerasse tradunt; quod in exitu vocabulorum facillime demonstrari potest. *Phil. de animal.* 1, 6. *πλὴν ὀξυθερκής ἐστιν ὁ πτηνοκράτωρ*, ubi ο ante πτ producitur, quemadmodum 1, 32. *ἂν ὁ πτερωτὸς τῶν βελῶν τοῦ τοξότου.* Ut exempla quaedam addamus, — omnia enim colligere, nihil attinet — producuntur finales ε et ο ante πτ apud *Phil. de anim.* 2, 1. 12, 28. 29, 54. etc. ante στ *ibid.* 4, 15. 16, 3. *anonym. poët. de S. Theod.* 70. 172. *Theodor. Prod. amicit. p.* 622, 54. ante φθ *Phil. de anim.* 12, 5. 28, 21. ante σκ *ibid.* 14, 8. 21, 5. *ante σπ Phil. carm.* 4, 57. 95. *Georg. Pisid. hexaëm.* 1316. 1320. Similiter quoque ante duplices consonantes: ante ζ *Phil. de anim.* 10, 6. 31, 1. 66, 25. *Phil. carm.* 4, 125. 5, 240. *Georg. hexaëm.* 239. 1135. ante ξ *Phil. de anim.* 31, 10. *Phil. carm.* 4, 101. 190. 215. 5, 346. *anonym. de S. Theod.* 81. 98. *Theod. Prod. amicit. p.* 628, 32. Tandem ante ψ *Phil. carm.* 4, 218. *anonym. de S. Theod.* 216. Ubi vero post finales ε aut ο muta cum liquida sequitur, ibi syllaba haec modo producitur, ut ap. *Phil. de anim. praef. v.* 36. *προσῆκον οὐδὲν τῷ τεκόντι σε φράσει. id.* 1, 20. *ὁ δὲ πρὸς αὐτόν* etc. Adde *ibid.* 8, 5. 23, 13. 26, 5. 54, 5. 66, 10. etc. *Phil. carm.* 2, 58. 4, 4. 5, 88. etc. *anon. de S. Theod.* 7. 90. 104. *Theod. Prod. amic. p.* 622, 54. 623, 2. 626, 3. *Georg. hexaëm.* 21. 169. etc. Saepius vero corripitur. *Phil. de anim. praef.* 27. *καὶ τὸν γλυκασμὸν καὶ τὸ πρὸς πάντα κράτος. Phil. carm.* 4, 4. *anonym. de S. Theod.* 3. 90. *Theod. Prod. amicit. p.* 623, 36. 628, 16. *Georg. hexaëm.* v. 19. etc. Ubi igitur praecedens ε ob sequentes aut duas alias consonantes aut mutam cum liquida producitur, ibi fulcro literae ephelcysticae semper caret, nisi ubi librarius male sedulus eam appinxit. Sic ap. *Phil. de anim.* 79, 15. editum est, *οἶδεν πρὸ θυρῶν συμφορὰς ἀποκρύφους.* Sed lib. Angl. habet *οἶδε. Ibid.* 87, 23. *οὓς ἤσθιε πρὶν ἐλλογῶν καὶ συλλέγων.* cf. 95, 29. *Phil. carm.* 2, 15. *Ibid.* 4, 209. *ἢ πᾶν τὸ ῥυὲν ἐγκαθεῖρξεν τοῖς πίθοις.* Spondeus quidem ea sede legitimus est, sed non necessarius: quapropter *ἐγκαθεῖρξε* legerem, ni sententia aliam correctionem postularet, quam praebet W. *ἐγκαθεῖρξας. ibid.* 4, 311. *οὕτω ψυχὴν ἔθελξεν καὶ ἀνθοῦν ῥόδον;* de hoc versu postea dicemus. *ibid.* 5, 310. 9, 42. Ubi vero finalis litera ε producenda est ante simplicem consonantem, ibi fulcro carere nequit. *Georg. hexaëm.* 1572. *καὶ ψυχρὸς*

[9. 10.] *ἰὸς θερμὸν ἔσβεσεν πάθος. ibid.* 1578. Sic quoque ad hiatum vitandum *ibid.* 1592. *εἰ καὶ τὰ μὲν λελῆθεν ἠγνοημένα.* Ap. *Phil. in carm.* 5, 746. leg. *ὅσον γὰρ ἐξύμνησεν ἡρώων γένος*, ubi male editur *ἐξύμνησιν.*

In his igitur nondum a veterum poëtarum consuetudine recesserant recentiores; verum reliquarum trium vocalium *α*, *ι*, *υ*; longe alia ratio est. In his enim cum ejusdem soni aut correptio aut productio signis non discerneretur, mature, posteaquam vetus sermo labes omnis generis contraxit, credi coeptum est, eas revera *διχρόνους*, ancipites, esse, h. e. eas, prout scribenti luberet, vel corripi vel produci posse. *) Jam ante tempora haec recentissima, in quibus nunc versamur, etiam hic illic in iis syllabis, in quibus certa lex has vocales produci jubebat, rectam mensuram poëtae deseruerunt, corripientes nonnunquam; ut hoc exemplo utar, vocales has ante consonantes *ἀμεταβόλους* in primis aoristis. *Anth. Plan.* 3, 5, 2. T. 1. p. 59. *Jac. κουριδίης ἀλόχου λέκτρα θέλων μιάναι. Orac. Sibyll.* 3, p. 346. *καὶ ὃ ἔκριναν βασιλῆα Κρόνον πάντων βασιλεύειν. Ibid.* 2. p. 286. leg. *καὶ πάλιν οἱ τὴν σάρκα ἀτελγείῃ μιάναντες*, ubi nunc *μιήναντες* editur **.) Hinc

*) Nonnullorum vocabulorum inconstans mensura, ut *καλός*, *ἶσος*, *Ἄρες* *Ἄρες*, *φθίνω*; verborum in *υω* exeuntium, Doricus accusativus primae declinationis in *ας* correptum exiens, et plura alia primam huic opinioni originem dedisse videntur. Sed si tenuissent, etiam in reliquis duabus vocalibus non ubique certam esse mensuram, variare eodem modo *ἑως* et *ἠως*, *ὅρος*, *ὦρος*, *οὖρος*, terminationes nonnullorum verborum in *εσω* et *ησω*, *οων* et *ωων*, doricos accusativos in *ως* et *ος*, facile intellectum foret, etsi in paucis vocabulis certae regulae subjici linguae usus recusavit; tamen in longe plurimis numquam a recepta mensura florentem sermonem descivisse.

**) *μιῆναι*, non *μιᾶναι*, probabant grammatici: *cf. Lobeck. ad Phryn.* p. 24. 25, totam hanc quaestionem ex industria tractans. Neque tamen grammaticis ubique obtemperatum est, atque recentissimus quisque scriptor maxime regulam hanc violandam duxit. *μιᾶναι* ne Luciano quidem displicuit, *Phalar. pr. c. 12. adv. indoct. c. 3.* Atque ut ad caetera quoque, quae vel Phrynichus damnat, vel Lobeckius in censum vocat, quaedam adjiciamus, hos adscribam locos: *δημᾶναι Aelian.* V. H. 2, 29. *θερμᾶναι Alexand. Trall.* 12. p. 755. 759. 771. *καθᾶραι Apollod.* 3, 10. *Phot. bibl. cod.* 40. *Alex. Trall.* 3. p. 213, 4. p. 232. 12. p. 753. atque in fragm. Hermetico ap. *Lactant. inst.* 7, 18; 3. 4. pro *ἐκκαθήρας* vetustus ille cod. Regiom. *ἐκκαθάρας* scribit. *φλεγμᾶναι Alex. Trall.* 1, p. 45. *κοιμᾶναι Ignat. ep.* p. 198. *ῥιπᾶναι ibid.* p. 236. *βαδᾶναι ibid.* p. 268. *φᾶναι Alex. Tr.* 1, p. 29. *ἐκφάναι, Heliodor. de chrysop.* v. 188. secunda syllaba correpta. *λεᾶναι Clem. Alex.* p. 43. *ξᾶναι Procop. anecd.* p. 13. *ὑγιᾶναι Clem.*

[10. — 12.] licentia semper magis magisque gliscente, tandem eo perventum est, quod jam antea diximus, ut, prout luberet, in omnibus vocabulis has vocales vel produeerent vel corriperent, ubi aut nulla aut una consonans eas exciperet. (Nam positione etiam hic semper longa syllaba efficitur, ante mutam vero cum liquida syllabae ambiguae sunt.) Atque fecerunt hoc quoque in iis terminationibus, quas certa grammatica lex aut produci aut corripi jubebat. Sic participia aoristi in *ασα* saepissime in iambum exeunt. *ἡ νήχεται μὲν εἰς ὕδωρ πηδήσασα. Phil. de anim.* 14, 2. Sic *ἐκκύψασα ibid.* 14, 11. *σκιρτήσασαν. ibid.* 29, 43. *ἐξάψασα. ibid.* 30, 90. *λεάνασα ibid.* 47, 3. *ἐντύνασα ibid.* 49, 7. *ὀρύξασα* 49, 10. *ἐκφοιτησάσης. Phil. carm.* 5, 121. *ἰστουργήσασα. Phil. carm.* 5, 278. *ὑποστάσης, ibid.* 4, 67, quibus affinis est iambus *πᾶσαι* apud *Theod. Prod. amic.* p. 625. 12. Sic quoque tertiam pluralis in *ασι* correpta penultima efferunt. *δεδοίκασιν γὰρ ἐκ τροπῆς ἀταξίαν. Phil. de anim.* 11, 11. *ἀπολώλασιν* (— *υ* — *υ* —) *id.* 30, 9. Simile est *σβέννυσι* (— *υ* —) *id.* 17, 7. Contra in participiis in *αμενος* prima produci potest. *φιλοτιμησαμένη* (— *υ* — — — *υ* —) *Phil. carm.* 5, 61. In terminatione *σι* itaque verborum et nominum, et similibus literam *ν* ad producendam syllabam non addunt; sic in loco *Phil. de anim.* 11, 11. quem paulo ante adduximus, ubi *δεδοίκασιν* scriptum est, lib. Angl. ultimam abjicit. cf. quoque ibid. 12, 8. 12, 14. 29, 52. 40, 28. (ubi idem lib. Angl. bene *κτήνεσι* pro *κτήνεσιν*) *Carm.* 4, 203. 5, 159. *Theodor. Prod. amic.* p. 623, 29. 624, 18. *Georg. hexaëm.* 110. 166. 167. 217. 312. 619. 779. 781. 860. 963. 994. 1448. 1494. 1517. 1554. 1566. In eodem carmine v. 1156. certissime pro *προτείνουσιν δίσεις* scribendum est *προτείνουσι.* Verum hiatus vitandi causa ubique interponitur. cf. *Phil. carm.* 4, 203. 5, 805. et *ibid.* 5, 623. pro *ἐστί* scribe *ἐστίν.* Atque in hoc libero harum vocalium usu eo usque sibi indulserunt, ut eandem vocem diversa mensura bis deinceps ponere non reformidarent. *anon. poet. de S. Theod.* v. 177.

καὶ παττάλῳ πάτταλον ἐκκρούει φθάσας.

Theod. Prod. amicit. p. 624, 36. 37.

Alex. p. 7. 98. *Alex. Tr.* 12. p. 748. *ὑφᾶναι Phot. bibl.* 49. *Eumath.* p. 126. *ψάλαι*, (et hoc vitiatum pro *ψᾶλαι.* Genuinum *ψῆλαι* habet *Plato Lys.* c. 14.) *Lucian. Hipp.* c. 1. Contra *χρήνας* pro *χράνας* habet *anon. poët. de S. Theod.* p. 20.

εὐρωστία καὶ κάλλος ἄμφω φιλίας
ἄμφω φιλίας ἔργα. πῶς, ζητεῖς; μάθε.

[12. 13.] An vero diphthongum ᾳ quoque in διχρόνων numero habuerint, non audeo discernere. Nam πρᾴως, quod iambi sedem occupavit in carminibus Philae 5, 643. 681. et subscriptum iota aspernari potest et alia quoque ratione statim explicanda defenditur. Certius exemplum esset in *Phil. carm.* 2, 54.

καὶ μὴ ῥᾳθυμεῖν ἀγνοῶν τὸ συμφέρον,

et in versu iambico apud *Allat. de libr. eccles. p.* 64. *ed. Fabric. bibl. Gr. T.* 5.

κόσμον διδουχεῖ πανσόφῳ προμηθείᾳ

si certo scirem, scriptores etymologiae gnaros iota appinxisse. Dativi in ᾳ aut verborum terminationes in ᾳς, ᾳ, unde res confici possit, mihi se non obtulerunt, nisi uno loco, de quo postea dicetur.

Unum tantum restat de prosodia, quod moneamus, in mediis vocibus longas vocales aut diphthongos ante vocalem et ipsas ancipites esse. Hinc πρᾴως, etiam si iota subscribatur, primam corripere potest; sic quoque in versu, quem ultimo loco posuimus, προμηθείᾳ in iambum exit. Alia correptarum hoc modo diphthongorum exempla sunt δούλειον *Phil. de anim.* 44, 16. ζωῆς *Phil. carm.* 11, 76. προμηθείας *Georg hexaëm.* 563. Sed omnia haec, quemadmodum et πορφύραιον, *Phil. de anim.* 41, 6. alio quoque modo scribi possunt. At non mutari potest στοιχειώσεις *Georg. Pis. hex.* 1558 secunda correpta. Productionis exempla sunt καὶ ζῇ σιωπῶν εὐαρίθμητον χρόνον. *Phil. de anim.* 13, 4. quod eadem mensura recurrit *carm.* 5, 150. Sic εὐαρμοστίαν *Phil. carm.* 5, 133.

Iam ad pedes quod attinet, quibus hi versus incedunt, tenendum est, solos dissyllabos, iambum et spondeum placuisse, illum in sedibus paribus, ambos in imparibus. Trisyllabis pedibus prorsus abstinuerunt. *) Patet hinc, hos poëtas, ut ab altera parte magna facilitate versuum pangendorum gaudebant ob indiscretam mensuram vocalium ancipitium, ita ab altera parte arctissimis vinculis se constringi passos esse. Nam ab omnibus iis

*) Quam sibi exceptionem indulserit Georgius Pisida, alio loco explicabitur.

[14. 15.] vocabulis abstinendum erat, in quibus duae aut plures natura breves syllabae concurrerent; ut uno tantum exemplo utar, omnia participia in *ομενος* aut *εμενος* iis negligenda erant. Atque, ut verum fatear, hoc primum fuit, forte a me animadversum, quod mihi suspicionem movit, esse tamen quasdam leges, quas seriores hi poëtae sequendas duxissent. Duas tamen exceptiones, easque necessarias, habet haec regula. Altera complectitur vocabula technica, ad quae referenda sunt nomina animalium et plantarum in Philae carminibus, quae historiam naturalem tractant. Sed etiam hic caute iste scriptor versatus est, initio carminum plerumque tantum ea ponens, ut, de quo animali agatur, intelligi possit, postea ea vitans, nisi ubi, ut in carmine de elephante, ob longiorem orationis complexúm nonnunquam idem nomen repetendum duxit, aut ubi iis utendum erat in partibus carminis, quae de aliis animalibus agunt. Sic itaque excusatur *πελεκάν*, quod nomen primam producit *de animal.* 7, 3. 30, 35. secundam vero 9, 1. sic *σκόροδον*, secunda producta 30, 11. *μονοκέρως*, item secunda producta 40, 1. (in toto hoc carmine 43 versuum vox haec non recurrit, ut videas, quam sobrie Philes hac licentia usus sit) *ὀνοκένταυρος*, secunda producta 65, 1. sed prima producta 82, 1. 83, 13. Tandem *ἐλέφας*, prima producta 30, 45. et in longiore *carmine* 8, *a W. edito*, v. 10. 17. 253. 374. Sed secunda producta *ibid.* 124. — Altera vero excusatio, non minus legitima, debetur nominibus propriis. *Quo*modo enim ignotus ille poëta sanctum Theodorum celebrare potuisset, nisi in nomine hujus martyris aliquid sibi licere putasset? Neque tamen diffitendum est, de nominibus propriis laxiorem quorundam scriptorum sententiam fuisse, ut ea, etiam necessitate non cogente, quasi omnis metri expertia, ibi ponerent, ubi ab alio ejusdem mensurae vocabulo abstinuissent; quod postea exemplis patefiet. Philae hac in re laudanda est industria, qui etiam ab his plerumque immunem se praestitit; quo magis miror, eum in nomine technico aliquid sibi indulsisse videri, loco jam citato *de anim.* 44, 17.

ὀνοκένταυρός ἐστιν αὐτὸς, ὡς λέγεις,

quod, ni fallor, sic scripsit

ἔστιν ὀνοκένταυρος αὐτὸς, ὡς λέγεις.

Hiatum quoque inter duas voces vitarunt meliores, nisi post interjectiones. Hoc jam viderat Pauwius, recte inde concludens, additamenta, quae cod. Oxon. libro de

[16. 17.] animalibus inseruit, non Philae esse, frustra Dorvillio obnitente. cf. supra p. 4. Neque tamen omnes, quos melioribus annumeravimus, prorsus intactos esse hac labe, forsan concedendum fuerit, de qua re in singulorum locorum recensu postea agemus.

In vocabulorum formis tandem communem seriorum loquendi usum sequuti sunt, nihil e veterum dialectorum penu promentes, nullas ionicas aliasve terminationes, nullas literas ob metrum duplicatas, *) nullas verborum in *αω*, *εω*, *οω* exeuntium formas non contractas, praeterquam quod dissyllaborum verborum in *εω* solutiones ubique admittunt *χέει*, *χέεις*, *χέειν*. *Phil. de animal.* 12, 4. *Carm.* 4, 259. 5, 80. 151. 487. 797. 10, 12. *πνέει* etc. *Phil. de anim.* 17, 11. *Carmin.* 5, 208. 9, 23. *Theod. Prod. amicit.* p. 624, 17. 626, 37. *Georg. hexaëm.* 777. *ῥέει* etc. *Phil. de animal.* 66, 63. *Carm.* 4, 172. *ξέει* etc. *Phil. carm.* 8, 195. *Georg. hexaëm.* 284. 1092. 1531. 1576. **)

Hae praecipuae sunt leges, quibus recentiores hi scriptores in pangendis carminibus obtemperarunt; quas cum editores ignorarent, dici fere nequit, quoties locorum affectorum emendatio ipsis male successerit, atque Wernsdorfii quidem infeliciores etiam sunt conatus, quam Pauwii, quia frequentiores; sed his nolo nunc immorari; nulla fere exstat pagina, quin ejusmodi errores, ridiculos saepe, legentibus offerat.

Restat nunc, ut monstremus, eos versus, qui, ut nunc scripti sunt, has leges violant, omnes, paucis exceptis, emendationem aut necessariam flagitare aut facilem non respuere. Qua in re magnum pondus sententiae nostrae inde adjicitur, quod Philae opus de animalibus, ad duos codices editum, quibus accessit postea collatio tertii cod. in observv. miscell. T. 6. multo minus inquinatum est, quam reliqua Philae carmina, quae non ex ipsis codicibus, sed ex vitiosissimis apographis in lucem protracta sunt. Quid, quod in opere de animalibus nonnullis vitiis editorum exemplarium scriptura codicum, immerito ne-

---

*) In ipsius Philae carminibus haec tantum reperi 10, 4. *ἔλυσσεν* et 12. 15. *ὤπλισσε*, quae statim abjicienda sunt. Contrarium vitium in carmine *de animal.* 29, 39. *ζώου δὲ παντὸς οὐχ ὑποπτήσει θράσος* Pauwium ita fefellit, ut haec annotaret: *nota illud ὑποπτέω pro ὑποπτεύω. Minus enim frequens est, nisi me memoria fallat.*

**) Diaeresis tamen haec per longum jam tempus invaluerat, cum hi poëtae scriberent. cf. *Lobeck. ad Phryn.* p. 220 — 222.

[17. 18.] glecta statim medetur. Sic 12, 63. p. 52. *χωρὶ πρὸς ὀργὴν ὁ χορὸς τῶν ἀῤῥένων;* trochaeum loco tertio abigit cod. in misc. obs. T. 6. p. 453. *ὁ στρατός* praebens. 20, 4. p. 72. *θνήσκει παρευθὺς ὑπαὶ τῶν ἀνευθύνων;* laborat spondeo in sede quarta; sed scribe *ὑπὸ* e cod. Angl. 66, 67. 68. p. 232.

καὶ δακρύων ἄκλαυστον ἐκεῖθεν χύσιν·
τὸ πρόδρομον οὖν καὶ βαφῆς ἄνευ μέλαν.

Uterque versus pyrrhichio pede claudus incedit. Sed cod. Oxon. *ἐντεῦθεν* pro *ἐκεῖθεν* habet, et *δ'* ante *οὖν* inserit. 84, 4. p. 296. *καὶ ζηλοτυπεῖν καὶ ζητεῖν τὰς συννόμους.* spondeum sede pari vitat lib. Oxon. *σκοπεῖν* pro *ζητεῖν* Philae restituens. His exemplis ea addenda sunt, quae necessariam emendationem flagitare diximus. 42, 3. p. 172. *παντὸς δὲ κυνὸς εὐδρομότερον μένον,* quod fuit *εὐδρομώτερον.* 71, 2. p. 254.

πρηστίς, κριός, ζύγαινα, πάρδαλις, λέων
καὶ φύσαλος μέγιστος κητῶν εὑρέθη.

Bene jam vidit Pauwius, sermonis consuetudinem postulare *μέγιστα κητῶν.* Restant igitur hi tantum loci, plerisque facilem emendationem recipientibus: 41, 20. p. 170. *ὁ τὸν Γαληνὸν τὸ κερατινον φύων,* quod sententiae quidem convenit, si cum Pauwio *τὸ κερατινον* pro *τὸ κέρας* dictum existumes, *qui cornu illud tanquam Galenum gignit.* Sed metrum postulat, et sententiae etiam convenientius est, quod Pauwius inventum spreverat, *τὸν κεράτινον, qui corneum illum Galenum gignit.* — 47, 1. p. 184. *ἄσημον ἀρκτὸς ἀποτεκοῦσα κρέας* lege *ἀποτίκτουσα.* Promiscue enim Philes utitur participiis praes. et aor. 49, 3. p. 190.

ἄῤῥην μὲν ἦν ἔναινα τὸν χθὲς που χρόνον,
θῆλυς δὲ τὸν νῦν, δρᾷ τε καὶ πάσχει πάλιν.
καὶ μητροπάτωρ οὐκ οἶδ' ὅπως γίνεται,
κύουσα καὶ σπείρουσα τὴν διφυΐαν.

Tertii versus duplex in eodem pede vitium non tollitur, si legas *οὐκ οἶδα πῶς,* ut *οἶδα* spondei loco sit. Sed hic quoque transpositis vocabulis vulneri medendum: lege

δρᾷ τε καὶ πάσχει πάλιν,
οὐκ οἶδ' ὅπως, καὶ μητροπάτωρ γίνεται
κύουσα etc.

ita ut verba *οὐκ οἶδ' ὅπως* praecedentibus annectan-

[19. 20.] tur *). — 57, 3. p. 204. *ἐκπέταται γὰρ ἡ χλαμὺς τῶν ὀμμάτων.* lege *ἐκπέπταται*, cf. 8, 19. *εἰς ὀμμάτων μίμησιν ἐκπεπταμένων.* — 64, 4. p. 220. *βραδύνουσα δὲ καὶ τελευτᾷ πολλάκις.* Scr. sine dubio *βραδύνασα.* cf. supra p. 11.

Haec sunt, quae in hoc opere mihi occurrebant. Inter quae nullum exemplum hiatus est, ut eo audacius jam in ceteris Philae carminibus, non ita emendate editis, et hiatus et reliqua prosodica vitia librario potius quam scriptori tribuenda videantur. Plura vero vitia in his a W. editis carminibus conspici, tum ob causam supra allatam — esse pleraque ex minime emendatis apographis, ad nullum cod. postea collatis, edita — nemini mirum videri debet, tum vero quoque ob majorem versuum numerum. Versus enim genuini in opere de animalibus sunt numero 1681, nisi in calculis subducendis error admissus sit; carmina vero Wernsdorfii cura collecta, exceptis primo et tertio **), continent 2071. Atque eo confidentius in emendatione poëtae progressi sumus, quod longe maxima pars eorum versuum, quos ob metrum corruptos pronunciabimus, etiam Wernsdorfii labores exercuit, propter aut pravam aut nullam sententiam, quam praeberent.

Atqui in *secundo* carmine quod ex ipso cod. Aug. W. edidit, nil repertum est, quod a proposita ratione aberret, nisi v. 31. *προὔθηκεν πᾶν ἕτοιμον εἰς λώβην μέλος*, ubi extrusa litera ephelcystica secundus pes sanitati restituitur. In *quarto* carmine, ex schedis Wolfianis edito, haec animadverti: 4, 5. *ὦ βασιλεῦ καὶ ὦ τροφεῦ τῶν Λύσόνων.* In cod. versus mancus erat, syllaba deficiente, quam editor, de hiatu non sollicitus, supplevit, ὦ ante *τροφεῦ* inserens. V. 323 scriptum exstat *ἀλλ' ὦ βασιλεῦ καὶ τροφεῦ τῶν Λύσόνων;* sed idem hic quoque restituere vetat nexus orationis, particulam adversativam respuens. Lego *ὦ βασιλεῦ τε καὶ τροφεῦ τ. Λ.* — 4, 20. *κἂν εἰς τὸ φαυλότατον πολλάκις βλέπῃς.* Fuit *τὰ φαυλότατα.* — 4, 22. *οὐδὲ γὰρ ἰχμὰς καὶ σταγὼν καὶ πομφόλυξι πρὸς τοὺς ποταμοὺς*

---

*) Sententia sine dubio est, *eademque et mater et pater fit;* in quam significationem Philes detorsit vocem *μητροπάτωρ.* Sed eadem cum praeterea semper de avo materno occurrat, Bersmannus ridicule locum sic interpretatus est: *maternus utque fiat avus haud dixerit:* idem quoque in eo fefellit, quod *οὐκ οἶδ' ὅπως* pro *οὐκ οἶδεν ὅπως* non pro *οὐκ οἶδα ὅπως* accepit. Sed cf. 67, 8. p. 244, *οὐκ οἶδα πόθεν.*

**) Primum enim alius est poëtae, tertium vero versibus politicis conscriptum.

[21, 22.] *τῆς Ἐδὲμ τῆς ὀλβίας.* Ipsa sententia postulat *ῥυθὲν γαρ ἰκμὰς κ. τ. λ.* — 4, 30. *ὃς ἀρκεῖ ἰσχὺν ἐνστεγάζων ὀστέοις;* ob sententiam W. voluit *ὁ σαρκὶ ἰσχὺν* etc. de hiatu non sollicitus. Melius sive Fabricius sive Reimarus *ᾧ σαρκὸς ἰσχὺν κ. τ. λ.* — 4, 38. *ὑφίσταται δὲ ὡς ὀπὸς πεπηγμένος.* lege *ὅ ὅπως ὀπὸς.* — 4, 56. *καὶ σπαργανοῖ τὸν τόκον, ὡς λεχὼ βρέφος.* Sic editum est; codex habet *καὶ λεχὼ*, vitium vitio addens. *ὡς*, alibi etiam cum *καὶ* confusum (cf. mox ad. v. 311.), sine dubio verum est; sed lege praeterea *τὸ τέκνον.* — 4, 99. *τό γε θεοῦ τόξον, ὃ γραφὴ λέγει;* versui syllabam deesse, editores non viderunt. Lege *τοῦ γὰρ θεοῦ τὸ τόξον, ὃ γραφὴ λέγει* — 4, 105. *περιξίστην καθῆκεν εἰς γῆν τὸ ξύλον.* Cod. habere dicitur *περιξίσην.* In terminatione erratum est; fuit *περιξίσας*, quod sententia flagitat. — 4, 127. *καί τις πιμελὴς δή τινος ὑγρᾶς ἁβρότης.* Ejiciendam esse vocem *τίς*, scribendumque *πιμελῆς* W. vidit. — 4, 198. 199.

> *πῶς βότρυν ἰδὼν καὶ λαβὼν καὶ θαυμάσας*
> *τρυγᾶς εὐμαθῶς καὶ πατεῖς καὶ συνθλίβεις;*
> *ποιεῖς τὰς πηγὰς ἐκρεούσας τὰς ῥάγας,*
> *καὶ δημιουργεῖς τὸ ξενόβλυτον πόμα;*

ut duplicem spondeum in pede secundo vites, haec sic scribenda sunt:

> *πῶς βότρυν ἰδὼν καὶ λαβὼν καὶ θαυμάσας*
> *τρυγᾶν ἔμαθες καὶ πατεῖν καὶ συνθλίβειν,*
> *ποιεῖν τε πηγὰς ἐκρεούσας τὰς ῥάγας,*
> *καὶ δημιουργεῖν τὸ ξενόβλυτον πόμα;*

4, 217. *παρῆκεν αὐτῷ τοὺς ὀπτοὺς τοῦ πυθμένος.* bene jam in marg. emendatum *ὀπούς.* — 4, 234. *πρός γε τὸ πάχυ τῆς ῥοῆς οὐκ ἀντέχω.* l. *πρὸς γὰρ τὸ πάχυ κ. τ. λ.* — 4, 242. *ὁ θερμὸς, ὁ πρόχειρος εἰς τὴν θυμηδίαν.* Abundare articulum *τὴν* editorem non vidisse, mirum est. — 4, 269. *τὴν τῶν ῥαστῶν σωφρονίζουσα τρύγην.* Probabili conjectura W. metrum supplevit, *ἐραστῶν* scribens. — 4, 275. *οὐκ ἦν γε εἰκὸς εἰς βυθὸν χαρισμάτων.* Etiam hic *γάρ* pro *γέ* scribendum. — 4, 285. *ὑφαίνεται δὲ τῇ μηάρσει τοῦ χρόνου.* Vocem *μηάρσει*, quae nihili est, aut in *μηρύσει* aut in *μετάρσει* W. mutandam duxit. Prius metrum non fert; posterius satis probabile est. — 4, 311. *οὕτω ψυχὴν ἔθελξεν καὶ ἀνθοῦν ῥόδον.* In marg. verum *ὡς ἀνθοῦν ῥόδον* appictum est, quo simul et spondeus loco pari et hiatus vitatur. De confusione vocularum *ὡς* et *καὶ*, qua, ductus tachygraphicos si consideres, nulla fere facilius scribae se offerre potuit; cf. *Bast. ad Greg. Cor. p.* 781 *et* 816. V.

[22. 23.] praeterea antea ad 4, 56 et supra p. 8. — 4, 334. *τίς παρελθὼν τεχνικὸς γεωγράφος.* Unam syllabam versui deesse, et vitium in ultima voce animadvertit W. Sed prosodiae ignarus ut ubique, ita hic quoque non vidit, eam ab initio omissam esse; hinc, postquam multis futilibus conaminibus lectorem lassavit, eo delapsus est, ut scribendum duxerit *τίς παρελθὼν τεχνικὸς ψιλῆς ζωγράφος*, spondeum bis in locum parem inferens. Sed ne laude sua eum frustremur, in ultima voce verum vidit; nam scribendum est *καὶ τίς παρελθὼν τεχνικός γε ζωγράφος.* — 5, 10. *ποῦ γάρ ἐστι πρόσθεσις εἰργούσης ὕλης.* De metro securus solius sententiae causa W. voluit *οὐ γάρ* etc. Leg. *οὐδὲν γάρ ἐστι πρόσθεν εἰργούσης ὕλης.* — 5, 19. *καὶ σὺ δ' ἐπ' αὐτοῦ καθεύδειν ἐσθ' ὅτε.* „*Et metro et mente laborat versus.*“ W. in nota. Mihi nil omnino succurrit, quo versui medear; id video, aut *αὐτοῦ* corruptum esse, aut post *αὐτοῦ* vocabulum monosyllabum excidisse. De Wernsdorfii conjecturis silens famae ejus parco. — 5, 51. *καὶ μηδὲ εἰς ἔκλυσιν ἡ μήτηρ φέρει.* W. jam *μηδέν* adscripsit. — 5, 66. *ποῖον γὰρ θαύματος οὐκ ἔχει κρότον*; metrum monstrat, vitium in prima voce quaerendum esse, quod in medio versu quaesitum W. latuit. Lego *πῶς τοῦτο γὰρ* etc. — 5, 86. *οἱ γὰρ τόκοι σπεύδουσιν ἐγεφρόνων.* Lege *σπεύδουσι τῶν ἐγεφρόνων.* — 5, 120. *ἄ ἄ· πάλιν* etc. Legitimus hiatus est in iterata interjectione. — 5, 121. *φήμης γὰρ ποθέν τινος ἐκφοιτησάσης.* Lege *φήμης ποθὲν γάρ* etc. — 5, 155. *ἡ δ' ὄφις αὐτῷ πῶς ἐπανθεῖ καὶ βρίει;* Jam W. scripsit *ὄψις* — 5, 160. *τῆς πιμελῆς τὸ πλεῖστον καὶ πῦρ ἐκθλίβοι.* Etiam hic scribe *ὡς πῦρ.* Verte: *cum diuturnum tempus* (in bellicis exercitationibus consumtum) *maximam pinguedinis partem egregiis viris ignis instar*, (i. e. ut adeps igne admoto liquefieri solet) *expresserit etc.* — 5, 176. *πάντ' ἐστὶν αὐτῷ· κατ' εὐχὴν γὰρ ἡ τύχη.* Lege *κατέχει γὰρ ἡ τ.* — 5, 209. *ὅταν δὲ παίδων τις ἐξαμαρτάνῃ.* lege aut *παίδων τί τις* aut cum W. *παιδίων τις.* — 5, 259. *τίς αἰγυπτιὸς εὐπρεπεῖς ἔξει κρότους;* lege *αἰγυπιός.* — 5, 401. *εἶτα πάλιν ἱστοροῦσιν εἰς τὴν πατρίδα.* Bene W. *παλινοστοῦσιν εἰς.* — 5, 430. *τὸ συγχυτικόν τε καὶ θορύβῳ δεσμούμενον.* Versum duabus syllabis abundantem W. quidem sanare conatus est: sed sine successu; nec mihi negotium processit. Id tantum mihi perspexisse videor, duobus modis emendationem institui posse: aut, *συγχυτικόν τι καὶ θορύβῳ — υ —*, ut in fine vox, quae creticum praebeat, desit; aut *συγχυτικόν τι καὶ υ — δεσμούμενον* ut pro *θορύβῳ* vocabulum dissyllabum, quod iambum efficiat, substituatur. — 5, 432. *καὶ τοῦτο αὐ-*

[24. 25.] τοῖς etc. lege καὶ τοῦτον αὐτοῖς. — 5, 495. ὠςεὶ σταγὼν τοῦ μέλιτος ἡ τουτου δρόσος. Dele articulum ante μέλιτος. — 5, 517. εὐποιὰν ἔλαιον οὐ φαῦλον φέρων. Bene W. εὐποιΐας. — 5, 556. ὧν ἡ σταφυλὴ κόνδυ χιρνᾷ πικράν. Bene W. πικρίας. — 5, 623. cf. supra p. 12. — 5, 631. ἢ ὡς καὶ χελιδὼν· ὀργανοῖ γὰρ αἰθρίαν. Dele ὡς. — 5, 648. οἱ δὲ παραγγέλλουσι γαλήνην βίου. Sententiarum nexus monstrat, οἱ δὲ hic locum non habere, sed requiri οἳ; jam sive fuerit οἳ δὴ, sive οἳ — υ ἀγγέλλουσι etc. nescio. — 5, 667. στιλπνὸς γάρ ἐστι τῶν γνωστικῶν φώτων γέμων. Dele articulum. — 5, 691. ναὶ τὴν τρόπιν στήριζε τῆς σου ὁλκάδος. lege τῆς σῆς ὁλκάδος. — 5, 713. ὡς ἂν ἔχοι θεράπουσαν ἀντιμίσθιαν. Bene W. πρέπουσαν. — 5, 714. ἦλιε γέρων, ἀλλ' ἐναχμάζων πάλιν. lege γηρῶν. — 5, 743. ἄωτον ἂν εἴποι καὶ τόνδε Πλάτων. Ridicule lapsus est W. cujus haec sunt verba: „ἄωτον, *auribus carentem*, absurda lectio, et simul in metrum injuria." Tum conjicit, legendum esse ἀνούτατον, aut ἀάατον. Neutrum aptum est. Lego ἄωτον ἀνδρῶν εἶπε καὶ τόνδε Πλάτων. — 5, 788 et 790. Ambos versus, mancos in edito exemplari, W. probabiliter restituit, nisi quod in priori non τοσοῦτον sed τοσοῦτο scribendum fuit. — 5, 801. ὅταν ἄγει θέατρον ὁ στεφανηφόρος. W. vitium non in ea voce quaerens, in qua latet, scribit ὅτ' ἄγει, ut tres pedes deinceps trochaei sint. Vitium est in ultima voce, quam Philes scribere non potuit; numquam enim στεφανηφόρος in recentiorum iambis admitti potest. Leg. est ὁ στεφανίτης, in cujus vocabuli locum explicatio irrepsit. Saepissime vero hoc vocabulo Philes Cantacuzenum appellat. cf. inter multa alia v. 539. 660. 672. 707. 744. 847. 900. 925. etc. *) — 5, 819. ἰοὺ, ἰοὺ, βέλτιστε etc. legitimus hiatus; cf. ad 5, 120. — 6, 1. δρακοντοφόντης, γοργόπους, μυροβλήτης. Recte W. μυροβλύτης. — 6, 4. Ἐξ εὐχαρίτων ἡ Θεοδώρου χάρις. In nomine proprio excusatur pyrrhichius pro iambo. cf. supra p. 15. — 6, 12. τὴν σοῦ βλὰξ ἐμβάλλουσιν οἱ τῆς αἰσχύνης. Operam omnem perdidi in his verbis emendandis. — 6, 14. Ἐζεχιὴλ, ὁ μὲν προφητῶν ἀκρέμων. Trochaeus excusatur in nomine proprio. — 6, 18. ὡς βαλλικὰς τὰς ἀμοιβὰς λαμβάνεις. Wernsdorfio placuit ὡς καλλινίκας. Scribendum saltem καλλινίκους. — 6, 23. μύρον κενωθέν, οἶμαι γὰρ Δημητρίου. Fuit, ni fallor, οἶμ' ἐγώ — 7, 29. ὡς ἂν πανταχοῦ διελθεῖν γῆς ἰσχύσῃς. Ut

---

*) His jam scriptis, altera suspicio in mentem venit, scriptum fuisse ὁ στεφηφόρος, quo vocabulo usus est Io. Euchaïta ap. *L. Allat. de libr. eccl.* p. 58. *Fabr.*

[26. 27.] duplicem spondeum vites, scribe vocibus transpositis *ὡς ἂν διελθεῖν παντα χοῦ γῆς ἰσχύσῃς.* — 8, 90. *οὐ γὰρ ἐφύη κρόταφος ἀλλὰ τὸ στόμα.* Bene Wernsd. *οὐ γὰρ φύει.* — 8, 115. *ὡς ὑπὸ κυκλῷ τῆς ὀπτῆς τῷ χωρίῳ.* Bene W. *ὡς ὑποκύκλου τῆς ὁπλῆς τῷ χωρίῳ.* — 8, 125. *ὀρθοστάδην ἀκάματος ὑπνώττων μένει.* Possis scribere *ἄκμητος;* sed praestat, ni fallor, *ἄκαμπτος.* — 8, 136. *καὶ σχοινίον ἢ δρῦν ἢ φυτῶν ἄλλων κόμας.* Bene W. *σχοῖνον.* — 8, 148. *τοῦ ἀπὸ λωτοῦ καὶ τῶν ἀπὸ φοινίκων.* Ut duplex vitium tollatur lege *τὸν ἀπὸ λ. κ. τὸν ἀπὸ φ.* — 8, 163. *καὶ πέντε, μετρεῖν εἴπερ εὖ εὖρος θέλῃς.* Lege *εἴπερ εἰς εὖρος.* — 8, 247. *δράκων δ' οὖν Ἰνδοῖς θαῦμα. τίς γὰρ ἢ δράκων* lege *δ' ἐν Ἰνδοῖς.* — 9, 10. *εἰς αὐτὸ μὲν ἑλίκας ἐπαραμένην.* Haec nec intellecta nec sanata mihi sunt; W. emendationes non satisfaciunt. — 9, 11. *τῆς γε κεφαλῆς ἠρέμα κινουμένης.* lege *τῆς γὰρ κεφ.* etc. — 9, 31. *χοινοῖ γὰρ αὐτῷ τοὺς πιλνιθέντας μίτους.* Bene W. *χαυνοῖ* et *πιληθέντας* — 10, 17. *πᾶσαν φλόγα σβεννύεις πάντος κινδύνου.* Wernsdorfii *σβεννύειν* metro non opitulatur; lege aut *σβεννῦσα πάντος,* ut cum praecedente *παρθένε* conjungatur, aut, quod praefero, majori distinctione post praecedentem versum posita, *σβέννυς ἅπαντος.* — 11, 33. *Ἀριστότελες ἆρα κομπάζεις ἔτι;* Pyrrhichium excusat nomen proprium. — 11, 63. *καὶ φάσμα ῥευστὸν ἐν μετάρσει Εὐρίπου.* Certissime legas *ἡ μέταρσις Εὐρίπου.* — 11, 96. *ἔγωγε δὲ μάλιστα νῦν μαθὼν ἔχω.* lege *ἔγωγε δή.* — 12, 17. *τίς ἱκανὸς τοσοῦτον πενθῆσαι τέρας;* patet, scribendum esse *τοσοῦτο.* — 12, 26. *καὶ Λογοθετῶν ἐγκριθεὶς τοῖς ὀλβίοις.* Trochaeum cum pyrrhichio excusat nomen dignitatis. — 13, 9. 10. Si nulla vitia, nisi metrica, sananda essent, facile scribas *προὔκυπτεν* pro *προυκύπτει,* et addas *τῷ* ante *βιβλίῳ.* Sed in carmine hoc, mirum jam fatum ante W. experto, multa mihi obscura sunt. Quae praeter haec observavi metrica vitia v. 13 et 21., ea feliciter sanavit W., quamvis de metro non sollicitus.

Alius *Philae*, paulo antiquioris, si W. in praef. §. XI. verum vidit, duo carmina edidit *Fabric.* §. 6. *B. G. T.* 7. *p.* 713. 714. Neque in his quicquam est, quod leges a nobis positas infringat, nullus hiatus, nulla licentia, nisi in nominibus propriis; sic 1, 9. et 2, 11. *Ἰωάννης* quadrisyllabum in iambum exit. 1, 10. *Κομνηνῶν* ab iambo incipit. Praeterea ne versus hypermetri sint, 2, 11. delendum est *καὶ*, et 2, 14. *τοῦ.* In 2, 16. *νῦν δ' ἦλθες, ὥφθης εἰς τὴν αὐγὴν ἡλίου* scribo *εἰς τὰς αὐγὰς ἡλίου.* — 1, 15. *τῆς προγονικῆς ἐκφυέντας πορφύρας.* Scribo sine articulo *προπατορικῆς.*

[28. 29.] Philae carminibus praeposuit W. carmen ignoti poëtae in S. Theodorum 277. vv. constans, e cod. Aug. editum. Ibi haec notavi: 94 *δείπνοις κολλύβων αὐθετοίμοις ἐκτρέφει.* Lege *κολύβων* ut v. 8. et 215. — 106. *ψυχῇ δὲ γύμνῃ; καὶ τοῦτο φρικτὸν πάλιν.* Scribe *τοῦτο καὶ φρ. π.* — 151. *Θεόδωρος δὲ καὶ δῆλος καὶ τὸ ξύλον.* et mox 163 *θεῷ βδελυκτὸς πρὸς δὲ καὶ Θεοδώρῳ.* Vides exemplum licentiae in nomine proprio liberius evagantis, de quo supra locuti sumus p. 15. Ipse Philes carm. 6, 4. eandem vocem usurpans melius collocavit. — 195. *καὶ ποῦ στρατεύματα σοῦ, καὶ πυκνὰ ξίφη;* lege *κ. π. στρατεύματά τε, κ. μ. ξ.* aut *στατεύματα σά* etc. — 201. *ὡς παμβασιλεὺς Ἰησοῦς, ὃν ὑβρίσας.* spondeus in nomine proprio. — 206. *πτηνοὺς δράκοντας, Κελεοὺς, Τριπτολεμούς.* Utrumque trochaeum nomen proprium necessarium reddidit. — Sed 209. pro *Τροφονίου* restituenda vera scriptura *Τροφωνίου.* — 230. *Ἰσραηλίταις φυγάσιν Αἰγυπτίου.* Spondeus in nomine proprio. — 240. *ὡς τὴν τράπεζαν τοῦ Ναυουχοδονόσορ.* pyrrhichius necessarius in n. pr. — Hiatum quater in hoc carmine observavi; v. 190. *σὺ δ' ὡς φθερεῖς, φεῦ! ἀγνοτάτας καρδίας,* ubi legitimus est. cf. supra p. 15. Sed quod occurrit v. 155. *ἀλώπεκα δ' αὖ ἐκ λέοντος κρυψίνουν* et 158. *ὄνον δ' αὖ ἐκ λέοντος ἄνουν δεικνύει,* forsan indicio sit, non ita severum in hiatu vitando anonymum hunc poëtam fuisse, quam Philen aliosque., Praeterea 272 legitur *καὶ τὰς προφαντεῖς καὶ πρὸ ὀμμάτων μάχας.* Eundem hiatum post praepositionem *πρό* quater admisit Georgius Pisida, ut nonnulli statuisse fere videantur, cum *πρό* in commissura duorum vocabulorum (*προέρχομαι*) nunquam ultimam brevem abjiciat, etiam hiatum legitimum esse. Mirum tamen, quod nusquam *περί* sic positum se obtulit.

Theodori Prodomi carmen, *amicitia exulans*, continet 396 vv. Horum artificium metricum prorsus cum eo conspirat, quod apud Philen obtinere demonstratum est. Pauca tantum haec vitia adnimadverti. p. 624, 48. *πλίνθοι γοῦν ὀπταὶ καὶ λίθων ξεστῶν βάρη.* Scribe *πλ. γὰρ ὀπταὶ,* quod sententia firmat. p. 625, 22. *οὐδέν τοι πάντως ἄλλο φιλίας δίχα.* Scribe *οὐδέν τι πάντως* etc. p. 625, 46. *δείλαιος ἀνδρῶν εἰς δ' ἀγενναιῇ μαχλάδα,* patet legendum esse *ἀγεννῇ* p. 625, 50.

αὐτὴν μὲν ἐντὸς εἰσάγει τῆς οἰκίας,
ἡμᾶς τύπτων ἐξάγει· ὦ νόμοι, νόμοι.

ut duplex vitium radicitus evellas, scribe, quod nexus postulat, *ἡμᾶς δὲ τύπτων ἐξάγει· νόμοι, νόμοι.* — p. 626, 16. *πάσχω δὲ πρὸς φαῦλόν τε ἀμβλυωπίαν.* lege *τιν' ἀμβλυω-*

[30. 31.] *πίαν*, nisi mavis *πρὸς τὸ φαῖλον ἀμβλ.* p. 626, 27. *ἀλλ' ὁ τρισάνοικτος ἄθλιος βίος;* insere *γὰρ* ante *ἄθλιος* — 627, 3. *τὸν Ἐτεοκλῆ καὶ Πολυνείκην βλέπε.* Pyrrhichius legitimus ob nomen proprium. p. 628, 1. *πρὸς τοῦ τεκόντος ἀπαιτῶν, πρὸς τῶν χρύνων.* Spondeus sede quarta; sed participio carere possumus, cum *σὲ ποτνιῶμαι δακρύων* praecedat. Forsan fuerit *πρὸς τοῦ τεκόντος πατέρος* etc. Tandem 628, 6. *καὶ τοῦ ὕδους μέτασχε καὶ τῶν ἁλάτων.* Lege *τοῦ θ' ὕδατος μέτασχε* etc.

Sed omnes has leges prosodicas et metricas alii ita aspernati sunt, ut satis haberent, versum duodecim syllabis includere. His annumerandi sunt et is, qui Philae carmen de animalibus multis additamentis, quae cod. Oxon. praebet, auxit, et Heliodorus in carm. de chrysopoeia, quod ex 269 vv. constans Fabricius sexto vol. bibl. Gr. p. 790 sqq. inseruit; praeterea nonnulli alii, e quorum carminibus *ἀποσμασμάτια* quaedam idem in eodem opere lectoribus communicavit, quae nunc ordine recensebimus, ut et hinc pateat, majorem auctorum partem legibus hic propositis obtemperasse.

Fabric. b. Gr. T. 5. in *Leon. Allat. de Nilis p.* 15. Duo brevia epigrammata, quae hic leguntur, vere iambica sunt. — In *ejusd. opusc. de Psellis p.* 23. duo vv. iambici Ephraemis Syri afferuntur, qui prorsus propositas leges servant *) et in nomine *Ἐφέσου* primam producunt, nota jam excusatione. Sic *ibid.* p. 47. quatuor Pselli vv., ubi in nomine dignitatis, *σύγγελος* media producitur. — Sic quae sequuntur p. 58 et 59 Pselli fragmenta, ubi p. 59, 3. hiatum in vocativo facile feres; ut 59, 8. in nomine proprio *Λαισηρυγόνων* penultimam productam; sed 59, 11. *Ἄιδην τὸν φρικτὸν καὶ τῶν Σειρήνων φθόγγον* vix poëta scripsit; initio leg. *Ἄιδην τε φρικτὸν*, ut statim v. seq. oratio continuatur; sed de exitu versus quid faciam nondum habeo, ni fuerit *καὶ τὸ Σειρήνων φθέγμα*; quamvis enim non mihi constat, recentiores hos in v. *φθέγμα*, quod certam ob causam in bonis poëtis nunquam priniam corripere potest, simplicitate scripturae deceptos syllabae hujus mensuram decurtasse, tamen hoc ceteris legibus, quas sibi statuerunt, ita conveniens videtur, ut de eo vix dubitem. — Mox 59, 14. *υἱοῦ χερσὶ τέθνηκεν ἐν τῇ πατρίδι* lege aut *χερὶ* aut *χεροῖν*. ibid. 59, 18. male duas voces *οἱ* (*εἰ*) *λαλοῦσιν* repetitas esse, facile in

*) Consentiunt quatuor alii Ephraemis versus, ab *Alemanno ad Procop. hist. arc.* p. 52. citati.

[31 - 33.] oculos incurrit. — Qui p. 61 versus leguntur, politici sunt quindecim syllabarum. Hos postea ne commemorabimus quidem. *Ibid. p.* 64. duodecim Pselli vv. iambici leguntur; ubi quae contra nostras leges peccata credi possint, omnia in nominibus propriis commissa sunt; praeterea deleas ἄναξ v. 1. — *Ibid. in L. Allat. de libris eccl. p.* 6. afferuntur octo vv. vere iambici. Sed *ibid.* p. 28 — 30. occurrunt quatuordecim epigrammata variorum auctorum in ss. Apostolos, diversae utique indolis. Primum ex his prorsus legibus obtemperat, nisi quod v. 10. Ἰωάννην in iambum exire facit, quod jam antea a nobis animadversum fuit; cf. supra p. 27. Secundum vero et tertium epigr. syllabas tantum numerat. Quartum cum octavo huc non pertinet, heroico metro scriptum. Quintum quoque, undecimumque et duodecimum pessimis annumeranda sunt. In sexto, septimo, nono nihil est, quod vituperes. De mensura v. Ἰωάννης 9, 4. p. 30. jam dictum est. Decimum quoque in quinque primis vv. ita decurrit, ut sextum v. (*ἰατρὸς γὰρ σωμάτων καὶ ψυχῶν μέγας*) serius tandem adjectum haud injuria suspiceris, praesertim cum ad sententiam vix quicquam conferat. In 13 vero et 14 nihil est, quod offendat, mensura v. Ἰωάννης jam aliunde satis cognita. — Alii undeviginti vv. citantur p. 35, 36. solita libertate in nominibus propriis usi, et in nomine dignitatis θεολόγος, quod Johanni Apost. veteres tribuerunt, cf. *Suic. thes. eccl. p.* 1453. unde quoque se tuetur θεολογικὴ δ' ἀποκάλυψις πάλιν, v. 18. Sic apparebit, v. 15, qui primo adspectu omnes leges invertit, nil miri facere, sed solitis exceptionibus excusari, ὁ θεολόγος βροντᾷ τρεῖς Ἰωάννης. quod praeterea unicum illud certum exemplum est diphthongi ᾳ correptae, de quo cf. p. 12. 13. — Quae ibid. p. 46. leguntur iambica, nihil habent, quod reprehendas, nec magis carmina Joannis Euchaïtensis p. 58. 59. Alii vv. duodetriginta leguntur p. 64, ita legibus nostris convenientes, ut v. 22. εἰκόνισσεν literam duplicatam sine dubio respuat. — p. 72, 73. Alia carmina Joannis Euch. ubi quod in nominibus dignitatum τροπαιοφόρος, et Αὔγουσται legitimam mensuram deserit, non mirandum est, non magis quam in epitheto μονόμαχος; sed pro ὁ μονόμαχος v. 2. lego ὦ μονόμαχος. — Sed quae ibid. p. 168. 169. leguntur, ea sane pessimis inter mala annumeranda sunt. — Tandem qui p. 239. leguntur novem vv., ii licentiam nominum propriorum sibi arrogarunt; v. 7. syllaba abundantem, in metrum cogas, κροτεῖς pro ἐκρότεις scribens.

[33. 34.] *Fabric. b. Gr. T.* 6. — Duodeviginti vv. iambici leguntur p. 133, multis nominibus propriis scatentes, sed in his quoque raro necessariae excusationi aliquid condonandum est. — In duobus iambicis vv., qui p. 158. exstant, duplex quidem vitium deprehenditur, sed alterum in nomine proprio, alterum librario adscribendum, qui *ἔσχεν βίβλος*, nescius cur, pro *ἔσχε βίβλος* scripsit. — De tribus vv. p. 449. nihil attinet dicere; lustravimus eos jam supra *ad opusc. Allat. de Psellis p.* 64. — Etiam quinque versuum, quos p. 471. attulit Fabricius, tertius tantum licentia nominum propriorum se tuetur. — Sex vv. praeterea, quos p. 622. legimus, praeter saepius jam probatam nominum propriorum licentiam, tribus aliis mendis laborant, quorum duo eximes, articulos delens v. 3 et 6. Sed in v. 4., ubi aliam etiam ob causam scriptura non satis sibi constat, *ταύτης* nullo modo ferri potest, refragante ipsa oratione. Quid scriptum fuerit, non extrico. — Tandem p. 817 afferuntur viginti duo vv. ex alio praeterea Theodori Prod. poëmate, in quibus nihil est, quod adversus leges, a nobis propositas, faciat.

Fabric. b. Gr. T. 7. — *P.* 450. occurrunt 14. vv. Johannis Euch., in quibus nil vituperari potest. Nominis proprii privilegium usurpavit *Θεοδώρητον* v. 2. — P. 462. in quatuor hic exstantibus vv. non offendas. — Georgii Pisidae vv., qui p. 693. 694. 695 leguntur, prorsus veterem syllabarum mensuram servant p. 693. v. 9. pro *δὲ ὑπερβάλλοντες* leg. *δ' ὑπερβαλόντες*. — Qui p. 716 leguntur octo vv. Joh. Geometrae, et ipsi severiorem normam non excedunt, nisi quod v. 2. non contractum *ὑμνέουσα* et v. 3. abjectum augmentum in *τίκτες* novitii quiddam iis infert. V. 1., cui una syllaba redundat, abjice *τῶν* ante *τριῶν*. — Tandem p. 718 — 724 afferuntur 83 versus Joannis Euch., in quibus nihil nos morari potest; nam *μονομάχον* p. 118. nominis proprii vices explet.

Sed haec hactenus; quae de Georgio Pisida commentari in animo habemus, ea in aliam occasionem differenda sunt. *)

---

*) De *Niceta Eugeniano* quid statuendum sit, erudite exposuit *Struvius* in censura edit. a *Boissonado* curatae, Bibl. Crit. Scholast. Hildes. a. 1823. P. VII. p. 633. sqq. *Fried.*

XLVII. *A. Weicherti* Diss. de Q. Horatii Flacci Obtrectatoribus.

(Grimae, 1821. pp. 18. 4to.)

Quae fuerit, Augusto imperante, poeseos apud Romanos ars ac disciplina, quaeque poetarum, illo florentium tempore, studiorum ratio, ex nullo, opinor, scriptore melius intelligi certiusque cognosci potest, quam ex Q. Horatii Flacci Satiris atque Epistolis. Si quis autem haec praestantissima ingenii animique monumenta unquam justa attentione diligentique cura tractavit, ei non dubitamus quin permira fuerit visa gravis ac veluti aculeata severitas, qua Horatius in aestimandis veterum Latii poetarum aeque atque aequalium operibus usus est. Antiquos enim si spectamus poetas, nullus eorum, quotquot inde a Livii Andronici aetate (V. C. 514. v. Cic. Tusc. Qu. I. 2. ibiq. Davis.) vixerunt et poeseos studio inclaruerunt, reperitur, cujus poemata, licet Cicero multique alii erectioris mentis viri ea in deliciis haberent et, ut ipse Hor. Ep. II. 1, 60. cum aliqua indignatiuncula ad Augustum scribit, Roma potens ediscceret et arcto stipata theatro spectaret, satis ei fecerint et omni ex parte fuerint probata. In Lucilio quidem vituperando ac deprimendo erunt fortasse, qui mutuae aemulationi in eodem carminum genere aliquid tribuendum esse censeant, *siquidem* ille, primus insignem in Satira adeptus laudem, Horatii aetate longe plures sine dubio majoresque haberet admiratores, quam quos sua adhuc memoria eum habuisse tradit Quintil. I. O. L. X. 1. §. 93.; sed quid causae eum impulerit, ut Ennium et Pacuvium eorumque dramatica opera, quae Cicero, licet fortasse nimis amicus Romano nomini, I. de Fin. 2. Euripidis fabulis aequiparat, contemtim et cum aliqua irrisione memoraret (v. Ep. II. 1, 56 sqq.), et de Plauti numeris salibusque secus quam alii statueret eique in describendis ac repraesentandis hominum moribus veritatis artisque laudem denegaret (v. Intpp. ad Ep. cit. v. 170. Art. Poet. 270. et ad Cic. Off. I. 29, 11.); est profecto, quod nostrum animum advertat et diligentiore meditatione dignum esse videatur.

Utrum haec veterum ingeniorum censura, ab Horatio non per occasionem forte oblatam, sed quaesitam haud raro et studiose arcessitam facta, aequa fuerit et omni vacua judicandi cupiditate, non vacat hic explorare; male tamen eam a nonnullis aequalium esse acceptam, inde

liquido patet, quod Horatius, ut suam aliis sententiam approbaret et nominatim Augusto in pulcherrima illa ep. (II. 1.), quam verum sit justumque suum de illis judicium, persuaderet, omnem dedit operam atque in eos, quorum judicium a suo discreparet, quique labefactatam veterum poetarum auctoritatem tueri eorumque laudem salvam intemeratamque praestare studerent, non tecte ac leniter, sed aperte dictoque nomine, nunc admirabili urbanitate ac festivae εἰρωνείας aculeis, nunc indignationi atque irae totus indulgens vehementi et propemodum [4] illiberali verborum asperitate invectus est. Quemadmodum igitur manifestum est, exstitisse Romae illo tempore viros, qui Horatii judicio de antiquis Latii poetis offensi horum patrocinium susciperent et in eorum causa defendenda fortes ac pertinaces sociis armis cum eo digladiarentur: ita etiam, praesertim si temporis, quo in lucem edita sunt Horatii poemata, rationem respicimus, dubio caret, Horatium, cum ab initio non nisi Lucilium, suum in Satira antecessorem, vituperasset et hoc vituperio, quantumvis leni ac justo, apud ejus admiratores offendisset, horum obtrectatione et iniquo de suis Satiris, quas Lucilianis postponerent, judicio fuisse exacerbatum et inductum, ut, quam antea de uno Lucilio tulisset sententiam, latius extenderet et, ad confutandos stultos majorum vatum amatores, quidquid in illorum carminibus esset vitiosum ac reprehensioni obnoxium, studiosius rimaretur et declararet. Quaecunque igitur Horatius hac de re partim in Satiris partim in Epistolis scripsit, ea omnia mihi adversus neminem alium scripta esse videntur, quam contra malevolos carminum suorum obtrectatores, quippe qui, ut insipidae scilicet plebi sapere viderentur, superciliosi optimorum poetarum censores existerent, bonam eorum famam atque existimationem invido dente arroderent, et quo magis aliquis ingenio carminumque praestantia pollebat atque ob has virtutes Augusti, Maecenatis aliorumque principum virorum benevolentia et amicitia florebat, eo audentius eum petulantiusque aggrederentur. Id quam verum sit, etiam ea docent, quae Virgilio acciderunt, quem et ipsum, simulac famam aliquam ingenii esset consecutus, mordacium turba poetarum sive potius versificatorum allatrabant et malevola ducti invidentia singulos carminum ejus versus ac dictiones insulsissimo carpebant acumine adeoque furti eum insimulabant: nam Q. Octavius Avitus Ὁμοιοτελεύτων octo edidit volumina, in quibus, quos et unde versus transtulerit Virgilius, putida annotatum esset diligentia. Quae quidem cri-

minatio Asconio Pediano digna visa est, quam peculiari libro contra Virgilii obtrectatores confutaret: v. Donati Vit. Virgil. c. XVI. §. 64.

Cum vero ejusmodi cavillationibus ne Virgilius quidem esset immunis, candidissimi poeta animi (Hor. Sat. I. 5. 40.) et omnium bonorum atque eruditorum cultor, qui, quoniam omnis invidiae si quis alius esset expers, (v. Donati Vit. Virg. XVII. §. 65.) haud dubie neminem dictis et carminibus prius lacessiverat; quid mirum, si Horatius, qui aequalium suorum et corruptos mores et perversa literarum studia libere notare et acriter castigare in Satiris sustinuerat atque adeo diserte et nominatim ineptos poetas, quales fuerunt Furius, turgidus ille Alpinus (Sat. I. 10, 35. II. 5, 41.) lacrymosus Pupius (Ep. I. 1. 67.) et Cassius Etruscus (Sat. I. 10. 61.), suarum sibi conscius virium, magna cum acerbitate perstringere non veritus erat, in summam eorum omnium veniret invidiam, qui tunc temporis Romae vel ipsi arti poeticae operam navabant vel de poematis judicandi facultatem sibi arrogabant. Hi enim poetae, quorum ingens numerus tum in urbe vixit (Sat. I. 4, 140. Ep. II. 1, 109 et 117.) aliique elegantiorum literarum studiosi inprimis fuerunt, qui sive ulciscendi cupiditate sive cavillandi detrectandique lubidine, ejusmodi hominum generi propria, Horatii poemata apud populum in contemtum adducere haud irrita opera elaborarent. Proinde Sat. II. 1. ad Trebatium scribit: *Sunt quibus in Satira videor nimis acer et ultra Legem* [5] *tendere opus; sine nervis altera, quicquid Composui, pars esse putat similisque meorum Mille die versus deduci posse;* et Sat. I. 4, 21. *Beatus Fannius*, inquit, *ultro Delatis capsis et imagine, cum mea nemo Scripta legat volgo recitare timentis ob hunc rem, Quod sunt, quos genus hoc minime juvat, utpote plures Culpari dignos.* Cumque isti homines Horatium ne poetae quidem nomine dignum esse ob Satiras, tenue ac vile carminum genus, dictitassent, ipse lepida festivitate se poetarum numero eximit et nil nisi Sermones se scripsisse ait: v. Sat. I. 4. 39 sqq. cl. II. 6, 17. et Ep. II. 1, 250. Nemo autem est, quin intelligat, hanc modestiam modo simulatam esse ab Horatio, ut eo fortius obtrectatorum vituperia repelleret ipsosque, tanquam judices insulsos fastuque plenos, derideret. Neque sine acumine in ead. Satira v. 56. suas Satiras cum Lucilianis componens dicit, utriusque si dissolvas versus iisque tempora certa modosque eripias, nil nisi pedestrem existere sermonem, omni carentem spiritu et gravitate;

contra si versui: „*Postquam discordia tetra Belli ferratos postis portasque refregit:*“ idem facias, tamen inveniri disiecta membra poetae, h. e. agnosci adhuc posse in solutis verbis ingenium poeticum et os magna sonaturum. c. v. 43. Hunc autem versum Ennii esse, testantur Scholiastae: unde simul patet, Horatium nequaquam adeo fuisse Romano nomini inimicum, ut, Graecis unice favens, veteres Latii poetas prorsus fastidiret et in contemtu haberet, sed eum irritatum a suorum carminum vituperatoribus bellum quasi illis indixisse.

Haec quam probabili modo a nobis sint disputata, clarius patebit, si ipsos illos, qui partim Horatii de Lucilio iudicium aegre ferentes virtutem eius ac laudem obtrectarent, partim alia ratione eius bilem moverent, accuratius cognoverimus. Ab ipso poeta in illa nobilissima Satira L. I. 10., in qua judicium, quod de Lucilio Sat. 4. ejusdem libri tulerat, denuo confirmare et probare studet, et ex qua discimus, non displicuisse illud principibus reipublicae viris clarissimisque poetis, isti disertis nominibus memorantur et quasi in scenam producuntur v. 78.

Men' moveat cimex Pantilius? aut cruciet quod
Vellicet absentem Demetrius, aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?

Age igitur, hos homunciones, quibus tam pulchre illudit Horatius, singulatim consideremus.

De Pantilio s. Pantillio, ut multi Codd. habent, haec memoriae tradit Schol. Cruq. *Pantilius nomen est vilis poetae et maleolentis.* In quo illud mirum, cur *maleolens* vocetur, nisi forte bonus Interpres hoc de conjectura dedit, quoniam Pantilius ab Horatio *cimex*, vermiculus gravissimi odoris, appellatur: hinc etiam Acron et Porphyr. *cimex, sordidus, foetidus, putidus, abjectus* interpretantur. Sed, si quid video, vis convicii, quod utique inest, non tam in odoris gravitate et foetore quaerenda, quam in pungendo et arrodendo, quod huic bestiolae proprium est. Alio sensu Maevium olentem dictum fuisse, infra videbimus. Vt autem hanc notionem illi verbo subesse statuam, me inducit Antiphanis Epigr. V. in Anal. Br. T. II. p. 189. Lips. quod in Grammaticos magnorum poetarum virtutem et praestantiam calumniantes scriptum est, et v. 5. 6. ita de illis: *ποιητῶν λώβαι, παισὶ σκότος ἀρχομένοισιν, ἔῤῥοιτ' ἐνῳάνου λαθροδάκναι* [6] *κόρις*. cf. Jacobs Anim. V. II. P. 2. p. 123. Quod si illam vocem ita accipimus, in ea multo acerbiorem inesse malevoli poetae, qui Horatii carmina clanculum vellicaret,

descriptionem, nemo non intelligit. Aliunde autem iste Pantilius nobis non innotuit.

Neque notior nobis est Demetrius, item Horatii obtrectator, quod v. *vellicaré* clare innuitur. Praeter h. l. bis in hac Satira memoratur; primum v. 18. *quos* (n. Graecos Comicos) *neque pulcher Hermogenes unquam legit neque simius iste Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum:* ad quem l. Schol. Cruq. *notat M. quendam Demetrium, quem simium nominat propter deformitatem et brevem staturam: erat autem* δραματοποιός h. e. *modulator, histrio, actor fabularum, ad nihil aliud doctus quam ad carmina Lucii* (scr. Licinii) *Calvi et Valerii Catulli decantanda.* In Acronis Scholio misere corrupto haec leguntur: *Demetrium quendam poetam significat, qui fuit brevis staturae;* et Porphyrio ad v. *Simius: Marcum Demetrium, modulatorem, propter maciem ac parvitatem corporis hoc nomine significat.* Heindorfius Schol. Cruq. hunc Demetrium confudisse censet cum Demetrio, clari nominis Comoedo, de quo Quintil. I. O. XI. 3. §. 178. egit: quod neque negare neque affirmare ausim, sicut in medio relinquam, utrum Demetrius vere fuerit poeta. Modulatorem autem eum fuisse, tum ex h. l. recte colligitur, tum e v. 90. huj. Sat. patet. Commemoratis enim praestantissimis viris, qui ingenio ac doctrina clari Romae florebant et Horatio amicitia et necessitudine *juncti* erant, et quibus optat ut placeant sua carmina, *addit: Demetri, teque, Tigelli, Discipularum inter jubeo plorare cathedras.* In quo loco quantum sit salis, dubito an satis assecuti sint Interpretes. Schol. Cruq. *in schola mimarum. Vituperat eos poetas* (Heind. corr. *poeta*) *qui pro discipulis habuerunt in scholis mimarum coetum et histrionum.* Aliter Acron: *Hi modulatores fuerunt et docuerunt puellas ingenuas per modos, quia hoc tempore maximum earum studium fuit affectandi lyricam disciplinam:* quae paulo obscurius dicta sunt. Illi modulatores s. phonasci fuerunt musici, qui peroranti modos, quibus vox intendi et remitti deberet, musico instrumento praeibant et praemonstrabant: talem modulatorem a C. Graccho concionante in foro adhibitum esse, refert Quintil. I. 10. §. 27. ibiq. v. Spald. p. 224. Talis igitur phonascus fuit Demetrius, qui perorandi modos mimas edocuisse videtur, quas facete Horatius *discipulas* appellat. Jam vero per mimas nobilium poetarum carmina in theatro esse recitata, constat ex Auct. Dial. de Orat. c. 13. „*testis ipse populus, qui,*

auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit universus et forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic, quasi Augustum." Quod testimonium gravissimi scriptoris abunde mihi firmare et omni dubitatione eximere videtur ea, quae partim Serv. ad Virg. Ecl. VI. 11. partim Donatus in Vit. Virg. XI. §. 41. memoriae tradunt. Ille enim Eclogam sextam a Cytheride mima in theatro recitatam esse adnotat; hic tanto successu Virgilium Bucolica edidisse refert, ut in scena quoque per cantores crebra pronuntiatione recitarentur: qua occasione Cicero aliquando exclamasse dicitur: *Magnae spes altera Romae.* Quasi ipse, ut Donatus ait, linguae Latinae spes prima fuisset, et Maro futurus esset secunda. Qua quidem narrationes tantum abest ut cum Heynio Grammaticorum vel, si Diis placet, Monachorum commentis [7] accenseam, ut nihil dubitem tum hos Horatii locos, in quibus de Demetrio agitur, tum alium Ep. I. 19, 41. *Spissis indigna theatris Scripta pudet recitare, et nugis addere pondus:* de illis mimarum recitationibus interpretari. Quis enim ibi *theatris* Satirica hyperbole et διλόγως de auditorum grege cum Baxtero accipiat? Vel opposita illa v. 43. *Rides et Jovis auribus ista servas*, quibus blanda dilogia Augustum significat (v. Jac. Anim. ad An. Br. V. II. P. 2. p. 191.) meam sententiam stabiliunt. Sed ut illuc redeam, quo deflexit mea disputatio. Videlicet mihi suspicio subnata est, etiam Calvi et Catulli carmina in theatro fuisse recitata per mimas, quas edocuissent Hermogenes ejusque in schola, ut videtur, successor Demetrius. Si hoc ponimus, primum haud difficile est explicatu, qui factum sit, ut Horatius Calvum et Catullum, utrumque poetam non ignobilem, parum honorifice adeoque alto supercilio commemoraverit: nam aut egregie fallor, aut Horatius, unus ex irritabili vatum genere (cf. Ep. II. 2. 102.), quamvis se contemnere hoc in carmine fateatur istorum homuncionum sui contemtum, tamen, humani quid passus, non concoquere potuisse videtur, id honoris sibi nondum contigisse, quod Calvo et Catullo istorum opera et studio contigisset. Deinde lux affunditur iis, quae Acron obscure de studio affectandi lyricam disciplinam dixit. Etenim C. Licinius Calvus, clarissimus orator, (v. Cic. in Brut. c. 81. et Burm. ad Propert. II, 25. 87. p. 479.) et Catullus fuerunt lyrici poetae et teste Gellio N. A. XIX. 9. unici, qui tam fluentes carminum delicias fecissent, quales Anacreon. Atque tales delicias, non viriles Horatii Satiras, Hermogenes Demetriusque cantare h. e. recitare ad modos docebant mimas. Acerbam dilo-

giam, quae v. *plorare* continetur, bene perspexit Baxterus et docte illustravit Heindorfius: nec minus acerbe *cathedras* memoravit, quibus non nisi feminae ac molles homines utebantur: vid. Böttgeri Sabina pag. 29. Vix autem dubium est, quin Demetrius ob deformitatem et brevem staturam *Simius* appellatus sit, uti Scholiastae monuerunt; quandoquidem hanc interpretationem oppos. *pulcher Hermogenes* suadere videatur neque alienum ab Horatii more sit in adversariis corporis notare vitia et naevos. Ita, ut hoc utar exemplo, de Furio, immanis ventris poeta, ut Schol. tradunt, Sat. II. 5, 40. ait: *seu pingui tentus omaso Furius hibernas cana nive conspuet Alpes*: cuius obesitatem, licet ipse, auctore Suetonio in Horat. Vit. p. 50. T. III. ed. Wf. obesus esset, amara petulantia ὡς ἐν παρόδῳ perstringit, simul orationis tumorem, quem in hoc poeta etiam Sat. I. 10. 36. reprehendit, et illam respiciens opinionem, qua antiqui pinguis et crassi corporis homines pro stupidis et tardis habebant: v. Spald. ad Quintil. I. 5, 24. Quapropter Horatius Sat. II. 6, 14. lepide precatur: *Pingue pecus domino facias et cetera praeter Ingenium.*

Tertius obtrectator, quem Horatius l. c. producit, est Fannius, qui sine dubio idem est, qui jam supra occurrebat Sat. I. 4, 21. *Beatus Fannius ultro Delatis capsis et imagine, cum mea nemo Scripta legat.* De hoc Schol. Cruq.: *Fannius Quadratus poeta loquacissimus fuit, cui Senatus audiendi fastidio, ultro capsas et imaginem obtulit, ut libros suos mitteret et in auctoritatem reciperetur, tanquam optimus poeta: vel, ut alii referunt, Fannius poeta malus, cum liberos non haberet, haeredipetae sine ejus cura et studio, libros ejus et imaginem in publicas bibliothecas referebant,* [8] *nullo tamen merito scriptoris.* Notatu dignum est Acronis Scholion: *Fannius Quadratus eo tempore Satiram scribebat et erat sine liberis.* Ex hac Acronis nota conjicere licet, cur Horatius, de Satirarum suarum contemtione querens, Fannium nominatim secum componat, cujus carmina ejusdem generis, inepta licet, suis praelata ipsumque poetam multo honore ac laude ab insipida plebe esse mactatum, indigne ferebat. Nam honoris et magnae aestimationis significationem vv. *ultro delatis capsis et imagine* contineri, in promtu est, licet singula non satis plana sint et perspicua et ipsi Scholiastae rem obscurent magis quam dilucident. *Capsae* fuerunt thecae et receptacula librorum et scriptionum, interdum etiam aliarum rerum, ut ex Martial. XI. ep. 9. et

16. intelligitur. Notum est, servos, qui nobiliores pueros in ludum itantes sequerentur, a gestanda ejusmodi librorum capsa dictos esse *capsarios*: vid. Turneb. ad Sueton. Ner. 86.; hinc ap. Juvenal. X. 117. *Quem* (puerum) *sequitur custos angustae vernula capsae.* ibiq. Ruperti p. 559. T. II. Peregre profecturi in ejusmodi capsulis libros secum ferebant, ut e Catull. LXVIII. 36. *Huc* (sc. Roma Veronam) *una ex multis capsula me sequitur*, patet. Erudite de his exposuit Böttigerus in Sabina p. 70 et 88. qui etiam Tab. IV. F. 1. imaginem exhibuit. Etsi illae capsae clausae essent operculo, tamen perperam Bentlejus Hor. Ep. II. 1, 268. *Nec prave factis decorari versibus opto: Ne rubeam pingui donatus munere, et una Cum scriptore meo capsa porrectus aperta Deferar in vicum* etc. recepit *operta*, seq. Wakefieldio. In v. *aperta capsa* inest ob v. *porrectus* h. e. extensus quasi mortuus in feretro (v. Kirchmann de Funer. Rom. I. c. 12.) faceta dilogia et capsa arcae s. sandapilae simul notionem includit, in qua liber s. volumen, ipsius laudes continens, quasi cadaver, in vicum Turarium (v. Heind. ad Sat. II. 3, 228.) deferatur; *apertam* vero dixit capsam, ut derisui omnium sit expositus, uti recte monuit Fea. Quaeritur vero, quid sibi voluerit Horatius, dum Fannio *capsas et imaginem ultro delatas* esse dicit. Scholiastae cogitant de librorum et imaginis ejus delatione in bibliothecas publicas, et Heindorfius bibliothecam Asinii Pollionis, Wielandum T. I. p. 142. secutus, intelligit. Verum equidem non video, quo jure Fannii admiratores ejus libros et imaginem in Pollionis bibliothecam deferre potuerint, nisi permittente conditore et possessore; estne vero probabile, Pollionem tanto honore dignatum esse Fannium, ineptum poetam? Et fac, hoc ita fuisse, tum non nisi ab uno, magno quidem viro, ille honor Fannio habitus fuisset, cum tamen h. l. Horatius manifesto communem omnium venerationem et aestimationem, in qua Fannius sit, indicare velit, reiectis contra suis Satiris. Quae cum ita sint, praestat haud dubie de bibliothecis, quas privati homines Romae possidebant, cogitare, in quas a multis illis, quos invenit Fannius, admiratoribus libri ejus cum imagine recepti essent, quodque stolidum studium ac favorem poeta noster indignatur. Nam Asinii Pollionis exemplum multos excitaverat, ut bibliothecas non in studium, sed in spectaculum compararent, et ex Senecae de Tranq. An. c. IX. p. 355. Ruhnk. discimus, quam late patuerit studiosa haec luxuria, qua capti multi exquisita, ut Se-

necae verbis utar, et cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum, in speciem et cultum parietum in loculamentis tecto tenus exstructis reponerent. Hanc privatorum hominum luxuriem in ornandis bibliothecis respicit etiam [9] Juvenal. Sat. II. 4, et alibi Sat. VII. 29. vilem hunc honorem, quoniam dignis pariter atque indignis tribueretur, deridet. Quae apud Acronem de Fannio cum capsis librisque in foro combusto leguntur, ea haud dubie spectant ad Cassium Etruscum Sat. I. 10, 63. qui auctoris illius notae animo obversabatur.

Hic igitur Fannius, poeta, et ipse bonam Horatii famam laesit, fortasse illo Sat. 4. loco exasperatus, ideoque ab eo *ineptus* appellatur, cuius iniqua iudicia et obtrectationes nauci sint faciendae. Fuit vero, quia par pari gaudet, conviva Tigellii Hermogenis, quem, cum inter poetae nostri obtrectatores familiam duxisse videatur, operae pretium est accuratius cognoscere.

Schol. Cruq. ad Sat. I. 2. 3. haec de eo tradit: „*Marcus Tigellius Hermogenes musicae artis peritissimus et vocis eximiae C. Julio Caesari Dictatori familiaris fuit, et post Cleopatrae acceptus maxime, Augusto quoque Caesari amicissimus eo quod dulce caneret et urbane jocaretur, adeo ut inter familiares et domesticos haberetur.*“ Eadem habent Acro et Porphyrio. Eum in Sardinia natum fuisse, testatur ipse Horatius Sat. I. 3, 3. *Sardus habebat Ille Tigellius hoc:* in quo loco usque ad v. 19. bellissima istius hominis *ejus*que morum veluti in tabula depictorum descriptio invenitur. Notabile vero hoc est, quod Tigellius post mortem demum a nostro poeta magna verborum libertate carpitur, ut Heind. ad Sat. I. 4, 72. p. 100. probavit. Ejus mortem, ob quam omnes ambubajae, pharmacopolae, mendici, mimae, balatrones summa affecti essent tristitia et moerore, quia prodigus iste homo eos largiter donando sibi devinxerat, Horatius festiva ratione memoravit Sat. I. 2. in. Mortuus autem est ex Bentleji computatione intra ann. 714 — 16. p. V. C. Neque tamen Horatius sine gravi causa Tigellium post fata aggressus in Satiris derisit salibusque perfricuit, quum comperisset, etiam hunc malevola iniquitate de ipsius carminibus statuisse. Hoc partim ex Sat. I. 4, 72. recte colligitur, partim idem contestantur Acro et Schol. Cruq. ad Sat. I. 2. 3. *Ideo autem dixit „cantoris“ quia dicebatur in poematis suis placere voce, non carminum probitate. Mutato nomine per invidiam „cantorem“ pro musico obtrectatorie dicit. Fuit autem modulator optimus in*

Sardinia natus: is carmina Horatii negabat satis perite esse modulata, et idcirco carpitur ab illo. Priora hujus notae verba si recte percipio, Tigellius ipse poeticam tetigit et scripta a se carmina recitavit: quod quidem neutiquam ab ejusmodi modulatorum ingenio abhorret, quippe qui, pro suo fastu et vanitate, Musarum lacte non tincti, sed innutriti sibi viderentur ideoque inverecunde in praestantissimos poetas insultarent. Ecce igitur Tigellius Horatii Satiras perite modulatas esse negaverat; cui vituperio sic occurrebat poeta Sat. I. 4, 39 sq. ut diceret, se sermones scripsisse, non poemata. In ead. Satira v. 71. *Nulla*, inquit, *taberna meos habeat neque pila libellos, Quis manus insudet volgi Hermogenisque Tigelli. Nec recitem cuiquam nisi amicis idque coactus; Non ubivis coramve quibus libet.* Hic locus multis nominibus notatu est dignus, praecipue de Romanorum re libraria, a nemine adhuc satis illustrata. Nos ea curemus, quae ad Tigellium spectant. Hic, quum jam illo tempore, quo haec Satira scripta est, diem supremum obiisset, ponitur pro eo hominum genere, qui elegantis laudem ingenii captantes bibliopolarum tabernas circumcursarent et, si quid novi esset in lucem editum, exquirerent, [10] legerent, censerent. In his Sosiorum tabernis, quae, Schol. test., circa pilas vel columnas erant, Horatii quoque Satiras fuisse expositas et ab ejusmodi hominibus inique dijudicatas et in suspicionem invidiamque apud populum adductas, totius loci contextus docere mihi videtur. Quum enim Satirae pro justo carmine non essent habitae et hoc scribendi genus suspectum esset (cf. v. 63. 64.), Horatius, hujus censurae indignitatem aegre ferens, apud animum constituit, nullos amplius libellos publicare et tradere bibliopolis, ne legerentur et censerentur ab insipida plebe et hominibus, qualis esset Tigellius Hermogenes, et nemini eos recitare nisi amicis et his etiam coactus tantum. Alium sensum hic locus vix admittit: quare etiam pro *Non recito*, quod Fea et Heindorfius tuentur, cum Lambino ex Mss. reponendum censeo *Nec recitem*, uti de extrema voce Bentlejo quoque et Wakefieldio visum est. Ceterum in hoc loco salse Tigellius cum vulgo in aestimandis ingenii operibus componitur.

An vero Horatius Tigellium obtrectatorie et per invidiam, ut Scholiastae dicunt, cantorem pro musico appellarit, id admodum dubito. Cum enim *cantare*, ut supra vidimus, hoc nexu sit recitare ad modos musicos, nihil amaritudinis huic verbo subesse videtur, nisi quod

Horatius omne hoc modulatorum genus, arrogans et sibi sapiens, perosus esset, quoniam bonae optimorum poetarum famae publica obtrectatione detrahere et nocere auderent. Tigellius eximiam vocem a natura fautrice nactus et musices peritia excellens non tantum C. Caesari Dictatori et Cleopatrae fuerat acceptus, sed etiam ab Octaviano propter illas virtutes in consortium et amicitiam adscitus haud exiguam famam et auctoritatem modulandi arte Romae consecutus esse videtur. Idcirco Horatius admirabili festivitate et nobili adversus Augustum libertate Tigellii nomen ita usurpavit, ac si, quemadmodum Roscius appellabatur, quisquis in suo artificio excelleret, sic optimus quisque modulator et cantor Tigellius Hermogenes audiret. Ita accipiendum est nomen Hermogenis Sat. I. 3, 129. *Vt, quamvis tacet, Hermogenes cantor tamen atque Optimus est modulator.* Atque pari modo in Sat. 9. L. I., in qua Horatius miro lepore importunum quoddam genus hominum, qui doctrinae elegantiaeque speciem prae se ferentes Augusti, Maecenatis aliorumque principum virorum favorem appeterent, verissimis coloribus depingit, is, qui poetam nostrum in via sacra deambulantem impudenti garrulitate assectatur et quasi obsidet, ita se Horatio commendat v. 23. *Nam quis me scribere plures, Aut citius possit versus? quis membra movere Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto.* Cumque inter eos, qui Tigellii, benigni viri, obitum moesta sollicitaque mente lugebant, *etiam* mimae Sat. I. 2, 2. memorentur, haud scio an recte conjiciam, Tigellium, quem libertinae conditionis fuisse hominem deinceps docebimus, et ipsum mimas modulandi et recitandi arte instruxisse ejusque successorem fuisse Demetrium: quam suspicionem stabilit Sat. I. 9, 90.

Quae necessitudo Augustum inter et Tigellium intercesserit, satis locupletem testem habemus ipsum Hor. Sat. I. 2. in qua, cum cantoribus omnino hoc vitium proprium esse dixisset, ut rogati nunquam cantare velint, injussi autem nunquam desistant, ita pergit v. 3. *Sardus habebat Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset, Si peteret per amicitiam patris atque suam, non Quidquam proficeret.* Non miror Augustum hominis [11] tam insolenter sese gerentis patientem; admiror autem poetam ingenua libertate Augusto tam inhonestam patientiam tacite exprobrantem. Quam lubenter autem Augustus ejusmodi homines, qui ingenii quodam lepore et facilitate valerent, in sua habuerit familiaritate, alibi jam Timagenis exemplo ostendimus. Huc accessit, quod

Tigellius ab ea arte, cui Augustus quam maxime studebat, magnam haberet commendationem: nam Suet. Octav. c. 84. tradit: *Pronuntiabat* (Augustus) *dulci et proprio quodam oris sono dabatque assidue phonasco operam.* C. Julii Caesaris amicitia eum usum fuisse, idem ille, quem modo adduximus, Horatii locus evincit: qua fretus homo insolentissimus cum Cicerone graves inimicitias suscepisse videtur. Scilicet Cicero, ut ex Ep. ad Att. XIII. 49. compertum habemus, Phameae, qui Tigellii avus erat, causam contra pueros Octavios Gnaei filios receperat neque tamen ei eo die, quo ille vellet, operam dare potuerat, quia eo ipso die de P. Sextio in consilium iri necesse esset. Quanquam Cicero, ut ad Fabium Gallum Ep. ad Div. VII. 24. scribit, se ei alio die non defuturum esse promisisset, tamen ille, qui sciret, se nepotem, bellum tibicinem habere, et sat bonum cantorem, iratior ab eo discessit. Habes, addit Cicero, Sardos venales; alium alio nequiorem. Ex quibus verbis, quae proverbium de Sardis constituunt, ortum a V. C. 515. quum T. Gracchus Sempronius Consul, capta Sardinia, ingentem captivorum multitudinem abstraxisset: (v. Gron. de Pec. Vet. IV. c. 10.) iure colligere posse mihi videor, et Phameam et Tigellium fuisse libertinos, sed a Caesare ad aliquam evectos dignitatem. Jam quod saepenumero observare licet, homines e tenuiore emersos sorte, mutata in melius rerum suarum conditione, jactantius et arrogantius inducere ingenium, id comprobatum etiam videmus exemplo Phameae et nominatim Tigellii, ut qui ob denegatam Phameae operam injustissima adversus Ciceronem exardesceret iracundia. Cicero, licet se nihil curare dicat iniquitatem hominis sua patria pestilentioris, tamen ob Tigellii cum Caesare necessitudinem Attico negotium agendi cum eo de reconciliatione mandasse videtur, uti colligo ex Ep. 50. ad Attic. L. XIII. obscura illa verba: *velut hoc ipsum*, de conditionibus reconciliandi intelligens, quas quomodo acceperit Tigellius prorsus avet scire, etsi eum non flocci faciat. Nec minus Fabius Gallus operam dedisse videtur, ut Tigellius cum Cicerone in gratiam rediret: nam ad illum scribit Cic. VII. ad Div. 25. „*Quod autem me mones, valde gratum est: idque ut semper facias, rogo. Videris enim mihi vereri, ne, nisi istum habuerimus, rideamus γέλωτα σαρδόνιον.*“ Haud dubie Fabius Gallus Ciceronem monuerat, ut sibi a Tigellii odio et simultate, ob Caesarem ei facile periculosa, caveret: quod quidem vitae periculum Cicero exprimit vv. *ridere γέλω-*

τα σαρδόνιον: quandoquidem herba Sardonia, apiastro similis, comesa efficit, ut diducto ore homines, quasi ridentes, pereant: hinc proverbium γέλως σαρδόνιος, de quo praeter Suidam T. III. p. 287. conf. Erasm. Adag. III. 5, 1. Coel. Rhodig. Antiq. Lect. XII. 16. Pro hac igitur cura Gallo gratias agit Cicero. Quo autem modo intelligenda sint ea, quae Cic. ad Att. XIII. 51. scribit: „*Tigellium totum mihi et quidem quam primum: nam pendeo animi;*“ inter Interpretes non convenit. Alii supplent: *restitue, reconcilia:* alii verentes: ne ista ratione Cicero timiditatis atque inconstantiae insimuletur, omissum putant *narra, exhibe* vel simile quid. Verum enim vero cum neque timiditas neque inconstantia [12] a Cicerone, praestantissimo cetera viro, aliena sit eique reconciliationem cum Tigellio, quamvis eum contemtui haberet, rerum publicarum status, Caesaris potentia et istius hominis apud eundem auctoritas suasisse videantur, prior interpretandi ratio unice vera est habenda. Inciderunt autem istae Ciceronis cum Tigellio inimicitiae in an. V. C. 708. quae utrum communi Attici et Galli studio et opera sint sublatae, ignoramus.

Aliud idque perappositum de Tigellio testimonium a Porphyr. et Schol. Cruq. ad Hor. Sat. I. 3, 3. servatum est, ubi uterque Schol. discrimen verborum *Sardus* et *Sardiniensis* illustraturus haec addit: *At Licinius* de *Hermogene loquens:* „*Sardi Tigelli putidum caput venit.*“ Hic Licinius nullus alius est, quam C. Licinius Calvus, orator ille et poeta, de quo supra diximus, et versus a Schol. allatus, Iambus Scazon s. Hipponacteus (nam *venit* est praeteritum) sine dubio est ex Calvi praeconio Hipponacteo, cui jam dudum addictum esse Hermogenem ait Cic. Ep. ad Div. VII. 24. cujus loci sensum contra Muretum bene explanavit Gronovius. Igitur etiam Licinius Calvus a Tigellio lacessitus fuit: quod ut ille ulcisceretur, stylum contra hunc arrogantem et petulantem hominem acuerat et sine dubio etiam ejus natales et libertinam conditionem perstrinxerat, quam v. *praeconio addictus* indicatam esse puto.

Hi igitur fuerunt Horatii obtrectatores, qui, cum ejus judicium de Lucilio improbarent, ideoque de ejus Satiris insulsam facerent censuram, ut eos apud populum in contemtum et invidiam adducerent, nominatim in hisce carminibus a poeta mox lepida, mox acerba suggillatione taxantur. Haec autem vanissimorum hominum mordax irrisio tantum abest ut generoso Horatii animo indigna sit censenda, ut pusilli fuisset animi, stultam

istorum insolentiam et iniquitatem patienter ferre, praesertim cum haberet, quibus ejusmodi vituperatores confutaret. Etenim quae tandem reprehenderunt isti censores? qua judicii ratione usi? quo animo ducti? Haec egregie illustrabuntur iis, quae de duobus aliis illius aevi poetis, qui et ipsi, falsa scientiae poeticae opinione inflati, Horatium nostrum aliosque nobiles poetas maledicendi et reprehendendi petulantia insectarentur, relata legimus.

Bavius et Maevius, nobilissimum pessimorum poetarum seu versificatorum par, eorum ipsorum, quos prae invidia allatrarent, poetarum immortali gloria sui quoque memoriae immortalitatem consecuti sunt. Serv. ad Virg. Ecl. III. 90.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi!

haec de utroque: *Maevius et Bavius pessimi fuerunt poetae, inimici tam Horatio, quam Virgilio.* Virgiliani loci a v. 88. sensus hic est: qui Pollionis poemata probat, ei tanta contingat canendi facultas, quanta illi est; qui vero Bavii carminibus delectatur, ei judicium recti pulchrique adeo corrumpatur, ut Maevium, pejorem etiam Bavio poetam, pro bono habeat vate. J. H. Vossio ad h. l. p. 145. non vero simile videtur, Virgilium ipsum jam an. V. C. 712. quo haec Ecloga scripta sit, ab istis fuisse vituperatum, sed eum in gratiam Pollionis, qui sine dubio eorum ineptae censurae fuerit obnoxius, in eos esse invectum; sed cum Virgilius, antequam Bucolica scriberet, Culicem aliaque leviora carmina (v. Heyn. ad Don. Vit. Virg. VII. §. 28.) lusisset, et [13] haec fortasse poeseos rudimenta in illorum manus incidissent; nequaquam improbabile est, illo jam tempore Maronem ab illis fuisse lacessitum.

Philargyrio ad l. Virgilii l. teste, M. Bavius fuit curator: de quo munere publico v. Intp. ad Suet. Octav. c. 37. idemque Philargyrius hoc Domitii epigramma in Bavium attulit:

Omnia cum Bavio communia frater habebat,
Vnanimi fratres sicut habere solent.
Rura, domum, nummos, et denique omnia; ut ajunt,
Corporibus geminis spiritus unus erat.
Sed postquam alterius mulier communis utrique:
Novit, deposuit alter amicitiam.

Ita hoc epigramma in Virg. ed. Burm. T. I. p. 57. editum legitur, et denuo id edidit et prolixe illustravit P.

Burm. Sec. in Anth. Lat. II. 247. T. I. p. 486. V. 3. Pithoeus dedit: *ac omnia: denique ut ajunt;* Burmann. Sec. *atque omnia.* Nemo autem non sentit, quantopere post v. vox *omnia* frigeat: quare N. Heinsii emendationem: *nomina* i. e. debitores, unice veram puto. V. 5. retinui, uti apud Philarg. scriptus est, etsi v. *novit* quo referam, nescio. Burm. Sec. conjecit: *Sed postquam alternis mulier communis utrique Nota fuit, posuit alter amicitiam:* qua tamen emendatione, quam ad Anth. Lat. T. II. p. 19. iterum proposuit, neutiquam locus persanatus est. Ceterum auctor huius epigrammatis est Domitius Marsus, nobilis Augustei aevi poeta, de quo Intp. ad Tibull. IV. 15. conferendi sunt. Igitur Domitius Marsus quoque Bavium ejusque fratrem, quem ipsum Maevium esse haud temere quispiam suspicetur, egregie ludificatus est. Veruntamen Eusebius Bavium dignum habuit, cujus mortis annum in Chronico notaret: Ol. CLXXXVI. an. 3. (V. C. 720.) *M. Bavius poeta, quem Virgilius in Bucolicis notat, moritur in Cappadocia:* in qua terra fortasse Curatoris munere fungebatur. Apud Symmachum L. X. ep. 1. legimus: *non idem honor in pronuntiandis fabulis Publio Pollioni, quam Bavio fuit:* qui tamen locus valde corruptus est, ut docuit Burm. ad Virg. Ecl. III. 90. mihique Juretus non sine magna veritatis specie *Ambivio* (de Ambivio Turpione v. Intpr. ad Cic. Cat. Maj. c. 14.) pro *Bavio* conjecisse videtur. Praeterea memorabile hoc est, quod Bavius et Maevius junctis quasi armis nobiliores poetas impugnasse videntur: nam Serv. ad Virg. G. I. 210. *serite hordea campis:* haec annotat: *Sane reprehensus Virgilius dicitur a Bavio et Maevio hoc versu: Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat.*“ Cujus vituperii ratio plane latuit Heynium ad Don. Vit. Virg. XVI. §. 61. explicantem: „debet et de his praecipere.“ Imo vero male doctos istos et fatuos homines offendit numerus pluralis v. *hordeum*, et monere voluerunt, eum, qui *hordea* dicere queat, debere etiam *tritica* dicere. Recte Vossius ad Virg. Ecl. V. 34. p. 250. vertit: *Ihm, der hordea sagt, ist tritica übrig zu sagen.* Etiam Quintil. l. c. 5. §. 16. p. 98. Spald. in prosa oratione *hordea* rejecit, quia, quae ponderi ac mensurae subjecta sint, pluraliter non declinentur: sed contra illum canonem jam Cic. de Amic. c. 19. *vina* dixerat. Ceterum de auctore hujus versiculi dubitari potest, quandoquidem non exputo, quo pacto uterque ejusdem versus auctor esse possit, nisi forte in [14] libro communi opera scripto illam reprehensionem Vir-

gilianae dictionis proposuerint, aut Servius fortasse scripserit: *a Bavio aut* (pro *et*) *Maevio*, quippe ignorans, utri poetae ille versus sit adscribendus. Huc accedit, quod Cledonius ap. Putsch. p. 1898. eum Cornificio Gallo tribuit, quem Burm. ad Ov. Trist. II. 436. T. III. p. 536. Servianae immemor notae, secutus est. Hic vero Cornificius Gallus, si vere auctor est, nullus esse posset alius, quam obtrectator iste Virgilii, cujus meminit Don. in Vit. Virg. XVII. §. 67. ibiq. Heyne: quod Spaldingii causa moneo, qui ad Quintil. l. c. *Cornelium Gallum* pro Cornificio Gallo substitutum voluit: at Cornelius Gallus Virgilio, suo amico, ejusmodi minutias exprobrarit? Sensit hoc ipse Spaldingius.

Quisquis autem hujus versus verus auctor fuit, eo tamen nomine ille memoratu dignus, quod inde discimus, quae vitia cum primis isti versificatores et poetae, iratis nati Musis, in Virgilii, Horatii aliorumque poematis venari et carpere soliti sint. Scilicet improbarunt hi, vetustorum et obsoletorum verborum sectatores et aucupes, novandae et augendae orationis studium. Hinc lux accenditur aliquot Horatii locis, in quibus se contra illorum vituperatorum nugas tutum praestare enititur: v. Ep. II. 2. 115 — 121. et A. P. 55 — 63.

His et similibus ineptiis haud scio an Horatio stomachum motum esse statuam, ut in Maevium, discedentem ex urbe Roma, Epodon X. ut propempticon scriberet, Hipponacteo felle plenissimum. Schol. Cruq. ad h. l. *Maevius poeta fuit inimicus Horatii, obtrectator certe omnium virorum doctorum, ipse sectator vocum antiquarum, de quo Virgil.: Qui Bavium* etc. Hunc igitur inimicum suum in transmarina peregrinaturum Horatius contumeliosa lamborum rabie prosequitur, sive lndendi tantum ejus causa, ut Mitscherl. in Argum. p. 563. placet, sive ut, data hac occasione, omnem bilem in ineptissimum poetam evomeret; quod posterius orationis colore et totius carminis gravitate probabile redditur, neque ab irritabili Horatii animo alienum est. Primum igitur optat, ut fluctibus obruatur navis ferens *olentem Maevium:* quo in epitheto acumen inesse, nemo non intelligit; sed in qua re illud sit positum, inter Intp. nondum convenit. Schol. Cruq. explicat: *putidum, turpem, malum poetam, cujus carmina puteant nimia vetustate, vel ipsemet corporis vitio.* Lambinum, qui de odore ex alis existente, hirco alarum (v. Döring. ad Catull. LXIX. 5. et Intpp. ad Petron. c. 128.) cogitavit, secutus est Mitscherlichius, cui vitii in corpore exprobra-

tio acerbior esse videtur, quam si, ut Rutgers. Var. Lect. X. 10. opinatur, carmina Maevii notentur, obsoletis verbis putentia et sordida. I. H. Vossius ad Virg. Ecl. III. 90. p. 146. non tam ad carmina, quam ad corporis ejus obesitatem illud referendum esse censet ob v. 21: *Opima quod si praeda curvo litore Porrecta mergos juveris.* Ita jam Schol. Cruq. *opima: pinguis, hinc initio dixit putidum, quia superflua caro solet incalescens gravem generare putorem.* Nisi me omnia fallunt, etiam huic verbo subest dilogia. Cum enim Maevius obsoletorum foetores verborum sectaretur et, quod manifesto verbis *opima praeda* indicatur, crassi et pinguis esset corporis, cui, ut supra vidimus, stuporis adhaesit notio, verissime hominem depinxit, qui magis abdomini, quam Musis esset natus. Virulenta autem acerbitas, quae toto in hoc carmine regnat, nos inducere debet, ut statuamus, Horatium a Maevio gravissime fuisse lacessitum et ita exasperatum, ut irae suae atque indignationi non posset temperare.

Quo Roma migraverit Maevius, non constat. Mitscherlichius in Argum. suspicatur, eum Athenas peregre abiisse, haud dubie in hanc deductus suspicionem a Schol. ad Ov. Ibin v. 525. *Vtque parum stabili qui carmine laesit Athenas, Invisus pereas deficiente cibo:* ad q. locum vet. Intpr. *Maevius poeta Athenienses carmine laceraverat, a quibus in carcerem conjectus inedia mori coactus est.* Miser igitur Maevius gravem procacis et impudentis linguae poenam dedit! Hanc Scholiastae narrationem nonnulli fidenter sunt secuti: dubitanter eam recepit I. H. Vossius ad Virg. Ecl. I. p. 146. Severiori judicio h. Ovidii l. expendit jam Alciatus Parerg. Jur. V. c. 18. et rejecto Maevio, cui post Archilochum hic vix esse potuit locus, de Hipponacte, auctore Scazontis, quem v. *parum stabili carmine*, significari opinabatur, interpretatus est, cui Turneb. Advers. IX. 25. adstipulatus est. Enim vero nihil de morte Hipponactis per inediam effecta constat. Idcirco Fr. Th. Welckerus in Hippon. et Ananii Fragm. p. 22. repudiata hac interpretatione, Ovidium de vate Attico, quem, Terentiano p. 2437. auctore, Mattius in Mimiambis imitatus esse fertur, quemque nonnulli Herodem s. Herondam esse opinantur, explicat et Vet. Interpretem cum Maevio Cn. Mattium, poetam Iliade Homeri translata clarum, de quo Wernsd. ad P. L. Min. T. IV. P. 2. p. 568 sq., conludisse censet. Quidquid est, id extra omnem dubitationem positum esse videtur, Maevium olentem non esse

eum, qui sec. Ovidium Athenas carmine lacerarit ideoque in carcerem conjectus obierit inedia.

Haec habui, quae de poetis Horatii obtrectatoribus, tum ipsius poetae, tum Scholiastarum secutus testimonia, dicerem. Mirabuntur autem fortasse nonnulli, quae tandem me induxerint causae, ut de hominibus e faece Mercurialium virorum tam prolixe dissererem eorumque intermortuam memoriam cum aliqua cura instaurarem. Est vero, ne quid dissimulem, hujus scriptionis consilium subito natum, quum nuper Mansonis Comm. de Horatio, veterum Latii poetarum judice, in ej. Miscell. Commentt. III. p. 89 sq. legissem. Hic elegantissimi vir ingenii novam in explicandis causis, quae Horatium ad tam severum de antiquis Romanorum vatibus ferendum judicium permovissent, ingressus viam suspicatus est, exstitisse illo tempore Romae in literarum studiis eorumque cultoribus duplicem sectam et quasi scholam, quarum alteram constituerint cascae antiquitatis amatores et admiratores, qui Livio Andronico in Dramatico, Ennio in Epico et Lucilio in Satirico poeseos genere praestantius quidquam esse negarent; alteram vero ii, qui novae gratiae atque elegantiae, ex Graeco haustae fonte, studiosi essent et istos rigidae et rudis vetustatis sectatores meliora docere suamque causam contra eos tueri laborarent: utramque igitur partem inter se pro sua opinione, tanquam pro aris focisque, esse digladiatam, et novae scholae poetarum antesignanum et propugnatorem inprimis habendum esse Horatium. Haec sententia acute excogitata et docte subtiliterque tractata, primo adspectu insignem habet ut novitatis gratiam ita etiam probabilitatis commendationem, et me, fateor, etiam ab initio cepit; accuratius autem eam rem consideranti mihi ejusque [16] momenta sine praeconcepta opinione examinanti dubitationes quaedam subortae sunt, quae me ad cohibendum assensum impellerent.

Hoc utique verum est et notatu dignum, quod vel eo tempore, quo omnes propemodum artes Romae laetissime florebant, studium antiquata et Catonibus Cethegisque usurpata verba obsoletasque orationis formas sectandi aucupandique in quavis literarum parte multos idque clarissimos viros tenuerit occupatos. Appellabantur Antiquarii, de quibus I. G. Walchius in Hist. Crit. L. L. p. 187. egit, et componebantur cum Cacozelis: quos utrosque, auctore Sueton. c. 86., Augustus, qui, munditiarum patris sui, ut Gellius N. A. XV, 7. ait, in sermonibus sectator, ejusmodi reconditorum verborum foetores

vitabat, pari sprevit judicio. Ille vetustus orationis rigor, omni destitutus cultu, primum in eloquentia detersus est, et quidem per M. Aemilium Lepidum, cognomine Porcinam, in quo, ut Cic. Brut. c. 25. ait, primum lenitas illa Graecorum apparuit et verborum comprehensio, etiam artifex veluti stylus. Hujus et utriusque Gracchi exemplum multorum juvenum ad perdiscendas Graecorum doctrinas et consequendam illam, quae Athenis inventa et perfecta esset, dicendi vim et elegantiam excitavit studium: quo evaserunt Antonius Crassusque, in quibus primum cum Graecorum gloria latine dicendi copiam aequatam esse fatetur Cic. Brut. c. 36. cf. Tusc. Qu. l. 3. quibus ipse proximum altioremque occupavit locum.

Haec autem, quae per illos in eloquentia efflоruit, latini sermonis maturitas, ad poesin serius est traducta et, quod sciamus, per Virgilium demum et Horatium, qui Atticam illam concinnitatem omnesque Graecarum Musarum veneres felicissimo conatu in sua transfunderent poemata. Nam Lucretianae dictionis ponderosa grávitas quam horrida adhuc et sordibus inquinata est! Nihil dicam de Varrone Atacino, cujus inelegans oratio et hians compositio ex residuis cognoscuntur fragmentis; in Catulli poematis Graecum nitorem et concinnam facilitatem etiam desiderari, nemo est, qui infitias eat. Quid? nonne ipsius Ciceronis poetica dictio mirum quantum differt a felicissima illa facilitate, quam in ejus sermone jure admiratur Quintil. X. 1. 111.? Duri ejus versus, omni compositionis et concinnitatis arte carentes et salebrosi immundum vetustatis colorem referunt. cf. Auct. Dial. de Oratt. c. 21. p. 708. T. II. ed. Oberl. Atque, ut ad aetatem ipsius Horatii descendamus, nonne Asinius Pollio, qui, auctore Suetonio d. Ill. Gr. c. 10., Sallustii scripta reprehenderat, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita, tam longe a nitore et jucunditate Ciceronis abfuit, ut Quintiliano X. 1. 113. saeculo prior vixisse et Auctori Dial. d. Oratt. l. c. inter Menenios et Appios studuisse videretur?

Quemadmodum igitur lubenter concedimus, quod concedendum est, Horatii aetate viguisse antiquae in carminibus componendis dictionis studium, contrarium prorsus ei, quod ipse sequeretur et adamaret; ita perniegamus, eum sive sponte sive lacessitum aggressum esse eos, qui de poesi ejusque arte secus, quam ipse, statuerent, et in scribendis poematis veterum Latii poetarum vestigia premere mallent, quam Graecorum, ad quorum exemplum ipse se totum componebat. Nam profecto si qua esset facta poetarum in duas partes discessio, non

dubium est, quin aliquid de gravioribus, quam [17] Hermogenes Tigellius, Fannius et ceteri homunciones fuerunt, alterius partis patronis inaudiremus et relatum legeremus. Et ponamus, pugnasse pro veterum poetarum auctoritate, a Virgilio deminuta, Bavium et Maevium ideoque utrumque a Marone Ecl. III. 90. ludibrio habitum esse: nonne omnem pudorem et prudentiam Virgilius ejuraret necesse erat, cum illos, tanquam pessimos poetas, Asinio Pollioni, ut optimo poetae, opponeret, qui scilicet, teste Auct. Dial. de Or. c. 21., *Pacuvium et Attium non solum tragoediis, sed etiam orationibus expressit?* Atque hunc eundem Pacuvii Attiique sedulum imitatorem Horatius Sat. I. 10, 85. inter eos ponit, quorum judicio si sua probata fuerint carmina, Tigellios Demetriosque inter discipularum cathedras plorare jubet! At, dixerit aliquis, periculosum quiddam erat et imprudens, tantae virum auctoritatis, quantae fuit Pollio, impugnare ejusque studiorum rationem improbare; impune autem et tutum, Maeviis, Fanniis aliisque hujusce generis versificatoribus effrenata libertate atque illiberali petulantia illudere. Qui hoc sibi persuadeat, is vereor ne non perspectum habeat generosum fortemque Horatii animum, qui pristinae libertatis sensum nondum ita exuerat, ut civi se potentiori ea, quae sentiret, libere aperteque fateri pertimuisset, praesertim cum nihil dubitaret, discinctam Maecenatis vivendi sentiendique rationem ingenua urbanitate carpere, et nonnunquam adeo, ut Persii S. I. 116. verbis utar, circum praecordia Augusti ita ludere, ut hic non posset non sentire ejus aculeos.

Sicut igitur Virgilius, qui, ut ipse, auctore Donato in Vit. Virgil. c. XVIII. §. 71., dixisse fertur, aurum de stercore Ennii collegit, h. e. si verum fateri volumus, Ennii aliorumque antiquiorum Latii poetarum versus integros passim sublegit et suae Aeneidi nonnunquam obsoletas verborum formas nescio qua de causa intexuit, non ideo Bavium et Maevium, quod antiquorum essent poetarum patroni, amara irrisione in Ecl. III. perstrinxit, sed ut, juvenilis aestu animi abreptus, illorum fatuitatem cum fastu et obtrectandi lubidine conjunctam, quam ipse esset expertus, castigaret; ita etiam Horatius non ad tuendam partis alicujus sectaeve communem causam stylum adversus nonnullos aequalium suorum acuit et antiquorum Latii poetarum carmina severo judicio percensuit, sed ut suorum poematum contemtum, in quem obtrectatores isti stolidi et invidiae labe suffusi, de quibus supra exposuimus, illa apud populum adduxissent,

ulciscerétur et se suaque carmina contra illorum praeposteta et maligna judicia defenderet. In qua causae defensione probe sunt distinguenda tempora. Primum Horatius scripsit Satiras, ut Bentlejus docuit: in quibus cum Lucilium eadem usus libertate, qua ille, teste Serv. ad Virg. Aen. XI. 61., de Ennio judicasset, reprehendisset, hac re eorum, qui Lucilium ex vero non aestimarent, offensionem et invidiam sibi contraxit, ad quam repellendam et judicium suum de Lucilio illustrandum confirmandumque omnis ejus spectat in Satiris disputatio. Nihil in his inique nimiumque severe dictum de Ennio aliisque antiquioribus Latii poetis. Jam vero serius accesserunt aliae causae, ex Horatii vita tum privata tum publica repetendae, quae efficerent, ut ejus carmina apud plebem aliosque, qui poeticam artem callere sibi videbantur, non in tanto essent honore, quantum ea mereri ipse Horatius crederet et persuasus esset. Hinc indignatio et bilis, qua tinctam veluti invenimus Ep. ad Maecenatem L. I. 19; hinc severitas, qua Criticorum (v. Ep. II. 1, 51.) de veteribus Latii vatibus judicium impugnat. Sed de his Criticis alio tempore disputabimus.

XLVIII. *C. A. Lobeckii* Diss. de Bello Eleusinio. P. I.

[Regiomonti 1821. pp. 20. 4to.]

Priusquam de mysteriis Eleusiniis expressa, quae nuper colligere coepimus, veterum scriptorum testimonia recensere pergam, res paullo altius et a primis veluti fundamentis repetenda videtur, quo melius intelligi possit, quam tenui initio usum ad quantam famae celebritatem hoc municipale sacrum pervenerit. Cui quum multa similia condidissent in Graeciae urbibus Caucones, Phlegyae, Dryopes, aliaeque gentes erraticae, neque omnino essent illis temporibus alia quam paganica sacra, solis gentilibus nota, fors tulit, ut pleraque illa cum extraneis confusa obliterarentur, Eleusinia autem tum demum e tenebris emergerent, quum a patrio et natali solo revulsa et ad alienigenas translata essent. Quam sacrorum Eleusiniorum adoptionem multo serius, ac rerum atticarum scriptoribus placuit, consequutam esse, tum utriusque civitatis bella, usque ad Solonis aetatem extracta (Herod.

I. 30.) manifestum reddunt, tum diutina regulorum Eleusiniorum ipsiusque urbis obscuritas, neque heroum natalibus connubiorumque commerciis nobilitatae, neque ipsi Homero cognitae. Quanquam ne hic multiscius antiquitatis interpres inclytissimae apud posteros urbis nullam notitiam habuisse videretur, Rhetorum ingenia allaborarunt, in clypei fabrica *Il.* XVIII. 509. quo loco divinus artifex duas effingit urbes, unam pacatam et feriantem, aliam infesto exercitu cinctam, Athenas et Eleusinem significari affirmantium. Sed versus hi sunt:

> *Ἐν δὲ δύω ποίησε πόλεις μερόπων ἀνθρώπων*
> *καλὰς· ἐν τῇ μέν ῥα γάμοι τ' ἔσαν εἰλαπίναι τε.*
> – – – – – – – –
> *τὴν δ' ἑτέρην πόλιν ἀμφὶ δύω στρατοὶ εἵατο λαῶν.*
> – – – – – – – – – – – –
> *οἳ δ' ἴσαν. ἦρχε δ' ἄρα σφιν Ἄρης καὶ Παλλὰς Ἀθήνη.*

quibus haec adscripsit Eustath. p. 1156. *τὰς δὲ πόλεις ταύτας τὰς δύο Ἀγαλλίας Κερκυραῖος Ἀθήνας φησὶν εἶναι καὶ Ἐλευσῖνα. Δύο δὲ στρατοὶ περὶ τὴν Ἐλευσῖνα Φόρβαντός τε φησὶν ἐξ Ἀκαρνανίας καὶ Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος ἐκ Θράκης. ἔνθα βοηθοῦσιν Ἄρης μὲν χάριτας ἀποδιδοὺς ὅτι ἀπελύθη κριθεὶς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, Ἀθηνᾶ δὲ ὅτι ἡ πόλις αὐτῇ ἐπωνύμαστται.* Quemadmodum autem tum illa urbis obsessae effigies interpretes in discordias egit, ita quo consilio ambo exercitus in unum convenerint, diversis opinionibus disserunt. *Τινὲς μέν*, ut idem scribit Eustath. p. 1159. 5., *μιᾷ πόλει καὶ ἀμφοτέρους ἐπελθόντας φασιν, ὡς προερρήθη νοεῖν ὁ Κερκυραῖος σοφός. Οἱ δὲ ἕτεροι τὸν μὲν ἕνα πολέμιον πάνυ τοῖς ἐν τῇ πόλει, τὸν δὲ ἕτερον οὐ λίαν τοιοῦτον.* Hi igitur unum exercitum, Eleusiniis infestum, Atheniensium esse voluerunt, Martis ac Minervae auspiciis finitimos invadentium, alterum Thracum; quos Eumolpo duce Eleusiniis adversus Athenienses suppetias venisse ab Acesodoro traditum est. Agallias autem, qui eam urbem, quam Homerus quietam omnibusque pacis bonis florentem inducit, Athenas esse vellet, Atheniensibus quidem nullas in hoc negotio partes assignare potuit; quibus sublatis ne auxiliaribus quidem locus erat, quum Eleusinios nullo nisi adversus Athenas bello externis auxiliis adjutos fuisse constaret, neque fas esset quidquam in medium afferre, quod ex toto fictum esse appareret. Ergo utrumque exercitum peregre advectum, unum Eumolpi, alterum Phorbantis ductu, contra Eleusinem arma conjunxisse statuit, castrisque in conspectu hostium positis, secum deliberasse, utrum magis ex re esset, ur-

bem diripere, an salvam servatam habere cum veteribus colonis:

Δίχα δέ σφισιν ἤνδανε βουλή,
ἠὲ διαπραθέειν ἢ ἄνδιχα πάντα δάσασθαι.

cujus verbi sententiam nescio an Heynius parum perspexerit, quum putat, oppugnatoribus id consilii fuisse, ut accepta bonorum parte altera ab obsidione absisterent, aliorsum iter flexuri. Nam si, quid erronibus consultissimum, quid ab iis, qui novas sedes quaererent, saepissime factum sit, requirimus, facilis conclusio est, hostium duces non aliam tulisse oppidanis conditionem, quam ut se suosque tectis ac sedibus suis reciperent, partitisque omnibus fortunis mixti habitarent indigenae advenis; sin rem in dubiam pugnae aleam committere mallent, passuros, quidquid sors belli obtulisset. Neque aliter sensisse existimo Agalliam, qui quum omnem horum versuum interpretationem ad antiquitatem Atticam accommodaret, publiceque esset recepta persuasio, Thracum multitudinem ab Eleusiniis in urbem civitatemque receptam esse, idem Eumolpo ac Phorbanti urbis potiundae consilium assignasse videtur. At oppidanos spretis conditionibus excursionem fecisse ad diripiendos hostium greges raptu viciniae collectos; hinc inter urbem et castra certamen coortum diuque incerto Marte, magna utrinque clade, pugnatum esse; quam rem illis versibus adumbrari putabat:

Ἐν δ' ἔρις, ἐν δὲ κυδοιμὸς ὁμίλεον, ἐν δ' ὁλοὴ κὴρ
ἄλλον ζῶον ἔχουσα νεούτατον, ἄλλον ἄουτον.

Hac enim in acie tum alios ab Eleusiniis occisos esse, tum Immaradum Eumolpi filium *) quem alii, nova veteribus miscentes, in bello adversus Erechtheum occubuisse ferebant. Pausanias I. 38. *Τὸν Εὔμολπον ἀφικέσθαι ἐκ Θρᾴκης — γενομένης δὲ Ἐλευσινίοις μάχης πρὸς Ἀθηναίους, ἀπέθανε μὲν Ἐρεχθεύς, ἀπέθανε δὲ Ἰμμάραδος ὁ Εὐμόλπου. καταλύονται δὲ ἐπὶ τοῖσδε τὸν πόλεμον, ὡς Ἐλευσινίους ἐς τὰ ἄλλα Ἀθηναίων κατηκόους εἶναι* etc. Eaque fama, atticorum scriptorum consensu excitata, in reliquum eo valuit, ut ab iis, qui Eumolpum duplicem vel triplicem non recepissent, Erechtheus duplicaretur, quod is Erechtheus, qui Orithyiae pater, Chionae avus, habebatur,

*) *Οὗτοι γὰρ ἀπέθανον ὑπὸ τῶν Ἐλευσινίων Ἴμμάραδος ὁ Εὐμόλπου, Κλύτιος ὁ Ἀγριόπου τοῦ Κύκλωπος, Ἔγρεμος ὁ Εὐρυνόμου τοῦ μετὰ Φόρβαντος.*

belli cum Eumolpo Chionae filio (Munk. ad Hyg. F. CLVII.) gesti dux dici non poterat. De quo Schol. Taurin. ad Phoenn. 854. *Εὔμολπος πολεμῶν τὰς Ἀθήνας ἐπὶ τοῦ νεωτέρου Ἐρεχθέως, ἐφονεύθη παρ' αὐτοῦ. Ἕτεροι δὲ καὶ ἄλλοι δύο υἱοὶ (παρ' αὐτοῦ Ἐρεχθέως) ἀνηρέθεντο ἐν ἐκείνῳ τῷ πολέμῳ συμμαχοῦντες Εὐμόλπῳ, Φόρβας καὶ Ἰμμάραδος.* cujus loci vitia a Matthiaeo tolerata facile emendantur, *ἕτεροι* in *ἔπεσον* mutato, *ἀνηρέθεντο* in *ἀναιρεθέντες*, deletisque, quae uncis inclusa sunt. Hoc igitur insiticio Erechtheo remoto Agallias, in ceteris antiquae famae vestigia teneus, rem eodem deduxisse videtur, ut praelium sequeretur pactio, Thracum in urbem receptio et coalescentis in unum gentis utriusque commercia. Phorbantem autem ab aliis quoque in belli Eleusinii societatem vocatum esse, argumento est hoc, quod ex Androne refert Harpocratio: *Φορβαντεῖον ὠνομάσθη ἀπὸ Φόρβαντος τοῦ βασιλεύσαντος Κουρητῶν καὶ ὑπ' Ἐρεχθέως ἀναιρεθέντος*, neque causa suscepti adversus Athenienses belli latet, quum ille Neptuno ortus perhibeatur ab Hellanico (Sturz. Fr. p. 54.), Eumolpus autem eodem genere cretus non aliam ob caussam Atticae arma intulisse dicatur, quam quod Athenienses patris Neptuni tutelam adspernati fuissent. Ceterum quod Valesius ad citatum Harpocrationis locum et Sturzius in Hellaniceis Phorbanti imperium Curetum Euboensium imponunt, parum accurate faciunt. Namque ex septentrionalibus Graeciae partibus venisse, tum societas armorum cum Eumolpo inita, tum Agalliae testimonium confirmat, quod nobis non minoris videri debet, quam cujusvis scriptorum atticissantium, in hac praesertim Eleusiniarum fabularum corruptela. *) Thesprotum perhibet Anonymus scriptor de mulieribus, quae bello inclaruerunt, in Bibl. Vet. Lit. et Art. p. VII. p. 17. *Φόρβας Θεσπρωτὸς Δήμητρος ἐρασθεὶς καὶ βιαζόμενος τὴν θεὸν ὑπὸ τοῦ Διὸς ἐκεραυνώθη*, **) cujus fabulae auctorem apparet oppugnationem Eleusinis, urbis Cerealis, in im-

---

*) Paus. 1. 38. *Ελευσίνιοι γὰρ ἀρχαῖοι, τῶν λόγων ἅτε οὐ προσόντων σφίσι γενεῶν, ἄλλα τε πλάσασθαι δεδώκασι καὶ μάλιστα ἐς τὰ γένη τῶν ἡρώων.* Verba medio loco posita *τῶν λόγων - γενεῶν*, etsi intelligi possunt, tamen impeditiora sunt quam pro Pausaniae simplicitate, paene ut dubitem, an ab illo *γενεαλόγων* editum, postremae autem syllabae primum per compendium, post integrae sed non suo loco scriptae siut.

**) Ad hoc commentum non semel sed saepius descenderunt mythographi, Apollod. III. 12. *Ἰασίων ἐρασθεὶς τῆς Δήμητρος καὶ καταισχῦναι θέλων τὴν θεὸν κεραυνοῦται.*

piam Cereris vexationem convertisse. Denique nec Curetum natio Phorbantis imperio subjecta, a tali facinore aliena. Quo loco memorandum est, sepultas Graeciae gentes et gentium familias, quarum nil nisi nomen ad posteritatem pervenisset, fabularis historiae licentia in daemonum naturam conversas atque in deorum coelestium ministeria translatas esse, ut, quasi satellites lictoresque, aetate parvos tutarentur, adultos stiparent, bellantibus adessent et in ulciscendis inimicis adjuvarent, unde eos omnium caelestium discordiarum consortes et administros, alios aliis partibus adscriptos, videmus. Ita Curetes, fidissimos Iovis custodes, Junonis instinctu et Baccho et Epapho insidias struxisse fictum est ab illis, qui res gestas deorum enarrare ad historiae similitudinem sibi proposuerunt. Quo in argumento quum Junonis praecipuaa partes essent, hujus in persequendis inimicitiis nulli promtiores reperiebantur ministri quam Curetes, Euboeae incolae, hoc est, ejus insulae quam Junoni ob veterem commorationem sacram dilectamque esse constaret. Hic Epaphum natum, Argum occisum esse, quidam scripserunt. Etym. M. *Εὔβοια – ὅτι τῇ Ἰσιδι εἰς βοῦν μεταβληθείσῃ ἐκεῖσε πολλὰς βοτάνας ἡ γῆ ἀνεβλάστησε.* Stephanus Byz. *Ἄργυρα* (dorice pro *Ἄργυρα*, Lelantii, ut videtur, metalla) *τόπος Εὐβοίας, ὅπου δοκεῖ τὸν πανόπτην ὁ Ἑρμῆς φονεῦσαι.* Pari acumine antrum quoddam *Βοὸς αὐλή* dictum ab eo nomen habere voluerunt, quod in eo *loco* Io Epaphum enixa esset Strab. X. 8. quasi non aliis *quoque* in locis specus capaciores *βοαύλια* et essent et dicerentur. Atque his fundamentis excitata est fabula, quam Apollodorus refert II. 1. 3., Epapho in lucem edito Junonem per populares suos, Curetes, periculum intendisse; fraudis ministros a Jove peremtos esse. Jam operae est animadvertere, quam prope eodem modo bacchicarum rerum exornatores scenam instruxerint. Sed prius admonendum, Deum Liberum cum Epapho plurima habere communia, ortum e pellice matre, odium novercae et sedem infantiae Eubocam; denique eundem a nonnullis Epaphum ipsum perhiberi Isidisque progeniem, Ulpian. in Dem. c. Mid. p. 174. *Οἱ μὲν (Πάνδια) Διὸς ἑορτὴν ἐνόμισαν, οἱ δὲ Πανδίαν τὴν Σελήνην νομίζουσι. Ἦγον οὖν καὶ τῆς Σελήνης ἑορτὴν μετὰ τὰ Διονύσια, ἐπειδὴ Διονύσου ἀδελφὴ ἡ σελήνη, εἵπερ τὸν Διόνυσον καὶ Ἀπόλλωνα καὶ Ἥλιον καλοῦσιν. Ἔνιοι δὲ παῖδα Σελήνης τὸν Διόνυσον.* Et hoc apprehenso Pragmatici quartum Dionysum commenti sunt, *Jovis et Lunae filium, cui sacra Orphica instituuntur* Cic. N. D. III. 23. Quod quorsum referendum sit, nec

interpretes docent, nec intelligi potest, nisi ante oculos posita Bacchi Epaphique contagione; quibus in unam personam confusis consequutum est ut Curetes quoque et Titanes pro mythographorum arbitrio vices suas permutarent. Ita Hyginus Fab. CL. p. 221. Junonem ad vindicandam lecti injuriam Titanum ministerio usam tradit: *Postquam Juno vidit Epapho ex pellice nato tantam regni potestatem esse, curat in venatu ut Epaphus necaretur, Titanesque hortatur Jovem ut regno pellant.* At Firmicus rursus omnia eadem Baccho evenisse scribit de Err. Gent. p. 14. Liberum narrans „Jovis, regis „cretici, filium fuisse, e pellice natum; huic Junonem „novercalis animi furore commotam et ex hoc fortius „inflammatam, quod proficiscens pater et solium regni „puero tradidisset et sceptrum, satellites suos, Titanes, „ad necem pueri instigasse; re comperta auctores facino„ris praesenti poena affectos esse." Quorum ea est cum prioribus totius coloris omniumque lineamentorum similitudo ut nil nisi nomina mutatum esse appareat. Jam quum Bacchi Zagrei occisio a Titanibus patrata principale fuerit carminum Orphicorum argumentum, haud difficile est ad suspicandum, quid sit, quod sacra Orphica Jovis et Lunae filio instituta dicuntur, quum praesertim Luna Epaphi mater eademque Proserpina Zagrei genetrix istorum interpretatione perlubeatur.

Sed quo manifestius sit, quam sterile fuerit veterum mythographorum ingenium et ut in exornandis deorum gestis omnes ad idem exemplum respexerint, Telchines quoque in medium producam, quos quum Diodorus tradat Neptunum a matre Rhea curae suae commissum educasse, *) alii vicissim fabularis historiae enarratores ea induerunt persona, quam in Epaphi Bacchique fabulis Curetes sustinere videmus. Nam quod a Schol. ad Apoll. I. 1141. notatum, ab Etymol. p. 111. 46. repetitum est: *Ἀνταία ἡ Ῥέα, παρὰ τὴν ἄντην, ὅτι τοῖς Τελχῖσιν ἐναντία ἐγένετο*, id, etsi a nullo alio veterum scriptorum declaratum est, quid molientibus Rhea obstiterit, tamen si ceteram hujus deae in propugnandis filiis et nepotibus solertiam et adversus novercales insidias vigilantiam intuemur, non sane aliorsum videtur referri posse quam ad insidias uni alumnorum structas. Quo loco non mirabor si cui-

*) Addit Caphiram nympham, muneris sociam, quae quum omnibus ignota sit, suspicio est, ne ille *Κάμειρα* (ab recentioris urbis nomine) scripserit. Cabirorum gens a Rhodo alienissima.

quam legentium et Jovis et Dei Liberi nomen occurrat, cujus utriusque Magna Mater tutelam gessit, salutemque contra deos hostiles tutata est. Sed Jovem a Telchinibus infestatum esse, nullo testimonio doceri potest; Dionysum eorum insidiis periisse Himerius scribit, sed unus, sed debilis auctor, eoque suspectior, quod pro Zagreo Dionysum Thebanum, vini datorem, substituit. Jam si, ut nonnullis placet, fabularis historia statuae antiquae similis esset, quibusdam sui partibus truncatae, cujus ex servatis membris periti conjecturam capere solent, quae fuerit amissorum positura, si ergo omnes fabularum veterum particulae quamvis a diversis auctoribus et diversis aetatibus conditae tamen ita inter se conspirarent, ut uno veluti partu a parente sapientiae antiquitate editae videri possent, liceret jam ita argumentari: quod Dionysum nonnulli eundem Epaphum perhibeant; Epaphus autem Herodoti interpretatione Aegyptiorum sit Apis; Apidem autem Argivum alii a Telchine et Thelxione, Sicyoniorum regulis, interfectum dicant, hos autem Telchiniacae genti affines fuisse nominum similitudo demonstret, hinc ergo concludi liceret, Dionysum a Telchinibus impugnatum esse. Verum haec interpretandi ratio, qua permixtae omnium aetatum gentiumque fabulae in unum quasi cinnum confunduntur, perinde ut si antiquitus traditis nihil detractum, nihil additum, nulla fabula a poetis ficta, nulla a mythographis interpolata sit, *jam* dudum imperitorum abusu infamis et toto genere *periculosa* est. Itaque satius duco iis rebus uti, quae arctioribus inter se vinculis connexae et ex iisdem fontibus derivatae videantur. Jam quum, ut alias Jovis concubinas ita Latonam etiam ejusque progeniem Junonis odiis exagitatam constet, haud sane veri absimile est, Telchinum manum, ad omnem fraudem et malitiam promtissimam, struendarum insidiarum ministram fuisse. *) Hos enim ab Apolline interemtos esse, aperte tradit Serv. ad Aen. IV. 377. et quidem in lupi formam converso; quod ipsum unde susceptum sit, indicare mihi posse videor. Nam Apollinis Lycii s. Lycogenis nomen variis veterum interpretum conjecturis tentatum tum aliis poetarum et mythographorum lusibus occasionem dedit tum etiam quosdam commovit, ut Latonam errantem vel a lupis

*) Hoc lucem affert Lactantii loco, per se satis ambiguo VII. 11. „Telchinas Jalysios-Jupiter propter odium conjugis suae Junonis subjecit mari.“

deductam vel in lupae figuram transformatam fuisse fingerent, unde quam prope abest illud, quod Servius refert, Apollinem hujus belluae formam induisse? Telchinum autem nomen cur in hanc historiolam includerent ejus fabulae architecti, non alia ratio erat, quam quod unus celeberrimus Telchiniacae cohortis dux Lyci nomen habebat. Et vero hunc Lycum a rerum antiquarum scriptoribus Apollini aggregatum fuisse ex Diodoro intelligitur, qui illum Rhodo relicta in Lyciam venisse ibique Apollinis Lycii templum super Xanthi ripa condidisse narrat; quod nihil obstitit, quominus ab aliis inter hujus dei obtrectatores referretur, perinde ut Panes aliquando Baccho insidias fecisse Paus. VII. 18. Jasio Cererem, veterem patronam, violasse, et Curetes quoque, Jovis nutritores, meruisse dicuntur, cur ab alumno suo abolirentur. Quae omnis in narrando convenientia certissimum argumentum est, rerum mythicarum conditores, unum ab altero fabularum, quas ab antiquitate accepissent nec numero multas nec specie expressas, tum ornamenta tum complementa mutuatos esse. Equidem, quum omnem hujus generis varietatem et copiam animo colligo, et eundem fere in tradendis deorum natalibus, incrementis, odiis et amicitiis tenorem atque fortunarum per varios fines exitusque pergentium faciem similiter contextam quum considero, nullo modo adduci possum ut haec tanquam venerandae antiquitatis vel *φιλοσοφήματα* vel *ἱστορήματα* mihi imponi patiar, quae summa suspicio est ne a novitiis mythographis ementiendo adumbrata sint. Itaque nisi, omissa meliorum cura, antiquitatis interpretationem ad vanas conjecturas recidere volumus, longe abhorrebimus a Boettigeri ratione, qui rem magnam sibi fecisse videbatur, quum Telchines ideo Neptuni educatores perhiberi affirmaret, quod Jovis marini cultum disseminassent, Curetibus contra homines ad colendum Jovem terrestrem inducentibus, v. Kunstmythol. p. 156. Quibus facetiis totus constat Sanctocrucius, Curetum, Telchinum et Corybantum dogmata et in systematis theologicis dissensus et adversus dissentientes odia tanquam ex compendio historiae ecclesiasticae enarrans. Verum quum Boettigerus ista promeret, nondum percrebuerat scilicet nihil esse in Graecorum fabulis quod non ex India repeti et possit et debeat. Quo patefacto Ritterus invenit, tridentem quem Telchines Neptuno fabricasse feruntur, nihil aliud esse quam telum illud trisulcum quo Indorum nonnulli dii instructi reperiuntur. *Vorhalle Europ. Völkergesch.* p. 413. Quis igitur tridentem a Telchinibus

fabricatum dicit? Callimachus poeta. At fortasse veterem famam secutus? Qui potest? Si Telchines recentiorum demum fabulatorum beneficio in deorum societatem relati sunt? Sed hoc facilius obtinebitur, si omnem eorum memoriam explicuero, omissis, quantum fieri potest, quae Meursius, Sanctocrucius et Freretius *) collegerunt.

De Telchinibus igitur duplex fama est, una antiquior sed poetice exornata, altera non luculentos quidem auctores habeus sed ad veritatis similitudinem propensior. Nam quod apud Stephanum legimus Telchines aliquando Sicyone coluisse, quodque Syncello et Eusebio traditum, eos adscitis in commilitium Caryatis contra Phoroneum et Parrhasios bellasse, **) denique re male gesta Rhodon emigrasse, eorum nihil extra fidem est, praesertim quum Pausan. quoque IX. 19. Minervam Teumessi Telchiniae nomine consecratam memoret, a Telchinibus accepto, quos hinc concludit Cypro in Boeotiam venisse. Quo loco uti neglexit Scaliger ad Eus. p. 22, ubi, *veteres*, inquit, *fabulatores, qui Actaeonis canes in Telchines conversos fuisse nugati sunt, meminerunt eos in Boeotia fuisse.* Ceterum hoc commentum ab uno Eustath. memoratum p. 771. antiquioribus ignotum fuisse vel ea fides sit, quod in canum catalogo ab Apollodoro, Ovidio et Hygino contexto nullum prorsus nomen cum Telchinum vocabulis congruit. Nisi quis credere potest, Pollucis testimonio V. 38., quo confirmat Actaeonis *catulos* post longos circuitus in Indiam pervenisse, *Telchinum* reditum in terram patriam declaratum esse.

Sed Telchiniacae gentis memoriam obscuravit veterum fabulatorum sollertia, qui hos Graeciae Aborigines perinde ut Curetes et Cabiros supra humanae naturae fastigium elato in portenta verterunt. Cujus opinionis nulla est antiquior memoria, quam in Stesichori loco a Suchfortio praetermisso, quem Eustath. memorat p. 772. κῆρες τελχῖνες dixisse ea significatione, qua vulgo Telchi-

---

*) In Mem. de l'Ac. d. Inscr. T. XXII. p. 28. cujus dissertatio olim lecta nunc mihi non ad manum est; sed, quantum memoria praestat, cavebitur, ne in aliena vestigia incurram. Withofii Or. de Telchinibus quam Valckeu. ad Callim. Eleg. p. 186. et Albert. ad Hesych. s. Τελχῖνες laudant, videtur pro deperdita haberi posse.

**) Diversitatem lectionum indicat Schurzfl. in Notitt. Bibl. Vinar. p. 117. p. 126. Caryatas, quos latino nomine Carseolanos appellare possumus, Clavierius Histoir. d. prem. temps p. 20. in Curetes vertit, facilem plausorem nactus Raoul-Rochette Hist. de l'Etabl. d. colon. grecq. T. I. p. 156. de quo suo loco dicetur.

num nomen in quemlibet invidiosum et malevolum conferri solet. *) Huic succedit ignotus auctor *ἱστορίας Τελχινιακῆς*, quem Athen. VII. 292. F. ambigit utrum Epimenidem dicat Cretensem, an Teleclidem, an alium. Ad Theologum ista non pertinere vel nominis *ἱστορίας* usus novitius manifestum facit. Nihilo notior nobis est *Ἐπιμένιδης ὁ τὰ θεῖα γράψας*, quem Etymol. M. refert Telchinum nomen a verbo *θέλγειν* repetisse **) cujus et nomen et elogium libri depravatum videtur. Clarior inde Alexandrinorum poetarum aetas, qui ut omnes doctrinae antiquariae loculos excusserunt, ita etiam Telchinum memoriam fere intermortuam restaurarunt. Ac primum quidem Simmias Rhodius eos una cum Ignetibus e mari progeneratos scripsit; ex quo consortio conjecturam capere licet, ab hoc quoque poeta insulam Rhodon eorum primum domicilium habitum esse. Tum Callimachus, qui Neptuni tridentem ab iis confectum finxit, non Indorum, ut mihi videtur, doctrina imbutus, sed a Cyclopibus, Jovis fabricensibus, exemplum sumens. Sed hi omnes incertos nos dimitterent, nisi Zeno, Polybii aequalis, prolixiore narratione quodammodo exaequasset, quod tot Cretensium et Rhodiorum monimentorum naufragio deminutum est.

Summa est narrationis, Telchines recens mari editos „Rhodum, puram adhuc ab humano cultu, sedem ac

---

*) Locis a Spanh. ad Callim. H. in Del. 30. et Bergl. ad Alciphr. I. 12. citatis multi addi possunt recentiorum rhetorum: Liban. Apol. Caed. T. IV. p. 611. *ἐκεῖνον τὸν γάμον Τελχῖνες ἔξευξαν, Ἐρίννυες ἐπήξαντο τὴν παστάδα.* Nicet. Ann. L. XIV. 5. 370. *Τίνες ἀλάστορες, φθονεροὶ καὶ ἀμείλικτοι δαίμονες-ἀνάρσιοι καὶ μανιώδεις Τελχῖνες* cf. Pachym. Hist. Byz. L. IV. 1. 170. Niceph. Greg. IV. 3, 52. VII. 12. 222.

**) De scriptura nominis et origine jam olim disceptatum esse apparet e Plutarch. an Virt. doc. poss. p. 728. T. VII. Isti graecum nomen esse putabant, Bochartus, ut cetera Graecorum, hebraicum, ipsosque germanos Phoenices. Cujus commenti ad taedium usque decantati si argumenta requiras, nulla sunt. Nam quod Telchines a Pausania in Cypro habitasse dicuntur, quod ab aliis e mari orti, quod a quibusdam, rerum artiumque humanarum primordia conjectantibus, fabricae ferrariae repertores celebrantur, absurde faciat, si quis pro argumento Phoeniciae originis afferat. Graecos ipsos super hisce rebus nihil certi habuisse tum ratio docet, tum dissensus scriptorum declarat, quum alii Telchines e Cypro in Graeciam venisse, alii e Graecia in Rhodum, pars primum omnium in Creta, plerique in Rhodo habitasse referant. Sed propius vero, Telchinum nomen cum Graecis colonis in insulas pervenisse. Phoenices fuisse eos nemo tradidit.

„domicilium elegisse; ad eosque delatum Neptunum, u„adolevisset, Haliam sibi, Telchinum sororem, connubio „junxisse; hinc Rhoden genitam, unde insulae nomen. „Sed Haliam natorum impietate eo necessitatis adactam „ut sese in mare projiceret, a posteris divinos honores „et Leucotheae nomen accepisse. Neque ipsos diutius „circa ea loca moratos, sed instantem insulae inundatio„nem praesentientes alium alio dilapsum; Lycum in eam „regionem, quae ab ejus nomine Lycia appellata est. „Rhodum, postquam rursus e fluctibus emersisset, va„stam a cultoribus Heliadas occupasse.“ Haec est Zenonis narratiuncula, quam si quis putat ex vetere Graeciae fama collectam esse, aut docendus est, si nescit, quam ea ceteris deorum historiis similis, quam adeo nihil diversa sit, aut objurgandus, si non intelligit, tantas similitudines non libero animi motu, quo prisci et simplices homines ad fabulandum ducebantur, neque naturae sponte gigni, sed ab arte et imitatione proficisci. Cui primum non illud apertum est, ea, quae de Jovis infantia tradita sunt, recentioribus pro exemplo fuisse, quod intuentes in enarrandis deorum historiis suos cuique infantiae doctores, suos sodales et cultores adjungerent, sic ut idem argumentum rursum prorsum volveretur variatis tantummodo locis et nominibus, quum suae quisque gentis nobilitandae cupidus, domesticarum rerum primordia, gentium illustrium auctores, urbis patriae conditores deorum immortalium familiaritatibus implicare studeret. *Tum* cetera narrationis quis non videt ex proximo repetita esse? deo maris appositos congeneres tutores, conjugem Haliam, Leucotheae et nomine et fato functam *). Denique Lyci Telchinis in Lyciam profectio non aliud fundamentum habet, quam veterem famam a Panyasi aliisque proditam, gentis Lyciae auctorem Tremilum unam Praxidicarum, Thelxineam, Ogygi filiam, in matrimonium du-

---

*) Haliam nympham Homerus et (si verum vidit Valck. ad Amm. p. 165.) Hesiodus quoque inter Nereides numerat. *Λευκοθέα* commune Naiadum nomen est v. Etym. s. h. v. unde Leucotheae fons Sami Plin. V. 37. et *Ἰναχία ἑορτὴ Λευκοθέας* in Creta Hesych. s. *Ἰναχ.* ab Inacho Oceanidum fratre cognominata. Flagitiosus Haliae filios a Neptuno terra obrutos (quod Manso *Untersuch.* üb. *einige Gegenst. d. Mythol.* p. 70. veterum Theologorum more, omnia ad rationem revocantium, interpretatur) post obitum *Δαίμονας προσηώους* appellatos esse a situ loci probabile est, ut *Ἄρτεμις Προσηώα* Euboeae Plutarch. Themistocl. VIII. 455. Hesychius: *Ἄωοι, θεοὶ οἱ ἐκ Δρόμου κομισθέντες εἰς Σαμοθρᾴκην λίμνην* (f. *καὶ Λῆμνον*).

xisse v. Steph. Byz. s. *Τρεμ.* Ceterum et hoc ignotum Herodoto, qui Tremilarum gentem a Lyco Pandionis transnominatam esse auctor est v. Staveer. ad Lactant. VI. 4. neque Telchinum habitatio Pindaro gnara, qui Heliadas primos Rhodi colonos fuisse refert, operum artificiosorum fabrica inclytos, tantaeque sollertiae, ut statuas in viis inambulantes, haud aliter ac si viverent, perfecerint; quae fere eadem de Telchinibus praedicantur. Narrat enim idem qui cetera, Zeno, non solum multas res ad vitae cultum utiles ab his inventas, sed etiam prima deorum simulacra ficta esse, tantamque fuisse apud eos rerum reconditarum scientiam ut tempestates concitare, imbres nivesque effundere, seque, in quas vellent, formas vertere crederentur. Qua de causa suspicari licet, ab iis qui de rerum inventoribus scripserunt (quorum plurimos recenset Fabricius B. G. T. II. p. 152. Harl.) Telchinum memoriam subinde renovatam esse. Sed his omnibus vetustate absumtis unus nobis restat paullo locupletior auctor, Nonnus, qui in secunda parte catalogi inter ceteros Bacchi commilitones omnibus maris terraeque oris excitos, Telchines quoque sub signa mittit, currus Neptunii rectores L. XIV. 36.

Καὶ φθονεροὶ Τελχῖνες ἐπήλυδες ἐς μόθον Ἰνδῶν
ἐκ βυθίου κενεῶνος ἀολλίζοντο θαλάσσης
– – – – – – – – –
*Πληπολόμου μετὰ *) γαῖαν ἀλιπλανέες μετανάσται*
δαίμονες ὑγρονόμοι, μανιώδεες, οὓς πάρος αὐτοὺς
Θρῃνᾶξ σὺν Μακαρῆι καὶ ἄγλαος ἤλασαν Ἄυγης
υἱέες ἠελίοιο. διωκόμενοι δὲ τιθήνης
χερσὶ βαρυζήλοισιν ἀρνόμενοι στυγὸς ὕδωρ
ἄσπορον εὐκάρποιο Ῥόδου ποίησαν ἀλωήν.

Telchines, quum Heliadis cedere cogerentur, virus acerbitatis in agros segetesque effudisse, terraeque, quam vi virium tueri nequissent, Stygiae aquae adspergine late vastitatem intulisse, ab hoc uno auctore perspicue traditum est; sed magnam olim hujus rei famam fuisse ex obscuris quibusdam indiciis intelligitur. Zenob. Cent. V. 131. *οἶδα Σίμωνα καὶ Σίμων ἐμέ. Τελχίνων φύσει βασκάνων*

---

*) Eodem modo *μετ' Αἴγυπτον relicta Aegypto* Chrysost. ad Dan. p. 191. *μετὰ Θρᾴκην postquam e Thracia fugerant* Babr. Fab. CXLIX. quod Tyrwhittus perperam sollicitat. *Ἀλκμαίων τὰς ἐκβολὰς τοῦ Ἀχελῴου ᾤκησε μετὰ τὴν μητέρα post matris caedem* Philostr. V. Apoll. VII. 25, 305. cf. Cotel. ad Chrysost. l. c. Wernsd. ad. Himer. Ecl. II. p. 41. Boiss. ad Heroic. p. 429.

ὄντων. καὶ γὰρ τᾷ τῆς στυγὸς ὕδατι τὴν γῆν καταῤῥέοντες ἀρνὸν ἐποίουν. corrige – καταῤῥαίνοντες *) ἄκαρπον ἐποίουν. Suidas s. Θέλγει. καὶ Τέλχῖνες Θελγῖνες τινές εἰσι. τὰ γὰρ θάλλοντά φασι βασκαίνοντες τοῖς ὕδασι τῆς φύσεως αὖα ἐποίουν, ἕως φυτῶν βασκαίνοντες quae Kuesterus intelligi posse negat. Ubi pro φύσεως scripseris στυγός, nihil erit, quod non intelligas. Sed jam paullo longius conjectando progrediar, ostendamque eos qui rem miraculo eximere studerent, pro aquis stygiis salem substituisse. Quod ne iis qui sale nihil feracius esse scierint ad agros opimandos et laetandos, miraculo sit, monendum est, veteres soli inculti vastitatem salis sparsione significare solitos; cujus moris nobile exemplum est urbs Sichem a Valckenario memorata ad Herenn. Phil. p. 156. repetitum illud a Friderico Barbarossa in expugnato Mediolano v. Naucler. Chron. Vol. II. p. 845. Calvis. Opp. Chron. p. 770. B. Sed jam ad rem ipsam accedam. Herennius igitur de Diff. p. 157. haec scribens: Ἀλίσπαρτον, ἡ ἁλσὶ κατεσπαρμένη χώρα, ὅς τινες τῶν παλαιῶν πεποιήκασι. δυσμενῶς γὰρ πρὸς τοὺς Ἕλληνας διακείμενοι τὰς χώρας αὐτῶν ἁλσὶ κατέσπειρον, εἰς τὸ μηκέτι δύνασθαι φέρειν καρπούς, veteris Telchinum infamiae rationem nobis reddere videtur, nisi veram, at creditam. Nam de Telchinibus cogitasse veteres magistros eo credibilius, quod Ammonius eadem tradens: Ἀλίσπαρτον τὴν ἁλὶ ἐσπαρμένην χώραν addit ὡς τινῶν φθονερῶν τοῦτο ποιούντων quod nomen τῶν φθονερῶν proprie dicitur in Telchinibus. Multa inde conjectandi et opinandi copia, si quis operae pretium ducat, ut Telchines victi pulsique ab Hellenis gentibus (hi sunt enim Ἕλληνες Herennii, non *gentiles* Sichemitae, quos Valckenarius e longinquo arcessit) vastatis prius, quae neque hostibus usui esse vellent, neque in sua potestate retinere possent, in silvarum montiumque deserta se receperint; ut hinc furtivis excursionibus ad repetendas, quas possent, poenas progressi expulsores suos varie vexaverint, modo agros perpopulando, modo incautos opprimendo, tantumque sui timorem excitarint, ut majoribus quam humanis viribus, utique ad nocendum, instructi crederentur, multa, ut fit, affingente fama, formae mutabilitatem et cetera

*) Idem pro καταῤῥέοντες repositum in Strabonis loco quem ille ante oculos habuisse videtur XIV. 654. (T. V. 601.) Ἐκαλεῖτο ἡ Ῥόδος - Τελχινία, ἀπὸ τῶν οἰκησάντων Τελχίνων οὓς οἱ μὲν βασκάνους φασὶ καὶ γόητας, θελῳ καταῤῥαίνονται τὸ τῆς στυγὸς ὕδωρ, ζώων τε καὶ φυτῶν ὀλέθρου χάριν. ubi sub θελῳ objectum secundarium latere videtur, fortasse λῃῶν.

terriculamenta. Haec igitur si quis conjiciat in causa fuisse, cur Telchines et herbarum fascinandarum omnisque veneficii potentes et alienae felicitatis insidiatores dicerentur, et porro addat, eandem etiam veterum Finniae et Lapponiae incolarum et sortem et famam fuisse, is sciat, de his rebus nullam tam scitam conjecturam esse, quae intelligentibus probari, nullam tam absurdam, quae γεωμετρικῶς refelli possit.

Sed quoniam in hac degressione plus semel sacrorum a Telchinibus conditorum operumque mirabilium mentio facta est, haud ab re fecero, si, id quod in universum jam satis constat, antiquissimos quosque regionum incolas, quorum fama nomenque duraret, eosdem omnis divini humanique cultus satores, rerumque, quibus vita continetur, inventores habitos, tum inde sensim crescente fama in geniorum numerum relatos esse, per singula eundo demonstrem. Quam ad rem idem mihi qui multis aliis testis adhibendus est, Strabo, qui in decimo libro (locus inter paucos memoratus) Telchinum, Curetum, Corybantum et Dactylorum instituta tanquam priscae vitae imaginem proponens, hos aliis eosdem, aliis non multum diversos videri significat, universis autem artium maxime necessariarum inventionem et diviniorem quendam sacrorum cultum adscribi, antiquae musicae genere cum variis ululatibus inter cymbalorum et tympanorum strepitus a tripudiantibus peractum. Quae quamvis ita sunt, tamen non difficile est intellectu, eos omnes genere et ortu, plerosque etiam vitae institutis et inventis, inter se discrepare. Velut Corybantes nunquam Graeciam propriam attigerunt, nec ullam artem praeter musicam excoluisse traduntur. Curetum nomen Cretam et Euboeam pervagatum, ceterum unius fabricae ferrariae et pyrrhichae inventu illustratum est. Dactyli Idaei cum Telchinibus artium magicarum scientiam, cum aliis musicae facultatem communem habent, hactenus dispares, quod geniis beneficis adscripti sunt, haud tamen pari cum Cabiris dignitate. Sed ab omnibus longissime discrepant Telchines, qui natura et specie immites ferique, nullis in sacris culti, ac vulgo Graecorum vix fando cogniti fuerunt, sic ut nullam aliam ob causam in hoc numero censeri possint, quam quod in compluribus Graeciae locis cognomina deorum, qui illis patrii et gentilicii fuissent, inde ab antiquitate custodita, posteris opinionem attulerunt, praecipuam fuisse eorum in diis colendis sollertiam. Namque Diodorus auctor est Lindi Apollinem, Jalysi Nympharum Junonisque statuas, velut a

fictorum nomine Telchinias vocari; Minervae Telchiniae commemoratio a Pausania et Nicolao Damasceno *) facta est, Jovis Telchinii ab Hesychio, si vetus lectio *Τελχάνιος ὁ Ζεὺς παρὰ Κρισίῳ* (l. *παρὰ Κρησίν*) recte huc relata est. Idemque alio loco *Μύλας εἷς τῶν Τελχίνων ὃς τὰ ἐν Καμείρῳ Μυλαντίων ἱερὰ ἱδρύσατο.* quibus omnibus apertum fit, gentis seu bello seu alia clade exstinctae sacra ad posteritatem permansisse sub eorum, unde accepta essent, nominibus.

Atque haec sacrorum gentiliciorum constitutio, gentisque ipsius antiquitas nobis satis esse videtur, cur Telchines ceteris Deorum orgiastis similes habeantur; non autem eo valere, ut eos, qui tot tamque apertis notis distinguuntur, pro iisdem habeamus. Neque haec interior diversitatis ratio nobis, qui antiquitatis reliquias velut ex naufragio colligimus, non potior haberi debet, quam veterum logographorum auctoritas, qui, quum res a sua memoria tam longe remotas tam enodate narrant, non antiquitatis testimonia, quae ad hos serotinos nulla pervenerunt, sed sua propria nominum obsoletorum interpretamenta et theorematia afferunt. Adjice, quod praeter has communes causas, quibus plerique scribentium ad mentiendum ducuntur, illis quaedam peculiares fuere atque eae validissimae. Nam quum urbium locorumque antiquitates plerumque a domesticis colligerentur scriptoribus, a Cretensibus Creticae, Rhodiacae a Rhodiis, neque eos tantum vera dicendi, quantum patriae *illustrandae* studium teneret, neque tamen ii, qui universas Graeciae res summatim exponere constituissent, alios haberent, unde singularum urbium antiquitates cognoscerent, auctores, facile fuerit existimatu, quantopere alterorum cupiditate, credulitate alterorum antiquae historiae forma et sanitas corrupta sit. Cujus adulterationis specimen est Praesiorum oratio ad Rhodios, unde aliqua excerpsit Strabo X. 202. *ἐν τοῖς χρητικοῖς λόγοις οἱ Κουρῆτες Διὸς*

---

*) Ap. Stob. p. 223, temere ille affirmans, hoc nomine *invidam* significari, quo sensu non gentilitium, sed modo ipsum primitivum (ut *κῆρες τελχῖνες* Stesichori, *νόος τελχίς* Nonn. Dion. VIII. 108. *δεξιὰ Τελχίς* Liban. Monod. in Daphn. T. III. p. 334. Chrysost. Or. in Babyl. T. II. p. 169.), modo derivativum (*τηκέδονι τελχινώδει* Gregor. Palam. Decl. Corp. c. Anim. p. 17.) usurpari solet: sed et illud dubitari licet, utrum Minerva hoc nomen a sacrorum suorum conditoribus, an a nutricis Alalcomeniae sorore Thelxinea acceperit. Nec Junonis Thelxiniae, Athenis, ut Hesychius refert, cultae, etymon apparet.

τροφῆς, λέγονται, καὶ φύλακες, εἰς Κρήτην ἐκ Φρυγίας μεταπεμφθέντες ὑπὸ τῆς Ρέας. οἱ δὲ Τελχίνων ἐν Ῥόδῳ ἐννέα ὄντων *) τοὺς Ῥέᾳ συνακολουθήσαντας ἐς Κρήτην καὶ τὸν Δία κουροτροφήσαντας Κουρῆτας ὀνομασθῆναι. Κορύβαντα δὲ τούτων ἑταῖρον Ἱεροπύτνης ὄντα κτίστην παρὰ τοῖς Ῥοδίοις παρασχεῖν πρόφασιν τοῖς Πραισίοις, ὥστε λέγειν, ὡς εἶεν Κορύβαντες δαίμονές τινες Ἀθηνᾶς καὶ Ἡλίου παῖδες. ἔτι δὲ Κρόνου τινὲς τοὺς Κορύβαντας, ἄλλοι δὲ τοῦ Διὸς καὶ Καλλιόπης φασὶ, τοὺς αὐτοὺς τοῖς Καβείροις ὄντας· ἀπελθεῖν δὲ τούτους εἰς Σαμοθράκην: in quibus illa verba, quae interpretibus maximam difficultatem habere visa sunt, παρὰ τοῖς Ῥοδίοις — τοῖς Πραισίοις hoc significant: *praebuisse Praesiorum legatis ad Rhodios missis occasionem dicendi* etc. Sed ad totius loci, parum expediti **), interpretationem haec scire pertinet. Praesii, utpote Eteocretensium posteri, facile et sibi et aliis persuadebant, ut a Curetibus illis orti viderentur, quos fama erat cum Rhea in Cretam devenisse. Praesiis autem diuturnum erat et internecinum cum Hierapytniis bellum, cujus urbis antiquum fuit Cyrba, verticem significans (ex quo etiam ἱερὰ πύθνα s. πύτνα et deinde ἱερὰ πέτρα vocata est, v. Le Quien Oriens Christ. T. II. p. 267.) sed quod illi a Cyrbante s. Corybante derivabant tanto majore cum specie, quod istic Jovem puerum delituisse constabat, v. Graev. Lect. Hes. c. XXIII. p. 113. Ergo credibile, Praesiorum oratores, Rhodum missos vel auxilium adversus Hierapytnios petitum vel ut pacis interpretes esse vellent, crebram fecisse utriusque civitatis mentionem et tum vetera conditorum consortia tum communem ab Rhodiis ortum celebrasse. Quibus confirmandis Praesum dixerunt a Curetibus conditam esse, Telchinum sodalibus, a Corybante Hierapytnam. Sed

---

*) Numerus non convenit. A Nonno tres tantum commemorantur, Lycus, Scelmis et Damnameneus, quorum duos postremos alii ad Dactylos referunt (v. Diss. de Idaeis Dact. p. 4.) Tertium Mylantem addit Hesychius; quartum, Atabyrium, Timaeus ap. Stephanum; quinque alios Tzetzes Chil. VII. 113. v. 125. nescio unde arreptos, Actaeum, Megalesium, Ormenum, Niconem et Mimonem (leg. Simonem), plures etiam esse significans; quo ex numero Niconem et Simonem, novitios veteratores, decerpendos esse ex proverbiorum collectionibus patet. Alia nomina refert Eustathius p. 171. *Chryson, Argyron, Chaleon*, qualia illi antiquarii fabulatores ex tempore comminisci solebant. Aurum quendam auri inventorem facit Hypsicrates ap. Fest. p. 44.

**) Heynius, qui in Comm. Goett. VIII. h. l. tractavit, quidquid difficilioris erat explicationis, praetermisit.

quoniam Corybantes in Rhodum transmigrasse inauditum erat, causam suam obtinere non poterant, nisi eos ex Heliadarum familia fuisse dicerent, quos primos Minervae sacra fecisse Rhodiis persuasum erat. Unde Strabo eosdem *Ἡλίου παῖδας κ. Ἀθηνᾶς δαίμονας* h. e sacrorum Minervalium conditores vocat. Corybantes autem ab Heliadis nulla nisi nominum diversitate disjunctos fuisse, ad persuadendum tanto facilius erat, quod Corybantes vulgo Apollinis habebantur filii, quem deum eundem esse Solem, communis fere erat ista aetate opinio. — Sed quae reliqua sunt, in aliud tempus differre cogor.

XLIX. De extrema parte operis *Stephaniani* de urbibus, scripsit *A. Wellauer.*

Inter copias bibliothecae Rehdigeranae, quae pulcherrimis urbis nostrae ornamentis non injuria adnumeratur, codex asservatur chartaceus, quo Stephani Byzantini *Ἐθνικά* *) continentur, vel potius eorum epitome, quae Hermolao Barbaro tribui solet. Quod grammatici doctissimi opus, rerum memorabilium non minus quam locorum e scriptoribus deperditis citatorum multitudine insigne, *quum* corruptissimum adhuc circumferatur, jure nobis *gratulari* de hoc codice possumus, praesertim quum praeter hunc ne unus quidem Stephanus manuscriptus in Germania exstare videatur. Sed non unica est haec codicis nostri laus, qui, praeterquam quod primus nos de libris, in quos Stephanus opus suum divisit, certiores facit **), tot locis lectiones indubitate veras exhibet, tot lacunas explet, tot additamenta continet, ut, postquam totum eum contuli, dubitare non possim, quin ex antiquissimo optimoque codice fluxerit.

Etenim initio litterae X. iis, quae vulgo leguntur, praemissa est in codice nostro novem priorum gentium

---

*) Hanc inscriptionem unice veram confirmat codex noster, qui aeque ac Vossianus ab his verbis incipit: *Ἐκ τῶν ἐθνικῶν Στεφάνου κατ' ἐπιτομήν.*

**) Vid. Passow. symbol. crit. in scriptores gr. et rom. e codd. Vratislav. p. 7 sq., ubi prima hujus codicis mentio publica facta est, nec non loci complures ejus auxilio emendati sunt.

urbiumque brevis et concisa descriptio. Totum locum ἀνέκδοτον exscribo:

Χαραβηνοὶ *) *ἔθνος. Εὔδοξος ἀ γῆς περιόδου.*
Χαδισία, πόλις Λευκοσύρων. Ἑκαταῖος ἐν Ἀσίᾳ. οἱ πολῖται Χαδίσιοι καὶ Χαδισία.
Χαδραμιωμῖται. ἔθνος παρὰ τὸν Ἰνδικὸν κόλπον. Μαρκιανὸς ἐν περιπλῷ αὐτοῦ.
Χαζήνη. σατραπία πρὸς τῷ Εὐφράτῃ τῆς Μεσοποταμίας. Ἀριανὸς ἰγ παρθικῶν.
Χαιρέου. πόλις Αἰγυπτία. Κατὰ ἔλλειψιν τοῦ πόλις. ἐθνικὸν Χαιρεῶτις ὡς Νικεώτης.
Χαιρώνεια. πόλις πρὸς τοῖς ὅροις φωκίδος. τὸ ἐθνικὸν Χαιρωνεὺς, τὸ θηλυκὸν Χαιρωνὶς, καὶ Χαιρωνικὸν καὶ Χαιρωνική.
Χάλαιον. πόλις Λοκρῶν. τὸ ἐθνικὸν Χαλαῖος. Θουκυδίδης γ'.
Χαλδία. χώρα τῆς Ποντικῆς. Μένιππος ἐν τῷ περίπλῳ τῶν δύο τόπων **).
Χάλαστρα. πόλις Θρᾴκης περὶ τὸν Θερμαῖον κόλπον. ἔστι καὶ λίμνη τῇ πόλει ὁμώνυμος· ἔστι δὲ καὶ πόλις ὡς ἀπὸ Χαλαστραῖος Χαλαστραία φησίν. ἡ μὲν παρὰ τὴν λίμνην Χαλαστραῖα, ἐν ᾗ τὸ λίτρον γίνεται.

Deinda eadem gentium urbiumque nomina, amplioribus verbis explicata, ut vulgo, leguntur. Illorum vero in editionibus nihil legitur, nec quidquam in alio quodam codice repertum est, nisi forte in uno Salmasii, quod conjicere licet ex his ejus verbis (p. 747 ed. Berkel.): *Ab hoc usque in uno MSS. quaedam erant correpta nimis, quae tantum nomina urbium et ἐθνικῶν continebant.* Concisiora igitur nostris etiam esse videntur, verba ipsa enim non attulit, quae cum nostris comparari possent. Neque omnino magni haec facienda essent, (novi enim nihil nisi uno loco, quem postea tractabimus, adferunt) nisi aliud quid ex iis colligi posset. Intelligi enim nequit, unde duplex haec eorundem locorum descriptio, altera brevis et decurtata, longior et accuratior altera, nata sit, nisi aut epitome illa, quam textu nostro vulgato contineri putamus, iterum ab aliquo in epitomen redacta est, cujus alterius haec esset pars habenda, aut in littera X. genuina Stephani verba possidemus, quorum epitome amissa, ejusque haec sola pars quoquo casu superstes est. Nam quae de prioribus novem hujus litterae sectionibus

---

*) Ita et infra librarius pro *Χαβαρηνοί* scripsit.

**) Mendose pro *πόντων*, ut saepe.

dicuntur, ea de reliquis omnibus valere debent, quia longitudinis ratio in omnibus eadem est. Id, quod ad hanc rem expediendam primo loco posuimus, epitomen decurtatam in his, quae exhibuimus, nobis conservatam esse, veri quandam speciem ex eo habere possit, quod idem aliis quoque libris accidit, quod in libro, scholastico usui accommodato, id facillime fieri poterat, quodque brevitas, ei, quae in hoc ἀποσπασματίῳ est, simillima, aliis quoque textus vulgati locis reperitur, quemadmodum in littera *H*, ubi plerumque nihil nisi nomen urbis regionisque, in qua sita est et forma gentilis exhibetur, raro auctoris cujusdam nuda mentio adjicitur. Sed hoc sumto sequeretur, reliqua, quae sub littera *X*. leguntur, ad eandem Hermolai vel cujuscunque alii epitomen pertinere, quae totum opus complectitur, quod quo minus concedam, obstat eorum, quae littera *X*. continentur, ratio longe diversa a reliquis. In his enim habes urbium quaecunque paullo majoris sunt momenti, satis amplam descriptionem, habes dicendi rationem minus concisam, minus dissectam, nexu quodam sententiarum artificiosius conformatam, habes denique, ubicunque auctor aliquis laudatur, non merum ejus nomen, sed integrum locum ipsis auctoris verbis adlatum, quae omnia in reliquis secus se habent. Epitomator enim in hoc maxime brevitatis studium secutus esse videtur, quod, ubicunque auctoris cujusdam locus a Stephano allatus esset, eum *omittebat*, solo auctoris nomine relicto. Quare in *reliquis litteris* perraro ipsa auctoris cujusdam verba allata reperiuntur, praeter breviores Homeri, Lycophronis aliorumque poetarum versiculos, eoque magis ad hanc rem animus advertendus est in littera *X*., ubi semper integri loci exhibentur *). Praeterea longitudinem singularum sectio-

*) Peccarunt in hoc Stephani editores, quod locos ab eo laudatos non ubique satis accurate quaesiverunt et indicaverunt, ex quo non nunquam ipse Stephani textus vitium traxit. Sic, ut unum de multis exemplum afferam idque e littera *X*, quoniam de hac sermo est, s. v. *Χάλκη* in omnibus edd. legitur: *Θουκυδίδης ἐκτῳ Ἀπέπλευσεν εἰς Χάλκην, ἐνθεῦτεν δ' εἰς Ἄμμον.* Quae quum Pinedo ex Thuc. VIII, 55. sumta putaret, legendum censuit: *ἀπεχώρησαν ἐς τὴν Χάλκην καὶ τὸν πόλεμον ἐνθεῦτεν μᾶλλον.* Sed si modo pro *εἰς Ἄμμον* cum codice nostro *εἰς Σάμον* legeris, ipsa habebis Thucydidis verba ex l. VIII, c. 44. *Σάμος* pariter in *Ἄμμος* mutatum est in Aeschinis epist. IX. (Reisk. oratt. gr. T. III, p. 678,) si credendum est Plutarcho vit. *X* orat. T. XII, p. 249 ed. Hutt. et Photio Cod. LXI, p. 29, Aeschinem relicta Rhodo Samum se contulisse.

num in littera *X.* maxime congruam invenies fragmentis Seguerianis, quae si cum textu vulgato in vv. *Ἀύμη*, *Ἀύνδασον* etc. comparaveris, negare non poteris, eandem iis rationem intercedere, quam textui vulgato in vv. *Χαβαρηνοί*, *Χαδισία* etc. cum *ἀποσπασματίῳ* nostro.

Jam eo perventum est, quo tendimus, ut fateamur, videri nobis in littera *X.* genuinum et incorruptum Stephani opus exstare, quod quum antea conjectura assequi licuisset, si quis animum huc intendisset, nunc jam, hoc epitomes fragmento invento, certo certius est. Sed quae de littera *X.* dicta sunt, eadem iisdem argumentis de sequentibus *Ψ* et *Ω* probari possunt, nam in his quoque prolixius est dicendi genus et loci auctorum ubique integri exscripti sunt. Persuasum igitur mihi est, totam hanc extremam operis partem inde a littera *X* incorruptam et intactam epitomatoris manu nobis traditam, ideoque praeter fragmentum illud Seguerianum satis magnam genuini operis Stephaniani partem fortuna favente nobis conservatam esse. Cui sententiae leve quidem sed aliquod tamen momentum ex eo accedit, quod in fine codicis nostri scriptum invenimus: *Τέλος τῶν τοπικῶν Στεφάνου*, nulla epitomes mentione facta, qualem initio reperiri supra monuimus. Praeterea sic facile intelligitur, quomodo fragmentum illud epitomes in codicem nostrum aut in eum, unde hic fluxit, irrepserit. Quum enim librarius epitomen describens ad litteram *X* pervenisset, eandem epitomen describere perrexit, sed novem prioribus sectionibus scriptis, in mentem ei venit, hanc extremam operis partem exstare integram, quumque scripta delere, quae erat hominum illorum consuetudo, nollet, epitomes initio integra Stephani verba subjumxit.

Sed priusquam a fragmento nostro discedimus, monendum est, inesse ei nonnulla, quae in textu nostro vulgato desunt, digna igitur, in quae accuratius inquiratur. Et primum quidem s. v. *Χαδισία*, ubi vulgo *Ἑκαταῖος γενεαλογιῶν δευτέρῳ* laudatur, illic legitur *Ἑκαταῖος ἐν Ἀσίᾳ*. Sed hoc librario tribuendum puto, qui, quum saepissime Hecataei Asiam laudari videret, hic quoque calamo celeriter currente idem scripsit, neglectis Genealogiis, quibus minus assuetus erat; hae enim laudantur tantum modo s. v. *Ἀμφανᾶι*, *Μελία*, *Μύγδων* et *Τρεμίλη*. Deinde fragmentum nostrum habet *Χαλδία. χώρα τῆς ποντικῆς*, ubi vulgo *τῆς Ἀρμενίας* legitur, sed hoc epitomatori tribuo, qui, quum paullo post *ποντικῆς* mentionem fieri videret, hanc sibi non omittendam putavit, et Armeniae loco posuit. Nam Armeniae regionem hanc esse affinem Ponti-

cae testatur, praeter Menippi locum *) a Stephano laudatum, Eustath. ad Dionys. Perieg. 768. Sed majoris momenti sunt, quae in v. *Χάλαστρα* ei fragmento nostro lucramur. Primum enim, ubi vulgo *λιμὴν* legitur, illud *λίμνη* exhibet, quod unice verum esse confirmant Tzetz. ad Lycophr. v. 1441. Schol. Ruhnk. ad Plat. de rep. IV, p. 430, B. et Suid. ex Timaeo s. v. *Χαλαστραῖον*, qui paludis Chalustrae mentionem faciunt. Deinde in fragmento haec leguntur: *ἔστι δὲ καὶ πόλις ὡς ἀπὸ Χαλαστραῖος Χαλαστραία φησὶν. ἡ μὲν παρὰ τὴν λίμνην Χαλαστραῖα, ἐν ᾗ τὸ λίτρον γίνεται*, quorum in vulgato textu nullum est vestigium. Haec unde venerint, quaerendum est. Num forte ab epitomatore sunt addita? Vix affirmaverim, nam neque intelligi potest, qua re commotus addiderit aliquid ille, qui contrario consilio hoc opus tractavit, ut scilicet in brevius redigeret, neque ullo alio loco certum est additamenti ab epitomatore adjecti vestigium. Nam quae ab eo s. v. *Ἀναχτόρεια* addita esse putantur (v. Berkel praef. p. II. Ryckii praef. ad Holsten. Not. p. III, quamquam et hoc incertum est), ea certo quodam consilio addidit homo gloriolae studiosus, ut conditionis suae memoriam posteris traderet. Restat igitur, ut verba illa ex ipso Stephani opere depromta esse, ibique temporum injuria, ut sexcenta alia, excidisse putemus, praesertim cum non sit probabile, nitri Chalastraei mentionem, quae apud Suidam quoque, Schol. Plat. l l. l l. et alibi (cf. Ruhnk. ad Tim. p. 272.) reperitur, a Stephano praetermissam esse, qui talia curiose monet. Habemus igitur supplementum aliquod non contemnendum, quod textui nostro addere poterimus. Sed verba ipsa corrupta sunt, et si audacibus esse nobis in re obscura licet, vocabulis quibusdam transpositis, ita emendanda: *Χάλαστρα· πόλις Θρᾴκης περὶ τὸν Θερμαῖον κόλπον. ἔστι δὲ καὶ πόλις Μακεδονίας. ἔστι καὶ λίμνη τῇ πόλει ὁμώνυμος, Χαλαστραία ἀπὸ τοῦ Χαλαστραῖος, ὡς φησιν* — hic excidit nomen auctoris, ex quo sequentia, quae sana videntur, depromta sunt. In his autem habemus simul rarum vocis atticae *λίτρον* exemplum, quae, in editionibus perraro obvia, Atticistarum maxime fide adhuc nititur, de qua re cf. Lobeck. ad Phrynich. p. 305.

---

*) Corrupta sunt ejus verba *μέχρι τούτων τῶν βάρων*. Pinedo *χαίρων*, Salmasius et Holstenius *Τιβαρίων* vel *Τιβαρηνῶν* voluerunt, sed futilia haec omnia sunt prae lectione codicis nostri *βαρβάρων*, quae corruptionis fontem perspicue indicat.

L. Disquisitio grammatica *de pleonasmo* qui perhibetur *particulae ἤ post comparativum:* scrips. *Jo. Huldr. Fäsi,* Turicensis.

Commentatio isthaec maximam partem jam ante biennium Lipsiae a me conscripta, et in Societate Graeca, quae sub Cel. Hermanni auspiciis floret, ventilata est. Tunc quidem non ab omni parte neque Hermanno, viro sagacissimo, de veritate sententiae meae persuadere potui, et adversarius quoque, quem elegeram, doctiss. et amiciss. Graserus, multa acute et ingeniose mihi opponebat. Neque tamen, quum ex eo inde tempore etiam alia exempla, quae a criticis et grammaticis ad hunc pleonasmum tuendum afferri solent, accurate perpenderim, a sententia mea depulsus, immo indies magis in ea confirmatus sum: eo magis, quum ex Clar. Hermanni annotatione ad Soph. Antig. v. 1266. ed. Erf. min. sec. intelligerem, eum aliquatenus certe etiamnunc dubitationes meas probare. Itaque dissertationem meam nunc denuo et publice viris doctis examinandam propono, et admodum gaudebo, si ab uno alterove eorum, vel novis exemplis afferendis vel hisce rectius explicandis meliora edoctus fuero.

Jam inter veteres grammaticos et scholiastas complures fuerunt, qui ἤ particulam saepe post comparativum etiam sequente genitivo poni, ideoque abundare observarent. Sic Schol. Thucyd. 8, 94. ad verba *ὡς τοῦ ἰδίου πολέμου μείζονος ἢ ἀπὸ τῶν πολεμίων*, annotat: *περιαιρετέον τὸν ἢ σύνδεσμον.* Idem ad 8, 5. verba *καὶ πολὺ μᾶλλον — κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν αὐτοῖς οἱ ξύμμαχοι ὑπήκουον ἢ τῶν ἐν τῇ πόλει Λακεδαιμονίων*, sic explicat: *ἀντὶ τοῦ, ἢ οἱ ἐν τῇ πόλει Λακεδαιμόνιοι*, et ad lib. 2, 13. *οὐκ ἐλάσσονος ἢ πεντακοσίων ταλάντων*, τὸ ἢ, inquit, *περιττόν.* Inde Greg. Cor. de dial. Att. §. XXXVIII. *Τὸ ἢ παρέλκει πολλάκις παρὰ Ἀττικοῖς.* Cuius opinionis patrocinium plurimi deinde iique doctissimi viri susceperunt, ut H. Steph., de Attica dial. p. 28., Vir doctus in Misc. Obs. III. p. 429. Koenius (et Schaef.) ad Gregor. Cor. l. l. p. 89. Markland. ad Lys. p. 370., ed. Reisk. Toup. ad Longin. S. XVIII. p. 321. et in Ep. de Theocriti Syracusiis ad Th. Wartonum p. 334., Valcken. ad Theocr. Id. 15, 37. et 20, 27. Abresch. Auct. Dilucid. Thuc. p. 414., Fisch. ad Well. Gr. Gr. III. p. 351., Jacobs. in Animadvers. ad Anthol. Gr. V. II. P. I. p. 203. et in Additam. Anim. in Ath. Deipnos. p. 59 sq. Herm. ad Vig. p. 787., Matthiae Gr. Gr. §. 450. n. 2. Sturz. Lex. Xenoph. T. 2. p. 460. Bornemannus de gem. Cyrop. recens. p. 16. Poppo ad Xenoph. Cyrop. II, 1. 17. et in ind. Gr. p. 611. Stallbaum. ad Plat. Phileb. §.

159. p. 229., Krüg. in Commentt. ad Dionysii Hal. Historiogr. p. 287. et quamvis dubitanter B. Weiske de pleonasm. Gr. p. 181., alii. Pauci fuerunt qui contradicerent, ex quibus mihi hi tantum innotuerunt: Abresch. Dilucid. Thucyd. ad lib. 7, 77. (qui tamen ipse postea sententiam retractavit), Hoogev. de part. l. Gr. p. 461 sq. et Zeun. ad Vig. p. 409. qui et ipse ad Xen. Cyrop. VI, 2, 10 (25) ex vulgari opinione hac de re judicat. Sed quum horum nullus omnium, qui in hanc caussam afferri solent, locorum rationem habuerit, atque etiam post eos haud pauci exstiterint, qui veterem opinionem defenderent, haud inutilem laborem suscepturi esse nobis videmur, si omnes locos, in quibus iste pleonasmus inesse statuitur, collegerimus et sub accuratius examen vocaverimus: ita ut, quod ab omnibus hucusque neglectum est, quam maxime fieri póterit, similia conjungamus. Quo facto facilius a viris doctis hac de re judicium fieri poterit.

Ac primus quidem is locus tractandus est, de quo Gregorius Cor., quem ducem fere et auctorem hujus opinionis habere solent, perperam judicasse videtur. Verba Thucydidis, 8, 94. supra partim jam allata, cum proxime antecedentibus et subsequentibus haec sunt: *Οἱ δ' αὖ Ἀθηναῖοι, ὡς ἠγγέλθη αὐτοῖς, εὐθὺς δρόμῳ ἐς τὸν Πειρεᾶ πανδημεὶ ἐχώρουν, ὡς τοῦ ἰδίου πολέμου μείζονος ἢ ἀπὸ τῶν πολεμίων, οὐχ ἑκὰς ἀλλὰ πρὸς τῷ λιμένι ὄντος.* Ad haec Gregorius *ἀντὶ*, inquit, *τοῦ ἰδίου πολέμου μείζονος ἀπὸ τῶν πολεμίων*, in quibus procul dubio genitivum *τοῦ ἰδίου πολέμου* a comparativo *μείζονος* pendere vult. Sed recte Koenius, Dukerus aliique hanc interpretationem propter collocationem verborum ferri non posse intellexerunt: neque tamen magis verba cum Koenio transponenda, neque cum Dukero *οὐ* ante *μείζονος* inserendum, nec denique cum d'Orvillio ad Charit. p. 494. (p. 501. ed. Reisk.) *μείονος* pro *μείζονος* legendum existimo: namque haec omnia, nisi prorsus fallor, loci sententiam pervertunt. Ut hic locus recte intelligi possit, tenendum est ante omnia, Atheniensium civitatem tunc temporis in duas partes divisam fuisse, popularem nimirum et oligarchicam; tenenda sunt praeterea ea, quae c. 90 et 91. de muro in Eëtionea exstructo et de Lacedaemoniorum classe appropinquante narrata sunt. Jam quum haec Lacedaemoniorum classis ad portum ipsum advehi nunciaretur, pars Atheniensium popularis necessario timere debebat, ne Lacedaemonii ab oligarchicis in urbem reciperentur, ipsi vero ab utrisque conjunctis opprimerentur. Dubitare

enim non poterant, quin tum inter ipsos cives diuturnum dissidium in apertum bellum domesticum eruptu-rum foret; hoc autem domesticum bellum, majus illud-quam quod ab externis hostibus sibi pararetur, non jam e longinquo imminere, sed ad ipsum portum adesse intelligebant, quia Lacedaemonii, ei ansam praebituri, in eo erant, ut in portum appellerent Ita locum etiam Heilmannus in vers. vernacula reddidit: (Dem sey wie ihm wolle,) so eileten die Athenienser auf die erste Nachricht davon mit allem, was nur Waffen tragen konnte, in den Piraeeus, allwo sie einen gefährlichern Krieg mit ihren Landsleuten, als der mit den Feinden war, und dieses nicht in der Ferne, sondern dichte am Hafen zu führen zu haben glaubten; et Krüger. l. l. p. 8. 387. Not. 106. similiter enm interpretatur. Cf. locum similem Thucyd. 6, 38. *ἡ πόλις ἡμῶν ὀλιγάκις μὲν ἡσυχάζει, στάσεις δὲ πολλὰς καὶ ἀγῶνας οὐ πρὸς τοὺς πολεμίους πλείονας ἢ πρὸς αὑτὴν ἀναιρεῖται;* in primis autem 4, 71. *Αἱ δὲ τῶν Μεγαρέων στάσεις φοβούμεναι, οἱ μὲν μὴ τοὺς φεύγοντας σφίσιν ἐσαγαγὼν αὐτοὺς ἐκβάλῃ, οἱ δὲ μὴ αὐτὸ τοῦτο ὁ δῆμος δείσας ἐπιθῆται σφίσι, καὶ ἡ πόλις ἐν μάχῃ καθ' αὑτὴν οὖσα ἐγγὺς ἐφεδρευόντων Ἀθηναίων ἀπόληται, οὐκ ἐδέξαντο, ἀλλ ἀμφοτέροις ἐδόκει ἡσυχάσασι τὸ μέλλον περιιδεῖν.* Jam opinor apparet, illud ἤ h. l. non modo non supervacaneum, sed prorsus necessarium esse.

Neque magis pleonasmum hujus particulae probant duo alii Thucydidis loci, ab H. Stephano tanquam manifesta ejus exempla laudati, alter Thuc. 7, 77. cui etiam Valcken. ad Theocr. Id. 20, 27. innititur, alter lib. 8, 5. *) Prior sic sonat: *ἤδη γάρ τινες καὶ ἐκ δεινοτέρων ἢ τοιῶνδε ἐσώθησαν.* Qui quum duplici ratione apte explicari possit, ex neutra tamen ἤ abundare dici potest. Aut enim, quod volunt Abresch. in Dil. Thuc. ad h. l. et Zeun. ad Vig. p. 409, ante *τοιῶνδε* cogitatione repeti debet praepositio *ἐκ*, ut Thuc. 8, 96. *Εὔβοιαν ἀπολάκεσαν, ἐξ ἧς πλείω ἢ τῆς Ἀττικῆς ὠφελοῦντο· περὶ* Thuc. 5, 110. extr. *καὶ οὐ περὶ τῆς μὴ προσηκούσης μᾶλλον ἢ τῆς οἰκειοτέρας ξυμμαχίδος τε καὶ γῆς ὁ πόνος ὑμῖν ἐσται· μετὰ* 5, 111. *καὶ αἰσχύνην αἰσχίω μετὰ ἀνοίας ἢ τύχης προσλαβεῖν.* Aut (quod verius esse intellexit Hoogeveenus de part. l. Gr. p. 461.)

---

*) De posteriori uil moneo, quum jam Dukerus bene ostenderit, Stephanum et Scholiastam in ejus interpretatione prorsus falsos esse; neque enim genitivum *τῶν Λακεδαιμονίων* pendere a comparativo *μᾶλλον*, sed a verbo *ὑπήκουον*..

genitivus τοιῶνδε per attractionem positus est propter praecedens δεινοτέρων, quum Graeci pariter atque Latini utramque rem comparatam eodem casu efferre soleant. Vid. Matth. Gr. Gr. §. 448. I. a. Sic Herodotus 7, 26. (laudatus a Schaef. ad Greg. Cor. l. c.) παρεγένοντο ἐς Κελαινάς, ἵνα πηγαὶ ἀναδιδοῦσι Μαιάνδρου ποταμοῦ, καὶ ἕτέρου οὐκ ἐλάσσονος ἢ Μαιάνδρου, τῷ οὔνομα τυγχάνει ἐὸν Καταῤῥήκτης. *) Plato de Legg. X. p. 667. c. (p. 892. a. ed. Steph. 191. ed. Bekk.) εἰ δέ ἐστι ταῦτα οὕτως, ἆρα οὐκ ἐξ ἀνάγκης τὰ ψυχῆς συγγενῆ πρότερα ἂν εἴη γεγονότα τῶν σώματι προσηκόντων, οὔσης ταύτης πρεσβυτέρας ἢ σώματος; Quem locum jam Zeunius ad Vig. p. 409. b. recte explicuit, Abreschius autem ob hunc solum, levissimum sane, pleonasmum voculae ἤ prorsus proscribere non ausus est! Plane ut Herodotus et Plato, etiam Cicero loquitur Ep. ad Famil. 5, 7. Pompeio scribens: „Quae, cum veneris, inquit, tanto consilio tantaque animi magnitudine a me gesta esse cognosces, ut *tibi multo majori quam Africano*, tamen non multo minorem quam Laelium facile et in republica et in amicitia adjunctum esse patiare.“ Nunc quidem post Ernestium editur: *multo majori quam Africanus fuit*; at quanto cum detrimento concinnitatis! cf. Epp. ad Att. 9, 9. „Praedicat enim palam et militibus ostendit, se largitione ipsa superiorem *quam hunc* fore.“ cf. Hom. Il. 1, 260 — 263.

His comparari et subjungi possit locus Theocriti *Id.* 20, 27. — ἐκ στομάτων δέ ἑῤῥεέ μοι φωνὰ γλυκερωτέρα ἢ μελικήρω. Nam si h. l. cum Valckenaerio retineamus scripturam quam dedimus vulgatam, ea aliter apte explicari non poterit, quam ut dicamus, genit. μελικήρω respondere praegressis verbis ἐκ στομάτων, quippe quum non favus ipse, sed id, quod ex favo effluit, merito dulcissimum habeatur. Sed mihi quidem vix dubitatio relinguitur post Toupii disputationem in append. nott. atque emendd. in Theocr. p. 35., quin cum libris vett. scribendum sit: γλυκερωτέρα ἢ μέλι κήρῳ vel potius κηρῷ, quae scriptura merito etiam Reiskio, Brunckio, Wartono et Graefio probatur. Namque nunc demum oppositio apta est: ἢ φωνὰ ἑῤῥεέ μοι γλυκερωτέρα ἐκ στομάτων ἢ μέλι (ἐκ) κηρῷ; et simillimus nostro est locus Moschi a Toupio laudatus, Epitaph. Bionis v. 33.

---

*) Vid. J. Schweigh. in lexic. Herod. p. 310. s. v. ἤ, bene de h. l. disserentem.

Μάλων οὐκ ἔβρευσε καλὸν γλάγος, οὐ μέλι σίμβλων.
Κάτθανεν ἐν καρῷ λυπεύμενον κ. τ. λ.

Alius vero generis sunt loci Xenophontei, a Koenio ad Greg. Cor. et Matthiaeo Gr. Gr. allati. Primus eorum Hellen. II, 1, 8. ita habet: *Ἡ δὲ κόρη ἐστὶ μακρότερον ἢ χειρὸς, ἐν ᾗ τὴν χεῖρα ἔχων οὐδὲν ἂν δύναιτο ποιῆσαι.* Hic igitur verba *ἢ χειρὸς* multifariam ab interpretibus tentata et vexata sunt, Brodaeo quidem conjiciente *τῆς χειρὸς*, Stephano vero et Weiskio *ἢ χειρίς*, Porto *χειρίδος*, Leunclavio tollente *ἢ*, Abreschio et Schneidero subaudientibus *χρῆμα*, Viro denique docto in Misc. Obs. l. l. et Koenio ea pleonasmi voculae *ἤ* auxilio tuentibus. Sed omnibus his moliminibus opus non est, dummodo loci sensus et structura accuratius exploretur. Equidem facile concedo, mutata structura in his verbis particulam *ἤ* omitti potuisse; idem tamen nego, eam abundare et prorsus supervacaneam esse. Nam nisi vehementer fallor, neque hoc loco genitivus *χειρὸς* a comparativo *μακρότερον* pendet, sed per se positus est, et universe modum sive mensuram denotat, quasi dictum esset *ἢ κατὰ χεῖρα*. Non enim simpliciter *κόρη* illa comparatur cum manu, ut dicatur, *κόρην* manu longiorem esse, sed sensus est: *κόρη* ultra manum protenditur, non modo manum contegit, sed etiam ultra eam prodit. Quanquam mihi dubium non est, quin rectissime etiam dicatur *μακρὸν μέν ἐστι τοῦτο χειρός*, plane ut nos dicimus, eines Fusses breit, einer Hand breit: ut Psalm. XXXIX, 6. ex versione Lutheri: Siehe meine Tage sind einer Hand breit bey dir, und mein Leben ist wie nichts vor dir. Atque ita etiam Strabo lib. 10, 5. (T. 2. p. 387. ed. Tauchn.) *περὶ τῆς Ἑλένης εἰπὼν, ὅτι ἀπὸ Θορίκου μέχρι Σουνίου παράκειται, μακρὰ σταδίων ὅσον ἑξήκοντα τὸ μῆκος.* Nam etiam si h. l. nomen *τὸ μῆκος* abesset, tamen reliquorum structura et sententia optime se haberent. Eadem ratio est duorum aliorum Xenophontis locorum, Hellen. III, 2, 19. (al. 14.). *Δόξαντα δὲ ταῦτα καὶ περανθέντα, τὰ μὲν στρατεύματα ἀπῆλθε, τὸ μὲν βαρβαρικὸν εἰς Τράλλεις τῆς Φρυγίας, τὸ δὲ Ἑλληνικὸν εἰς Λεύκοφρυν, ἔνθα ἦν Ἀρτέμιδος ἱερὸν μάλα ἅγιον, καὶ λίμνη πλέον ἢ σταδίου, ὑπόψαμμος, ἀένναος, ποτίμου καὶ θερμοῦ ὕδατος*, et IV, 6, 5. *καὶ κόπτων ξυνεχῶς τὴν χώραν οὐ προήει πλέον τῆς ἡμέρας ἢ δέκα ἢ δώδεκα σταδίων.* In verbis *λίμνη πλέον ἢ σταδίου* particulam *ἤ* prorsus abesse non posse manifestum est; quis enim intelligat haec: *λίμνη πλέον σταδίου*? *Πλέον* autem, ut saepe, adverbialiter positum est, quum proprie dicendum fuerit *πλείονος*, quasi *περιφερείας*. Sic etiam *μεῖον*, *ἔλασσον* cet. ponuntur; cf. Hellen. III, 4, 13.

τοὺς πρώτους οὐ πλέον ἢ ἐκ δώδεκα ποιήσαντες, τὸ βάθος ἐπὶ πολλῶν. Cyrop. VII, 5, 11. φοίνιξι θεμελιώσας οὐ μεῖον ἢ πλεθριαίοις. VII, 4, 16. ἐξέπλησε δὲ ἀπὸ πάντων τούτων Περσῶν μὲν ἱππέας οὐ μεῖον ἢ τετρακισμυρίους. Plura dat Krüg. l. l. p. 287. not. 5.) Ad genitivum σταδίου cf. Herod. 1, 181. ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ (φάρσει) Διὸς Βήλου ἱρὸν χαλκόπυλον, καὶ ἐς ἐμὲ τοῦτο ἔτι ἐόν, δύο σταδίων πάντη, ἐὸν τετράγωνον. 2, 149. οὕτω αἱ μὲν πυραμίδες εἰσὶ ἑκατὸν ὀργυιέων. Neutro autem horum locorum facile aliquis eorum, qui pleonasmum voculae ἤ statuunt, dixerit, quinam casus pro genitivo poni potuisset; neque enim apte diceretur ἡ δὲ κώρη ἐστι μακρότερον ἢ χεὶρ, neque λίμνη πλέον ἢ στάδιον. Ultimo quidem loco in verbis οὐ προίμει πλέον τῆς ἡμέρας ἢ δέκα ἢ δώδεκα σταδίων recte etiam dici poterat ἢ δέκα ἢ δώδεκα στάδια, aptior tamen, puto, genitivus est, quum non semel tantum decem vel duodecim stadia confecerit, sed per plures dies deinceps, quae vis distributiva huic genitivo inesse videtur. Sed saepe etiam alias verba cum praepos. πρὸ composita genitivum adsciscunt.

Ut autem in his locis genitivus de mensura *loci* positus male ab interpretibus intellectus est, ita idem alibi in genitivo *temporis* factum, ut, teste Fisch. ad Well. III. p. 351., a Zeunio in loco Xenoph. Cyrop. VI, 2, 10. (25). ubi Cyri verba haec sunt: Νῦν δὲ τὰ ἐπιτήδεια δεῖ εἰς τὴν ὁδὸν συσκευάζεσθαι, αὐτοῖς τε ἡμῖν καὶ ὁπόσοις τετράποσι χρώμεθα, μὴ μεῖον ἢ εἴκοσιν ἡμερῶν i. e. in tempus non minus viginti dierum spatio, für nicht weniger als zwanzig Tage. Fischerus vero, vir optimus, contra codd. optimos omittendum putat ἢ: scilicet ut quam maxime contorta et paene perversa evadat oratio. Similiter lallitur Sturzius in Lex. de Cyrop. VII, 5, 13. (al. 7.) οἱ δὲ ἐν τῷ τείχει κατεγέλων τῆς πολιορκίας, ὡς ἔχοντες τὰ ἐπιτήδεια πλέον ἢ εἴκοσιν ἐτῶν, quod loquendi genus solvi potest per: ἐτῶν πλειόνων ἢ εἴκοσιν. cf. Anab. I, 2, 11. καὶ τοῖς στρατιώταις ὠφείλετο μισθὸς πλέον ἢ τριῶν ἡμερῶν. Thucyd. 6, 1. Σικελίας γὰρ περίπλους μέν ἐστιν ὁλκάδι οὐ πολλῷ τινι ἔλασσον ἢ ὀκτὼ ἡμερῶν.

Porro genitivus, qui *pretium* significat, perperam saepe in hanc quaestionem advocatus, ut in loco Thuc. 2, 13. Χωρὶς δὲ χρυσίου ἀσήμου καὶ ἀργυρίου ἔν τε ἀναθήμασιν ἰδίοις καὶ δημοσίοις, καὶ ὅσα ἱερὰ σκευὴ περί τε τὰς πομπὰς καὶ τοὺς ἀγῶνας καὶ σκῦλα Μηδικὰ καὶ εἴ τι τοιουτότροπον, οὐκ ἐλάσσονος [ἦν] ἢ πεντακοσίων ταλάντων *). Hic igi-

*) Quid in reliquis de scriptura hujus loci statuatur, nostra nunc

tur post Schol. etiam V. d. in obs. misc. l. c. ἢ abundare putat. Falso. Nam genit. *πεντακοσίων ταλάντων* pretium indicat, hoc sensu: ungeprägtes Gold und Silber vom Werthe von nicht weniger als fünfhundert Talenten. Vides, quam parum necessario Markland. ad Lys. p. 648. ed. Reisk. in loco Thucydidis legendum conjecerit *οὐκ ἔλασσον ἢ πεντακοσίων ταλαντων.* Quanquam etiam *ἔλασσον* ferri posset, ex eo de quo supra egimus usu horum adjectivorum. Sic etiam Lysias ipse l. c. *Στεφάνῳ δὲ τῷ Θαλλοῦ ἐλέγετο εἶναι πλέον ἢ πεντήκοντα ταλάντων* (ubi male Reiskius, Aut ἢ est delendum, inquit, aut τάλαντα legendum), *ἀποθανόντος δὲ ἡ οὐσία ἐφάνη περὶ ἕνδεκα τάλαντα. Ὁ τοίνυν Νικίου οἶκος προσεδοκᾶτο εἶναι οὐκ ἔλαττον ἢ ἑκατὸν ταλάντων, καὶ τούτων τὰ πολλὰ ἔνδον ἦν.* Quomodo haec accipienda sint, ex iis apparet, quae statim sequuntur: *ἀλλὰ τὴν οὐσίαν ἣν κατέλιπε τῷ υἱεῖ, οὐ πλείονος ἀξία ἐστὶν ἢ τεττάρων καὶ δέκα ταλάντων.* Sic etiam explicandus Theocr. 15, 37. ubi quum Gorgo Praxinoam interrogasset: *Λέγε μοι, πόσσω κατέβα τοι ἀφ' ἱστῶ* (*τὸ ἐμπερόναμα*); haec respondet:

Μὴ μνάσῃς, Γοργοῖ· πλέον ἀργυρίω καθαρῷ μνᾶν
Ἢ δύο . . .

i. e. *κατέβα μοι πλέον* (*πλέονος*) *ἢ δύο μνᾶν ἀργυρίω καθαρῷ. Δύο μνᾶν ἀργυρίω καθαρῷ* similiter dictum est atque ap. Thuc. 2, 13. *ὑπαρχόντων — ἀργυρίου ἐπισήμου ἑξακισχιλίων ταλάντων.*

Etiam genitivus, quem dicunt, partis aliquando huc relatus esse videtur: qualis legitur Herodian. 3, 4. *ὡς καὶ τὰ ῥεῖθρα τῶν διὰ πεδίου ποταμῶν ῥεόντων αἵματος πλεῖον ἢ ὕδατος κατάγειν εἰς θάλασσαν.* Huc fortasse aliquis etiam traxerit Isocrat. Archidam. p. 131. A. §. 30. (p. 146. §. 72. ed. Bekk. Berol.) *Καὶ γὰρ ἐξαγγελθῆναι τοῖς Ἕλλησι καλλίω ταῦτ' ἐστί, καὶ μᾶλλον ἁρμόττοντα τοῖς ἡμετέροις φρονήμασιν, ἢ ὧν ἔνιοί τινες ἡμῖν συμβουλεύουσι.* Sic enim vulgo hic locus legitur, atque, si certa esset scriptura, etiam defendi et explicari posset ita, ut non inesset ei pleonasmus particulae ἢ. Nimirum genitivus ὧν referendus esset ad verbum *ἐξαγγελθῆναι*, et sic solvendus: *ἐξαγγελθῆναι τοῖς Ἕλλησι καλλίω ταῦτ' ἐστὶ ἢ τούτων τι ἐξαγγελθῆναι αὐτοῖς ἃ ἔνιοί τινες ἡμῖν συμβουλεύουσι.* De hoc genitivo cf. Matth. Gr. Gr. §. 356. Sed a codicibus perquam exigua vel nulla particulae ἢ videtur esse auctoritas. Namque

---

non refert; simplicissimum tamen videtur cum Poppone et Bekkero ἢν inducere.

iam H. Wolfius in ed. Bas. 1570. eam omisit; sicut Corayus quoque, qui in annotationibus (T. 2. p. 96.) *Παρὰ τοῖς πλείστοις*, inquit, *μετὰ τοῦ διαζευκτικοῦ, μᾶλλον ἢ ὧν ἔνιοί τινες. ἐν δὲ τῷ ἐμῷ λείπων τὴν ἀρχὴν ὁ διαζευκτικὸς προσετέθη ὀψιαίτερον ὑφ' ἑτέρας, οὐ τῆς τοῦ πρώτου γράψαντος χειρός. Διὸ κἀγὼ προειλόμην διαγράψαι αὐτὸν, ἐκ διορθώσεως Οὐολφίου, ὡς σόλοικον.* Atque etiam Bekkerus ἢ sine ulla varietatis scripturae notatione omisit, unde colligo, eum in codd. scriptum non invenisse. Itaque hic locus inter eos referendus videtur, in quibus ἢ a librariis supra scriptum est, ut intelligeretur, quomodo sequens genitivus accipiendus esset: quales locos infra plures cognoscemus.

Alibi genitivum absolutum a comparativo pendere putabant interpretes, ut Toup. Addit. animadv. l. c. in Heliod. Aeth. I. p. 46. (ed. Bourdel.) c. 25. *Καὶ τί γένοιτ' ἂν, ἔφη ὁ Θεαγένης, καινότερον ἢ τί ἀθεμιστότερον, ἢ ὅρκων μὲν καὶ σπονδῶν παραβαινομένων, Χαρικλείας δὲ λήθην ἐμοῦ λαβούσης καὶ πρὸς ἄλλων γάμους ἐπινευούσης.* Toupius igitur ἢ ὅρκων conjungenda et utrumque a *καινότερον* et *ἀθεμιστότερον* pendere putat; sed fallitur. Nam manifestum est, *ὅρκων-παραβαινομένων, Χαρικλείας λαβούσης* esse genitivos absolutos, qui etiam per ἢ εἰ efferri potuissent: *ἢ εἰ ὅρκοι μὲν παραβαίνονται, Χαρίκλεια δὲ λήθην ἐμοῦ ἔλαβε κ. τ. λ.* *) Similis est locus Virgilii, Aeneid. 4, 502. quem quomodo huc trahere potuerint Koenius et Matthiae, mirari desinere non possum. Agitur ibi de Didone, *post* Aeneae discessum mortem sibi parante, sed *consilium* suum callide dissimulante. De sorore igitur ejus nil tale metuente haec dicit poeta:

> Non tamen Anna novis praetexere funera sacris
> Germanam credit, nec tantos mente furores
> Concipit, aut graviora timet quam morte Sychaei,

i. e. quam in morte Sychaei, quam quae facta erant a Didone mortuo Sychaeo. cf. Wunderlich. ad h. l.

Neque majorem vim habet locus Quinctil. a Matthiaeo laudatus I. O. XI, 1, 21., qui quum in vulgatis editionibus satis corruptus sit, eum Spaldingii editio optimorum codd. auctoritate sic restitutum exhibet: „Et aperte tamen gloriari nescio an sit magis tolerabile, vel ipsa vitii hujus simplicitate, quam illa *in* jactatione perversa, si abundans

---

*) Cf. Xenoph. Hell. VI, 5, 89. *Συμφορώτερόν γε μεντᾶν ὑμῖν αὐτοῖς βοηθήσαιτε, ἐν ᾧ ἔτι εἰσὶν οἳ συμμαχοῖεν, ἢ εἰ, ἀπολομένων αὐτῶν, μόνοι ἀναγκάζοισθε διαμάχεσθαι πρὸς τοὺς Θηβαίους.*

opibus pauperem se, nobilis obscurum, et potens infirmum, et disertus imperitum plane et infantem vocet." Praepositio *in* ante verba *jactatione perversa* accessit ex codd. Tur. et Flor., et jam pleonasmi illius decantati ne vestigium quidem superest; nam *illa perversa* nominativo casu num. plur. accipiendum esse quis est qui non videat? Sed fuerit fortasse aliquis, qui vocalem *in* ab interpolatoribus profectam esse putet, ut insolentior haec structura vitaretur. Ut hoc sit: tamen ne sic quidem ablativus *illa jactatione perversa* a comparativo pendebit, sed conjungendus erit cum verbo gloriari, ita ut opponantur sibi *aperte gloriari* et *perversa jactatione* (uti). Quanquam nemo aequus harum rerum judex negabit, multo probabilius statui, *in* particulam ob similitudinem sequentium literarum omissam, quam a grammatico insertam esse.

Alienus etiam a nostra quaestione est locus Aeschyli a Koenio huc relatus, Suppl. v. 520. (v. 507. ed. Schaef.) Ibi enim post verba Regis

οὗτοι πτερωτῶν ἁρπαγαῖς σ' ἐκδώσομεν,

Supplices virgines ex Stanleii conjectura respondent:

ἀλλ' ἢ δρακόντων δυσφρόνων ἐχθίοσιν.

Vulgo legebatur ἀλλ' εἰ, quod etiam nunc praeferendum judico. Sed etiamsi certissima esset scriptura ἀλλ' ἤ, tamen ἤ non penderet ab ἐχθίοσιν, neque conjungendum foret cum δρακόντων, sed cum ἀλλ' conjunctum esset frequentissima illa interrogandi formula, quae tamen melius, ni fallor, scribitur ἀλλ' ἦ.

Sunt autem etiam loci quidam, ubi genitivus infinitivi post ἤ ita positus sit, ut ἤ abundare videri possit. Sic Plutarch. Moral. vol. I. p. 676. ed. Wytt. (quem locum G. Dindorfii humanitati debeo): Νυνὶ δὲ τῷ μὲν ἀθέῳ δεισιδαιμονίας οὐδὲν μέτεστιν· ὁ δὲ δεισιδαίμων τῇ προαιρέσει ἄθεος ὢν ἀσθενέστερός ἐστιν ἢ τοῦ δοξάζειν περὶ θεῶν ὃ βούλεται. Pro verbis ἢ τοῦ δοξάζειν, quod recte dici posse post Reiskium Wyttenbachius negat (vid. ejus annotat. T. 2. p. 311. ed. Lips.), idem ex uno cod. dedit ἢ ὥστε δοξάζειν. eumque secuta est ed. Tauchn. T. I. p. 898. c. 11. Nimis opinor festinanter. Multiplex enim ratio est, qua genitivus infinitivi a Graecis scriptoribus poni solet, ita ut per varias praepositiones solvi possit; cf. Matth. Gr. Gr. 8. 539. p. 776. seq. In loco Plut. genitivus eandem vim habere videtur, quae saepe per κατὰ c. accus. exprimitur: ἀσθενέστερός ἐστιν ἢ κατὰ τὸ δοξάζειν, quod

frequentissimum est loquendi genus. Paullo aliter hic genitivus accipiendus est Thucyd. 6, 34. (p. 374. l. 16. ed. Bekk.) *ὅτι οὐ περὶ τῇ Σικελίᾳ πρότερον ἔσται ὁ ἀγὼν ἢ τοῦ ἐκείνους περαιωθῆναι τὸν Ἰόνιον;* hic enim genitivus inf. respondet praegresso *περὶ*, et per eandem praepositionem solvi debet.

Accedimus jam ad eos locos, in quibus revera abundantia et tautologia inesse videtur, quae tamen nunquam sine vi est: illos dico, in quibus pronomina *τούτου, τοῦδε, τούτων, οὗ* cet. cum comparativo conjuncta sunt, et deinde tamen per *ἢ τοῦτο, ἢ εἰ* et similia accuratius id definitur, quod per pronomina illa tantummodo significatum est. Constat autem, etiam in aliis arsibus pronomina demonstrativa sic praemitti solere, quo magis lectores attenti reddantur ad ea quae deinde dicentur. Quod loquendi genus jam Homerus praeivit: ut Il. 15, 509.

Ἡμῖν δ' οὔτις τοῦδε νόος καὶ μῆτις ἀμείνων,
Ἢ αὐτοσχεδίῃ μίξαι χεῖράς τε μένος τε.

Poterat etiam pergere: *τοῦ αὐτοσχεδίῃ μίξαι κ. τ. λ.*, quemadmodum Xenophon Cyrop. VIII, 7, 25. *Τί γὰρ τούτου μακαριώτερον, τοῦ γῇ μιχθῆναι;* Sed est haec notissima illa et latissime patens duorum loquendi generum conjunctio, ita ut neutrum plane absolvatur, sed alterum in alterum transeat. Posset quidem nonnunquam *ἤ* in talibus locis omitti, ut Od. 6, 132.

— οὐ μὲν γὰρ τοῦγε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
Ἢ ὅ θ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή.

Alibi famen, nisi tota orationis forma mutetur, neque *ἤ* abesse potest: ut Lysiae p. 370, 4. ed. Reisk. *τί γὰρ ἂν τούτου ἀνιαρότερον γένοιτο αὐτῷ ἢ τεθνάναι*, ubi egregie fallitur Reiskius, qui *ἤ* sine damno abesse posse opinatur. Ex eodem genere sunt loca Lys. p. 125. antepen. *τί γὰρ ἂν τούτων ἀνιαρότερον, ἢ τεκεῖν μὲν καὶ θρέψαι καὶ θάψαι τοὺς αὑτῶν;* p. 777, 14. *οὐδὲν γὰρ ἂν εἴη αὐτοῖς χαλεπώτερον τούτων, ἢ πυνθάνεσθαι μὲν ἡμᾶς μετέχοντας τῶν πραγμάτων.* Demosth. I, p. 191, 23. ed. Reisk. *οὐ μεῖζον οὐδὲν ἂν ὑμῖν γένοιτο ἀγαθὸν, ἢ παρὰ πάντων ἑκόντων ἀνυπόπτου τυχεῖν εὐνοίας.* Sed omnia hujus generis exempla enumerare nil attinet, utpote frequentissima et intellectu facillima. Tenendum tantum, in plerisque omnibus horum locorum ejus rei, quae per pronomen denotatur, jam antea, si non disertam mentionem, tamen significationem aliquam factam esse. Cf. praeter Matth. Gr. Gr. l. c. Heindorf. ad Gorg. p. 181. Toup. ad Longin. p. 321., et de

Latinis scriptoribus Wopkens. in lectt. Tull. 2, 2. p. 123. eundemque p. 284. ad locum de Divin. 2, 41. Matthiae Miscell. philol. II, 1. p. 99. et 3. p. 85. Heindorf. ad Cic. de N. D. I, 15. Müll. ad Cic. de Or. I, 37, 169. Quo magis Goerenz. ad Cic. de fin. I, 6, 19. tam obscure et parum accurate disputasse miramur. In omnibus his et similibus locis comparatio bis exprimitur mutata orationis forma, quapropter interdum non in particula ἤ tantum post genitivum posita, sed etiam in aliis verbis redundantiam quandam observare licet, ut Plat. Crit. c. 3. p. 44. c. *Καίτοι τίς ἂν αἰσχίων ταύτης δόξα, ἢ δοκεῖν χρήματα περὶ πλείονος ποιεῖσθαι ἢ φίλους;* in quibus verbis Zeun. ad Vig. p. 409. ἤ pro ἤπου, *nimirum*, positum esse putabat, et similiter Ast. ad Plat. de Legg. V, p. 738. d. c. 9. cf. Lactant. V, c. X, 4. (quem laudat Wopkens): Quid potest esse *hac pietate* dementius, *quam* mortuis humanas victimas immolare? Herodot. 8, 4. *ἐπεὶ αὐτοῖσι παρὰ δόξαν τὰ πρήγματα τῶν βαρβάρων ἀπέβαινε, ἢ ὡς αὐτοὶ κατεδόκεον.*

Ex hoc, de quo proxime egimus, loquendi genere optime defendi potest locus Sophoclis Antigon. v. 1077. (v. 1090.) ed. Erf. min.

καὶ γνῶ τρέφειν τὴν γλῶσσαν ἡσυχωτέραν,
τὸν νοῦν τ' ἀμείνω τῶν φρενῶν, ἢ νῦν φέρει.

Quod factum a Cl. Hermanno in Mus. antiqu. stud. I, p. 208. ad Vig. p. 888. Nimirum duplex animo poetae obversari poterat comparandi ratio, quarum neutram absolvisse putandus est: *τὸν νοῦν τ' ἀμείνω τῶν φρενῶν τῶν νῦν (αὐτῷ οὐσῶν)*, et *τὸν νοῦν τ' ἀμείνω ἢ ὃν νῦν φέρει.* Atque hanc veram esse hujus loci interpretationem nunc nullus dubito; quod enim olim putabam, genitivum *τῶν φρενῶν* pendere posse a subst. *τὸν νοῦν*, hac sententia: *dass er einen bessern Sinn im Herzen nähre* u. s. w., et hoc loquendi genus defendi ex Hom. Il. 2, 462. Od. ξ, 490. coll. Aristoph. Nub. 705 et Lucret. 3, 615., id nunc prae illa explicatione admodum frigere videtur.

Jam ex iis, quae hactenus disputavimus, satis opinor patet, non tam certum esse hunc pleonasmum particulae ἤ, ut ex conjectura vel ex corruptis librariorum scripturis in editiones eum inferri liceat. Hoc autem factum est a Jacobsio in addit. anim. ad Athen. p. 39. (coll. ad Anthol. II, 1. p. 203.), a Bornemanno de gem. Cyrop. rec. p. 16 (qui Popponi et Krügero auctor est), a Poppone in ed. Cyrop. pluribus locis, et a Krügero l. l.; et, nisi fallor, hoc etiam voluit Valcken. ad Theocr. Adon. v.

37. De singulis singillatim dicendum est. Ac Valckenaerius quidem, „Timon, inquit, opinor, in Sillis scripserat:

Ἢ βαρὺν βουπλῆγα τομώτερον ἢ Λυκοόργου,

non *Λυκόοργος*, ut vulgatur apud Athenaeum X. p. 445. E, ut nempe contracta sic forma dixerit loquendi pro *τομώτερον τῆς τοῦ Λυκούργου βουπλῆγος.*“

Sed optime vulgatam defendit Schweighäuserus in Annott. ad Athen. T. ō. p. 486.; atque etiam si *Λυκούργου* esset scriptura librorum, tamen hic genitivus non a *τομώτερον* sed a *βουπλῆγα*, quod subaudiendum est, penderet. De versibus Antigoni Carystii a Jacobsio tractatis nil dico, quoniam nescimus, qui nexus huic fragmento apud poetam ipsum fuerit; illud certum est, Jacobsii conjecturam

ναιχί μοι ὡραίων πολὺ φίλτερος ἢ λασιμήλων

nemini admodum probatum iri, tum quia nimis a literarum ductibus recedit, tum propter part. *ἤ* prorsus h. l. otiosam. Omnino cl. Jacobsius hujus pleonasmi amantissimus esse videtur, quippe qui etiam in Annot. ad Anth. Gr. minor. T. 3. p. 81. in versibus Meleagri

Ναὶ τὸν ἔρωτα, θέλω τὸ παρ' οὔασιν Ἡλιοδώρας
Φθέγμα κλύειν, ἢ τᾶς Λατοΐδεω κιθάρας,

genitivum *τᾶς κιθάρας* ab omisso comparativo *μᾶλλον* pendere putabat, quamvis jam Lobeckius ad Aiac. p. 331. recte intellexisset, duplicem hic esse structuram verbi *κλύειν*, primum cum accusativo, deinde cum genitivo. Nam cum utroque casu verba *κλύειν*, *ἀκούειν*, *μεμνῆσθαι* et similia legitime conjungi nemo ignorat. Sequuntur loci Cyropaediae, in quibus Bornemannus et Poppo hunc pleonasmum inesse statuunt. Lib. II, 1, 17. ex Popponis editione ita se habet: *Τί οὖν ἂν ἐν τούτοις ἕτερος ἑτέρου διαφέροι ἡμῶν, πλὴν (ἐν) τόλμῃ; ἢν οὐδὲν ὑμῖν ἧσσον προσήκει ἡμῶν ὑποτρέφεσθαι* — Sed quum ille ex vestigiis codd. Guelf. et Par. A. B. hanc scripturam jure in contextum recepisset, et ejus depravationem quoque bene explicuisset, non intelligo, quomodo idem probare potuerit Bornemannus, qui, quum vulgo legatur *ἢν οὐδὲν ὑμῖν προσήκει ἧττονα ἡμῶν παρέχεσθαι*, codd. autem supra dicti ex aperto glossemate pro *ἡμῶν* exhibeant *ἢ ἡμῖν*, nimis religiosi librarii partes agens, utraque scriptura quodammodo conjuncta legi maluit: *ἢν οὐδὲν ὑμῖν ἧττω προσήκει ἢ ἡμῶν ὑποτρέφεσθαι.* Sed vix puto, cuiquam duriuscu-

lam hanc et contortam loquendi rationem simplicissimae illi Codd. Guelf. et Far. praeferendam visum iri. Alterius loci, Cyrop. II, 2, 17., verba haec sunt: *Καίτοι ἔγωγε οὐδὲν ἀνισώτερον νομίζω τῶν ἐν ἀνθρώποις εἶναι, ἢ τοῦ τῶν ἴσων τόν τε κακὸν καὶ τὸν ἀγαθὸν ἀξιοῦσθαι.* Poppo haec annotat: „Vulgo ἢ deest. Bodl. Paris. A. B. marg. Villois. ἢ τοῦ ἴσου. Utraque scriptura in unam conjuncta dedimus ἢ τοῦ τῶν ἴσων." Sed ante omnia V. D. inquirere debebat, unde illam scripturae diversitatem ortam esse maxime probabile sit. Mihi quidem dubium non videtur, quin partic. ἢ originem suam debeat interpolatori, qui genitivum *τοῦ ἀξιοῦσθαι* interpretare vellet. Persuasum igitur mihi est, vulgatam *τοῦ τῶν ἴσων ἀξιοῦσθαι* recte se habere; etiam scriptura *ἢ τοῦ ἴσου* optime se haberet, sed haec quoque ut facilior ab interprete profecta esse videtur. Nec dissimilis ratio est loci lib. VI, 4, 14. in quo Cyrus ad duces convocatos: *Ἠσκήκατε μὲν γὰρ*, inquit, *τὰ εἰς τὸν πόλεμον πολὺ μᾶλλον ἢ τῶν πολεμίων, συντέτραφθε δὲ καὶ συντέταχθε ἐν τῷ αὐτῷ πολὺ πλείω ἤδη χρόνον ἢ οἱ πολέμιοι, καὶ συννενικήκατε μετ' ἀλλήλων.* Poppo: „Guelf. et Paris. scriptura *πολὺ μᾶλλον ἢ τῶν πολεμίων*, a Zeunio jam recepta et bene defensa, a Schneidero temere repudiata est." Sed Schneideri sententia unice probanda videtur; nam particula ἢ nulla alia ratione defendi potest, quam ut dicas, eam moleste abundare. Litera autem ἢ etiam alibi ex antecedente ν librariorum oscitantia ortum est; cf. Schaeferi Melet. crit. p. 11. et Plat. Reipubl. II, p. 370. c. *ὅταν εἷς ἓν ᾖ κατὰ φύσιν καὶ ἐν καιρῷ, σχολὴν τῶν ἄλλων ἄγων, πράττῃ*, ubi Bekkerus ᾖ multorum et optimorum codd. auctoritate delevit. (Sed potest ἢ etiam a librario explicandi caussa supra scriptum fuisse, quod Hermanno placet ad Antig. v. 1266.) *)

His locis annumera eum, qui a Krügero l. c. tractatur, Xenoph. Hellenic. VI, 5, 52. Vulgo sic editur: *Καὶ γὰρ δή, ὅτε ἐπὶ πολὺ παρατεταγμένοι χωρίον οἱ ἱππεῖς, διὰ τὸ πολλοὶ εἶναι, ἐπεὶ ἔδει ἀποχωρεῖν, πολλῶν καὶ χαλεπῶν χωρίων ἐπελάβοντο· ὥστε οὐκ ἐλάττους ἀπώλοντο εἴκοσιν ἱππέων.* Krügerus *χωρίον* utpote ex seq. *χωρίων* natum, delendum, pro *ἐλάττους* e vett. edd. *ἔλαττον* recipiendum, et praeterea ex Ald. et Junt. ἢ ante *εἴκοσιν* inserendum putat. De priori-

*) Contra ἢ ex ἦν verbo, omisso ν, ortum esse videtur ap. Athen. lib. X. T. 4. p. 34. *τὸ δὲ περιαγόμενον πυτήριον οὐ μεῖζον ἦν κοτυλεαίου* (vulg. ἢ *κοτυλιαίου*), ubi ed. Ven. et cod. ms. A. Schweigh. praebent ἢ *κοτυλιαῖον*, quod ferri non posse recte intellexit Schweigh. Annott. T. 5. p. 343

bus mutationibus, quae cum nostra quaestione nil commune habent, taceo; ad part. ἢ quod attinet, negare non possum, ex meo quidem sensu orationis seriem et aequalem progressum ab ea moleste turbari: quamvis grammatice non male ita explicari posset: *ὥστε ρὺκ ἐλάττους* v. *ἔλαττον ἀπώλοντο ἢ εἴκοσι τῶν ἱππέων* i. e. *ἐκ τῶν ἱππέων.*

De Plat. Phileb. §. 159. p. 229. ed. Stallb. p. 66. C. Steph. p. 251. Bekk. paucis defungi possum. Verba Socratis sunt: *Ἆρ' οὖν οὐ τέταρτα, ἃ τῆς ψυχῆς ἔθεμεν αὐτῆς ἐπιστήμας τε καὶ τέχνας καὶ δόξας ὀρθὰς λεχθείσας, ταῦτ' εἶναι τὰ πρὸς τοῖς τρισὶ τέταρτα; εἴπερ τοῦ ἀγαθοῦ γέ ἐστι μᾶλλον ἢ τῆς ἡδονῆς ξυγγενῆ.* Nemo enim hic pleonasmum part. ἢ quaeret, neque hunc locum aliter intelliget, quam sic: si quidem haec cum bono magis quam cum voluptate conjuncta sunt: quam sententiam nimis argute contextui parem accommodatam judicat Stallbaumius. Neque tamen quod dicit verum est, „*quaeri jam, utrum ista cum bono sint conjunctiora quam voluptas*"; hoc jam antea quaesitum est, nunc id tantum universe quaeritur, an istae artes, doctrinae et rectae opiniones cum bono magis quam cum voluptate conjuncta sint; nam si cum voluptate magis essent conjuncta, non possent ab ea sejungi, neque ante eam collocari. Ceterum jam verborum collocatio aperte docet, oppositionem esse *τοῦ ἀγαθοῦ* et *τῆς ἡδονῆς*, et ita quidem, ut utrumque nomen pendeat ab *ξυγγενῆ*.

Pervenimus denique ad locum ultimum, sed eundem omnium difficillimum, ne dicam desperatum, ex *Soph.* Antig. v. 1266. ed. Erf. (1281 Br.), ubi Creon jam malis oppressus novorum malorum nuncium interrogat:

τί δ' ἔστιν αὖ κάκιον ἢ κακῶν ἔτι;

Particula ἢ h. l., nisi omnia me fallunt, nullo modo ferri potest; neque enim est in his verbis duarum locutionum conjunctio, neque genitivus *κακῶν* per se accipi potest; ἢ autem ne minimam quidem vim habet, sed omnem orationem languidam et enervem reddit; qualis abundantiae in omni Graeca lingua nullum equidem simile exemplum novi. Atque etiam interrogatio ipsa sic nude posita non satis apta esse videtur, nisi aliquid addatur, quod ostendat, Creontem ad *sua* mala, ipsum jam prementia, respicere; nam universe quidem negari non potest, mala alia aliis graviora, vel pejora esse. Hoc, quod postremum monui, etiam caussae est, cur Cel. Hermanni conjecturam

τί δ'ἔστιν αὖ; κάκιον ἢ κακῶν ἔτι;

probare non possim; praeterquam quod ἢ interrogativum

vix hunc locum tenere potest. Nihil igitur aliud restat, quam ut nunc quoque, ut olim, verisimillimam Canteri conjecturam, a Brunckio et Schaefero probatam, in textum recipiendam judicem:

τί δ' ἔστιν αὖ κάκιον ἐκ κακῶν ἔτι;

i. e. quidnam novi mali accessit ad ea, quibus jam premor, mala? Nam ἐκ κακῶν manifesto respicit ad eum statum, in quo jam erat Creon.

Quid jam Viri docti de pleonasmo particulae ἤ judicaturi sint, penes ipsos esto; mihi Hoogeveeni verba, quae ultima ejus sunt, de isthoc pleonasmo disputantis, mea facere et his dissertationem meam claudere liceat: „Abundare particulam ἤ post comparativum credam, cum justa auctoritate confirmatum videro." Nam justa auctoritate adhuc prorsus destitutus esse videtur iste pleonasmus.

LI. Ueber Theokrit. 8, 91., und bei dieser Gelegenheit grammatische Untersuchung des Verbi γαμεῖν. Von *Phil. Buttmann.*

In Theokrits achtem Gedicht, das den Wettkampf zweier Hirtensänger, Menalkas und Daphnis, erzählet, werden zu Ende die Empfindungen des Siegers und des Besiegten so geschildert:

Ὡς μὲν ὁ παῖς ἐχάρη, καὶ ἀνάλατο καὶ πλατάγησεν
Νικήσας, οὕτως ἐπὶ ματέρα νεβρὸς ἄλοιτο·
Ὡς δὲ κατεσμύχθη καὶ ἀνετράπετο φρένα λύπᾳ
Ἥτερος, οὕτω καὶ νύμφα γαμεθεῖσ' ἀκάχοιτο.

So wie der Knabe sich freut' und emporsprang klatschend die Hände,
Dass er gesiegt, so springt um die säugende Mutter das Rehkalb;
Und wie der andre im Herzen sich härmete —

Hier stossen alle Erklärer an: denn freilich sonderbar klingt es, „wie eine Braut am Hochzeittage". Ich sage, alle Erklärer: denn auch die müssen doch angestossen haben, die zuletzt darauf kommen, zu sagen, man müsse nur die Vergleichungspunkte richtig fassen: Unmuth er-

greife ja allerdings das Mädchen, das besiegte, das seiner Freiheit nun verlustige, das sey der Vergleichungspunkt. Das verstehn wir wohl, werden die andern sagen; aber daran stossen wir uns, dass für solchen Vergleichungspunkt dieser Fall gewählt ist, wo neben demselben ein ganz andrer Punkt ist, der sich zu allererst aufdrängt und jenen ganz vernichtet. Und ich berufe mich auf die deutschen Dichter, welche diese Erklärungs-Art mit unterschrieben haben, auf diese selbst berufe ich mich, ob sie, im eigenen Werke, zu solchem Zwecke diesen Vergleich gewählt hätten. Doch hat der griechische Dichter dieser Erklärer immer noch sich zu freuen im Gegensatz gegen die, welche sich Besserungs-Versuche zu Schulden kommen lassen, wie die, welche man bei Kiessling beisammen sehn kann: denn diese Vollständigkeit ist der einzige Fehler der sonst so verdienstvollen Ausgabe.

Dem erstern Wege, dem der Erklärung, hat man zuletzt (s. Kiessling) ein neues Licht zu schaffen gesucht, durch eine Bemerkung des Eustathius zu Il. 1, 394. dass *γαμῆσαι* heisse *ein Weib nehmen*, *γαμέσαι* aber *einem ein Weib geben*; welche Angabe gegründet ist auf Homers Ausdruck im angezogenen Vers, wo Achilleus sagt: *Πηλεὺς δήν μοι ἔπειτα γυναῖκα γαμέσσεται αὐτός*. Also, sagt man nun, ist *γαμεθεῖσα* nicht das Passivum der Handlung *γαμῆσαι*, die sich das Mädchen wohl gefallen lässt, sondern der Handlung *γαμέσαι*, die von den Vätern ausgeht: es ist nicht die *geheiratet* wird, sondern die *verheiratet*, die *fortgegeben* wird; und diese ist in der Regel betrübt. Ich kann nicht sagen, dass ich durch diese Ansicht, wenn sie in die Theokritische Stelle getragen wird, in Absicht auf die oben geäusserten Zweifel mich viel gebessert fühlte: aber dies nun wieder weiter aus einander zu setzen, das gehört in eine Gattung von Erörterungen, die ich nicht gern lese, und also auch nicht gern schreibe. Ansprechender für den Philologen wird, denke ich, eine Untersuchung über das Verbum *γαμεῖν* und den eben vorgebrachten grammatischen Satz seyn.

Hier muss es gleich auffallen, dass Eustathius sein *γαμέσαι* gegenüberstellt der Form *γαμῆσαι* für die gewöhnliche Bedeutung *heiraten*: da doch diese, statt des echten und alten *γῆμαι*, bei den voralexandrinischen Schriftstellern, von welchen allein ein Commentator des Homer kann verstanden seyn wollen, bekanntlich gar nicht in Gebrauch, oder doch sehr selten war. Ich bediene mich dieses behutsamen Ausdrucks, weil, wie es scheint, die meisten Handschriften in Xenophons Cyrop. 8, 4, 20. (10.)

die Form *γαμήσειας* haben; obgleich diese dort gerade durch ihre Schwerfälligkeit schon verwunderlich seyn musste, und durch die falsche Construction *ἦν-γαμήσειας* noch verdächtiger ward. Mit Recht hat also Schneider, was die ausgezeichnete Altorfer Handschrift darbot, *εἰ-γαμεῖς*, *) selbst der Pariser Variante *εἰ-γαμήσειας* vorgezogen. Und ich denke, um diese Aoristform wirklich allen ältern Schriftstellern abzusprechen, kann man sich auf unsers Lobecks Fleiss und Genauigkeit verlassen, welcher (den Schneiderschen Text an der angeführten Stelle ohne Zweifel allein annehmend) kein andres Beispiel derselben anführt, und den spätern Schrift-Gebrauch von *γαμῆσαι* von Menander ausgehn lässt, wegen eines Fragments, von dem ich aber erst weiterhin sprechen kann.

Schon durch dieses *γαμῆσαι* schafft Eustathius seinem *γαμέσαι*, das sich nirgend findet, wenig Glauben. Doch vielleicht setzt er beide Formen nur als Grammatiker, um die doppelte Formation zu bezeichnen. Wir wollen ihm also helfen, und seinen Satz so aussprechen: „Die Formen *ἔγημα*, *γεγάμηκα*, *ἐγαμήθην* gehören sämmtlich zur Bedeutung *heiraten*: die Formation aber, wozu *γαμέσσεται* und *ἐγαμέθην* gehört, heisst *verheiraten*." Dass nun keine weitere Formen mit dem *ε* vorkommen, dass soll uns nicht irren: aber da das homerische *γαμέσσεται* für die eine Bedeutung uns das Futur mit dem *ε* zeigen soll, so müsste nun doch *γαμήσω*, *γαμήσομαι* Futur der gewöhnlichen Bedeutung *heiraten*, vom Mann und vom Weibe, gewesen seyn. Diese Form aber, wissen wir, war bei den ältern Schriftstellern eben so wenig im Gebrauch, als jener Aorist: sondern, wie in *καλέω*, war die dem Präsens gleichlautende, nur durch den Zusammenhang sich kund thuende Futurform *γαμέω*, *γαμέομαι* bei den Formen, *γαμῶ*, *γαμοῦμαι* bei den Attikern, allein üblich. Also fällt der von Eustathius angegebene Gegensatz von *η* und *ε* in allen Temporibus weg, bis auf *ἐγαμήθην* und *ἐγαμέθην*, von welchen gerade, er wenigstens, nicht spricht.

Zwar liest man bei Pollux 3, 45. eine Verwerfung auch von *ἐγαμήθην*: aber dies gilt, wie der Zusammenhang dort zeigt, nicht der Form, sondern dem Aor. Pass. überhaupt anstatt *ἐγημάμην*: wie z. E. bei Apollodor 1,

---

*) Dies allein echte Futur hat Poppo in einer übereilten Note zu dieser Stelle mit Unrecht angefochten.

9, 28. steht *Μήδεια γαμηθεῖσα Αἰγεῖ.* Hier nehmlich, wo Medea offenbar freie und handelnde Person ist, war *γημαμένη* allein richtig. Sobald aber in solcher Verbindung der Mann als der handelnde ausgedrückt werden sollte, so war für das Weib zuverlässig immer der Aor. Passivi im Gebrauch: dies beweist schon allein der Ausdruck *ἡ ἐπιγαμηθεῖσα:* denn da das Verbum *ἐπιγαμεῖν, zur zweiten Frau nehmen,* nur die Handlung des Mannes voraussetzt, so konnte auch „die zweite Frau" nur durch jenes Passiv ausgedrückt werden. Aber auch in dem einfachen Worte musste das Weib öfters als leidend, sey es mit oder gegen ihren Willen, dargestellt werden; wie eben in der Theokritischen Stelle, wo *γημαμένη* widersinnig wäre. Und so fragt sich also nun zum letzten Male, ob wir diesen passiven Sinn nach Eustathius Angabe spalten wollen, so dass *γαμηθεῖσα* die geheiratete, und *γαμεθεῖσα* die verheiratete wäre.

Oder vielmehr es fragt sich nur noch, ob Homers *γαμέσσεται* einen Beleg zu solchem Gebrauch abgeben kann. Zuverlässig nicht: wie aus folgender Darlegung hervorgeht. Das echte Futur der ältern Schriftsteller war, wie gesagt, *γαμέω, γαμῶ.* Allerdings ist dies, nach der bestehenden Grammatik, das regelmässige Futur des einfachern Thema *ΓΑΜΩ*, das in *ἔγημα* vor Augen liegt. Aber in der Grammatik ist hinreichend dargethan, dass auch das Futur auf *έσω* keinesweges ein Präsens auf *έω* nothwendig voraussetzt; dass vielmehr auch das *Futur γαμέσω* (vorher *γαμέσσομαι*) von *ΓΑΜΩ* gebildet ist, wie *μαχέσομαι* von *μάχομαι*, und dass, so wie dieses in *μαχέομαι μαχοῦμαι* übergegangen ist, so auch *γαμέσω γαμέω γαμῶ* ein und dasselbe Futur sind; genau wie *καλέσω καλέω καλῶ*, welche Formen, dieser Analogie gemäss, ebenfalls richtiger von dem einfacheren Thema *ΚΑΛΩ* hergeholt werden, an dessen Stelle *καλέω*, so wie dort *γαμέω* an die Stelle von *ΓΑΜΩ*, getreten ist. So wenig nun, wenn Homer sich metrisch veranlasst gesehn hätte, auch einmal *καλέσσω* als Futur zu gebrauchen, dies als verschieden angesehn werden könnte von der gewöhnlichen Form *καλέω*; so wenig kann *γαμέσσεται* etwas anders bei ihm seyn, als *γαμέεται γαμεῖται.* Die besondere Bedeutung also, die das Wort wirklich an der Stelle hat, rührt nicht von der Formation *έσω* her, sondern von dem schwankenden Begriffe des Wortes selbst, den es in den Mundarten auch andrer gebildeten Sprachen hat: denn gewiss fallen manchem die belustigenden Zweideutigkeiten ein, zu welchen unser Wort *heiraten* Gelegenheit gibt, wenn es in

einem grossen Theile Deutschlandes für *verheiraten* gebraucht wird.

Um aber der Bemerkung des Eustathius den letzten Stoss zu geben, wollen wir die weit verständigere hersetzen, an deren Stelle offenbar die seinige durch Missverstand allmählig getreten ist. Der alte Scholiast hat an demselben Orte dieses: *Γαμέσσεται. Ἐντεῦθεν ἔλαβε Μένανδρος τὸ, Ἔγάμησεν ἣν ἐβουλόμην ἐγώ.* Ich muss hier eine zwiefache Übereilung Lobecks berichtigen, weil sie sonst andre irren könnte. Er führt (Parerg. ad Phryn. p. 742.) dieses Fragment, wie schon gesagt, als das erste an, wo *ἐγάμησε* anstatt *ἔγημε* stehe, und zwar mit dem Zusatz, nihil impediente pedum modulatione, quo minus usitato uteretur (Menander) Aoristo. Dies setzt voraus, dass mit *ἐγάμησεν* der zweite Fuss des Senars anfange. Dies ist aber nicht nöthig; sondern sogar wahrscheinlicher war der Rhythmus dieser: ⏑ ⏑ ⏑ | *ἐ|γάμησεν ἣν ἐβουλόμην ἐγώ.* In Absicht des Sinnes aber liess er sich diesen scheinbaren täuschen: „Er hat das Mädchen geheiratet, das ich heiraten wollte". Allein was will alsdann der Grammatiker mit seiner Bemerkung? Aus der Form *γαμέσσεται* kann doch Menander nicht die Form *ἐγάμησε* geschöpft haben. Ich wette, ein Vorgänger des Eustathius hatte über dies Scholion dieselbe Bemerkung gemacht, und gemeint, es sey offenbar, dass Menander, und dieser Scholiast aus ihm, *ἐγάμεσεν* geschrieben habe; woraus dann die schulgerechte Abfassung bei Eustathius entstanden ist. Das wahre ist dieses. Bei Menander spricht ein Sohn, und sagt zum Lobe seines Vaters: „Er hat mir die zugefreit, die ich mir wünschte." Nun sieht man die Übereinstimmung mit der homerischen Rede, mit einziger Ausnahme des Medii: aber das wird auch niemand diesem Grammatiker glauben, dass Menander seine Redensart vom Homer entnommen habe. Er fand sie in der Sprache des gewöhnlichen Lebens, und wie sehr er bemüht war, aus dieser Quelle seiner eignen Sprache Reichthum und Gewandheit, und seinem Dialog Reiz zu geben, dies lehrt uns der treue Atticist Phrynichus in seinem bittern Zorn unter dem Worte *Σύσσημον* p. 418. Lob. und in der gefühlvollen Apostrophe an den längst verstorbenen unter *Καταφαγάς* p. 433.

Weit gefehlt also, dass zwischen *γαμέσαι* und *γαμῆσαι* ein Unterschied gewesen wäre, sehn wir vielmehr in dem angeführten Scholion einen alten Grammatiker, der das menandrische *γαμῆσαι* aus dem homerischen *γαμέσσεσθαι* geschöpft glaubt. Und indem wir nun endlich

wieder zu der *Theokritischen* Stelle uns wenden, kann von solcher Bedeutsamkeit des ε in γαμεθεῖσα nicht mehr die Rede seyn. Diesem Dichter war γαμεθεῖσα nichts anders, als was, allen seinen Zeitgenossen wenigstens, γαμηθεῖσα war; welcher Form er jene als eine alterthümliche und zugleich dem Metrum willkommene vorzog. Es heisst „wenn sie geheiratet worden“: und dieser Gedanke muss also, wenn Theokrit nicht ein gehaltloser Schwätzer ist, hieher passen.

Und das thut er auch. Man muss nur zu Ende dieses Wettstreits nicht denken, man lese den des Lakon und des Komatas in der 5. Idylle. Gegen jenen, worin zwei Feinde sich aufs plumpste schmähen, sticht der gegenwärtige himmelweit ab. Gleich in den ersten Strophen des Wettgesanges selbst fodert hier jeder seine Flur zu reicher Segenspendung auf; „aber“ setzt jeder hinzu, „wenn Daphnis — wenn Menalkas — herkommt, so müsse dasselbe ihm zu Theil werden.“ Hier haben wir also zwei sich einander liebende junge Hirten, die einer den andern und seine Geschicklichkeit zu schätzen wissen; wovon aber doch jeder, mit jugendlichem Pochen auf seine Kunst, den andern zu übertreffen behauptet. Diese Stimmung hindert so wenig, dass vielmehr der eine, während er seinen Obermann der Nachtigall ähnlich singen hört (der Dichter lässt dies Lob den Daphnis selbst naiv von sich aussprechen V. 37. 38.), mitten in seinem Wetteifer durch und durch entzückt sich fühlt. Natürlich schliesst dies die Unlust des Besiegtseyns, besonders bei dem kindlichen Frolocken des andern, nicht aus: aber niedergeschlagen ist ja selbst die Braut — γαμεθεῖσα. Man fühlt, wie genau dieses Präteritum, das zugleich ein ehrbarer Ausdruck ist, dem vorliegenden Fall entspricht: und ist es nöthig, das Faktum kennen zu lernen, so lese man die 27. Idylle, besonders nach dem 61. Verse, der den γάμος (so heisst er V. 57.) andeutet. Niedergeschlagenheit des Mädchens herrscht im 62. und 64. Verse: und nun geht sie wieder zu ihrer Heerde.

Ὄμμασιν αἰδομένα, κραδία δέ οἱ ἔνδον ἰάνθη.

Der Fehler war also, dass man nur Einen Vergleichspunkt sah, wo deren zwei sind; und dass man sich durch das Inopinatum täuschen liess. Man denkt Wunder, wie der Dichter die Betrübniss des Menalkas schildern werde, und es folgt: „wie eine Braut u. s. w.“ So lässt er der Natur ihr Recht durch Erwähnung der Unlust: aber er rettet auch den harmlos guten Charakter

es jungen Hirten, indem er ihn, auch besiegt, doch on der Süssigkeit des gehörten Gesanges noch durch- rungen seyn lässt.

II. *Godofr. Hermanni* de Emendationibus per *Transpositionem Verborum* Dissertatio.

[Lips. a. 1824. pp. 16. 4to.]

rtis criticae primarium officium quum in judicando sit ositum, permirum est, multos qui eam exercent, in ea , in qua maxime oportebat, non uti judicio. Nam in nni arte illud primum est maximeque necessarium, ut, ii eam factitet, et quae ejus instrumenta sint, et ea qui- is usibus inserviant, rite cognoverit. Quod si ne rusti- m quidem reperias, qui ubi aratro, ubi ligone uten- im sit nesciat, quid turpius esse potest homini littera- , quam ignorare qua ratione in singulis artis suae par- us id quod sibi proposuerit debeat perficere? Sed ni- irum in litteris multa ita sunt comparata, ut, quoniam anibus contrectari nequeunt, ambiguos habeant fines cti pravique: quo fit ut multi satis ducant ab eo sibi vere, quod iis in quoque genere nimium esse videatur. a vero magna socordia est. Nam quid est illud quod mium dicimus, nisi id quod justos fines excedit? quos si cognitos habeas, nec quid nimium, nec quid parum t, poteris discernere. Ejusmodi est in arte critica illud, iod quum saepe ab aliis, tum ante aliquot annos ab R. orsono dictum est, facillimam ac tutissimam rationem nendandi eam esse, quae fieret transpositione verborum. uo ego praecepto quum et Porsonum ipsum et magis iam illos, qui ex auctoritate Porsoni pendent, male uti animadvertissem, iterum iterumque monui, non se huic regulae temere atque incogitanter obsequendum, quidem illa saepe omnium difficillima sit et violentissi- a emendandi via. Sed fuerunt tamen qui id a me dici opemodum aegre ferrent, alii admiratione Porsoni ini- i, alii fortasse propter iniquitatem admiratores Porsoni. uamobrem, ut ad Sophoclis Ajacem v. 835, et ad ectram v. 808. promisi, explicatius, quid de omni ra- ne transpositionis sentiam, declarabo.

Ac multum ab eo absum, ut errare contendam, si i verborum transpositionem ut facilem ac lenem mede-

lam commendant: sed hoc dico, neque omne genus transpositionis, neque ullum genus ejus ubique aut adhibendum, aut aliis emendandi modis praeferendum esse. Id quum vel per se ita sit comparatum, ut nemini non debeat verum videri, tum multo magis elucescet, ubi distinctius explicabitur. Nam quid aliud agimus, quum quid transponendis verbis emendamus, quam ut turbatum in libris genuinum ordinem verborum studeamus restituere? Ex quo consequitur, eodem modo in hoc genere procedendum esse, quo in aliis generibus emendandi. Nam quemadmodum ubi scripturae vitia corrigenda sunt, non temere licet aliud vocabulum pro alio ponere, sed videndum est quae litterae vel quae verba, et quas ob caussas quibusve conditionibus ab librariis commutentur: ita etiam quum est de ordine verborum dubitatio exorta, quaeri oportet qui factum sit ut turbata fuerit verborum collocatio, et qui sint hujus turbationis modi ac termini. Non enim casu verba per chartas a scribentibus disperguntur, sed collocantur ordine quodam: qui sicubi pervertitur, esse aliquid necesse est, cur qui scribit a praescripto ordine discedat. Idemque vel in loquendo fieri videmus, ut, qui celerius aliquid profert, litterarum ordinem permutet, sed certis tamen legibus, neque ut, quod Jer. Marklando in Horatio in mentem venit, *perfidus hic caupo* fiat *caussidicus vafer hic.*

Sunt igitur mutati verborum ordinis quattuor potissimum caussae: una, non imputanda librariis, libri *unde* quid describitur vitium; reliquae tres in eo qui scribit sitae, consilium, negligentia, error.

Ac primum illud genus, quod vacat culpa librarii, uti rarius est, ita etiam rarius in emendando locum habet. Continetur autem vel foliorum ordine in exemplo, quod ante oculos habebat librarius, perturbato; vel continuatis, quae in disjectis chartis scripta fuerant; vel loco integro aut versu, qui omissus fuerat, alibi ac debebat posito, signis, quae ei sedem suam assignarent, neglectis deletisve, ut in Aeschyli Agamemnone v. 1299. et in Choephoris v. 163. vel verbo aliqua simili caussa in alium locum translato, ut, verbum *ἔῤῥανται* in ejusdem poetae Persis e v. 570. in v. 582. venisse, mihi assensi sunt novissimi editores; vel quum textui immiscetur interpretatio litterarum formis non satis discreta, ut in Aiace v. 1054. pro *ἐξεύρομεν ζητοῦντες ἐχθίω Φρυγῶν* in codice quodam legitur, *ἐξεύρομεν αὐτὸν ἐχθίω Φρυγῶν ζητοῦντες·* vel denique quum quid ex laciniis situ solutis descriptum est. Et hae quidem transpositiones, si media oratio interrupta est, ple-

cumque facilius deprehenduntur, quoniam fere et error manifestus est, et quem in locum quae avulsa sunt reponi debeant diligenter attendenti patet. Difficilior autem et periculosior est restitutio, ubi singulae scripti partes integrae sunt, de ordine autem, quo sese excipere debeant, dubitatur. In quo genere nemo ignorat, quam crudeliter viri docti in Tibullum, Propertium, Tyrtaeum, aliosque scriptores saevierint. Quod fecit etiam sive E. Epkema, sive quem ille praesidem disputationis habuit Wassenberghius in dissertatione de transpositione, saluberrimo in sanandis veterum scriptis remedio, quam Friedemannus et Seebodius in utilissimo Miscellaneorum libro, vol. I. P. I. repetendam curarunt. Et ille quidem tam parum cogitate de transpositione scripsit, ut eo referret etiam fragmentorum, qualia Theognidis habemus, in perpetuitatem quamdam conjungendorum conatum.

Sequitur illud genus, quod consilio mutatum ordinem verborum continet. Nam grammatici, vel qui grammaticorum partibus se fungi posse putarunt librarii, interdum ut perspicuitati consulerent, nonnunquam ut elegantiorem redderent orationem, saepissime autem in poetis, ut metra labare visa sustinerent, verba alio ordine disposuerunt: id quod in melicis tragicorum Graecorum carminibus, maximeque in Plauto Terentioque factum videmus. Nam illi grammatici quum plerumque vel metrorum veram rationem, vel prosodiae antiquioris leges ignorarent, mirum quantum sibi indulserunt, ut ordine verborum mutando numeros pro suo captu refingerent. Quod si scriptoribus, quos hunc in modum interpolatos accepimus, adhibenda est opera critica, quis adeo ineptus sit, ut non ante omnia genuinum verborum ordinem restituere studeat? Nam si tollere peccata officium est critici, ea praecipue removenda esse patet, in quibus maxime est peccatum. Itaque in istiusmodi locis scriptisve omnino transpositio facillimum est et certissimum remedium.

Tertia mutati verborum ordinis caussa negligentia est librariorum. In quo genere magna est critico cautio adhibenda. Nam quid est quod, quum codicum discrepantiam consideramus, in aliis scriptoribus perraro, in aliis ubique; in aliis uno tantum alterove modo, in aliis multo liberius ordinem verborum turbatum animadvertimus? Non est id profecto casu quodam accidisse putandum, quo aliis scriptoribus diligentes, aliis negligentes librarii contigerint: nam si qui liber a socordi est aut festinante librario sriptus, facile is eo cognoscitur, quod etiam aliis peccatis, quam quae sunt in ordine verborum, plenus

est. Nimirum quum de negligentia librariorum loquimur, non eam singularem quamdam atque enormem intelligimus, sed communem illam, cui quivis, praesertim si celerius scribit, obnoxius est. Etenim in ipsis quae describuntur scriptis aliquid inest, quod vel observari magis ordinem verborum cogat, vel negligi permittat. Idque nemo non in se ipso, quum quid describit, experitur. Quo magis mirum est, criticos, qui sic temere transpositionem verborum commendant, ne id quidem, quod ab se ipsis discere potuerant, reputare. Nam in poetarum carminibus, quae notis sunt atque usitatis metris scripta, non facile quis ab justa verborum collocatione aberrabit: obversatur enim animo dum scribimus numerus, suum cuique verbo locum praefiniens, ita ut ordinis observatio, quia primarium quid est, etiam necessaria sit. Id secus est in soluta oratione, quae quoniam non habet ejusmodi legibus adstrictam collocationem verborum, verba quidem ipsa, quae in exemplo legimus, sensumque eorum mente tenemus, sed dum chartae mandamus, ordinem eorum facillime confundimus, ad illud unice intenti, ut quem verbis illis expressum sensum animo concepimus, scripto exhibeamus. Ita fit, ut verborum trajectiones in prosae orationis scriptoribus creberrimae, in poetis contra rarissimae sint, nisi iis in carminibus, quae propter metrorum ignorantiam ut soluta oratio sunt ab librariis descripta. Multo autem maxima in ordine verborum fluctuatio, ut consentaneum est, in iis invenitur *scriptis*, quae ab iis conscripta sunt, qui quod nihil nisi rerum notitiam litteris consignare vellent, de verbis plane non fuerunt solliciti. Id fere in scholiis, quibus veteres scriptores instructi sunt, factum videmus. Sed hoc totum genus transpositionis, quod in hac quam diximus negligentia positum est, certos quosdam fines habet, quorum ratio ex eo, qui fons est hujus negligentiae, petenda est. Nam illa quum in eo cernatur, quod qui scribit ad sensum potius quam ad ordinem verborum attentus est: consequitur, vix aliter ab eo ordinem verborum perturbari, quam ut vel permisceat quae non multum intersit sic an aliter positis verbis dicantur, vel pro exquisitiore aut insolentiore positura verborum notiorem atque usitatiorem sibi excidere patiatur. Itaque criticus, quum genuinam collocationem restituere studet, eadem via, qua peccatum est, corrigere peccata debet. Qui si transponit quae non istis quos dixi modis de loco suo mota esse veri simile sit, temere atque inconsiderate agit, quaeque

aliter lenis atque utilis medela foret, ea facit ut violenta sit et noxia.

Venio nunc ad quartum genus mutati verborum ordinis, quod est in errore positum. Differt ille autem ab negligentia. Nam etsi evitari error diligentia potest, tamen errare non est negligentem esse, sed cadit etiam in diligentissimum. Nam negligentia permanens est iustae ad opus attentionis omissio, error autem fortuita interpellatio diligentiae, quum librarius, quantumvis sedulo rem suam agens, parumper alio mentem avertit. Hoc vero est illud genus, in quo graviter vituperandam arbitror incogitantiam illorum, qui transpositionem optimam emendandi rationem esse dictitant. Qui mihi sic videntur existimare, errorem, quia discessione ab lege contineatur, expertem esse legis, nec quidquam esse, quod non possit per errorem fieri. At vero ut aliquando oscitanti alicui aut somnianti accidat, ut in scribendo aliquid incredibile admittat, tamen plerumque ac tantum non semper, quemadmodum in litterarum vocabulorumque permutationibus, sic etiam in ordine verborum certi quidam modi sunt errandi, ut his modis erratum esse veri simile sit, aliis autem in modis ne umbra quidem veri similitudinis reperiatur. Atque hoc quoque quum suo quisque exemplo discere possit, tum e scripturae diversitate, quam ex codicibus collectam habemus, cognoscitur. Nam qui aliquid de exemplo describunt, quum id sic faciunt ut iis non possit levitas aut negligentia exprobrari, iis tamen quod ad ordinem verborum attinet erroribus obnoxii sunt, ut nunc aliquid omittant, nunc vicina inserant. Atque omissa quidem quum postea in margine adjiciuntur, facile accidit ut, quum iterum describuntur, inserantur alieno loco: quod genus attigimus supra, ubi de librorum vitiis dicebamus. Pertinet huc etiam illud, quum librarius, properans, id quod omiserat addit sequentibus: ut factum est in verbis Dionysii Halicarnassensis, quae egregie restituit Schaeferus in Indice ad novissimam editionem Hecubae Porsonianae p. 131. quo loco transpositionis defensionem suscepit. Alio modo ea quae iis scripta sunt conturbare ordinem verborum possunt, ut, qui librum describit, perperam de positura verborum iudicans, omittit servanda, servat omittenda. Sed haec graviora sunt; illa frequentissima, ut commutentur similia. Ejusmodi est, quod Schaeferus eodem loco ex Stobaei Serm. 26. affert, ubi quum fuisset qui quod vulgo legeretur,

τοῖς γὰρ λυπουμένοις τι καὶ μεριμνῶσιν
ἅπασα νὺξ ἔοικε φαίνεσθαι μακρά,

corrigendo verbo μεριμνῶσιν emendare conaretur, non aliquanto lenior, ut ait Schaeferus, sed propter metrum necessaria erat transpositio verborum λυπουμένοις et μεριμνῶσιν. Eadem ratio est oppositorum: nam haec quoque inter se aliqua ex parte similia sunt: unde commutantur: ut in Oedipo Rege v. 376. οὐ γάρ με μοῖρα πρός γε σοῦ πεσεῖν legebatur pro οὐ γάρ σε μοῖρα πρός γ' ἐμοῦ πεσεῖν. Longe creberrima autem est inversio vicinorum. Quod si quis transpositiones e codicibus enotatas considerare volet, praesertim in poetis noto genere metri usis, in quibus fere errore magis quam negligentia peccatum est, propemodum omnes trajectiones in commutata sede verborum proxime conjunctorum factas esse inveniet. Ex quo colligitur, hanc vicinorum verborum transpositionem a critico, ubi opus sit, recte adhiberi; temere autem et parum probabiliter vocabula longe ab eo in quo scripta sunt loco removeri. Ut quum apud Aeschylum hi versus scripti sint,

στρατός, περᾷ κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον·
ἢ κάρτ' ἄρ' ἂν παρεσκόπεις χρησμῶν ἐμῶν·
καὶ τἄλλα πόλλ' ἐπεικάσαι δίκαιον ἦν·

quis sibi persuadeat, nisi qui totus Porsoni auctoritate constrictus teneatur, sic eos corrigendos esse, ut ille jussit in praefatione ad Hecubam p. 28.

κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον στρατὸς περᾷ·
ἢ κάρτα χρησμῶν ἄρ' ἐμῶν παρεσκόπεις·
καὶ πολλά γ' ἦν δίκαιον ἄλλ' ἐπεικάσαι.

Nam hoc non est emendare, sed ipsum versus facere. Illustre exemplum perversitatis, in quam Porsoni auctoritas quosdam ex ejus admiratoribus conjecit, in ejusdem poetae Agamemnone exstat v. 520.

ἅλις παρὰ Σκάμανδρον ἦλθες ἀνάρσιος·

quem aperto vitio affectum Butlerus aut sic scribendum dicit,

παρὰ Σκάμανδρον ἦλθες ἅλις ἀνάρσιος,

aut hoc modo,

ἦλθες παρὰ Σκάμανδρον ἅλις ἀνάρσιος.

Et hoc posterius quidem etiam alii cuidam in mentem venit, cujus operae pretium est nimis ingenuam confessionem ipsis ejus verbis cognoscere. Sic igitur ille in

Diario classico fasc. XVI. p. 347. *To restore it to its pristine purity, we have only to transpose ἄλις und ἦλθες. The verse indeed would run more smoothly, if we were to read* Ἄλις παρὰ Σκάμανδρον ἦς ἀνάρσιος, *but, as Porson has declared that transposition is the most safe and certain mode of emendation, I must adhere to my first correction.* Scilicet boni viri non viderunt, nec veri simile esse verba tantopere esse ab librariis trajecta, nec potuisse Aeschylum ut ipsi conjecerunt scribere, quia, si ita scripsisset, inepte ad sententiam verba essent collocata. Sed quid hos commemoro, quum ille ipse, qui iis dux in hoc genere fuit, licet caetera eximius vir, ad eumdem scopulum impegerit? Ne alia promam, in Supplicibus Aeschyli quum legatur v. 799.

πόθεν δέ μοι γένοιτ' ἂν αἰθέρος θρόνος,
πρὸς ὃν νέφη δ' ὑδρηλὰ γίγνεται χιών,

defendit ille quidem in fine praefationis ad Hecubam particulam δέ, sed, sentiens opinor id se nemini persuasurum esse, addit, si sit delenda, ita debere versum illum corrigi:

πρὸς ὃν χιὼν ὑδρηλὰ γίγνεται νέφη.

Quam correctionem probat Schaeferus, ingeniose conjiciens δ' ad νέφη adjectum nihil esse nisi numerum quarti verbi. Attamen vel propterea parum veri simile est ita scripsisse Aeschylum, quod sic posita verba oppositionem adsignificant non bene huic loco convenientem. Nam simplicem rei imaginem dari altitudinis caussa hic decebat, non narrari, ningere tali in loco potius quam pluere. Praeterea si transpositione corrigendus est hic locus, cur sic potius verba sunt collocanda, quam hoc modo, qui simplicior est et venustior:

πρὸς ὅνθ' ὑδρηλὰ γίγνεται νέφη χιών?

Quid ergo? Num veri similius est, verbis hoc illove modo transponendis novum versum esse procudendum, quam vocabulum ὑδρηλὰ alius esse exquisitioris verbi interpretationem, aut, si hoc non arrideat, scribi debere,

πρὸς συννεφῆ θ' ὑδρήλ', ἃ γίγνεται χιών,

siquidem, ut Aristoteles ait Rhet. II. 19. εἰ συννεφεῖ, εἰκὸς ὗσαι. Quid autem si vel unius litterae mutatione res confici potest? Id quidem mea sententia in carmine, quod ex uno tantum eoque pessime habito codice editum est, omnium maxime debet probabile videri. Certe omnia optime procedunt, si ille locus ita scribitur:

πόθεν δέ μοι γένοιτ' ἂν αἰθέρος θρόνος,
πρὸς ὃν νέφη θ' ὑδρηλά, ἃ γίγνεται χιών,
ἢ λισσὰς αἰγίλιψ ἀπρόσ-
δεικτος οἰόφρων κρεμὰς
γυπιὰς πέτρα, βαθὺ
πτῶμα μαρτυροῦσά μοι,
πρὶν δαϊκτῆρος βίᾳ
καρδίας γάμου κυρῆσαι.

Quem enim Danai filiae dicunt *αἰθέρος θρόνον*, eo quin etiam excelsam rupem comprehendere videantur, vix dubitare sinit admirabilis illa ac prorsus divina hujus saxi descriptio: quod quum praeruptum, capris inaccessum, incommonstrabile, solitudine vastum, propendens, vulturibus habitatum appellant, ipsis his verbis, quae vel in cogitando animum vertigine implent, declarare videntur, qualem intelligant, quam sibi expetunt sedem aetheriam. Itaque hoc videntur optare, ut sibi aetheria sedes vel inter aquosas nubes, quae propter altitudinem in nives vertantur, vel in excelsa rupe, unde se possint praecipites dare, concedatur. Illud enim vel tironibus notum est, non raro particulas τέ et ἤ sibi respondere. Quod hic cur factum sit, caussa aperta est. Nam duo chorus de illa aetheria sede praedicaturus, et altam esse, et aptam ad praecipitem saltum, ita ut par est incipit, πρὸς ὃν νέφη θ' ὑδρηλά· sed alteram partem additurus, quae esse debebat, *et ubi praecipitia sunt*, quoniam pro his certum quid, saxum in rupibus prominens, nominare in mentem venit, mutare debuit constructionem, atque ἤ pro altero τέ inferre, *vel ubi praeruptum saxum est.*

Dixi supra, saepe in scribendo accidere, ut verba proxime conjuncta sedem suam commutent. Ex quo intelligitur, talium verborum transpositionem multo plus habere probabilitatis, quam eorum quae longius ab se invicem remota sunt. Itaque haec merito ut facilis laudatur. Ut quum in Oreste v. 505. libri praeberent, *αὐτὸς κακίων ἐγένετο μητέρα κτανών*, quis dubitabit quin recte Porsonus dederit,

αὐτὸς κακίων μητέρ' ἐγένετο κτανών?

Quamquam in hoc quoque genere cautione opus est, ne quis facilitate transpositionis deceptus, ut unum vitium tollat, inferat aliud. Ut quum in Persis v. 313. scriptum sit

οἵδε ναὸς ἐκ μιᾶς πέσον,

facilis quidem est quam Porsonus adhibuit medela,

οἵδε ναὸς ἔπεσον ἐκ μιᾶς·

sed quam parum tamen credibile sit ita scripsisse Aeschylum, indicavi in praefatione ad Bacchas. Itaque quid prodest facillimam esse ejusmodi correctionem, si ei illud deest, ut, quod de transpositione praedicat Porsonus, etiam sit tutissima? Immo ob facilitatem saepe fallax est, tantoque magis, quanto est speciosior. Nescio an eo referenda sint verba Xenophontis in Agesilao II. 12. et Historia Graeca IV. 3, 19. quae Longinus c. 19. affert: *καὶ συμβαλόντες τὰς ἀσπίδας ἐωθοῦντο, ἀπέκτεινον, ἀπέθνησκον.* Quae Schaeferus illo quem supra dixi loco, quum contra emendationem, quam olim proposuerat, bene essent ab L. Dindorfio defensa, jam sic scribenda judicavit: *καὶ συμβαλόντες τὰς ἀσπίδας ἐμάχοντο, ἐώθουν, ἐωθοῦντο, ἀπέκτεινον, ἀπέθνησκον·* quo congruerent cum his Cyropaedia VII. 1, 38. *εὐθὺς γὰρ ἀνεβόησάν τε πάντες καὶ προσπεσόντες ἐμάχοντο· ἐώθουν, ἐωθοῦντο· ἐπαίοντο.* Non nego potuisse Xenophontem ita scribere, ut placet Schaefero: sed scripsisse tamen ita, vehementer dubito. Et primo quidem propter ipsam locorum illorum diversitatem. Nam in Cyropaedia narratur, quid in medio proelio circa vulneratum Cyrum factum sit: qua in re duo semper opposita scriptor conjunxit, quo magis quanto animorum ardore pugnatum esset ostenderet: in Agesilao autem et Historia Graeca initium pugnae describitur, quum Agesilaus interceptos Thebanos, ne ad suos perrumperent, impedire conaretur. In cujus rei expositione ut pariter potuerint jungi contraria, praemisso quidem verbo generali *ἐμάχοντο*, si cum Schaefero *ἐώθουν* inseras, tamen fatendum est, in librorum scriptura *ἐωθοῦντο* solum, primoque loco positum, aptissimum esse, quia neutro exercitui tam pugnare, quam alteri ut perrumperet, alteri ut perrumpentibus resisteret curae erat: in quo primum erat ut se invicem urgerent, secundum ut in urgendo manus conserrent: unde et caedes et strages. Deinde quod praecedit, *συμβαλόντες τὰς ἀσπίδας*, vel maxime postulat statim adjungi *ἐωθοῦντο*. Id ipse docet Xenophon Hist. Gr. VII. 1, 33. *αἵ τε ἀσπίδες πολὺ μᾶλλον τῶν θωράκων καὶ τῶν γέρρων καὶ στεγάζουσι τὰ σώματα, καὶ πρὸς τὸ ὠθεῖσθαι συνεργάζονται, πρὸς τοῖς ὤμοις οὖσαι.* Neque illud praetereundum videtur, quum in Agesilao haec subjiciantur: *καὶ κραυγὴ μὲν οὐδεμία παυῆν, οὐ μὴν οὐδὲ σιγή· φωνὴ δέ τις ἦν τοιαύτη, οἵαν ὀργή τε καὶ μάχη παράσχοιτ' ἄν·* multo aptiorem esse tam acris atque atrocis dimicationis descriptionem, si non incipiat verbo *ἐμάχοντο*, quod isto loco po-

situm languidius est. Denique vero, cui argumento plurimum tribuere videtur Schaeferus, quod Longinus, ut copulae omissae virtutem declararet, non fuisset locum ex minus lectitato libro, eumque inepte scriptum, aptissime scripto in Cyropaedia praelaturus, ei argumento mea sententia tantum abest ut vis ulla insit, ut Cyropaediae locum consulto non esse ab Longino allatum, in Agesilao autem vel Historia Graeca scripturam ei eam, quae in libris est, ante oculos fuisse, demonstrari posse existimem. Nam quum de virtute narrationis non connexae dissereret, quid aliud quam iis eum exemplis uti conveniebat, in quibus haec virtus non aliis virtutibus obscuraretur, sed sola esset conspicua? Atqui ille in Cyropaedia locus non solum copulae omissione, sed magis etiam oppositione contrariorum splendet. Nec videtur in orationem oppositionibus concisam expetere, quod praedicat Longinus: *ἅπλοκα ἐκπίπτει, καὶ οἱονεὶ προχεῖται τὰ λεγόμενα, δίχου δεῖν φθάνοντα καὶ αὐτὸν τὸν λέγοντα.* Ea vero verba ne in Agesilai quidem locum quadrarent, si hic quoque oppositionibus in membra quaedam concideretur. Quadrant autem optime, si abest, ut in vulgata lectione, oppositio atque omnia ordine, uti deinceps acta sunt, sed sine copulis profunduntur. Non ergo ne proxime quidem conjunctorum transpositio adeo tuta videtur, ut praedicant.

Quid vero dicemus, si non tantum ordo verborum, sed verba etiam ipsa mutantur: ut quum Porsonus in Andromacha v. 1114. pro *τυγχάνει δ' ἐν ἐμπύροις* legi voluit *ἔτυχε δ' οὖν ἐν ἐμπύροις*, aut quum idem, ut quidem Kiddius refert, in Bacchis v. 1082. pro *σίγησε δ' αἰθὴρ* scribi jussit *αἰθὴρ δ' ἐσίγα*, v. 766. autem pro *τίψαντο δ' αἷμα, σταγόνα δ' ἐκ παρηΐδων* reponendum censuit *αἵματος ἔνιψαν σταγόνα, καὶ παρηΐδων*? Nam ne pertinacissimum quidem transpositionis defensorem adeo obstinatum esse puto, ut, si ista sic, ut Porsonus voluit, olim in libris scripta exstitissent, errore librariorum illam quae in nostris codicibus est, scripturam inde enasci potuisse contendat.

Sed haec hactenus. Nam si singula explicatius persequi vellem, magnus de transpositione liber posset conscribi. Mihi quidem hoc tantum propositum erat, ut paucis ostenderem, quemadmodum caussae et modi transpositionis multum inter se differrent, ita etiam usum debere diversum esse. Ex quo apertum est, inconsiderate statuere, qui illam emendandi viam facillimam esse ac tutissimam credunt. Non magis enim aut facilis aut tuta est, quam quodvis aliud genus emendandi. Nam ut in

medicorum arte illud tantum, quod cuique morbo accommodatum est remedium, optimum habetur atque tutissimum, ita in arte critica qui transpositione pro panacea utetur, quid aliud quam medico similis erit, qui cuivis aegroto artus luxatos esse suspicans, dum reponere laboret, evellat potius ac distendat, morboque veteri superaddat novum?

Haec scripseram, quum mihi significatum est ab amico quodam, Schaeferum etiam in adnotationibus ad Demosthenem impugnasse meam de transpositione sententiam. Itaque pervolvens librum, p. 259. haec scripta inveni: *quae Hermannus de finibus criticis palaeographicae regendis in praefat. ad Draconem disputavit, non veriora esse puto, quam quae nuper scripsit de terminatione transpositionis vocabulorum, rei tam late diffusae, ut omnes terminos evagetur.* Sed quum statim addat: *quanquam hic quoque, ut ubivis, valet illud vafri Siculi: Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν·* non videtur mihi aliud, quam quod ego ipse, dixisse. Concedit enim modum tenendum esse: ego autem, qui esset ille modus, explicare studui: mirum enim foret, si, quae non ubique neque omni modo adhibenda esse consentimus, ea ubi potissimum et quibus modis adhibenda essent, dici non posset. Itaque pene suspicor, scripsisse illa Schaeferum magis quod nollet quae a me dicta essent probare, quam quod re vera a me dissentiret. Nam quum eximiam voluptatem perceperim ex illis ejus ad Demosthenem adnotationibus, quibus mihi omnia quae umquam scripsit multum superasse videtur, tamen illud ingratum accidit, quod, sicubi mei mentionem fecit, invidiosius loquentem inveni. Cujus simultatis nescirem quae caussa esset, nisi et ab aliis accepissem, et tandem etiam ipse in libro illo p. 561. aperuisset. Non putaveram profecto, me umquam malignitatis insimulatum iri, et tantae quidem, ut p. 809. ne aliquod innoxium *immo* quidem sine superbiae suspicione proferre potuisse crederer. A quo autem? Ab eo, quem et propter doctrinam et propter animi integritatem semper maximi feci. Et cur? Ob unum verbum in praefatione ad Vigerum, quo non laedere volui, sed narrare quantum laboris exantlassem. Fero ego haec patienter, ut in viro, qui si sciret quam in me iniquus esset, ipse, sat scio, magis quam ego esset doliturus. Et profecto tacuissem de ea re, nisi ille publica esset hominum de illo dicto judicia antestatus. Judicent ergo: quod facile erit novi Thesauri Stephaniani vel uno alterove in loco expertis, quod ego per totum Vigeri librum sustinui.

LIII. De usu *Imperativi* apud *Latinos.* Scr. *Nicolaus Bygom Krarup*, Dr. Philos. Soc. Lat. Jen. Sod. Honor.

[Hafniae, 1825. pp. 22. 8vo.]

Quaestio aliquando fuit inter doctos, utrum Imperativus Modus Tempora haberet, necne. Illud veteres testimoniis suis confirmarunt *), recentiorum plerique praefracte negarunt. Nostris vero temporibus omnes fere Grammatici docent, Latinos duas quidem formas habuisse Imperativi, sed significatione nihil eas differre, nisi quod altera vehementius imperet legibusque sit accommodatior. Fuerunt etiam inter eosdem, qui nomina, Praesens et Futurum Imperativi, quamquam ex antiquitate ipsa prodita et diuturno usu confirmata, quod parum apta ipsis viderentur, tollere conati sint; quasi in tota grammatica ullum esset vocabulum artis, quod perfecte rei significandae vim atque notionem exprimeret. Neque tamen ratione destituta esse illa nomina nitique consuetudine optimorum scriptorum hanc distinctionem, ex iis, spero, quae jam disputaturus sum, apparebit.

De Praesente Imperativi.

Priore igitur Imperativi forma, quae Praesens a ve-

---

*) Grammaticos veteres Latinos contemptu quodam affici solere, scio, neque arbitror eos omnino esse commendandos; sed excipiendus est Priscianus, qui, quum multa alia praeclare docuerit, tum naturam Imperativi apud Lat. me judice melius exposuit, quam quisquam eorum, qui de rebus grammaticis post eum scripserunt. Sed libros ejus non satis accurate editos esse, et alibi alii questi sunt, et mihi hic querendum est. Nam in Krehlii editione Vol. I. p. 389. satis absurde legitur: *Imperativus praesens et futurum naturali quadam necessitate videtur posse accipere. Ea etenim imperamus, quae statim in praesenti volumus fieri, sine aliqua dilatione.* Omisit enim Ed. verba, quae sequuntur ap. Putschium (p. 806.) *vel in futuro*, quod in nonnullis Codd. Mss. excidissent, in aliis in margine notata essent. Sed quum haec verba sententiae auctoris prorsus necessaria sint, et in bonis libris reperiantur (etiam in Cod. Ms. Bibl. Reg. Hafn. sec. XII.) verum loco incerto, sic transponenda esse censeo: *quae (vel) statim in praesenti volumus fieri, vel in futuro sive aliqua dilatione.* Mutatio enim verbi *sine* in *sive* tam lenis est, ut nulla quasi appellanda sit: neque tum satis barbarum illud *aliqua* post *sine* molestum nobis erit.

teribus appellata est, de re, quae, ut statim fieret *), imperaretur **), usos esse Romanos, non dubitamus statuere.

Nam *primum* Praesens Tempus relativum ei additur in constructionibus, ubi idem Tempus sequi solet, et ubi, si Fut. Imp. est, semper Futurum sequitur. Ut, *Expone nisi molestum est* Cic. Tusc. I, 12. *Nebulonem illum, si quo pacto potes, ex istis locis amove.* Cic. ad Att. I, 12. Alia hujus generis exempla ubique reperiuntur.

Tum id inde concludo, quod nulla propria forma tertiae Personae est: recte enim senserunt Romani, neminem, nisi adesset, statim imperio obsequi posse; si vero adesset, secundam Personam esse adhibendam. Futuro autem Imperativi iidem prudenter tertiam Personam dederunt, nam ibi opus est ***).

Postremo id ex illis locis maxime efficio, n quibus opponuntur sibi Praesens et Fut. Imperativi. Cujus generis haec sunt: *Abduc istos in tabernam actutum deversoriam, Tum facito ante solem occasum, ut venias advorsum mihi.* Pl. Men. 341 sq. ****). *Abi, atque Hegioni, cognato hujus, rem omnem narrato ordine.* Ter. Ad. III, 2, 53. *Quapropter exspectate legatorum reditum et paucorum dierum molestiam devorate; qui*

---

*) Semel monuisse sufficiet, diversas Imperativi formas et imperandi, et hortandi, et rogandi, et optandi significationem posse habere, quoniam ex allatis exemplis erit perspicuum.

**) Nihil refert, utrum res imperata jam antehac inceperit, an nunc primum incipiat. v. Prisc. VIII, 8, 40. Neque enim Cicero quum judicibus ait *attendite*, negat eos antea attendisse; sed animadversionem augere et excitare studet.

***) Eundem veri sensum eo indicaverunt Romani, quod neutri Imp. formae primam Personam attribuerunt; nam sibimet ipsi nemo proprie imperat; sed potest se, quasi alium hominem, alloqui, *Insere nunc, Meliboee, pyros.* Virg. Ecl. 1, 74. cfr. Pl. Trin. 977 sqq. et potest homo partem aliquam sui compellare; tum vero etiam secunda Persona adhibetur. Ut in Medea Senecae v. 965. *Nunc hoc age, anime! Non in occulto tibi est perdenda virtus; adproba populo manum.* — Cohortari vero, quod etiam Imperativi est, se aliquis potest; tum pro Praes. Imp. Praesens Ind. cum adv. *quin* haud raro invenitur. Ut, Ter. Eun. IV, 7, 41. (v. Bentl.) et Liv. 1, 57, ad quem locum Drakenb. plurima congessit exempla.

****) Bothii Ed. II. usus sum in Plautinis versibus citandis.

quum redierint, si pacem afferent, cupidum me; si bellum, providum judicatote. Cic. Phil. VI, 6. Plura dabo, quando ad Fut. Imp. venero.

Annot. Tametsi haec primaria est Praesentis Imperativi notio, haud raro tamen summa ejus vis in eo ponitur, ut res continue fiat ac sine ulla intermissione; et sic opponitur Futuro Imperativi, quatenus hoc saepius repetitam actionem postulat *). Ut, *Ad foris auscultato atque adserva has aedis.* Pl. Truc. 77. *Age nunc jam, orna te, et palliolum in collum conjice. Itaque adsimulato, quasi per urbem totam hominem quaesiveris.* Pl. Epid. 188.

De Futuro Imperativi.

Altera Imperativi forma, quae a veteribus Futurum appellata est, de re non statim, sed post aliud quidpiam, vel tempore aliquo interjecto, facienda usurpatur; quae vera et propria ejus notio est. *Ubi ego argentum accepero, Continuo tu illam a lenone adserito manu.* Pl. Pers. 163. *Si mi argentum dederis, te suspendito.* Pl. Pseud. 1222. *Ubi hoc egeris, transito ad uxorem.* Ter. Phorm. IV, 5, 6. *Postremo etiam, si voles, Desponsam quoque esse dicito.* Ter. Heaut. IV, 8, 25. Sed quum minus fortasse aliquem Comicorum commoveat usus, etiam ex aliis scriptoribus et maxime ex Cicerone, cujus auctoritatem in lingua Latina nemo spernere audebit, exempla ad hoc probandum hauriam. *Si mora fiet, abito.* Hor. Od. III, 14, 24. *Experiar, tu deinde jubeto certet Amyntas.* Virg. Ecl. V, 15. *Quum de bello Romano cogitabis, inter primos amicos Hannibalem*

---

*) Hinc *vale* et *salve* dicentes plus significant, quam qui *valeto* et *salveto* ironice vel jocantes dicunt: hinc multo majus praecipit, qui dicit: *justitiam cole*, quam si dicit; *justitiam colito*; hoc enim ad actiones spectat, illud magis ad perpetuitatem quandam affectionis: hinc amarius proferuntur: *Rape, clepe, tene, harpage, et bibe, fuge!* Pl. Pseud. 136 (cfr. Cas. 142. Most. 19. Trin. 262. Ter. Ad. V, 9, 34. Cic. Verr. II, 19, 46.) quam si Fut. Imp. usurpatum fuisset, ut, Pl. Most. 1116.

Si verum esset, Fut. Imp. vehementius imperare quam Praesent, neque eo sane Cicero, quae summa ejus fuit et humanitas et prudentia, aut in orationibus, aut in epistolis, ne ad Tironem quidem scriptis, tam saepe usus fuisset; neque Plautus id non adhibuisset, ubi insolenter atque minaciter imperantes inducit, velut Amphitr. 832. *Concedite atque abscedite omnes! de via decedite!* cfr. Capt. 729. 766. Curc. 284 sq. Aul. 361.

habeto; si qua res te ad pacem compellet, in id consilium alium, cum quo deliberes, quaerito. Liv. XXXV, 19. *Quum hujus vobis adolescentiam proposueritis, constituitote vobis ante oculos hujus etiam miseri senectutem.* Cic. p. Caelio c. 32. *Quae quum exposuero, si falsa vobis videbuntur esse; sequar auctoritatem vestram; mutabo meam sententiam: sin insidias fieri libertati vestrae simulatione largitionis intelligetis; nolitote* cet. Cic. in II. c. Rull. c. 6. *Quum ego Granium testem produxero — refellito, si poteris — ostendito* cet. Cic. in Verr. V. c. 59. *Tantum tibi sumito pro Capitone apud Caesarem, quantum ipsum meminisse senties.* Cic. ad Fam. XIII, 29. *Quum valetudini tuae consulueris, tum consulito navigationi.* Cic. ad Fam. XVI, 4. *Quum haec confessus eris, quae in foro — gesta sunt: negato sane, si voles, pecuniam accepisse.* Cic. in Verr. II. c. 33, 81. *Hoc si tu — factum negabis —: videto, ne nimis familiariter inimicitias exercere videare.* Cic. Div. in Caec. c. 4, 13. *Qui, si eruditius videbitur disputare, quam consuevit ipse in suis libris, attribuito Graecis litteris.* Cic. d. Sen. I, 3. *Quae si vobis non probabuntur, vestram iniquitatem accusatote, qui ex me ea quaesieritis, quae ego nescirem; meam facilitatem laudatote, quum vobis — non gravate respondero.* Cic. d. Or. I, 48. *Si qua praeterea sunt — ab iis, si videbitur, qui ista disputant, quaeritote.* Cic. d. Amic. c. 7. *Verum tamen, si me assequi potueris, aut sicubi nactus eris, ut tibi videbitur, sepelito.* Cic. Tusc. I, 43, 103.

Jam vero locos afferam, ubi Praesens et Fut. Imp. sibi opopnuntur, qui etiam pertinacissimos adversarios haud dubie convincent. *I tu hinc ad villam atque istos rastros vilico Pisto ipsi facito coram ut tradas in manum. Uxori facito ut nunties, negotium Mihi esse in urbe, ne me exspectet: nam mihi Tris hodie litis judicandas dicito. I et hoc memento dicere.* Pl. Merc. 273 sqq. *I, rogato meum patrem, ut veniat.* ib. 778. cfr. Asin. 716. *Cras petito: dabitur; nunc abi.* Pl. Merc. 760. *Cito Transcurre curriculo ad nos: ita negotium est. Post, quando exierit Sceledrus a nobis, cito Transcurrito ad vos rursum curriculo domum.* Pl. Mil. 524 sqq. *Abi hinc domum, Redito circiter meridiem.* Pl. Most. 562 sqq. *Tu epistolam hanc a me accipe, atque illi dato.* Pl. Pseud. 645. *Tu hic opperire: jam ego faxo exibit senex: Eum tu continuo vidulum reposcito* Pl. Rud. 1258 sqq. cfr. 702. *Aperi, deprome inde auri ad hanc*

rem quod sat est, Continuo operito denuo. Pl. Trin. 774 sq. *Ne clama* *): *petito illasce* (mnas) *a me decem.* Ter. Phorm. IV, 3, 59. *Cape. Si vim faciet, in jus ducito hominem.* Ter. Eun. IV, 6, 30. *Prius audite paucis: quod cum dixero, si placuerit, facitote.* ib. V, 8, 37. *Stercus sedulo conserva, cum exportabis, spargito et comminuito.* Cato d. R. R. 5, 8. *Si a duumviris provocarit, provocatione certato: si vincent, caput obnubito: infelici arbori reste suspendito: verberato.* — Sed paulo post Lictori dicitur: *I, caput obnube liberatoris urbis hujus: arbori infelici suspende: verbera.* Liv. I, 28. *Magne Geni, cape dona libens, votisque faveto.* Tibull. III, 5, 9. *Dic quibus in terris inscripti nomina regum Nascantur flores:* et *Phyllida solus habeto.* Virg. Ecl. III, 107 sq. *Discepuer virtutem ex me — Tu facito, mox cum matura adoleverit aetas, Sis memor* — Virg. Aen. XII, 438. *Quam tibi commodum est, unam tribum delige tu; doce id quod debes* — et paulo post: *Quamcumque tribum, inquam, delegeris, quam tulerit Plancius, tu ostendito, si poteris, vitium.* Cic. p. Plancio c. 19. *Ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratissimum: cum valetudinis rationem, ut spero, habueris, habeto etiam navigationis.* Cic. Ep. ad Fam. XVI, 6.

Itaque haec forma propria est:

a) ad poenam indicandam, quam quis sibi imprecatur, si res aliqua evenerit, vel nisi evenerit. *Perjuriorem hoc hominem, si quis viderit, Aut gloriarum pleniorem, quam illic est, Me sibi habeto, et ego mancupio me dabo.* Pl. Mil. 21 sqq. cfr. ib. 565. 921. Men. 76. Pseud. 503. 506. 513. 950. Stich. 409. *Unam hanc noxiam Amitte: si aliam admisero umquam, occidito.* Ter. Eun. V, 2, 14. *Haec nisi omnia perspexeritis in cau-*

---

*) Miror Ruhnkenium, vir. egreg., auctoritate Burmanni ad hunc locum annotasse: *Ne clama* magis latinum esse, quam *ne clames*. Utrumque enim suo loco latine et emendate dicitur, et hoc quidem loco nihil rectius quam *ne clama*. Si vero usum spectas, apud omnes scriptores *ne* cum Conjunctivo reperies, non apud omnes *ne* cum Imperativo. Servius enim ad Aen. VI, 544. adscripsit: *Ne saevi antique dictum est, nam nunc ne saevias dicimus, nec imperativum jungimus adverbio imperantis*; et recte Laur. Valla (Eleg. III, c. 28). *Ne veni*, inquit, *ne fac, ne jugula apud oratores fere numquam, sed apud poetas.* cfr. Corrad. d. l. l. VII, pag. 245 et 375.

sa, temere a nobis illam appellari putatote. Cic. p. Cluent. c. 6.

b) in invitationibus. *Hic hodie cenato.* Pl. Rud. 1324. *Comessatum omnes venitote ad me ad annos sedecim.* ib. 1329. *Vos huc decima venitote, hospites.* Rhet. ad Her. IV, 51. *Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola. Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.* Virg. Ecl. III, 76. sq. *Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.* Propert. II, 18, 43. *). *Nos circiter kal. aut in Formiano erimus, aut in Pompejano; tu, si in Formiano non erimus, si nos amas, in Pompejanum venito.* Cic. ad Att. II, 4.

c) in testamentis. *Heres meus uxori meae dare damnas esto argenti, quod elegerit, pondo centum.* Quinct. Inst. Or. VII, 9, 9. *L. Titius heres esto, cernitoque in diebus C proximis, quibus scies poterisque. Quodni ita creveris, exheres esto. Tum Maevius heres esto, cernitoque in diebus C.* Gaii Inst. II, §. 174.

d) in foederibus. *Amicitia regi Antiocho cum pop. Rom. his legibus et conditionibus esto. Obsides Romanis viginti dato, et triennio mutato* Liv. XXXVIII, 38. (in hoc solo foedere vicies sexies Fut. Imp. reperitur).

e) in responsis oraculorum. *Pythio Apollini rep. vestra bene gesta servataque, lucris meritis donum mititote, deque praeda, manubiis, spoliisque honorem habetote, lasciviam a vobis prohibetote.* Liv. XXIII, 11.

Annot. Verum etiam saepissime Fut. Imp. rem jubet post aliquod tempus non tantum fieri, sed, quoties occasio fuerit, vel certa aliqua res acciderit, vel saltem saepius, iterari ac repeti. Hinc similitudinem illam explico, quae est inter Fut. Imp. et Praes. verbi frequentativi; quemadmodum, ut similes sint formae *esurus* et *esurio*, non casu factum esse existimo. *Ubi me fugiet memoria, ibi tu facito, ut subvenias.* Pl. Bacch. 2. *Quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis, Extra unum Palaestrionem, huc deturbatote in viam.* Pl. Mil. 160 sq. *Quoquo hic spectabit: eo tu spectato simul; Si hic quo gradietur: pariter progre-*

---

*) Hunc versum, quem Linacer (de emend. structurae L. I, p. 18. ed. Par. 1540, 4to) et Sanctius (Minerv. I, c. 13 fin.) et alii attulerunt, ut probarent, absurdum et ridiculum esse Fut. Imp. inducere, ego non dubitavi laudare, ut contrarium demonstrarem; facilis enim videtur esse explicatu: aut dic jam, te non esse venturam, aut venito tempore indicato.

dimino *). *Manum si protollet: pariter proferto manum. Suum si quid sumet: id tu sinito sumere; Si nostrum sumet: tu teneto altrinsecus.* Pl. Pseud. 859 sqq. *Ubi nihil erit, quod scribas, id ipsum scribito.* Cic. ad Att. IV, 3. cfr. I, 12. *Cum me adflictum et confectum luctu audies, existimato me* cet. ib. III, 8.

Locum igitur habet, *in legibus*, velut in omnibus fragmentis XII. tabularum et apud Ciceronem, de Legg. II, 8 — 9. III, 3 — 4: *in edictis Praetorum*, v. Cic. in Verr. L. I, c. 55 sqq. *in vivendi praeceptis* v. c. *Qui domum tuam venient, iis significato, te animadvertere, et eorum amicis, qui illis renuntient, ostendito, saepe ipsis dicito.* Qu. Cic. d. Pet. Cons. c. 9. *Ignoscito saepe alteri, numquam tibi.* Syri Sent. 143: *in praeceptis de arte*, ut in illis versibus Horatianis: *Non satis est pulchra esse poemata; dulcia sunto, Et quocumque volent, animum auditoris agunto. Ubi uva varia fieri coeperit, vites subligato.* Cato d. R. R. 33, 4. *Ova luna nova supponito.* Plin. H. N. XVIII, 32. *in praescriptis medicorum*, ut Pl. Merc. 138 sq. Hor. Serm. II, 1, 8 — 9. Cato d. R. R. 102. 126 sq. 156, 7. 157. Colum. XII, 27 sqq. 39, 3.**).

Hac exemplorum sive argumentorum copia prolata, restat, ut breviter moneam, Fut. Indic. saepe Futuri Imp. loco esse usurpatum; plerumque, opinor, ut firma jubentis spes indicaretur, alterum certa de causa, aut dicta, aut intellecta, id, quod juberetur, esse facturum. *Si quid acciderit novi, facies, ut sciam.* Cic. ad Fam. XIV, 8.

---

*) *Progredimino* ap. Both. pro vulg. *progrediminor*: ut *arbitramino* Pl. Epid. 683. pro quo tamen rectius Edd. Ald. et Sambuci cum Codd. Mss., quos contuli, habent *arbitrare nunc.*

**) Si cui videbor nimis multis hic usus esse exemplis, reputet, exempla bonorum scriptorum in arte grammatica esse argumenta, idque mihi inprimis hoc libello propositum fuisse, ut contra viros clarissimos et in aliis rebus de hoc studio egregie meritos, Linacrum, Sanctium, G. J. Vossium, Ruddimannum, Grotefendium, Struvium, Zumptium, Ramshornium, Fogtmannum nostrum, plurimosque alios, Futurum suum Imperativo vindicarem. A parte, quam ego defendo, stare quidem novi Corradum, Th. Bangium, Perizonium, magna sane nomina; sed nemo eorum, quod exemplis parum instructi erant neque satis sibi constabant, ut verior res vinceret, potuit perficere. Eoque et illos et hos peccasse puto, quod usum Comicorum et Ciceronis aequaliumque non satis respicerent; nam quum in omni Grammatica, tum maxime in hac parte, quae est de Imperativo, recte scribendi praecepta ex aureae aetatis scriptoribus haurienda sunt.

Non licitatorem venditor, non qui contra si liceatur, emptor apponet: uterque, si ad eloquendum venerit, non plus quam semel eloquetur. Cic. d. Off. III, 15. *Ubi sententiam meam vobis peregero, tum quibus eodem placebunt, in dextram partem taciti transibitis.* Liv. VII. 35. *Tribues his temporis, quantum poteris.* Cic. d. Off. III, 34.

De Praesente Conjunctivi pro Praes. et Fut. Imperativi.

In omnibus autem locis et pro Praesente et pro Futuro Imperativi, licet, si quidem tempus actionis urgere nolis, uti Praesente Conjunctivi: quod ergo *ἀόριστον* quodammodo tempus est Imperativi. *Desinas, sic est ingenium mulierum.* Ter. Phorm. I, 2, 19 — 20. (Quod Priscianus explicat *desine* XVIII, 13, 105). *Audi, Juppiter, audite, fines, audiat fas.* Liv. I, 32, *Si sciens fallo, tum me, Juppiter, O. M. domum, familiam, remque meam pessimo leto adficias.* Liv. XXII, 53. cfr. I, 32. *Teneat tamen eum cursum, quem poterit.* Cic. Or. 2. *Quo die ad me venies, si me amas, apud me cum tuis maneas.* Cic. ad Att. IV, 18. Lex: *Qui parentem necasse judicatus erit, is obvolutus et obligatus corio devehatur in profluentem.* Rhet. ad Her. I, 13. cfr. Cic. c. Rull. I, 6, 17. III, 2, 7. *Qui redemerit, satisdet damni infecti ei, qui a vetere redemptore acceperit.* Cic. Verr. L. I, 56. (Edict. Praetor.) *Qui igitur adipisci veram gloriam volet, justitiae fungatur officiis.* Cic. d. Off. II, 13. *In ea vulnera hujuscemodi teras brassicam, sanum faciet.* Cato d. R. R. 157, 4. Pallad. VI, 7, 3.

De Perfecto Imperativi et Conjunctivi.

Esse etiam potest in formis quidem Passivis et Praeteritum Perfectum et Fut. Exactum Imperativi, quibus rem jubeamus vel nunc, vel in futuro esse perfectam, ut, *hortatus es* et *hortatus esto*; sed quum prioris formae nullum viderim exemplum, (Jam vero ex Vta Zumptianae Gramm. Editione unum cognovi: *At vos admoniti nostris quoque casibus este.* Ovid. Trist. IV, 8, 51.) et alterius, praeter testimonium Prisciani (VIII, 8, 41. et XVIII, 8, 74.), non nisi unum illud Caesaris: *jacta alea esto* (Suet. Jul. Caes. c. 32), cas non ausus sum, tam-

quam vere Romanas, proponere. Pro utraque autem saepissime et Active et Passive Perfectum Conjunctivi ἀοριστικῶς usurpatum legimus *). *Ne dixeritis, obsecro, huic, vostram fidem.* Pl. Mil. 856. *Si abieris* (Bothius male *aberis*) *ab heri quaestione, ne destiteris currere.* Pl. Trin. 981. *Nil me curassis, inquam; ego mihi providero.* Pl. Most. 512. *Tu ne quaesieris* cet. Hor. Od I, 11, 1. cfr. I, 18, 1. *Secreto hoc audi, tecum habeto, ne Apellae quidem, liberto tuo, dixeris.* Cic. ad Fam. VII, 25. *Nihil ignoveris. Nihil gratiae causa feceris. Misericordia commotus ne sis.* Cic. p. Mur. c. 31, 65 (inducit enim Catonem stoice praecipientem).

Quamquam rarius haec forma sine negatione invenitur, non tamen necesse est ad eam negatio pertineat, *Bene curassis.* Pl. Pseud. 226. *Vicinum citius adjuveris in fructibus percipiendis* cet. Cic. d. Off. I, 18. Sed haec hactenus.

Hisce expositis, non infitior, haud paucos esse locos, qui huic nostrae rationi repugnare videantur: horum autem aliquot librariorum vel editorum negligentia depravatos esse **) arbitror; plurimos explicari posse, ad-

---

*) Nonnumquam varietas significationis duorum Aoristorum Imp. tam parva est, ut vix a nobis percipi possit. Eandem rationem in Indicativo esse, inprimis apud Comicos, Fut. Exacti et Fut. Simplicis saepe docti viri monuerunt.

**) Locos quosdam, qui mihi emendandi esse videntur, hic afferam: Cato d. R. R. c. 162. *Ubi jam omnes composueris, sale insuper obrue, ne caro appareat.* Lege *obruito*, quod etiam var. lect. et *ne* pro *ne* indicat. Liv. III, 2. *Crastino die oriente sole redite in aciem: erit copia pugnandi, ne timete.* legendum censeo *redite tote.* Plaut. Mil. 1025. *Face te fastidi plenum.* Codd. recte *facito. Nunc primum fac istaec lavet: post deinde, Quod jussi eidari bibere, et quantum imperavi, Date, mox ego huc revertor.* Ter. And. III, 2, 3 sqq.; l. *Dato.* Ovid. Art. Am. I, 557. *Hanc* (ancillam) *tu pollicitis, hanc tu corrumpe rogando.* l. *corrumpito dando*, ut jam emendavit nescio quis. In formula Augurum ap. Cic. de Divin. II, 34. recte nunc in edd. legitur: *Dicito, si silentium esse videbitur* (non *videtur*); sed paulo post: *Dicito, si pascuntur*, quod in *pascentur* mutandum esse puto. Qu. Cic. d. Pet .Cons. c. 10. *Quorum voluntas erit abs te propter competitorum amicitias alienior, his quoque eadem inservi oratione, qua superioribus: et, si probare poteris, te in eos ipsos competitores tuos benevolo esse animo ostendito*, lege *inservito.* Cic. pro Sest. c. 13. *Ac, si in exponendis vulneribus illis de me ipso plura dicere videbor, ignoscite*, lege *ignoscitote*, quod non solum ratio postulat, sed etiam est in optimo Cod. Reg. Paris. (Nr. 7754.) Gaii Institt. IV, §. 51. *Quanti ea res erit, tantam pecuniam Numerium Negidium Aulo Agerio condemna.* Lege *condemnato.*

hibita quaestione, qua in omnibus grammaticis dubitationibus dijudicandis nullam meliorem novi: quinam fuisset sensus, quaenam notionis varietas, si aliud scriptor posuisset *). Nonnullos tamen licentiae cuidam poetarum, quo videlicet praesentius fieret praeceptum, tribuendos esse existimo; cujus generis est Virgilianum (Georg. I, 299.): *Nudus ara, sere nudus.* Hinc vero efficiens, idem esse Praes. et Fut. Imp., in eodem errore est, ut si inter Praes. et Perf. Ind., quod poetae et historici interdum illud pro hoc adhibeant, quicquam negaret interesse.

LIV. *Frid. Lindemanni*, Gymnas. Zittav. Direct. Diss. de *Stropha Alcaica.*

[Zittaviae, a. 1825. pp. 8.]

Ut multa sunt, quae hodie a Latine scribentibus peccantur, plura tamen etiam sunt, quae male efformantur ab iis, qui hodie versus Latinos faciunt. Neque enim in rhythmo tantum adornando vitia admittunt, Romanis inaudita, dum et adversus normam caesurarum et contra legitimam verborum structuram, a qua nec poetis discedere licet, et contra leges accentuum vocabula disponunt et in metrum cogunt; sed omnem etiam elisionum elegantiam, omnes hiatuum admittendorum cautiones, ipsiusque adeo prosodiae interioris paullo minus cognitas regulas plane ignorare videntur.

Quo in toto genere quum nihil magis mirum acciderit mihi, quam eorum negligentia atque elegantiae defectus, qui elegantissimum versuum genus, stropham Al-

---

quod etiam lineola in schedis Bluhmii (v. Ed. II. p. 326.) supra syllaba postrema significare mihi videtur. Nam ceterae formulae, in quibus Praesentia sunt, vel Praes. et Fut. conjuncta, ut §. 43. (ubi non opus est editoris conjectura) ex regulis, quas dedi, explicanda sunt.

*) Est, ut exemplo rem illustrem, in Ter. Ad. II, 1, 50. *mox, cras redi*, quod regulae nostrae adversari videtur; si vero locum diligentius excusseris, intelliges, hoc dicentem polliceri idque urgere velle, non nisi semel postulandam esse pecuniam debitam, quod Futuro, quoniam iteratam etiam actionem indicat, non significaretur. cf. Pl. Cas. 723. *Spectato hinc omnia, intus quid agant, et mone me.*

caicam dico, Latine imitari student; pauca de hac re publice monere atque hanc mihi sumere scribendi materiam, neque a muneris mei officio neque a scholasticae scriptionis consilio alienum esse existimavi, praesertim quum quosdam viros doctos, quorum nomina discipulos nostros devenerari docemus, in hoc ipso genere errare videam.

Sed longum est, omnia recensere, quae in hoc carmine, a Musis Gratiisque ipsis reperto, viri docti plerumque non recte admitti solent. Unum tantum est, quod in hujus scriptionis brevitate notare possim. — Versus Alcaicae strophae quattuor duo habent numerorum ordines, e quibus apte variatis omnis ista stropha composita est. Alter est trochaicus, alter dactylicus. De qua re cf. Hermannus Elem. metr. p. 687. A numero trochaico tres priores strophae versus incipiunt, sed praeposita anacrusi, ut simile habeant omnes initium hoc:

$$\overline{\circ} \mid \overline{\prime} \; \breve{} \; — \; \overline{\circ}$$

Quod initium sive ad trochaicum sive ad jambicum rhythmum dimetiaris, nihil refert, si leges respicias, quibus tenetur. Trochaici enim versus iisdem rhythmi regulis utuntur atque jambici. Docuit autem Bentlejus in Schediasmate de metris Terentii p. 18. ed. Amst. p. XX. Lips. ictum metri, accentui verborum contrarium, non nisi in prima ac tertia jambicorum versuum dipodia, saltem apud Terentium, locum habere posse. Quod praeceptum non satis caute et circumspecte propositum esse, jam ostenditur Schopenii in hanc rem monitis in diss. de Terentio et Donato, quae prodiit Bonnae 1821. Is multa attulit ex ipso Terentio exempla, quae regulam a Bentlejo excogitatam satis infringunt. Quibus adde quae diximus nos in libello de Lat. Linguae prosodia vetere in ed. trium Comm. Plauti p. XIV. ubi neque Plautum, et hunc multo etiam minus, hac lege teneri, satis demonstrasse nobis videmur.

Nec tamen plane a veritate alienum est, quod animadvertit Bentlejus. Sane enim non ita saepe inveniuntur versus jambici, in quibus altera dipodia a disyllabo vel trisyllabo, quod propterea ictum versus in ultima habeat, incipiat. Sed inveniuntur tamen; aliquanto autem saepius ejusmodi, in quibus altera dipodia ejusmodi vocabulo finitur, veluti

Plaut. Capt. I., 2, 3. *Sinito ambulare, si foris, si intus volent.*

Mil. Glor. II., 1. 2. *Si ad auscultandum vostra erit benignitas.*

Ibidem II., 1, 24. *Et illa illum contra, qui est amor cultu optumus.*

Trin. III., 3, 35. *Sed vide consilium si placet. Quid consilii est.*

Ibid. III., 3, 65. *Jam si obsignatos non feret, dici hoc potest.*

Ter. Adelph. I., 3, 28. *Faceremus. Et tu illum tuum, si esses homo.*

Sed nihil attinet, in re non dubia exempla colligere. Hujus autem rei, quam recte observasse Bentlejum diximus, caussa non est, quod in disyllabis et trisyllabis vocibus ictus non in ultimam incidere possit, unde ictus metri cum accentibus verborum non concordet. Namque, ut in libello de vetere prosodia p. XIV. dixi, sermo Latinus sonoris gaudet vocabulorum terminationibus, quae vocem pronunciantis in ultimis syllabis immorari invitam cogunt. Quo fit, ut brevis penultima, licet accentu insignita, corripiatur. Ita factum est, ut sequenti tempore, quum accentus in versibus faciendis non tanta amplius haberetur ratio, quanta priscis temporibus, verba disyllaba in fine pentametri nihil haberent offensionis, plus haberent trisyllaba.

Alia est caussa, cur Bentleji praeceptum aliquid veri habere diximus. Ea sita est in caesuris versuum jambicorum et trochaicorum. Etenim quum omnis sermo Romanorum ad trochaicum numerum inclinet, hoc est, quum omnem vocabulorum flectendorum rationem ita conformare amet, ut trochaici numeri quaedam nascatur species; factum est, ut trochaicas caesuras plerumque faciat ac requirat versus et jambicus et trochaicus. Earum praecipua invenitur initio secundae dipodiae, quam dicere licebit trihemimerim. Plaut. Captiv. prol. 1. seqq.

Hos quos videtis | stare captivos duos,
Illi, qui astant, | hi stant ambo, non sedent.
Vos, vos mihi testes | estis, me verum loqui.

Ita enim legendum vel propter hanc ipsam caesurae legem.

Ter. Andr. prol. 2. *Id sibi negoti | credidit solum dari,*
Populo ut placerent, | quas fecisset fabulas.

Apud Horatium haec caesura longe est etiam frequentior.

Epod. I, 1. seqq. *Ibis Liburnis | inter alta navium —*
Paratus omne | Caesaris periculum —
Utrumne jussi | persequemur otium —
An hunc laborem | mente laturi decet —

Id. Epod. II., 1, sqq. *Beatus ille | qui procul negotiis—*
Neque excitatur | classico miles truci—
Forumque vitat | et superba civium—

Quare fit, ut etiam hiatus hoc loco haud raro admittatur.

Plaut. Mil. IV. *Nam quos videre | exoptabam maxime.*

Minus in usu est ea caesura, quae initio quarti pedis locum habet. Sed multa quoque hujus exempla, apud Scenicos maxime.

Plaut. Capt. prol. 51. *Homunculi quanti sunt | quom recogito.*
Ibid. 55. *Nam pertractate facta est | neque item ut ceterae —*
Ibid. 58. *Neque miles gloriosus. | Ne vereamini. —*
Ter. Ad. prol. 3. *Rapere in priorem partem | quam acturi sumus —*
Ibid. 5. *Laudine an vitio duci | factum oporteat.*
Ibid. 24. *In agendo partem ostendent. | Facile aequanimatas —*
Hor. Epod. I., 15. *Roges tuum labore | quid juvem meo.*
Ibid. II., 11. *Aut in reducta valle | mugientium—*
Ibid. II., 19. *Ut gaudet insitiva | decerpens pira.*
Ibid. II., 53. *Non Afra avis descendat | in vestrem meum.*

Rari autem sunt in hac sede apud Scenicos hiatus. — Saepius caesura invenitur initio tertiae dipodiae, quae caesura penthemimeris vocatur.

Plaut. Trin. prol. 2. *Sequor; sed finem fore quem dicam, | nescio.*
Ibid. 11. *Accipite, et date vacivas auris, | dum eloquar.*
Ibid. Acl. I., 2, 10. *O Amice, salve mi, atque aequalis. | Ut vales.*
Ibid. I., 2, 35. *Sive immutare vis ingenium | moribus.*
Ter. Eun. prol. 40. *Amare, odisse, suspicari? | Denique—*
Ibid. I., 1, 8. *Infecta pace ultro ad eam venies, | indicans —*
Hor. Epod. III., 7. *Incoctus herbis me fefellit? | an molas —*
Ibid. 9. *Ut Argonautas praeter omnes, | candidum —*
Ibid. IV., 9. *Quid ut noverca me intueris, | aut uti —.*

Sed parcamus exemplis. In ea sede hiatus apud scenicos frequentissimus.

Plaut. Merc. IV., 45. *Videre, amplecti, osculari,* | *alloqui*; qui versus ob duplicem hiatum legitimum memorabilis. Sed conferatur Lingius in libello de hiatu in vv. Plautt. p. 17.

Redeundum jam est ad stropham Alcaicam. Cujus quum tres priores versus jambicum habeant introitum, sive malis trochaicum cum anacrusi, sequitur, ut hi versus in priore parte ad easdem leges, ad quas versus jambici, exigendi sint. Quare non mirum videbitur, quod Horatius severissimam hanc sibi scripsit legem, ut caesuram illam, quam trihemimerim paullo ante diximus, cujus hoc schema est:

$$\overline{\circ} \mid - \circ - \overline{\circ} \parallel$$

nunquam in duobus prioribus strophae versibus, in tertio autem raro, sed non sine excusatione, neglexerit, secundum igitur jambum raro finem verbi esse voluerit, prorsus autem nunquam versum a duobus vocabulis, quorum unum quodque jambum efficeret, inceperit. Itaque nusquam legas apud Horatium versus ejusmodi, quales in hodiernis carminibus Latinis permultos invenias:

Coeli faces ingensque Titan —
Mundi patris, qui fata hominum regit —;

multo autem minus ter repetito vocabulo jambum conficiente:

Grates genu flexo serenis —;

neque invenias tale quid invenustum:

Hortans et haud paucos videbam;

neque magis:

Moerore enim pulso serenat —

Possem ex paucis, quae nuper ab illustrissimis viris proposita in meas manus venerunt, carminibus, ingentem talium vitiorum messem colligere, si esset opus. Unum addo, quod ab ipso Hermanno erratum video in *carmine saeculari conditae ante ducentos annos Fraternitatis, Lipsiae* a. d. VII. Mart. 1804. edito, si est illud ab Hermanno profectum, quemadmodum ad me perlatum est:

Nondum pedem tardat senectus —
Fratres sibi semper futuri —
Fraternitas, non in secundis —
Et sanctitas rectis virorum —

quorum tamen versuum duo postremi habent aliquid excusationis a vocabulo polysyllabo.

Horum autem omnino nihil Horatius. Nam quae ille habet adversus legem a me jam propositam, excusationem omnia admittunt aliquam. Itaque versus tertio strophae Alcaicae loco positi aut hanc habent mensuram:

⏑̄ | — ⏑ || — — | — ⏑ — ⏑̄

I., 9, 7. *Deprome | quadrimum Sabina;*
caesura post primum trochaeum collocata; aut hanc:

⏑̄ | — ⏑ — — || — ⏑ — ⏑̄

I., 9, 11. *Deproeliantes | nec cupressi*
II., 26, 7. *Gaudes, apricos | necte flores;*
numeris post primam dipodiam incisis; aut hanc:

⏑̄ | — || ⏑ — ⏑̲ | — ⏑̲ — ⏑̄

I., 9, 3. *Silvae | laborantes geluque*
verbo cum primo jambo finiente, sequente tamen vel tetrasyllabo, ut:

I., 16, 27. *Fias recantatis amica*
vel monosyllabo et trisyllabo, ut:

I, 17, 11. *Valles, et Usticae cubantis —*
II., 11, 11. *Vultu; quid aeternis minorem —;*
ubi necesse est, versum vocabulo finiri, quod amphibrachum vel bacchium exhibet.

His legitimis incisionibus adversari videntur tales versus:

I., 26, 11. *Hunc Lesbio sacrare plectro —*
I., 27, 15. *Non erubescendis adurit —*
I., 29, 7. *Puer quis ex aula capillis —*
II., 1, 35. *Non decoloravere caedes —*
III., 1, 19. *Dulcem elaborabunt saporem —*
III., 2, 31. *Raro antecedentem scelestum —*
III., 3, 51. *Quam cogere humanos in usus —*
III., 5, 7. *Pro curia inversique mores —*
III., 6, 35. *Pyrrhumque et ingentem cecidit —*
III., 21, 3. *Seu rixam et insanos amores —*
III., 23, 7. *Robiginem aut dulces alumni —*
III., 26, 7. *Funalia et vectes et arcus —*
III., 29, 59. *Decurrere: et votis pacisci —*

Ex his, praeter quos id genus nulli inveniuntur apud Horatium, primum eximendi sunt illi, in quibus admissa elisione sive potius concretione verbum aliquod una syllaba privatur, quo fit, ut ad alium rhythmum referendi sint, atque is est, quem dempta elisione efficerent. Elisio enim non officit incisioni. Cf. Herm. Elem. doctr. metr. p. 33. Itaque hic versus:

III., 3, 51. *Quam cogere humanos in usus —*

quem habet rhythmum non alius est, quam qui est in hoc:

I., 9, 7. *Deprome quadrimum Sabina* —

Similiter illi: III., 5, 7. *Pro curia inversique mures* —
III., 23, 7. *Robiginem, aut dulces alumni* —
III., 26, 7. *Funalia et vectes et arcus* —
III., 29, 59. *Decurrere; et votis pacisci* —

Neque aliter statuendum de hisce:

III., 6, 35. *Pyrrhumque, et ingentem cecidit* —
III., 21, 3. *Seu rixam et insanos amores* —;

qui non abludunt ab illo:

I., 9, 3. *Silvae laborantes, geluque.* —

Restant tria genera, quorum primum vocem habet pentasyllabam vel hexasyllabam post monosyllabam anacrusin:

I., 27, 15. *Non erubescendis adurit* —
II., 1, 35. *Non decoloravere caedes* —

ad quod genus ii quoque pertinent versus, qui elisionem habent post anacrusin:

III., 1, 19. *Dulcem elaborabunt saporem* —
IV., 2, 31. *Raro antecedentem scelestum* —.

Hoc autem genus omni caret caesura, non sine summo sententiae emolumento. Tanta enim verbo polysyllabo versui additur gravitas, ut caesurae nullus relinquatur locus, quae non nisi infringere pondus ac vim posset sententiae. — Alterum genus est, quod incisionem habet in fine primae dipodiae jambicae, sed verbo tamen trisyllabo post monosyllabam anacrusin ita collocato, ut metri ictus concordet cum accentu verbi:

Hunc Lesbio sacrare plectro —;

cujus generis unum tantum hoc exemplum in omnibus exstat Horatii carminibus; quare improbandum censeam hunc versum maxime, nisi excusationem habeat a nomine proprio. — Tertium denique genus, cujus exemplum legitur I., 29, 7. *Puer quis ex aula capillis* —

plane improbandum esset, ni excusatio accederet a transposito pronomine *quis*, quod sic transpositum cum antecedente vocabulo unam conficit notionem, ita ut *puer quis* quasi pro una voce habendum incisioque ita ponenda sit: *Puer quis || ex aula capillis* —;

quo facto versus non differt a primo legitimae caesurae genere:

Deprome || quadrimum Sabina —

Ex quibus omnibus abunde patet, istorum, quae supra ut vitiosa notavi, plane nihil simile legi apud Horatium, nec posse invenustius atque inelegantius aliquid inveniri hisce et similibus versibus:

Cypris choros ducit, sodales —
Et myrteis sparsis coronis —
Quam legerit cor cum bonis Dis —;

nec magis probanda esse talia:

Pinus Tibi jam tempore ab ultimo —;
Nomen rotis atque aroubis arduis —

a quibus omnibus ut tirones vehementer sibi caveant, etiam atque etiam monitos eos volumus. Nam tametsi Graeci horum nihil evitasse videntur, quod ex paucis illis strophae Alcaicae reliquiis judicari possit, tamen Romanos ejusmodi compositionum genera ex nativa sui sermonis indole vitia duxisse, ex iis, quae supra disputavimus, satis appareat.

LV. *Jo. Fr. Schleusneri* Observationes in *Harpocrationis* Lexicon ed. Blancardi. L. B. 1683.

Pag. 8. *Ἀγορανόμοι — — δεκαπέντε δὲ εἰς ἄστυ.* Ita edidit *Blancardus* ex emendatione *J. Meursii* in *lectt. Atticis* I, 19. p. 38.

P. 11. *Ἀγωνιᾶν, τὸ ἀγωνίζεσθαι. Ἰσοκράτης ἐν τῷ περὶ τῆς ἀντιδόσεως· ἀγωνιῶντες ἀντὶ τοῦ ἀγωνιζόμενοι παρὰ τῷ αὐτῷ, ἐν τῷ πανηγυρικῷ.* Sed *ἀγωνιᾶν* non est in Oratione *περὶ τῆς ἀντιδόσεως*. Forte scripsit *Harpocration: Ἰσοκράτης ἐν τῷ περὶ τῆς ἀντιδόσεως ἀγωνιῶντες ἀντὶ τοῦ ἀγωνιζόμενοι, καὶ παρὰ τῷ αὐτῷ ἐν Πανηγυρικῷ.*

P. 14. *Ἀδύνατοι . . , ἐστὶ δὲ καὶ λόγος τις Λυσίου περὶ τοῦ ἀδυνάτου κ. τ. λ.* Loco *περὶ τοῦ ἀδυνάτου* *Marcklandus* ad *Lysiam* T. V. *Oratt. GG.* ed. *Reiske* p. 741. *ὑπὲρ τοῦ ἀδυνάτου* legendum esse censet, non cogitans, *περὶ* haud raro pro *ὑπὲρ* poni.

P. 15. *Ἀζηνία, δῆμος φυλῆς . . . καὶ ὁ φυλέτης Ἀζηνιεύς.* Annon *δημότης* potius loco *φυλέτης* legendum est?

P. 17. *Ἀινείους. Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους.* Lege: *ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους.* Conf. *Luc. Holsten.* ad *Steph. Byz.* p. 17.

P. 18. *Αἶνος, πόλις τῆς Θράκης — — ἣν πρῶτον Ἕλληνες Ἀλωπεκονήσιοι κατῴκησαν.* Ex *Suida* legere malim: *Ἀλωπεκονησίοις κατῴκισαν.*

P. 18. *Ἀιξωνεῖς — — — ἐκωμῳδοῦντο δὲ εἰς βλασφήμους.* Lege: *ὡς βλάσφημοι.*

P. 27. *Ἀμαζώνειον. Ἰσαῖος. διείλεκται, ἐν τῷ πρὸς Διοκλέα, περὶ τῶν Ἀμαζόνων ἀφιερώσεως Ἀθήνησιν, Ἀμμώνιος κ. τ. λ.* Verba haec videntur hoc modo restituenda: *διείλεκται περὶ τῆς Ἀμαζωνείου ἀφιδρύσεως Ἀθήνησιν Ἀμμώνιος.*

P. 27. *Ἄχρι χωρὶς τοῦ ϛ – – οἷον ἀκριβῶς ἀπέκοψεν.* Postrema haec verba sunt interpretatio verborum praecedentium Homeri *ἄχρις ἀπηλοίησεν*, adeoque ita corrigenda *ἀκριβῶς ἀποκοπῇ*, quod sane facilius.

P. 32. *Ἀμωσγέπως ἀντὶ τοῦ ἐνί γέ τινι τρόπῳ. Λυσίας ἐν τῷ κατ' Ἀριστογόρου ἐνδείξεως, εἰ γνήσιος.* Reponendum sine dubio est *Ἀγοράτου* loco *Ἀριστογόρου*. Respexit enim fortasse ad *Orat. Lysiae contra Agoratum*, qui T. V. *Oratt. Graecc.* p. 450. ed. *Reisk.* reperitur.

P. 38. *Ἀνατεὶ, ἀντὶ ἄνευ ἄτης κ. τ. λ.* Forte legendum: *Ἀνατεὶ καὶ ἀνατὶ, ἄνευ ἄτης κ. τ. λ.*

P. 42. *Ἀνθεμόκριτος – – – τουτέστι, πρὸς ταῖς Θριασίαις πύλαις. Ph. Maussacus* restituendum existimabat *πρὸς ταῖς Θρακίαις πύλαις* ad *portam Thraciam*, et ad loci hujus illustrationem plura pollicitus in vocem *Πύλαι* nihil dicit. Ego veram omnino lectionem censeo *πρὸς ταῖς Θριασίαις πύλαις ad portam Thriasiam. Cf. Meursii Athen. Attic.* III, 12. p. 181. sq.

P. 50. *Ἀπηλοημένος – Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Φαίνιππον.* Lege *Φίλιππον*, non *Φαίνιππον*, ut et in voce *Σημεῖα* depravatum vidi.

P. 50. *Ἀπιξεῖν ἀντὶ τοῦ ἀπειθεῖν – – Ἰσοκράτης ἐν τῇ ἐπιστολῇ τῇ πρὸς Φίλιππον* nempe p. 409, A. ubi nunc quidem legitur *ἠπείθησας*, pro quo autem ex *Harpocratione* restituendum est *ἠπίστησας*, ut jam vidit *Valckenar.* ad *Herodot.* VI, 108.

P. 58. *Ἀποκηρύττοντες – – Πλάτων Πρέσβεσι. Σκεύαρια δὴ κλέψας, ἀπεκήρυξεν. ἐκφέρων ἐπώλησεν.* Sed versus *Comici Platonis* sic scribi debebat: *Σκεύαρια δὴ κλέψας ἀπεκήρυξ' ἐκφέρων.*

3 b. *Ἀπόληξις – – ὃν Πλάτων κωμῳδεῖ ἐν Σοφιστῇ.* Scribo: *ἐν Σοφισταῖς*, ut hoc Drama laudatur a *Schol. Aristoph.* in *Nubes* ac *Vespas* et *Suida* in *Πλάτων Ἀθηναῖος Κωμικός.*

P. 63. *Ἀπὸ τοῦ πράγματος, ἀντὶ τοῦ ἄπωθεν. Δημοσθένης κατ' Ἀνδροτίωνος.* Nihil hic ab ullo fuit annotatum. Error est sive *Harpocrationis*, sive librarii. Non enim in hac leguntur oratione verba, sed in *Orat. κατὰ Τιμοκράτους* p. 442. §. 9. *βούλομαι μικρὰ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν· ἔσται δὲ ταῦτα οὐκ ἀπὸ τοῦ πράγματος.*

P. 68. *Ἀργαῖος – – τὸν Ἀγγέλαον καλοῦσι κ. τ. λ.*

Theopompum *Ἀρχέλεων* scripsisse monstrat *Aldinum ἀγγελέων.*

P. 69. *Ἀργυροθήκη κ. τ. λ.* Verba, quae in fine leguntur *τὰ δὲ ἄλλα μαρτύρια*, *Valesium* in *Not. Mauss.* p. 244. adeo exercuerunt, ut, quid denique constitueret, non repererit. Nos non explicando illustrari, sed emendando sanari debere arbitramur. Repone igitur: *τὰ δὲ ἄλλα καὶ δίθυρα* scilicet *ἐκάλουν Ἀθηναῖοι.* Ita dixit *Harpocratio* et quod verum est, et quod, ne diceret, omnino praetermittere non potuit.

P. 79. *Ἀσπασία, Αυσίας ἐν τῷ πρὸς Αἰσχίνην τὸν Σωκρατικὸν. διαλεγόμενος ἐπιγραφομένῳ Ἀσπασία.* Scribendum *Ἀσπασία. Αυσίας ἐν τῷ πρὸς Αἰσχίνην τὸν Σωκρατικὸν. Αἰσχίνης Σωκρατικὸς ἐν διαλόγῳ ἐπιγραφομένῳ Ἀσπασία*, ut docuit *Aeg. Menagius* in *Diog. Laert.* II. 61 et 63. p. 105 et 106.

P. 87. *Αὐθέντης, ὁ αὐτόχειρ κ. τ. κ.* Vide observata a me ad Suid. T. I. p. 378.

P. 93. *Ἀφ' Ἑστίας – – καὶ ὁρῷ δὲ Λάκων ἐμυεῖτο.* Procul dubio scribendum: *σκαιῷ ῥῷ δὲ Λάκων ἐμυεῖτο. Σκαιὸν ῥῶ* est *Scaeva canina* Plauto, R. nempe litera. Perperam de latratu accipiunt. Dicit itaque *Isaeus*, Atheniensem utique fuisse, qui a Vesta sacrorum initium faceret, cum Laco a litera canina auspicaretur. — Ego vero nunc scribendum arbitror: *πάντως, τῇ Ὀρθίᾳ δὲ Λάκων ἐμυεῖτο* h. e. *Atheniensem* cum plane fuisse intellegitur ex eo, quod contubernalis Deorum consecratus fuit. Nam Spartani Dianae Orthiae initiabantur, nempe cum pueri ad aram Orthiae seu Orthosiae flagellis caedebantur. Cf. *Schol. Luciani* ad vit. Demonactis T. I. p. 44.

P. 109. *Γεωφάνιον, χωρίον, ἐν ᾧ γῆς μέταλλον κ. τ. λ.* Hic locus, ut ex subjecto exemplo *Platonis* apparet, aperte est mutilus, adeoque bene a *Jungermanno* ad *Pollucis Onom.* VII. 99. p. 759. ex *Epitome Harpocrationis Ms. Palat.* restitutus, ubi legitur: *γεωφάνιον χωρίον, ἐν ᾧ μέταλλον· γηπέδου, τὸ χωρίον, ὥσπερ καὶ οἰκόπεδον, τῆς γῆς καὶ οἰκήμασιν ἀπαρτιζόμενον.* Haec itaque de *γηπέδου* ante *Platonis* locum inserenda.

P. 114. *Δαρεικοὶ – – ἐκλήθησαν δὲ Δαρεικοί, οὐχ ὡς οἱ πλεῖστοι – – ἀφ' ἑτέρου βασιλέως.* In eo, quod *Harpocration* tradit, a Dario, non illo Hystaspis filio Xerxisque patre, sed ab antiquiore quodam Daricos primum conflatos et nominatos esse, nihil quidem ab eo dissentit *Schol. Aristoph. Concion.* v. 589. perpetuusque hujus assecla *Suidas.* Sed contrarium ex *Herodoto* docuit *Wesselingius Obss.* II. 22.

P. 120. *Λευσόποιος* - - *καὶ ἀνέκπλυτον ἐχούσης τὸ ἄνθος τῆς βαφῆς.* Lectionem *ἀνέκπλυτον* in editione *Maussaci* contra *Jac. Gronovium* tuetur *Ruhnk.* ad *Timaei Lex.* p. 75 sq.

P. 128. *Διασκευάσασθαι ἀντὶ τοῦ σκευάσασθαι.* E *Suida* et *Ms. Epit.* legendum est *ἀντὶ τοῦ συσκευάσασθαι.*

P. 137. *Ἑβδομευομένου. Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Ἐτεοκλέα. Jungerm.* ad *Polluc.* VII. S. 200. p. 838. suspicatur legendum esse *Αὐτοκλέα* ex *Polluce.* Sed ipse nihil adfirmat.

P. 141. *Ἑκατομβαιὼν - Ὑπερίδης ὁ τοῦ Ἀμφίονός φησιν.* Corrigendum puto. *Ὑπερίδης. ὁ γοῦν Ἀμμώνιός φησιν*, ut *Lamprensis Ammonius* designetur, Nostro citatus in v. *Βωμὸς* et *Ἀμαζόνειον.*

P. 145. *Ἐλεοκόπων. Λυσίας* - - *μήποτε δὲ παρὰ τὸ ἐλεὸν, ὅπερ ἐστιν ἐκτὸς ξύλινον κ. τ. λ.* Quid sibi velit *ἐκτὸς*, prorsus omissum a *Suida*, minime perspicio, nisi quis reponi probet, *ἔρκος*, vel, quod verius existimo, *ὅπερ ἔστι κόρμος ξύλινος.*

P. 151. *Ἐξηγητὴς* - - *ἔστι δὲ καὶ ἃ πρὸς τοὺς κατοιγουμένους νομιζόμενα ἐξηγοῦντο τοῖς δεομένοις.* Loco *ἔστι δὲ Hemsterhusius* legendum censet *ἔτι δὲ καὶ τὰ κ. τ. λ.* Posset et scribi: *ἐστὶ δὲ οὗ καὶ τὰ πρὸς τοὺς κ. νομιζόμενα.*

P. 152. *Ἐξούλης ὄνομα δίκης* - - *ἀπὸ τοῦ ἐξείλλειν ὅ ἐστιν ἐξείργειν κ. τ. λ.* Lege *ἐξιλλειν*, prout et *ἀπίλλειν.* Hesychius: *Ἐξίλλειν, ἀπείργειν, κωλύειν, κτείνειν, ἐκβάλλειν.*

P. 157. *Ἐπιβολὴ, ἡ ζημία* - - *ὡς καὶ παρὰ Λυσίᾳ ἐν τῷ κατὰ τοῦ Νικομαχίδου.* His verbis menda inhaeret, quam elues, si scripseris *κατὰ Νικομάχου. Lysiae Or. contra Nicomachum* etiamnum exstat, et locus, in quem digitum intendit *Harpocratio*, reperitur p. 840 l. 19. ed. *Reiske.*

P. 160. *Ἐπιθέτους ἑορτὰς* - - *ἄλλως δὲ ἐπιψηφισθείσας.* Malim *ἄλλοσθεν ἐπιψηφισθείσας κ. τ. λ.*

P. 164. *Ἐπιορκήσαντα. Λυσίας κ. τ. λ.* Locus *Lysiae* reperitur Tomo V. *Oratt. GG.* ed. *Reiske* p. 359. e quo simul apparet, loco *ὁρκήσαντα*, quod nonnullae editiones habent, scribendum esse *ἐπιορκήσαντα*, ut et habet *Cod. Cantabr.*

P. 168. *Ἐπιτροπὴ, παρατροπὴ. Ὁ δὲ Δείκιος ἐπιχειριζόμενος κ. τ. λ.* Lege: *προχειριζόμενος* et cf. *Polyb.* T. V. p. 62. ed. *Schweigh.*

P. 171. *Ἑρμαῖ* - - - *ὅτε δὲ καὶ Θρακῶν στοά τις ἐλέγετο κ. τ. λ.* Quid huc faciat, *Θρακῶν στοὰ*, de qua haud memini me alibi legere, equidem non intelligo. Certissime legendum est *Ἑρμῶν στοὰ.* Plura de *Hermarum porticu* v. ap. *Meurs. Attic. Lectt.* VI. 18. et *Athen. Att.* I. 3.

P. 176. *Εὐθύναι, Λυσίας ἐν τῷ κατὰ Νικίου, εἰ γνήσιος κ. τ. λ.* Sed dubitandum non est, quin reponi debeat *Εὔθυνοι* vel *Εὐθυνταὶ* et dein *Εὔθυνος* vel *Εὐθυντὴς*, quorum posterius fere praeplacet. Et pari modo in voce *ἰσχυσταὶ* – – *ὅτι διαφέρουσι τῶν εὐθυνῶν* vel accentus ponendus in *εὐθύνων*, vel scribendum *εὐθυντῶν*.

P. 179. *Ἐφορμεῖν, ἀντὶ τοῦ ἐφεδρεύειν. τὸ μὲν γὰρ κατὰ τινῶν ὁρμᾶν, ἐπιτηροῦντας καιρὸν ἐπιθέσεως, οὕτως ἔλεγον.* Locus est corruptus. Nam quis vel tolerabilis hic inest sensus? *κατὰ τινῶν ὁρμᾶν* et tamen *ἐπιτηρεῖν καιρὸν ἐπιθέσεως*. Pejus insuper et geminato errore ap. *Phavorinum ἐφορμᾶν* habetur, cum palam sit, *Harpocrationem* non aliter scripsisse aut scribere potuisse, quam *κατά τινων ὁρμεῖν*. Correctio haec *Abreschii* (*lect. Aristaen.* p.320) *codici Vat.* Nr. 871. innititur, teste *Bastio* in *Epist. Crit.* p. 107.

P. 190. *Θεωρικὰ* – – *Φιλῖνος δὲ ἐν τῇ πρὸς Σοφοκλέους καὶ Εὐριπίδου εἰκόνας περὶ Εὐβούλου λέγων φησὶν.* Ita optime restituit *Maussacus*. *Meursius* reponit *ἐν τῇ πρὸς Αἰσχύλου, καὶ Σοφοκλέους κ. τ. λ.* Sed locum hunc non mutilum esse docuit *Sam. Petitus Comment. in leg. att.* p. 68.

P. 207. *Καρκίνος. Λυσίας κ. τ. λ. Carcini Tragici sententia*, (similis *Euripideae in Bacch.* v. 318.) ita emendatius scribi, suoque modulo illigari potest.

Νοῦ κεῖνος ἐξέστηκε· τὰς γὰρ ἐν φύσει
Ὀρθῶς φρένας παγεῖσας
Οὐδεὶς ἐπαίρει καιρὸς ἐξαμαρτάνειν.

P. 208. *Καταπλὴξ, ὁ συνεχῶς πεπληγμένος. Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Αἰσχίνην τὸ* (lege *τόν*) *Σωκρατικὸν, ἐν τῷ κατ' Ἀνδοκίδου ἀσεβείας.* In edit. *Blancardi* ac *Gronovii* male deest *καὶ* ante *ἐν τῷ κατ' Ἀνδοκίδου ἀσεβείας*.

P. 219. *Κολωνίτας. Ὑπερίδης* – – *καὶ τὸ Εὐρυσάκειον ἐστι Ποσειδῶνος ἱερὸν κ. τ. λ. Rhodiginus* XXI. *Antiqu.* 21. non immerito dubitat, ne quid mendi insit hic *Harpocrationi* dicenti *Eurysacium esse Neptuni templum, quum id potius Ajacis sit.* Et ita est sane, *Harpocratioque* et *Suidas* id in *Εὐρυσάκης* et *Εὐρυσάκειον* dicunt. *Jungerm.* ad *Polluc.* VII. s. 133. p. 782, locum *Harpocrationis* non tam mendosum quam mutilum judicans, eum ex Epit. *Ms. Palat.* et *Suida* ita supplet: *Ἡφαιστεῖον καὶ τὸ Εὐρυσάκιόν ἐστιν. ἐκαλεῖτο δὲ καὶ ὁ κολωνὸς οὗτος ἀγοραῖος, ἦν δὲ καὶ ἕτερος κολωνὸς πρὸς τὸ τοῦ Ποσειδῶνος ἱερόν.*

P. 223. *Κύθνιοι* – – *ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Κυθνίων*

πολιτείᾳ. Lege *Κυθνέων*. Cl. *Steph. Byz.* s. v. *Κύθνος* et ibi Intpp.

P. 225. *Κυρεῖον, Ἰσοκράτης Πανηγυρικῷ. Κυρεῖον στράτευμα. κ. τ. λ.* Idem etiam *Suidas*. Vox *Κυρεῖον* reperitur quidem apud *Xenophontem*, non autem apud *Isocratem* in *Panegyrico*. Locum, ubi legenda esset, habemus p. 70. D., sed ibi legitur *τοῦ Κύρου στρατοπέδῳ χρώμενος*. A verosimilitudine autem non abhorret, *Isocratem* pro *τοῦ Κύρου* scripsisse *τῷ Κυρείῳ*, ut jam vidit *Morus* in sec. ed. p. 83.

P. 225. *Κυρία ἐκκλησία κ. τ. λ.* Sub hac voce pariter ac infra s. v. *ὀσχοφόροι* laudatur *Hyperidis orationum* una inscripta *κατὰ Δημέου*. Ita recte, non autem *Δημαίου*, ut vulgo editum est, satis docuit *Meursius* in *lectt. Atticis* l. 5. — Paulo post in fragmento *Aristotelis* pro *προσγράφουσι* scribendum videtur *προγράφουσι*, ut et legisse videtur *Sigonius* (II. *de rep. Athen.* c. 4.) *proscribunt* interpretando.

P. 229. *Λευκὰς - - διείληπται δὲ περὶ τῆς Ἀττικῆς ἀκριβέστερον κ. τ. λ.* Male hic *Ἀττικῆς* pro *Ἀκτιακῆς* legitur. Strabo enim Atticam lib. IX. describit, *Leucadem* vero, cum reliqua ora Atticae lib. X, quem *Harpocration* recte laudat.

P. 238. *Μασσαλία - - ὑπὸ Φωκαίων ᾤκιστο, κ. τ. λ.* Ex Ms. Vatic. pro *Φωκαίων* rescribe *Φωκαέων*, ut legitur ap. *Steph. Byz.* s. h. v.

P. 243. *Μετοίκιον - - οἱ μέντοι μὴ τιθέντες τὸ μετοίκιον, ἀπήγοντο πρὸς τοὺς πωλητάς.* Sic recte edidit *Blancardus*. In antiquioribus editionibus legebatur *πολίτας*. Erat Athenis *Πωληταὶ* certus magistratus, quorum munus ipsum nomen loquitur. V. *Polluc.* VIII, c. 9. *Hesych. Suid., Etymol. M.* et *Harpocrat.* s. v. *Πωληταὶ*.

P. 244. *Μεῖον καὶ Μειαγωγὸν - - περὶ δὲ τοῦ Μειαγωγοῦ Εὔπολις ἐν Δήμοις - - - τοιγαροῦν οὐδεὶς κ. τ. λ.* Hos versus *Eupolidis*, prout eos in sua editione exhibuit *Maussacus*, olim non bene conceptos, jam ante eum restituit *J. Meursius* in *Graec. Feriata* I. p. 39. In antecedentibus pro *ἐπισκόπτοντες μετὰ παιδιᾶς πάντα, τὸν εἰσάγοντα μεῖον ἔφασαν εἰσάγειν* sine dubio legendum est: *Ἐπισκώπτοντες μετὰ παιδιᾶς πάντα τὸν εἰσάγοντα, Μεῖον ἐ. ἐ.*

P. 245. *Μόρων - - φησὶ δὲ ὡς εἰσὶ μοῖραν πέντε.* Sic recte edidit *Maussacus* pro eo, quod in codice Vaticano erat, *μοῖραι σι*, ita enim scripsisse *Aristotelem* fidem nobis in *λόχοι* facit *Hesychius*. *Πέντε γάρ εἰσιν* (*οἱ λόχοι*) *ὥς φησιν Ἀριστοτέλης.*

P. 246. *Μουσαῖος - - ὅτι μὲν ὁ κρινόμενος ἐπετήδευσε*

τοὺς οἰκέτας οὕτω καλεῖν δῆλον. *Codex Vaticanus.* n. 375. habet τοῦτο καλεῖν δῆλον teste *Bastio* in *Epist. Crit.* p. 37. Τοῦτο saepius hunc sensum obtinet. V. e. c. *Schaef.* ad *Longum.* p. 369.

P. 256. Ξενίζειν -- τἄλλα δ' ἂν εἴη μᾶλλον τὸ ἐν τῇ ξένῃ διατρίβειν. Lege τάχα loco τἄλλα.

P. 257. Ξυστὶς -- καὶ Ἀντιφάνης ἐν Εὐπλοίᾳ,

---- ὥσπερ ξυστίδα,

Ἔνδυμα τῷ ποικίλον ἠμφιεσμένῳ.

Locus hic *Antiphanis Comici* ita corrigendus et numeris suis restituendus est:

----- ὥσπερ ξυστίδα,

Τὸ ποικίλον μὲν ἔνδυμ' ἠμφιεσμένῳ.

P. 267. Ὅσιον -- ὅ, τε Ἰσοκράτης Ἀρεοπαγιτικῷ, καὶ τοῖς ἱεροῖς καὶ τοῖς ὁσίοις. Est egregia lectio, quam et hinc descriptam habes apud *Suidam.* Male itaque *Stephanus* in ed. *Isocr.* p. 153. B. pro τοῖς ὁσίοις edidit ταῖς θυσίαις, quibus certe ibi non est locus. Cf. *Valcken.* ad *Herodot.* p. 442. 12. et *Jac. de Rhoer.* ad *Porphyr. de abst.* p. 150.

P. 268. Ὅτι ἑξακισχίλια κ. τ. λ. Male in verbis *Demosthenis*, quae in sequentibus profert, editum est a *Maussaco* ὀκτακισχίλια pro ἑξακισχίλια. Restitue itaque.

P. 281. Παράστασις -- Μένανδρος Μισογύνῃ,

--- ἔλκει δὲ γραμματίδιον

Ἐκεῖσε δίθυρον, καὶ παράστασις μία

Δραχμὴ ---

Leviter corrupta sunt haec Menandri verba, quae, ut puto, dicuntur adversus τὸν Μισογύνην, qui huic fabulae nomen dedit, sive ab ejus uxore, sive a quopiam alio objiciente illi τὸ φιλοδικαστικόν. Rescribo:

ἕλκει δὲ γράμμα τ' ἴδιον ἐκεῖ σε δίθυρον,

καὶ παράστασις μία.

Distinxi vocem γραμματίδιον in has γράμμα τ' ἴδιον, nam κατὰ γράμματα judices sua sortiebantur δικαστήρια, in quibus judicia reddebant. Epitheton vero hoc δίθυρον, literam designavit, secundum quam τὸ δικαστήριον erat sortitus. Expunxi praeterea vocem δραχμὴ; glossema quippe fuit vocis Παράστασις.

P. 283. Παρουσία ἀντὶ τοῦ περιουσία -- καὶ Κράτης Θηρίοις.

Ἔχοντες εὐπαθῆ βίον, παρουσίαν

Τε χρημάτων.

Hi versus sunt potius ita distinguendi:

--- ἔχοντες εὐπαθῆ βίον

Παρουσίαν τε χρημάτων.

P. 287. *Περίοδος - - - καὶ γὰρ ἐπὶ τούτων οἱ κάμνοντες.* Forte: *ἀπὸ τούτων οἱ κάμνοντες.*

P. 289. *Περίστατοι. Ἰσοκράτης περὶ τῆς ἀντιδόσεως.* Nihil quicquam hic Interpretes, silet ipse *H. Valesius.* Neque adeo hoc mirum: quae enim laudat verba *Harpocration*, in oratione de *permutatione* non reperiuntur, neque etiam vocabulum illud in *Archidamo.* Fortasse respexit locum p. 135. i. ubi legitur: *ἀντὶ δὲ τοῦ περιόπτους ὑπὸ πάντων δι' ἀρετὴν εἶναι, περιβλέπτους ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἐπὶ κακίᾳ γενησομένους* atque in suo *Isocrate* vel pro *περιόπτους* vel pro *περιβλέπτους* legit *περιστάτους.* Cf. *Segaar. Spec. Obss. Critt.* in *Isocr.* T. I. *Act. Liter. Rheno-Traject.* p. 74 et 79. Idem verba, quae in antecedentibus ex *Isocrate* ab *Harpocratione* laudantur, suspicatur olim lecta fuisse in *Orat. de pace* p. 185. C. sic, ut pro *καὶ ταῖς ἄλλαις συκοφαντίαις ταῖς δι' αὐτῶν γιγνομέναις* legerit: *καὶ ταῖς θαυματοποιΐαις ταῖς οὐδὲν ὠφελούσαις.*

P. 289. *Περίπολος - - - καίπερ πάντων τῶν ἐφήβων ἐξ ἀνάγκης περιπολούντων.* Haec non integra esse, verba sequentia satis docent. Post *ἐξ ἀνάγκης* supplendum est *διὰ ἔτους* vel *ἕνα ἐνιαυτόν* vel tale quid.

P. 294. *Πολύγνωτος - - - ἤτοι ἐπεὶ τὴν Ποικίλην στοὰν ἀνέγραψε πρῶτα.* Loco *ἀνέγραψε* scribendum *ἔγραψε.* Illud *ἀν* ex antecedente voce adhaeret. *Plin. H. N.* XXV. c. 8. de eodem: *Athenis*, ait, *porticum, quae Poecile vocatur, gratuito pinxit.* — In sequentibus pro *τὰς ἐν τῷ Θησαυρῷ* forte legendum est *τὰς ἐν τῷ Θησείῳ.*

P. 314. *Σίφνα - - ἐν ἐνίοις μέντοι χωρὶς τοῦ ι γράφεται Σίφνα.* Apud *Phavorinum*, qui totum locum *Harpocrationis* descripsit, legitur *Σίφνα.* quam lectionem veram existimat *Holsten.* ad *Steph. Byz.* p. 296.

P. 315. *Σηκὸς. ἐπιγράφεταί τις λόγος Λυσίου ἡ τῆς εὐσεβείας ὑπὲρ τοῦ Σηκοῦ ἀπολογία.* Hunc locum, quem *Blancardus, Gronovius, Valesiusque* frustra tentarunt, e *Cod. Msto Cantabr.* sic restituit *Tayl. ad Lys.* T. V. *Oratt. Gr.* ed. *Reisk.* p. 258. *ἐν τῇ τῆς εὐσεβείας περὶ τοῦ Σηκοῦ ἀπολογίᾳ.*

P. 318. *Σῖτος - - ὡς ἐξ ἄλλου μαθεῖν ἐστι, καὶ ἐκ τοῦ Σόλωνος πρώτου, ἐν τῷ κάτω τοῦ ἄξονος κ. τ. λ.* Cf. *Sam. Petitum* in *leg. att.* p. 105. sq. qui suspicatur, apud *Harpocrationem* rescribendum esse *ὡς ἐξ ἄλλου μαθεῖν ἐστιν, καὶ ἐν τῷ ἐκ τοῦ Σόλωνος πρῶτον κ. ά τοῦ Ἄξονος.*

P. 319. *Σκαφηφόροι - - διείλεκται περὶ τούτων καὶ Θεόφραστος ἐν τῷ δεκάτῳ τῶν νόμων.* Corruptus est numerus libri *Theophrasti:* Scripserat *Theophrastus* legum libros

viginti quatuor, ordine alphabetico, ut narrat *Diogenes*. *Νόμων κατὰ στοιχεῖον κ. δ.* Jam vero *στοιχείῳ* sive literae M assignatae sunt leges illae, quae leguntur *περὶ Μετοίκων*. Duodecimus igitur liber sive *τὸ* M erat, reponendumque est apud *Harpocrationem ἐν δωδεκάτῳ τῶν Νόμων*: nam *Μέτοικοι*, de quibus agitur, primam literam habent M.

P. 821. *Σκυθικαὶ - - - καὶ Ἀλκαῖος ἐν πεντηκοστῇ ὀγδόῃ.* Immo lege: *ἐν πεντηκοστῇ* (sc. *ᾠδῇ τοῦ*) *ὀγδόῃ* scil. *βιβλίου*.

P. 821. *Στασιώτης - - ὃ στασιώτης ἦν ἐγὼ.* *Valesius* corrigit *ᾧ* vel *οὗ στασιώτης ἦν ἐγώ*. Malim *ὅτι στασιώτης ἦν ἐγὼ*.

P. 824. *Στροφάδες νῆσοι κ. τ. λ.* Sine dubio e *Steph. Byz.* s. v. *Στροφάδες*, legendum est *Στροφάδες*. Cf. quoque *Schol.* ad *Apoll. Rhod.* II. v. 297.

P. 828. *Σύνταξις - - ἔλεγε δὲ ἑκάστους φόρους συντάξεις.* Haec verba absque omni controversia ita corrigi debent: *ἔλεγον δὲ καὶ τοὺς φόρους συντάξεις*. Atque sic scribendum etiam ap. *Etymol.* et *Suidam*

P. 832. *Τὸπεῖον - - Στράττις Μακεδόσι. Τὸν πέπλον δὲ - - εἰς ἄκρον.* Lege *ἄκραν*.

P. 833. *Τραπεζοφόρος - - ὅτι ἱερείας ὄνομά ἐστιν ἡ Τραπεζοφόρος. ὅτι αὐτή τε καὶ ἡ κοσμοῦσα συνδιέπουσι πάντα τὰ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερά.* Hunc locum olim admodum depravatum recte restituit *Blancardus* in sua editione. Pro *ἱερά* vulgares editiones ipseque *H. Stephanus* (*Thes. l. Gr.* T. III. p. 120.) *ἱερεῖα* scripserunt, minus apte, quanquam *Jac. Gronovius* (*not. ad Harpocr.* p. 124.) id praeferat. Lectionem *ἱερὰ* tuetur quoque *Meursius Lectt. Attic.* IV. 11. — Loco *ἱερείας*, quod tentavit *L. Küsterus* (ad *Suid.* T. III. p. 497.) in prioribus editionibus erat *Ἱερασύνης*, quod plane sensum turbat. Quae quidem correctio, quidquid contra dicat *Gronovius*, nobis non spernenda videtur. Sed tamen illud *Ἱερασύνης* longius protractum longioris vocis vestigia monstrat. Scribendum ergo, opinor, *ἱερείας τινὸς*. idque ex *Hesychio*, qui habet: *Τραπεζῶ, ἱερεία τις Ἀθηνῆσιν. Τραπεζῶ* autem, mendose *Τραπεζὼν*, eadem est dicta, quae *Τραπεζοφόρος*, quod jam vidit *Meursius*.

P. 833. *Τοὺς ἑτέρους Τραγῳδοὺς ἀγωνιεῖται, Λυκοῦργος ἐν τῷ πρὸς Δημάδην, καὶ Δίδυμος. παροιμία ἐστὶν κ. τ. λ.* *Medic. Codex* habet: *ἐν τῷ πρὸς Δημάδην. Δίδυμος φησὶ ὅτι παροιμία ἐστι κ. τ. λ.* Hoc autem probes, an *Suidae* *ὡς Δίδυμος φησι*, nihil interest. — In sequentibus loco *ἐπὶ τῶν ἁρμοζομένων καὶ σεμνοποιούντων ἑαυτοὺς πρὸς ἐνάντια* legendum est *ἐπὶ τῶν ἁρμοζομένων πρὸς τὰ ἐπιόντα καὶ σε-*

ποιούντων ἑαυτοὺς h. e. *Aliis Tragoedis vel ludis tragicis decertabit. Lycurgus oratione contra Demadem. Proverbium auctore Didymo ad eos spectat, qui sese comparant ad res venturas suscipiendas, et largis promissis magnificos se faciunt.*

P. 334. *Τριακὰς, ἡ τριακοστὴ τοῦ μηνός. τοῖς τετελευτήκασι ἤγετο ἡ τριακατὴ ἡμέρα διὰ θανάτου.* Loco *διὰ θανάτου* scribe *διὰ τὴν Ἑκάτην. Τριακάδες* enim fuerunt Hecatae, Diis inferis et manibus, qui tum propitiabantur, sacrae. *Append. Proverb. Vat.* c. IV. n. 16. *Phavorinus* pro *διὰ θανάτου* habet *ἡ διὰ θανάτου* — Loco *τριακατὴ* legendum *τριακοστὴ*. Certe in MS. epit. *Harpocrationis* legitur per notam *ἡ λ. ἡμέρα*, quod profecto est *τριακοστὴ ἡμέρα*. Emendandum vero et illud *τριάδα* in sequentibus et scribendum *τριακάδα* ex MS. epitoma *Harpocrat.* et *Suida.*

P. 334. *Τρικέφαλος ὁ Ἑρμῆς - - - ποῦ μὲν αὕτη φέρει ὁδὸς, ποῦ δὲ ἐκείνη.* Lege: *ποῖ — ποῖ.* — In fine post *τρικεφάλου Ἑρμοῦ* cod. *Vat.* n. 871. teste *Bastio* (in *Epist. crit.* p. 92.) habet: *τοῦτον δὲ φησὶ Φιλόχορος ἐν γ' Ἐυκλείην ἀναθεῖναι Ἀγκύλῃσιν.* Ultima voce carent editiones typis impressae. Sed cf. notam *Gronovii* p. 124. et *Wytenb. bibl. crit.* V. III. P. 3. p. 86.

P. 337. *Ὑπερήμεροι. οἱ δίκην ὀφείλοντες ὑποιανοῦν.* E MS. *ὄφλοντες* pro *ὀφείλοντες* recipiendum est.

Ibid. *Ὑποκύδεις γὰρ εἰσὶν οἱ τόποι κ. τ. λ.* In *Euphronis fragmento Οἴων τ' εἰαμενῆς ὑποκύδεις* legendum est: *οἷον τ' εἰαμενῆς ὑποκύδερς.*

P. 340. *Φασκώλιον, ἱματίων φορεῖον. Φάσκωλον δὲ πήρα ἣν οὕτως ἐκαλεῖτο παρ' αὐτοῖς.* Quid si legamus: *Φάσκωλον, ἱματίων φορεῖον* (vel *ἱματιοφορεῖον*) *φασκώλιον δὲ πήρα τις κ. τ. λ.*? Hac lectione recepta *Harpocrationi* cum ceteris Grammaticis conveniet, ac emendatio proposita ex ipsis *Lysiae* verbis colligitur, quae sequuntur. Cf. *Villier.* ad *Thom. Mag.* p. 886.

LVI. *Fr. Tr. Friedemanno* Collegae suo amicissimo *C. M. Marx* S. D.

Quae a me petiisti, si quae haberem, additamenta ad Ephori reliquias, lubenter nunc Tibi transmitto. Pauca sunt et fortasse levia. Sed optime scis, me, ex quo Fragmenta illa edidi, juvenis adhuc, viginti vix annos natus, paene continuo ad alias occupationes, quae ab antiquitatis commercio longissime absunt, Physices scilicet, Chemiae et Mineralogiae, transiisse; non quod litterarum et humanitatis, uti vocant, studiorum me pigeret, sed quod interno quodam instinctu ad perscrutandos ipsius Naturae limpidos fontes me concitatum sentirem. Subsecivas igitur solum horas pristinis deliciis impendi, et hinc inde etiam aliquos otii fructus, ut Dicaearchi libellum de Vita Graeciae, et commentationem de Mythis Platonis in lucem emisi, inprimis vero sicubi ad Ephorum aut supplendum aut illustrandum quaedam reperire mihi visus sum, ad marginem libri mei adnotavi. Iis adnotationibus, qualescunque sunt, utere, si potes, mihique, ut facis, fave.

I. Fragmenta omissa.

1) *Ephorus* de Nausicaa et ejus bona indole apud Eustath. ad Od. VI. 149. 599. 249. p. 254. l. 36. ed. Basil. (Locum, quem *Creuzero* debeo, nunc inspicere non possum, nec definire, ubi in fragmentorum serie inserendus sit.)

2) Athenaeus VI. p. 264. *Ὁ Ἔφορος δ' ἐν τῇ ιστοριῶν, Κλάρωτάς, φησι, Κρῆτες καλοῦσι τοὺς δούλους* l. Cl. Ruhnken. ad Tim. p. 213. Pertinet ad pag. 135. post Fr. 32.

3) Plutarchus Alcib. p. 209. C. Quod Samius Duris Alcibiadem narrasset scenico ornatu Athenas venisse — *οὔτε Θεόπομπος, οὔτε Εὔφορος* (sic) *οὔτε Ξενοφῶν γέγραφε*. Pertinet fortasse ante Fr. 125. p. 235.

4) Diogenes Laert. II. 54. *Ὁ δὲ Γρύλλος τεταγμένος κατὰ τοὺς ἱππέας (ἦν δὲ ἡ μάχη περὶ Μαντίνειαν) ἰσχυρὸς ἀγωνισάμενος ἐτελεύτησεν, ὡς Ἔφορος ἐν τῇ πέμπτῃ καὶ εἰκοστῇ λ.* Locum indicavit *Wyttenbachius* in Philomathia, ubi censuram libri mei perhumaniter egit. Pertinet post Fr. 146. p. 253.

5) Ephorus de Pythea, si fidem habemus *Uckerto* (Hist. Geogr. II. p. 299.), qui testem laudat Cosmam P

116. Quod si verum esset, non recte de Pythea dixi p. 147. Sed error est vix excusandus Uckerti. Cosmas enim (non p. 116. sed p. 148.) post allatum Ephori locum, (quem p. 139. exposui) alium affert ex Pythea ἐκ τοῦ περὶ τοῦ Ὠκεανοῦ.

II. Animadversiones.

Ad p. 11. quod Graeci in nepote avi nomen repetebant: Herodot. VI. 131. ἔχων τὸ ὄνομα ἀπὸ τοῦ μητροπάτορος. Thucyd. VI. 54. τοῦ πάππου ἔχων τοὔνομα.

Ad p. 14. Quod Isocrates discipulis suis singulis mensibus coronam praemio proponebat, cf. Isocrat. Orat. Περὶ Ἀντιδόσ. p. 46. ed. Orell.

Ad p. 25. Veteres adnotabant, in quibus scriptoribus praefamem operi vel ejus singulis partibus praemissum esset. Sic de Xenophontis Anabasi Diogenes Laert. II. 56. — ἧς κατὰ βιβλίον μὲν ἐποίησε προοίμιον, ὅλης δ' οὔ.

Ad p. 30. De inimicitiis inter Aristotelis et Isocratis sectatores cf. *H. Valesii* Notas in Mauss. nott. ad Harpocr. p. 248.

Ad p. 38. Quod Isocratis discipuli integros quoque locos ex ejus scriptis desumebant, cf. Orell. ad Isocr. orat. π. Ἀντιδ. p. 248.

Ad p. 64. De Ephori ratione in adhibendis et tractandis fontibus sagax observatio est *Niebuhrii* in Hist. Rom. I. p. 174.

Ad p. 66. Reprehensio Strabonis in Hellanicum (X. p. 693): Ἑλλάνικος δὲ οὐδὲ τὴν περὶ ταύτην ἱστορίαν οἶδε ab Ephoro fluxisse videtur.

Ad p. 76. lin. 8 — 13. Haec citata, non indicato fonte, omnia et integra hinc desumsit Uckert. Hist. Geogr. II. p. 72.

Ad p. 95. Post Fr. 9. ponendus erat Ephori locus, ut peculiare fragmentum, de Troja capta ex Plutarchi Camillo, cap. 19, quem p. 81. tetigi.

Ad p. 104. lin. 4 infra. Huc pertinet Aristid. T. III. p. 353. ed. Canter. — ἀπὸ τοῦ Ἴλου πρὸς τὸ Ἴλιον περαιωθέντες.

Ad p. 120. Κελαινῶν in Phrygia tamen hic meminit *Kanne*, Urkunde p. 58.

Ad p. 124. De Acheloo insignis locus extat ap. Schol. Viet. Iliad. XXIV. 616.

Ad p. 143. Fr. 39. Apud Aeschylum, Eumenid. vs. 77. περίῤῥυται πόλεις sine dubio insulae sunt.

Ad p. 175. f. Tamen (Plutarchus) de Educat. lib.

cap. 13. Cretensium *ἁρπαγμὸν φευκτέον* dicit, et Plato Legg. VII. p. 836. aliud de Cretensium amore judicare videtur.

Ib. 9. lin. 3. infr. Apud Plutarch. Fab. Max. p. 3. dictatura vocatur *ἀνυπεύθυνος μοναρχία.*

Ad p. 217. De voce aegyptia etiam agit Zablonsk. Opp. I. p. 217. cf. Mithridat. Adelung-Vater. T. III. 1. p. 81. not.

Ad p. 220. lin. 8. inepta observatio evanescit, si legimus: *εἰκὸς δὲ τὸν Ἔφορον ἐν ταῖς ἱστορίαις ἐντυχόντα τῷ Πινδάρῳ. λ.*

Ad p. 225. Harpocrat. v. *Ἀσπάσια* in eadem re Duridem citat, et *Θεόφραστον ἐν δ' τῶν πολιτικῶν.* Anne hunc et Plutarchus voluit?

Ad p. 232. ante Fr. 121. Ephori probabiliter est descriptio pestis apud Diodor. XII. 45, quam *Gillies* (Hist. of. a. Gr. II. p. 359. nr. 22.) widely from Thucyd. et Lucret. distare ait; „probably having copied from Ephorus and Theopompus.

Ad p. 262. Fr. 161. Doctus censor Fragmentorum Euphorionis a Meineke editorum (Hall. allg. Litt. Zeit. Febr. 1824. p. 841.) me ob hoc fragmentum Ephoro adscriptum et huc positum erroris incusat: „er beging den Fehler, sie für den Ephoros festzuhalten, und sie den *Εὑρήμασι* desselben Historikers einzuverleiben, wozu weder ein äusserer noch innerer Grund vorhanden." Vellem cautius pronuntiasset; diserta veterum testimonia, vox *ἐξηυρέθη*, et inventio terrae Samiae, quae Veteribus magni momenti erat (v. Boeckhii comm. de Fodinis ad Laureum, qui, si recte memini, et nostro loco utitur) gravissimae causae sunt, ut locum in Ephori inventionibus collocemus; ut contra Euphorioni adscribamus, ut censor vult, vix ulla probabilis ratio inveniri potest.

Ad p. 265. Si utriusque vocis (*εὔρυθμος* et *ἐῤῥύθμος*) discrimen, quod Gesner. ad Quintil. p. 468. prodit, sequamur, in Theone bis scribendum esset *ἐῤῥύθμος*; sed Dionysius de Comp. V. p. 28. 40 Sylb. ait: *εὔρυθμος μέν ἐστιν, ἐπεὶ πεποίκιλται τισὶ ῥυθμοῖς, οὐκ ἐῤῥύθμος δὲ, ἐπεὶ οὐχὶ τοῖς αὐτοῖς, οὐδὲ κατὰ τὸ αὐτό.*

LVII. *Simonidis* fragmenta duo emendata a *G. Burges* *).

Inter *Simonidis* Lyrici fragmenta duo sunt, quorum neque sensum neque metrum satis bene Viri Docti perspexerunt. En utrumque numeris omnibus absolutum. Prius exstat apud Diodor. Sicul. XI. 11. ita legendum:

Τῶν ἐν Θερμοπύλ-
ῃσι θανόντων
εὐκλεὴς μὲν ἁ τύχ-
α, καλὸς δ' ὁ πότμος,
βῶμος δ' ὁ τάφος, πρὸ χοῶν δ'
ἁ μνᾶστις, ὁ δ' οἶκτος ἔπαιν-
ος· στέφανον δὲ τοιοῦτον οὔτ' εὐρὼς
οὐ πάντων δαμάτωρ ἀμαυρώσει
χρόνος ἀνέρων ἀγαθῶν.
ὁ δὲ σηκὸς οἰκέτιν Εὐ-
δοξίαν Ἑλληνίδ'
εἶχε· τοῦτο μαρτυρ-
εῖ Λεωνίδας
ὁ Σπάρτας βασιλ-
εύς, ἀρετᾶς μέγαν λελοιπὼς
κόσμον ἀέναον κλέος τε.

Tunc tandem metri ratio, diu nimis celata, se prodit. De versuum pari satis dictum est in Commentariis de Aeschyli, Euripidis Aristophanisque Monostrophicis quae in *Classic. Journal* saepe tractavi. Quod ad sententiam, πρὸ χοῶν vice *προγονων* conjecit Hermann, de metr. p. 14. ed. I. idemque vere proxime *οἰκητην* pro *οικετην* in libell. de Graec. Gr. Emend. Rat. 214. ubi lingua postulat οἰκέτιν foemininum. At *πρὸ γοών* Eichstaedt. in Nov. Act. Societ. Lat. Jenens. I. p. 198. Mox vice *οἶτος* dedi *οἶκτος*. v. 7. Vulgo *ενταφιον δε*. Ipse dedi *στέφανον*. Opportune contulit Wesselingius Polyb. XV. 10. *οἱ μὲν ἀποθανόντες γενναῖως ἐν τῇ μάχῃ κάλλιστον ἐντάφιον ἔχουσιν τὸν ὑπὲρ πατρίδος θάνατον*. Verum ibi quoque, collato Eurip. Tro. 1008. *Φεύγειν μὲν οὖν χρὴ πόλεμον ὅστις εὖ φρονεῖ, Εἰ δ' ἐς δ' ἔλθοι, στέφανος οὐκ αἰσχρὸς πόλει, Καλῶς ὀλέσθαι, μὴ κακῶς δέ, δυσκλεής*, legi debet *κάλλιστον στέφανον ἔχουσιν*:

---

*) *The Classic. Journal.* Dec. 1820. Nr. XLIV. p. 338 — 41.

quocum compara Eurip. Suppl. 315. *στέφανον εὐκλείας λαβεῖν*, et magis apposite Antiop. Fragm. IV. 4. *Κάλλιστον ἔξεις στέφανον εὐκλείας ἀεί.* V. 8. Huc respexit Ovid. Metam. *Tempus edax rerum*, et rursus *edax abolere vetustas.* Reposui igitur *πάντων δαμάτωρ* vice *πανδαματωρ.* V. 9. *ἀνέρων* primam producit. V. 11. Vulgo *Ἑλλάδος.* At MSS. procul dubio exhibent *Ἑλλάδ'.* Vid. Gaisford. ad Hesiod. *Ἔργ.* 184. et mea ad Tro. 612: quibus adde Androm. 843. Lasc. Prom. 471. Robortell. Oed. T. 991. Ald. ubi variatur inter *φίλος* et *φίλ':* *πρῶτος* et *πρῶτ':* *ἄξιος* et *ἄξι'.* V. 12. Ex *ειλατο* erui *εἶχε τοῦτο.* V. 13. *Λεωνίδας* ultimam corripit inter Lyrica. V. 16. Vulgo *τε κλέος.*

Nihil ad hoc fragmentum sive emendandum sive intelligendum de suo penu protulit Gaisfordius: neque plus fecit in altero carmine, ita legendo, (VII.)

θέτο λάρναξ ἐς δαιδάλαν·
ἄνεμος μέμηνεν πνέων
κινηθεῖσά τε λίμνα
δίναις, ἔκπεσε δ' ἦτορ.
οὐδ' ἀδιάντα σὺν παρηΐσιν
ἀμφίβαλεν Περσεῖ φίλας χέρας,
εἶπέν τ', ὦ τέκος
οἷον ἔχω πόνον·
σὺ δ' ἀωτεῖς,
γαλαθηνῷ τ'
εἴδει κνώσ-
σεις ἐν ἀτερπ-
εῖ δόμῳ καὶ χαλκογόμφῳ,
νυκτιλαμπεῖ κυανέῳ τε
δνόφῳ· τὺ δ' ἀελλάων
ὕπερθε τέαν κόμαν
ῥοδίῳ γᾶν
περιόντος
κύματος οὐκ ἀλέγεις,
οὐδ' ἀνέμου φθόγγων,
πορφυρέᾳ
κείμενος ἐν
χλανίδι, πρόσοπον
καλόν· εἰ δέ τῳ δειν-
ὸν, τόδε δεινὸν ἦν· κεῖ τι σ' ἐμῶν ῥημάτων
λεπτὸν ἔτ' ἴκ' ἐς οὖας, κελομ', εὖδ', ὦ βρέφος·
εὐδέτω δὲ πόντος· ἀλλ'
εὖδ' ἔτ' οὐ ματρὸς κακόν·
μεταβουλία δέ τις, Ζεῦ
πάτερ, ἐκ σέθεν φανείη·

τόδε θαρσαλεον
ἔπος εὐχόμεθα·
τεκνόφι δικάστης
γενοῦ θεός μοι.

V. 1. 2. Ald. *οτε λαροακι εν δαιδαλαια ανεμος τ' εμη·* At MSS. 2. *τε μην.* Inde erui *θέτο – μέμηνεν.* Certe illud *θέτο* plane postulat sententiae nexus. Nisi quis censeat verbum tale infer priora Lyrici verba fuisse scriptum, sicut et nomen Danaë; et legi debere hic *τότε.* V. 4. Vulgo *δειματι ηρπεν.* MSS. *ερπεν.* Inde efleci *δίναις, ἔκπεσε δ' ἦτορ.* Hesych. *Δίνη· συστροφὴ ὑδάτων.* Cum *ἔκπεσεν ἦτορ* confer Homericum *ἔκπεσε θυμόν.* V. 6. Ald. *φιλαν χεραν.* certe pluralis est numerus usitatior. Cf. Agam. 1561. Androm. 114. V. 11. Dionys. Ald. *εγαλαθηνω δει θεικνωσσεις.* Inde ope Casauboni ad Athen. IX. p. 396. E. erui *γαλαθηνῷ τ' εἴδεϊ κνώσσεις.* Apud Athen. est *ἤτορι*: quod minus placet. V. 13. Ald. *δουναντι.* Inde eruo *δόμῳ καὶ.* V. 15, Ald. *τυ δ' εις αυλ εαν δ' υπερθε.* Aliae edd. *τυ δ' αυαλεαν.* Ipse dedi *τὺ δ' ἀελλάων ὕπερθε.* V. 17. Vulgo *βαθειαν.* Inde erui *ῥοθίῳ γᾶν.* De *β* et *ρ* permutatis vide ad Tro. App. p. 186. V. 18. Ita Ald. pro *παριόντος.* De *περιΐων* trisyllabo vid. R. P. ad Vesp. 1020. et Dobraeum in Addendis. V. 23. *χλανίδι.* Producitur *δῑ* ob *πρ.* Vid. Seidler de Dochmiac. p. 21. et 409. Elmsl. ad Heracl. 753. V. 24. Vulgo *τοι.* Redde *τῳ alicui.* V. 25. Ald. *η κε κεν – λεπτων.* MSS. duo *λεπτον.* V. 26. Vulgo *υπαιχες.* Schneider, teste Jacobsio, *ὑπήκουσας.* Ipse dedi *ἔτ' ἴκ' ἐς.* Exstat in Aristoph. Pac. 114. *Φάνις ἥκει.* At Lyricum est *ἵκειν* pro *ἱκέσθαι.* Quod ad syntaxin *Ἵκε ἐς οὐράς σε*, duplex accusativus neminem offendet. Vid. R. P. ad Orest. V. 27. Vulgo *ευδετω αμετρον κακον.* At sententia friget. V. 29. Ita MS. Guelferbytt. teste Schaefero pro *ματαιοβουλία.* V. 30. Vulgo *σεο*: mox *οτι δη – ευχομαι τεκνοφι δικας συγγνωθι μοι.* Inde erui quae vides. De *εὔχομαι* et *εὐχόμεθα* vid. ad Tro. 167. Ubi in meam emendationem incidunt et R. P. apud Kidd. ad Dawes. p. VI. et Elmsl. in *Quarterly Rev.* N. XIV. p. 458. et Lenting. ad Med. p. 215. si bene memini. Manifesto hic nullum locum habere debet *σύγγνωθι.*

Omnia fere Lyricorum Graecorum Fragmenta in schedis meis habeo congesta: quorum editio vulgatis plenior et longe emendatior proferri potest, et fortasse proferetur.

Conspectus Commentationum.

Vol. I. Part. I.

		Pag.
1.	*Euripidis* fragmenta duo *Phaëthontis* e cod. Claromont. edid. *G. Hermann* . . .	1 — 17
2.	*G. Burgessii* notae in haec *Euripidei* Phaëth. Fragm.	17 — 26
3.	De usu particulae *Αν* apud Graecos. Dissert. I. Scr. *Poppo*	26 — 53
4.	Über die *Laren.* v. *Wagner* in Lüneburg	53 — 58
5.	*J. M. Gesneri* epistt. aliquot. Nunc primum ed. *Lünemann*	58 — 67
6.	1) *David. Ruhnkenii* notae Gramm. in *Muretii* scripta; 2) *Laurent. Santenii* notae prosodiacae in *Mureti* carmina. Ed. et obss. add. *Friedemann.*	67 — 82
7.	Über das *Antisigma* des Kais. *Claudius.* Von *Fr. Osann*	83 — 85
8.	1) *Joh. Fust* und *Peter Schöffer*, Erfinder der Buchdruckerkunst, 2) *Joh. Müller*, Erfinder der Stereotypen. Von *H. Hoffmann* von Fallersleben .	85 — 88
9.	*Morgensternii* symbol. critt. in quaedam loca *Platonis* et *Horatii*	89 — 96
10.	Obss. in *Sext. Empiricum.* Scr. *Car. Beier.*	96 — 105
11.	Loca quaedam *Senecae* Trag. ex *antiquis monumentis* illustrata a *T. Baden* . . .	105 — 112
12.	Über die Bedeutung und Eintheilung der *Pronomina* mit besonderer Beziehung auf die Lat. u. Griech. Sprache. Von *G. Fr. C. Günther*	113 — 135
13.	*Dion. Strocchii* de vita et scriptis *Gasp. Garatonii* commentarius	136 — 141
14.	*Wassenberghii* Dissertatio philologico-critica de *Transpositione* seu saluberrimo in sanandis veterum scriptis remedio, quo loca confusa, facta trajectione, restituuntur . .	141 — 157
15.	Variae Lectt. in Oeconom. *Xenophontis P. Victorii* manu edit. Aldin. Opp. Xenoph., quae est in Bibl. regia *Monac.*, adscriptae. Ed. *Fr. Jacobs*	157 — 161
16.	Var. Lectt. e Cod. Cizensi *Ciceron.* Epp. ad Div. enotat. a *Dähne*	162 — 167
17.	Var. Lectt. e Cod. *Livii* Stuttgard. enotatae a *Seebode*	168 — 175

		Pag.
18.	Var. Lectt. e Cod. *Nonii Marcelli* Guelpherb. depromptae a *Seebode*	175—181
19.	Unterschied der Worte *caeteri* und *reliqui*. Von *C. Beier* in Leipzig	181—188

Vol. I. Part. II.

20.	*C. I. G. Moschii* comment. de eo, quod in *Corn. Nepotis.* vitis faciendum restat . .	189—218
21.	*Ejusd.* comm. de *Ciceronis* in scribenda pro *Dejotaro* oratione consilio ejusdemque de eadem judicio non negligendo . . .	218—229
22.	*R. Payne Knight* Untersuch. über die symbol. Sprache der alt. Kunst u. Mythol. Aus dem Engl. übers. von *G. Henneke* . . .	229—251
23.	Oratio memoriae *I. A. Ernesti* sacra, in Acad. *Lips.* habita a *C. Beiero* . . .	251—259
24.	*Stallbaumii* Obss. ad *Platonis* Menonem	259—268
25.	Über ein v. *Plutarch* angeführtes Fragment eines unbekannten Dichters. Von *Ahlwardt*	268—271
26.	*Schleussneri* Obss.in *Erotiani*, *Galeni* et *Herodoti* Glossaria in *Hippocratem.* Notas addidit *Friedemann*	271—276
27.	Abhandlung über den Begriff u. Umfang des Rhythmus. Von *Blühdorn*	276—287
28.	Commentatio epigraphica. Scripsit *Fr. Osann*	287—293
29.	*Groddeckii* disputatio de Aulaeo et Proedria Graecorum	293—304
30.	Tabula alimentaria Traiani. Rec. *Rec. de Lama*	304—328
31.	*Hier. Lagomarsini* ad *Jac. Facciolatum* epist., *qua quid in M. Tull. Ciceronis contra L. Pisonem oratione interciderit demonstratur*	329—338
32.	*Dav. Ruhnkenii* epp. novem ad *D'Orvillium* scriptae.	338—344
33.	Lesarten z. 1sten B. der *Ciceron.* Schrift *de Orat.* a. d. *Hahn*'schen Drucke v. J. 1468. Von *Fr. Nic. Klein*	344—353
34.	Var. Lectt. ex Cod. *Nonii Marcelli* Guelpherb. depromptae Ed *Seebode*	354—354
35.	Notae critt. in *Horatii* opp. manu *I. Clerici* margg. exempl. edit. Torrent. adscriptae. Ed. *Salomonsen*	355—363

		Pag.
36.	*Th. Reinesii A. I. Lipsii* obss. ad *Tacit.* .	363 — 369
37.	Locorum Tragici et Philos. *Senecae* inter se comparatorum Appendix. Scr. *T. Baden*	369 — 376
38.	Krit. Bemerk. zu *Curtius*. Von *F. H. Bothe*	376 — 381
39.	*Toupii* Obss. ad *Rutil. Lup.*, nebst Bemerk. zu dems. u. zu *Vell. Patercul.* Von *Bardili*	381 — 386
40.	*Morgensternii* in *Cicer.* Parad. Prolegg. .	386 — 394
41.	Duae vitae *Euripidis* et praemonita quaedam ad ejus Hecubam Graece e cod. *Havniensi*. Cum Obss. ed. *Bloch*.	394 — 398
42.	θοός. Ein Abschnitt aus dem 2ten Bande des *Lexilogus*. Von *Buttmann*	398 — 407
43.	*Lagomarsinii* nott. gramm. et critt. ad *Gratiani* epp. Ed. *Seebode*	407 — 414

Vol. I. Part. III.

44.	Von der Unbrauchbarkeit der Nordischen Mythologie für die bildenden Künste. Von *Torkill Baden*	417 — 446
45.	Vita b. *Gottl. Christ. Harless*, descripta a filio natu maximo *Chr. Fr. Harless*. .	447 — 475
46.	Varietas lectionis cod. *Havn.* collati c. edit. *Euripidis* Porson. Ed. *O. D. Bloch*. . .	476 — 486
47.	Lectt. *Quintilianeae* e Codd. Pariss. enotatae a *Franc. Nic. Klein*.	486 — 489
48.	Lesarten z. I. Buche der *Ciceron.* Schrift *de Oratt.* a. d. *Hahn*'schen Drucke v. J. 1468. Von *Demselben*	489 — 507
49.	*Wyttenbachii* orat. de Philosophia, auctore Cicerone, laudatarum artium omnium procreatrice et quasi parente	507 — 519
50.	Zu dem Aufsatze: *Joh. Müller*, Erfinder der *Stereotypen*. Von *H. Hoffmann* . .	519 — 520
51.	*Lobeckii* de *Tritopatribus* diss. I. P. I et II.	520 — 530
52.	*Fr. Jacobsii* nott. critt. in *Aelian.* et *Plut.*	530 — 534
53.	*Schleussneri* Obss. in varios scriptores:	
	1) in *Moerid. Atticist.*	535
	2) in *Timaeum Sophist.*	535 — 536
	3) in *Thomam Magistr.*	536
	4) in Lex. Bibl. *Coislin.*	537 — 538
54.	Notae critt. in *Horatii* Opp. manu *J. Clerici* margg. exemplaris ed. *Torrent.* adscriptae. Ed. *Salomonsen*	539 — 547

		Pag.
55.	Krit. Anmerk. zu *Curtius*. Von *F. H. Bothe*	547—553
56.	Var. Lectt. ex Cod. *Non. Marcelli* Guelph. depromptae Ed. *Seebode*	554—562
57.	*C. F. Ch. Wagneri* Commentatio de *Temporibus Verbi*, imprimis *Latini*	562—578
58.	Über die Adverbia *heute*, *heint* und *heuer*. Von *Iac. Grimm*	578—582
59.	De partic. ὅπως et ὅπως μὴ. Scr. *H. Harless*.	583—589
60.	Obss. ad *Tacitum*. Scr. *Baden*.	590

Vol. I. Part. IV.

61.	*A. H. L. Heerenii* diss. de chori Graecorum tragici natura et indole	593—616
62.	*Lobeckii* de *Tritopatribus* Diss. I. P. III. .	616—630
63.	Var. Lectt. cod. *Havn. Euripidis* enot. a *Bloch*	630—637
64.	Var. Lectt. in *Liban. Soph.* Ex cod. *Palat.* excerpsit *G. Roether*	637—650
65.	Lectt. *Quinctilianeae* e Codd. *Paris.* enotatae a *Klein*	650—669
66.	Var. Lectt. ex cod. *Nonii Marcelli* Guelph. depromptae a *Seebode*	669—675
67.	De locis nonnullis libb. *Cicer. de Orat.* Scr. *Aug. Matthiae*	675—683
68.	Krit. Anmerkk. zu *Curtius*. Von *F. H. Bothe*	683—690
69.	De codd. Bibliothecae *Cracoviens.* Scr. *G. Münnich*	690—702
70.	Lectt. *Andocideae*, auctore *Fr. Osann.* .	702—705
71.	*Burmannum* de *Bentleji* doctrina metrorum *Terentianorum* judicare non potuisse. Disputatio *Frid. Volg. Reizii*.	706—712
72.	De Tragicorum Comicorumque choris in genuina metra restituendis. Scr. *C. G. Ahlwardt*.	712—727
73.	Commentationis *de Idaeis Dactylis* prooemium. Scr. *C. A. Lobeck*.	727—734
74.	Inscriptio Lat. Romae nuper detecta. Expl. *Thorlacius*	735—744
75.	Obss. in *Lucanum*. Scr. *Baden*	744—749
76.	Obss. in *Quinctiliani* declam. Scr. *Baden* .	749—750
77.	De versibus quibusdam *Horatianis*. Commentatio *Eichstadii*.	750—755
78.	De *Arcadii* quibusd. accentuum praeceptis. Scr. *Goettling*.	755—764
79.	*Burgessii* in *Herodotum* emendd.	764—766
80.	Indices a *Meynero* confecti	767—782

Vol. II. Part. I.

Pag.

1. *A. Boeckhii* Or. de antiquarum litterarum disciplina 1
2. *D. Ruhnkenii* epistolae ineditae ad *C. G. Heynium*, *I. H. Vossium* et *F. A. Wolfium* scriptae. Ed. *Friedemann* 10
3. Specimen *Glossarii latini antiqui* cum notis editoris anonymi 21
4. *C. I. G. Moschii* Or. de saeculi nostri misologia c. nott. *I. A. L. Wegscheideri* 27
5. Ueber einige Stellen alter Schriftsteller von *Ph. Buttmann* 40
6. De verbo ἀκταίνω. Scr. *E. H. Barker* 55
7. Scholia in Homeri Odysseam a Buttmanno edita emend. *C. L. Struve* 57
8. *Gasp. Garatonii* excursus in Ciceronis oratt. Verrinas 59
9. *E. C. F. Wunderlichii* comment. in epigr. Bacchylidis aut Simonidis. Ed. et nott. add. *Fr. Jacobs* 67
10. *D. Wyttenbachii* additamenta ad Phaedonis Platonici editionem 75
11. *C. A. Lobeckii* diss. I. et II. de mysteriorum graecorum argumentis 85
12. De accentu vocum graec. monosyllab. tert. declin. scr. *C. G. Goettling* 97
13. *Jo. Grammii* comment. de rebus litterariis ab *Io. L. Moshemio* in Dania a. 1722 gestis. Nunc primum ed. *T. Baden* 102
14. De codd. mss. biblioth. Cracov. Scr. *G. Münnich.* P. II. 122
15. De Xenophontis Oeconomici Cap. 15. scr. *F. A. Bornemann* 140
16. *A. B. Kayssleri* et *Io. Th. Schneideri Saxonis* vitae. Scr. *Fr. Passow* 153
17. *Io. Geo. Graevii* Scholia in Ciceronis de offic. L. I. Ed. *G. Röther* 164

Vol. II. Part. II.

18. *Io. Geo. Graevii* Scholia in Ciceronis de offic. L. II. Ed. *G. Röther* 193
19. *C. L. Struvii* Lectiones Lucianeae. P. I. . . . 205
20. Variae Lectiones e Cod. Ciz. in Ciceronis Epp. ad Fam. L. II. enotatae a *Daehne* 262

Pag.

21. *C. A. Lobeckii* diss. de mysteriorum Eleusiniorum gradibus. P. I. 258
22. *G. Hermanni* diss. de praeceptis quibusdam Atticistarum 278
23. *Ge. Car. Theod. Franckii* prolegg. in Ciceronis oratt. Verrinas, de provinciarum Romanarum forma atque administratione 293
24. *Phil. Melanthonis* prima adumbratio locorum theologg. Denuo ed. et praefatus est *F. T. Friedemann* 354
25. *Fr. Jacobsii* additamenta nonnulla ad varr. lectt. in quaedam minora Libanii Sophistae scripta . 371
26. *Theoph. Wernsdorfii* disp. de Aeneae Gazaei edit. adornanda. Adjectae sunt lectt. varr. e cod. August. Ed. *G. G. Wernsdorf* 374
27. De *Io. Grammii* opusculis a *Ruhnkenio* desideratis. Scr. *T. Baden* 396

Vol. II. Part. III.

28. *Niclasiana*: cum rariora, tum inedita. Ed. *Fr. Hülsemann* 401
29. *Gasp. Garatonii* epistolae tres ad *Jos. Percellium* et *Th. Ch. Harlesium* scriptae. Ed. *H. Harless.* 421
30. *Hier. Lagomarsinii* notae grammaticae et criticae ad *Pogiani* epistolas. Ed. *Seebode* 433
31. *Demetrii Moschi* carmen epicum graecum de nuptiis Helenae et Paridis. Nunc primum ed. *Imm. Bekkerus* 476
32. *Creuzer, Hermann* und *Buttmann* über die mythologische Vorstellung der *Musen*. Eine Vorlesung des Letzten 437
33. De locis nonnullis librorum *Ciceronis de oratore*. Scr. *O. M. Müller* 505
34. *G. Hermanni* diss. I. et II. de legibus quibusdam subtilioribus *Sermonis Homerici* 511
35. *Dan. Wyttenbachii* Or. de conjunctione *philosophiae* cum *elegantioribus litteris* 542
36. *C. A. Lobeckii* diss. de Cercopibus et Cobalis. P. I. 563
37. Varr. Lectt. in *Ptolem. Geogr.* L. I. c. 1 - 14. e cod. enotatae a *Fr. Sylburgio*. Ed. *E. H. Barker.* 572

Vol. II. Part. IV.

		Pag.
39.	De *Carrhoduno Ptolemaei.* Scrips. *Fr. Kruse*	577
40.	De ratione inter *ictum rhythmicum et accentum* vocabulorum in *spondeum* exeuntium in *senariis Plautinis.* Scrips. *Fr. Zelle*	581
41.	Varietas lectionis e *Q. Curtii R. codd. Parisinis* enotata a *Dronke*	594
42.	*Michaëlis Pselli* epistolae ineditae. Ed. *Fr. Creuzer*	601
43.	Variae lectt. ex *cod. Nonii Marcelli Guelph.* depromptae. Ed. *G. Seebode*	628
44.	*H. C. A. Eichstadii* deprecatio latinitatis academicae	626
45.	Variae lectt. e *cod. Livii Cracoviensi* excerptae. Ed. *G. Seebode*	634
46.	De *legibus prosodicis* et *metricis*, quas *seriores Graecorum Iambographi* secuti sunt. Scrips. *C. L. Struve*	637
47.	*A. Weicherti* diss. de *Q. Horatii Flacci obtrectatoribus*	656
48.	*C. A. Lobeckii* diss. de *bello Eleusinio.* P. I. .	676
49.	De extrema parte operis *Stephaniani de urbibus.* Scrips. *A. Wellauer*	692
50.	Disquisitio grammatica de *pleonasmo* qui perhibetur *particulae ἤ post comparativum.* Scrips. *I. H. Fäsi*	697
51.	Ueber *Theokrit* 8, 91. und *grammatische Untersuchung* des *Verbi γαμεῖν.* Von *Ph. Buttmann.*	711
52.	*God. Hermanni* diss. de Emendationibus per *Transpositionem Verborum*	717
53.	De usu *Imperativi* apud *Latinos.* Scrips. *N. B. Krarup*	728
54.	*Fr. Lindemanni* diss. de *Stropha Alcaica* . .	737
55.	*Io. Fr. Schleussneri* observv. in *Harpocrationis* Lexicon	744
56.	Additamenta ad *Ephori* fragmenta. Scrips. *C. M. Marx*	754
57.	*Simonidis* fragmenta duo emendata a *G. Burges*	757
58.	*Conspectus Commentationum* volumine primo et secundo comprehensarum	760

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google